ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS I

SESSIO PUBLICA II

CONGREGATIONES GENERALES XXXVII-XXXIX

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXI

DOCUMENTA

1

RESCRIPTUM

De initio secundae periodi Concilii Oecumenici Vaticani II *

Sanctissimus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia, hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut altera periodus Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II initium habeat die XXIX mensis Septembris, anno MCMLXIII, dominica XVII post Pentecosten, in festo S. Michaëlis Archangeli.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXVII mensis Iunii, anno MCMLXIII.

H. I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

2

EPISTULA **

Ad E.mum P. D. Eugenium S. R. E. Card. Tisserant, Episcopum Ostiensem, Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacri Cardinalium Collegii Decanum et Collegio Praesidum Concilii Oecumenici Vaticani II antistantem.

PAULUS PP. VI

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. Quod Apostolici muneris ratio postulabat, iam inde a Summi Pontificatus exordiis sollicitudinem Nostram convertimus ad Concilium Oecumenicum Vaticanum II, cuius alteram sessionem, ut notum est, incipiendam decrevimus proximo die XXIX Septembris, quo S. Michaëlis Archangeli, militantis Ecclesiae patroni, festum recoletur.

Quod quidem propositum ea mente suscepimus, in primis ut debitum praestaremus honorem atque obsequium Decessori Nostro Ioan-

---

* *A.A.S.,* 55 (1963), p. 581.
** *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 740-744.

ni XXIII, cuius memoriam veneratione summa prosequimur. Is enim Nobis videtur idcirco a Deo missus, ut tantae gravitatis eventus, Oecumenicum nempe Concilium, et rite celebraretur, et iis rationibus in iisque rerum adiunctis, quae omnes norunt, initium opportune caperet, et per talem Pontificem salutarium fructuum primitias arcanamque suam magnitudinem ostenderet. O quam audacter et quam provide ipse huiusmodi inivit consilium; quam sagaci mente uberrimam spiritualem messem inde orituram prospexit; quam alacrem dedit operam, ut omnes agnoscerent compertumque haberent, quid Concilium ad futuras Ecclesiae sortes universaeque hominum consortionis bonum conferre posset; denique quam grave ipsi fuit, hac in mortali vita, post celebrata Concilii Oecumenici exordia, eiusdem processum atque expectatum exitum cernere non potuisse!

Summas igitur Deo gratias persolvimus, ex cuius superno dono tam amabili Summo Ecclesiae Pastore fruiti sumus. Qui candida morum simplicitate, virtutum splendore, assiduo promovendae pacis studio non solum universum terrarum orbem amore et admiratione sui mire complevit, verum etiam, coacta generali Synodo, salutiferae Catholicae Ecclesiae actioni nova patere iussit itinera. Faxit benignissimus Deus, ut tantae molis opus ab eo incohatum ad prosperum perducatur exitum, nec tardet Ecclesiae humanaeque societati splendidissimus ille dies illucescere, cuius ipse, Oecumenicam Synodum auspicatus, auroram tantum aspexit.

Tali autem Summo Ecclesiae Pastore e vivis erepto, inscrutabili sane Dei consilio sed summa cum animi Nostri trepidatione et quasi aegritudine factum est, ut Romanae et universalis Ecclesiae gubernandae onus umeris Nostris, eidem ferendo imparibus, imponeretur, eo vel magis quod ei coniungitur officium incohatum Concilium Oecumenicum prosequendi. Aperte fatemur, non sine timore Nos huiusmodi officii gravitatem considerare. Terrent enim sive virium Nostrarum infirmitas, sive grande celebrationis momentum, sive denique aspera rerum adiuncta, in quibus aetas Nostra versatur.

Nihilominus muneris Nostri partes esse duximus huiusmodi aggredi opus in Nomine Domini fidentes. Ad id Nos permovet non solum, ut diximus, summa reverentia erga tantum Pontificem, quocum arctis amoris et venerationis vinculis iungebamur; sed etiam impellit officium ex ipsa incohata Concilii celebratione profectum, quo is quodammodo obstringitur, cui vita tota in bonum et incrementum Apostolicae Sedis Ecclesiaeque Catholicae est impendenda; impellit denique spes, quam in prospero Concilii Oecumenici exitu collocatam habemus, cum eius

fructus spectent tum Ecclesiae vitam provehendam, tum deproperandam fratrum seiunctorum cum Ecclesia Catholica unitatem, tum pacem ac spiritualem hominum progressionem in universo terrarum orbe promovendas. Quare Concilii Oecumenici labores resumentur atque pergent. Quod ad Nos attinet, in hoc opus totas vires Nostras impendemus, plane confisi non defuturam Nobis Patrum Conciliarium adiutricem operam, et praesertim in Spiritus Sancti auxilio innixi, quod spes Nostra firmissima praestolatur.

Ut Concilii Oecumenici continuationi, quae propediem continget, opportunis praesidiis faveretur et ad praevios eius labores constanti cura incumberetur, consilia suscepimus, quae multum utilitatis allatura esse confidimus.

Commissio Concilii laboribus mutuo ordinandis et dirigendis, ut probe nosti, constituta est, cuius hoc est proprium labores Commissionum mutuo ordinare, eosque sequi atque tractare cum earundem Commissionum Eminentissimis Praesidibus non tantum de quaestionibus ad competentiam spectantibus, verum etiam de iis quae pertinent ad urgendam et in tuto ponendam congruentiam Schematum cum proposito fine Concilii.

Schemata in breviorem formam redacta iterumque elaborata sunt, hac habita ratione, ut potissimum generaliora principia prospiciant, et quaestiones, quae ad rem non attinent, omittantur: nam hoc statum fixumque habendum est, Concilium Oecumenicum ad universam Ecclesiam spectare. In iis Schematibus innovandis cautum est, ut indoles pastoralis huius Concilii promineret. Oportet enim doctrina fidei certa et immutabilis, a Supremo Ecclesiae Magisterio et a superioribus Conciliis Oecumenicis, praesertim Tridentino et Vaticano primo, declarata vel definita, cui fidele obsequium praestandum est, ea ratione exponatur, quam tempora nostra postulant, et nostrae aetatis hominibus ita accommodior accessus fiat ad veritates amplectendas et ad partam a Christo salutem accipiendam.[1]

Schemata autem in magis exiguum numerum, septemdecim scilicet, redacta sunt, quorum fasciculi maximam partem iam ad Episcopos missi sunt.

Venerabili autem Fratri Martino Ioanni O'Connor, Archiepiscopo titulo Laodiceno in Syria, id muneris credidimus, ut ministeria, quae ad evulgandas notitias pertinent, perfectiora fierent et amplificarentur.

---

[1] Cf. Allocutio Ioannis XXIII habita die XI mensis Octobris MCMLXII; *A.A.S.*, LIV, 1962, p. 786 sq.

Id quoque statuimus, ut ad conciliares coetus nonnulli e laicorum ordine catholici viri, itemque aliqui Procuratores maximarum sodalitatum internationalium catholici orbis, quae ecclesiastico iure agnitae sunt, admitterentur.

Curas quoque egimus, ut iterum ad Oecumenicum Concilium vocarentur Observatores christianorum fratrum ab Apostolica Sede seiunctorum, quin etiam ut eorum numerus augeretur. Praeterea ex re Nobis visum est sollicitudines conferre ad Secretariatum opportuno tempore constituendum etiam pro iis, quorum religio inter christianas professiones non recensetur.

Insuper certiorem te facimus Secretariatum Concilii negotiis extra ordinem praepositum abolitum esse, atque in Collegium Praesidum tres alios adscitos esse, nempe Card. Stephanum Wyszyński, Archiepiscopum Varsaviensem, Card. Iosephum Siri, Archiepiscopum Ianuensem, Card. Albertum Gregorium Meyer, Archiepiscopum Chicagiensem; cuius quidem Collegii erit curare, ut normae Ordinis Concilii Oecumenici rite observentur, resolutis dubiis ac remotis difficultatibus forte obstantibus. Mox quattuor deligentur Cardinales Delegati seu Moderatores Concilii, quibus mandabimus, ut Concilii labores dirigant, sibi invicem succedentes in ordinandis disputationibus Congregationum generalium, salva semper et tuta Patrum Conciliarium libertate, immo hanc ob causam, ut ea quae singillatim aut coniunctim illic proferentur, ordinatim et dilucide pateant.

Inceptiones vero complures, dum sessio altera Concilii durabit, prospici licet, hac posita lege, ut conciliares coetus quovis die sabbato et die dominico intermittantur.

Scilicet in Vaticana Basilica sollemnes sacri ritus erunt, quibus nonnullis beatorum caelitum honores decernentur; die dominico Evangelii expeditionibus fovendis dicato, id est die vicesimo proximi mensis Octobris, quattuordecim Episcopi missionales a Nobismetipsis consecrabuntur.

Sollemni commemoratione laudabitur fel. record. Ioannes XXIII eo die, scilicet vicesimo octavo mensis Octobris, quo ad Petri Cathedram is assumptus fuit; celebrabitur quoque memoria abhinc quattuor saecula conditi ab Oecumenico Concilio Tridentino decreti de Seminariis instituendis, die quarto mensis Novembris in festo S. Caroli Borromaei, quo sacro sollemni adstantibus Nobis litabitur; pontificalis translaticio more possessio a Nobis inibitur Archibasilicae Lateranensis die nono mensis Novembris, cum eius dedicationis festum recurret.

Haec sunt, Venerabilis Frater Noster, quae tecum opportunum du-

ximus communicare; quae, cum ad effectum deducta fuerint, spem Nobis confirmant, fore ut Concilii labores expeditiore ratione procedant eiusque felix exitus efficacius in tuto ponatur.

Tu vero diligenter cura, ut haec omnia praescripta Nostraque optata et vota in Patrum Conciliarium notitiam perveniant. De quo dum gratias maximas agimus, tibi Apostolicam Benedictionem, supernorum lectorumque munerum auspicem, peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XII mensis Septembris, in festo Ss. Nominis Mariae, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

3

ADHORTATIO APOSTOLICA *

Ad universos Episcopos pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de felici exitu Concilii Oecumenici Vaticani II precibus et paenitentiae operibus impetrando.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum proximus accedat dies, quo altera sessio Concilii Oecumenici Vaticani II exordium sumet, facere non possumus quin magnitudine sacrae illius hereditatis, quae a Decessore Nostro imm. mem. Ioanne XXIII Nobis tradita est, penitus Nos commoveri sentiamus; quam hereditatem, ut probe nostis, trepidanti sed obsequii pleno animo accepimus, parati nullum laborem, nulla incommoda recusare, ut pretiosissimus ille exemplorum, operum normarumque thesaurus, quo magnus ille Pontifex Ecclesiam auxit, indemnis omnino servetur.

Nam Concilii Oecumenici Vaticani II inceptum tantae praestantiae est, ut inter complura beneficia a Ioanne XXIII catholicae Ecclesiae et humanae societati tributa, iure merito praecipuum obtineat locum.

Alte adhuc insidet menti Nostrae admirandum illud suavissimumque

* *A.A.S.*, 55 (1963), pp. 729-733.

spectaculum, quod elapso anno Nostris ipsi vidimus oculis, cum ex omnibus terrarum partibus, Concilii Oecumenici celebrandi causa, Romam una convenimus. Cui enim tunc non patuit, tam amplam sacrorum Antistitum coronam, Apostolorum Principis sepulchrum circumstantium, nova et luculentissima testificatione ostendere, Sponsam Christi perpetua florere iuventa, ex eademque omni tempore penetrantem lucem salutaremque vim effundi, universos attingentem populos? Hinc communis illa spes intellegitur atque illa vehemens exspectatio, qua omnes, altera instante Concilii sessione, venerabundi ad civitatem supra montem positam oculos attollant, ad Ecclesiam nempe catholicam, quae Concilii ope suam doctrinam, suam disciplinam suamque actionem, nova efficacioreque virtute praeditas et ad hodiernas animorum necessitates accommodatas, hominibus praebere contendit.

Arcano Dei providentis consilio contigit, ut ille Pontifex, qui eiusmodi incepti semen in terram iecerat, maturos inde fructus colligere non posset, Nobis vero onus imponeretur persequendi opus, quod ipse sagaci providentia, strenua animi fortitudine firmissimaque spe inchoaverat.

Mente complectentes tantam iniuncti muneris magnitudinem, paene adducti essemus, ut renueremus in formidandum opus incumbere, nisi Dei voluntas hac in re manifesto patuisset. Commissum igitur onus suscipiendum esse et divinae voluntati parendum duximus, fiduciam Nostram penitus in Domino collocantes, firmiterque sperantes eum daturum infirmitati Nostrae virtutem, qui Nobis concredidit tanti muneris gravitatem.

Ceterum laboribus Nostris adiutrix vestra opera non deerit, Venerabiles Fratres, quam probe novimus Nobis validissimo fore adiumento. Itemque in hoc obeundo munere assidua vota et preces Nos comitantur christifidelium, qui grandi hac Ecclesiae hora Nobiscum arctis amoris vinculis coniunguntur. Quod quidem, dum magnum solacium affert, Nobis etiam faustum ac felix omen videtur, quod Concilio Oecumenico prosperum exitum spondet.

Cum autem proxima Concilii sessio ingentem perficiendorum laborum summam prae se ferat, ac de eventu agatur penitus Ecclesiae vitam attingente, vehementer cupimus enixe adhortari vos, Venerabiles Fratres, ut greges vestri ad id congruenter animos praeparent atque disponant. Ac vestigiis insistentes Decessoris Nostri Ioannis XXIII, qui monere numquam destitit, ut praesertim orando paenitendoque christianus populus a Deo uberes ex Concilio fructus impetraret, haec eadem christianae pietatis officia, sane gravissima, vobis enixe commendata volu-

mus; ad quae quidem officia etiam autumnalia Sacra Tempora, quae mox anni circulus revehet, opportune suadent.

Sollemniter profitemur, Venerabiles Fratres, in hac precum christianaeque paenitentiae contentione praecipue ponendam esse spem uberis spiritualis messis e Concilio oriturae, cum hoc Spiritus Sancti potissimum sit opus. Profecto, quidquid humana ope effici potest, id ad tantam celebrationem adhiberi oportet. Attamen, ut fines optati plene ac stabiliter pertingi queant, id in primis non cogendorum coetuum ordinata celebratio, nec disceptationum sapientia, neque etiam studia exquisito labore a Patribus Conciliaribus apparata praestabunt; praestabunt vero impensae diuturnaeque precationes, voluntariae corporis animique afflictationes Deo oblatae, morum sanctitas, pia opera, hoc est ea omnia instrumenta ac subsidia, quae ad supernaturalem ordinem pertinent, et quibus Ecclesia semper usa est atque adhuc utitur, quotiescumque causa agitur, quae ad Dei gloriam, animorum salutem spiritualemque humani generis profectum spectet.

In primis igitur precibus instandum est, et quidem impensis atque assiduis, privatis et publicis, idque a Deo est impetrandum, ut supernis luminibus eorum mentes collustret, qui consilio suo ac doctrina in condenda Concilii decreta operam impendent. Haec auxilii praestandi forma omnibus christifidelibus apta est, eaque facillima atque efficacissima; quamobrem eandem ab omnibus postulamus.

Quo autem precum certatio fructuosior contingat, quamvis in deligendis formis et modis singuli libertate polleant, quasdam tamen maxime commendandas esse putamus. Scilicet omnes cohortamur, ut precandi formulam a Ioanne XXIII ad Concilii bonum exitum impetrandum concinnatam, pristina resumpta consuetudine, adhibeant; itemque praescribimus, ut in omnibus Missis latini ritus recitetur *collecta imperata* de Spiritu Sancto. In precando autem orandoque primas habeant partes sacerdotes, sacrorum alumni, religiosa Instituta; cum iisque certent christifideles e laicorum ordine. Vehementer denique cupimus, ut ingens haec christianorum orantium multitudo, quae in toto terrarum orbe diffusa est, non solum numero, sed praesertim gratia et virtute crescat; quod sane eveniet, si huiusmodi precationes coniunctam habeant morum innocentiam, eaedemque ex animo eliciantur sincera caritate flagranti.

Quoniam autem « bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna »,[1]

---

[1] *Tob.* 12, 8.

concordibus hisce supplicationibus pia paenitentiae opera adiungantur necesse est. Facit enim precationis studium, ut animus sustentetur et ad divina conscendat; facit autem paenitentia ut nobismetipsis imperemus, corpori maxime, ex veteri noxa rationi legique evangelicae gravissime infenso. Quare paterno hortamento omnes impellimus, ut proximis diebus Sacrorum Temporum ieiunium, licet ecclesiasticis praescriptionibus non iniunctum, pro viribus ultro libenterque servetur. Voluntariae quoque corporis castigationes prompto et alacri animo suscipiantur, praesertim abstinendo a ludicris spectaculis, quae, oblata nunc occasione, saepe nimis foeda et detestanda dari, vehementer expostulamus et querimur. Acceptis ignoscatur iniuriis, facilique venia noxii iurgiorum ignes extinguantur, ita ut odia et contentiones, tam late pro dolor hodie invalescentia, conticescant, cum eorum semina novas miserias pariant ac non raro ad humani etiam sanguinis effusionem exacerbatos compellant animos. Iuventur publica christianae caritatis incepta, egenis allevandis destinata, idque misericordibus misericordiam Dei conciliet. A quo benignitatis munere cum ne pauperrimi quidem alieni esse possint, eos qui stipe subvenire fratribus nequeant valde hortamur, ut saltem precibus, consolatoriis verbis, exemplis suique ipsorum dono proximos sublevare velint. Etenim semper habet unde det, qui pectus plenum habet caritatis.

Fides, caritate alita cum eaque coniuncta, firmior et purior nunc mentes collustret et actiones gressusque dirigat vitae: « quia sicut in fide est operum ratio, ita in operibus fidei fortitudo ».[2] Denique, quod peculiari modo Nobis cordi est, convolet adhortatio haec Nostra ad eos omnes, qui corporis vel animi aegritudine laborantes acerbis anguntur doloribus. Cum hi dilectissimi Nobis filii potissimum dicere possint cum Paulo Apostolo: « adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia »,[3] iidem propterea alacri animo oblatam nanciscantur opportunitatem, suas Deo dicandi aerumnas et dolores, christiano animo tolerati, non modo aestimandi sunt veluti gradus, quibus ad aeternam patriam perveniatur, sed etiam summopere conferre possunt ad hominum scelera expianda, in « aedificationem corporis Christi »,[4] et ad optatam illam christianorum morum renovationem deproperandam, quae ex Concilio Oecumenico flagrantissimis exspectatur votis.

Haud dubitamus, Venerabiles Fratres, quin vos pastorali, qua sole-

---

[2] S. Leo Magnus, *Sermo X,* Migne PL 54, 166.
[3] *Col.* 1, 24.
[4] *Eph.* 4, 12.

tis, cura ac diligentia haec paterna hortamenta Nostra cum clero, religiosis utriusque sexus sodalibus populoque vestro, aptiore quo duxeritis modo, communicaturi sitis; itemque quotquot numeramus ubique gentium amantissimos in Christo filios, incitationi huic Nostrae sint ultro libenterque responsuri.

Interea autem caelestium gratiarum conciliatrix esto Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis ac vestris christifidelibus, iis praesertim, qui ad mentem Nostram precando paenitendoque felicem Concilii Oecumenici exitum a Deo impetrabunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Septembris, in Exaltatione S. Crucis, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

4

EPISTULA *

Ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos ceterosque Patres Concilii Oecumenici Vaticani II: de Patrum Conciliarium convocatione ad alteram Concilii sessionem celebrandam.

Huiusmodi epistulae textus, Typis Polyglottis Vaticanis editus, Patribus distributus est in quadragesima sexta congregatione generali, die 11 octobris 1963.

Venerabilis Frater Nobis dilectissime,

Horum temporum signa et necessitates plane intellegens, Ioannes Pp. XXIII, Decessor Noster, cuius pia memoria apud Nos et universam christianam familiam viget, opus maximum ausu intrepido et animo fidenti est aggressus, Concilium dicimus Oecumenicum Vaticanum Secundum. Quod probe conici licet factum esse peculiari impulsione Providentiae divinae, quae « disponit omnia suaviter »[1] et Ecclesiae, prout res postulat, sapientissime consulit.

Quemadmodum notum est, haec amplissima Synodus universalis hominum studia movit eosque in spem novam erexit, atque adeo nomen Ioannis Pp. XXIII, tanti incepti auctoris, merito claret et immortalitati

---

* *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 734-735.

[1] *Sap.* 8, 1.

commendatur. Ipse vero, qui omnes vires ad hoc negotium impenderat et primam partem Concilii Oecumenici celebrarat, Dei inscrutabili consilio, morte est interceptus vehementi cum maerore christifidelium atque etiam eorum, qui catholico non censentur nomine. Tamen dubitandum non est quin, cum, caelesti voluntati humillime obsecutus, ex hac terrena discederet peregrinatione, supernorum munerum copiam promeruerit Ecclesiae, quippe qui vitam suam Deo obtulisset pro felici Concilii exitu.

Nos vero, qui arcana Dei dispositione, in eius locum sumus suffecti, relictam ab eo hereditatem, in nomine Domini et Concilii Patrum fisi opera auxiliatrice, suscepimus. Itaque, quod ardenter est coeptum, non minore cum alacritate pergere cupientes, te, Venerabilis Frater, ad persequendum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum, cuius altera periodus, ut nosti, die XXIX huius mensis Septembris initium capiet, hisce Litteris convocamus.

Quo praecipue haec omnium aetatum creberrima Synodus spectet, comprehensum habes: etenim, quemadmodum ut laudatus Decessor Noster, Concilium auspicatus, significavit, Catholica Ecclesia ut perenni vigore praedita salutis administra cunctis appareat oportet: ei enim a Christo Domino depositum fidei est traditum, ut ab ea fideliter servaretur eiusque impigra opera omnibus hominibus modo congruenti et consentaneo innotesceret. Haec igitur summa Ecclesiae vis, animos collustrans, alliciens, permovens, e Concilio, quod ad Sancti Petri sepulchrum agitur, nova prodeat vivacitate. Quod ut fieri possit, apostolatus multiplices rationes, aptis subsidiis inductis, erunt promovendae et ad unum celsissimum finem disposite coniungendae, atque etiam laicorum ordo ad hoc salvificum munus participandum efficientius asciscendus. Huc pertinet praeterea sollicitudo Ecclesiae de unitate inter homines provehenda, praesertim inter eos, qui christianos se profitentur; quae quidem sollicitudo his verbis Salvatoris significanter exprimitur: « Fiet unum ovile et unus pastor ».[2]

Memores gravissimi negotii, in Concilio gerendi, ad proximos coetus singulos Patres rogamus ut precationes ingeminando et alia pietatis officia exercendo animos parent. Tua etiam cohortatione christifideles tibi commissi adducantur, ut idem praestent volentes, imprimis sacerdotes, viri et mulieres, qui evangelicam perfectionem consectantur, aegroti alioque modo aerumnosi, huius rei causa dolores tolerantes, pueri et puellae, quasi candidi flores Deo acceptissimi.

Adsit igitur, qui Ecclesiae corpus vivificat, Spiritus Sanctus, a te

---

[2] *Io.* 10, 16.

et fidelium choro exoratus, Concilii huius conventibus; fiatque, quod supplices poscimus, ut tandem sit « in omnibus Christus ».[3]

Qua bona spe ducti, tibi, Venerabilis Frater, amantis animi Nostri sensus significamus; cuius rei pignus ac testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi et universis, quos pastorali sollertia attingis, libentissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XIV mensis Septembris, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

5

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Dominica 29 septembris 1963, in festo Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, *hora nona,* Concilii Oecumenici Vaticani II celebratio sollemniter resumetur.

E.mi et Rev.mi DD. Cardinales, induti vestibus sericis rubris cum mantelleto ac mozetta, et calceis rubris, ad Aulam II Borgianam accedent, ibique supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et paramenta suo Ordini propria albi coloris (videlicet: Episcopi pluviale ex tela argentea simplici, et formali; Presbyteri casulam opere phrygio ornatam; ex Ordine Diaconorum dalmaticam similiter confectam et ornatam) et mitram sericodamascenam; deinde in Aula Paramentorum convenient et Summi Pontificis adventum exspectabunt, accessuri cum Eo ad Basilicam Vaticanam.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Exc.mi DD. Patriarchae sacra paramenta assument in prima Aula Borgiana, Auditores Rotae, Clerici R. Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae superpelliceo se vestient in Aula prima Paramentorum.

Omnes vero Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluviale induent in ambulacro Iuliano (Galleria delle Lapidi), reliqui Patres in eodem ambulacro proprias vestes chorales assument.

Praelati et alii Officiales Cappellae Papalis, vestibus respective sibi debitis induti, in Aula Ducali sistent.

---

[3] *Col.* 3, 11.

Omnes praedicti Patres, Praelati et Officiales, praeter E.mos Cardinales, sollicite et ordinate pergent per atrium ad Basilicam Vaticanam propria subsellia adepturi.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa, Se conferet in Paulinum Sacellum, comitantibus E.mis Cardinalibus tantum, in quo adorato Augustissimo Sacramento sollemniter exposito, hymnum « Ave, maris stella » intonabit, et absoluto primo versu, gestatoria sella in Basilicam Vaticanam evehetur.

Sanctissimus Pater cum Basilicam ingressus fuerit e sella gestatoria descendet et accedet ad altare, ubi genuflexus praecinet hymnum « Veni, creator Spiritus », quem Cantores prosequentur. Absoluto primo versu Summus Pontifex thronum ascendet et stans, post hymni cantum recitabit versiculos et orationes.

Ab E.mo Cardinali S. Collegii Decano Missa de Dedicatione S. Michaëlis Archangeli celebrabitur.

Summus Pontifex, impartita benedictione, pluviale deponet et omnibus sacris paramentis induetur ac si Missam sollemni pontificali ritu esset celebraturus.

Tunc praestabitur obedientia a Patribus conciliaribus, et Summus Pontifex professionem fidei emittet. Episcopi vero qui nondum iuramentum ediderint, catholicam fidem profitebuntur.

Absoluta allocutione Sanctitas Sua sollemnem impertietur benedictionem.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, nec non Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habentes.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Princeps solii, Concilii custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R.C.A., Praefectus Palatii Apostolici, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Officiales Concilii; ceterique intimari soliti, qui suis locis praesto esse debent *hora* saltem *octava cum dimidio*.

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

✠ Henricus Dante, Archiep. Carpasien.
Apost. Caerem. Praefectus

6
ORDO
CONCILII OECUMENICI VATICANI II CELEBRANDI

Editio altera recognita *

Hic fasciculus, Typis Polyglottis Vaticanis impressus, Patribus distributus est in tricesima septima congregatione generali, die 30 septembris 1963.

MOTU PROPRIO

NORMAE STATUUNTUR CONCILII OECUMENICI VATICANI SECUNDI CELEBRANDI

IOANNES PP. XXIII

Appropinquante Concilio Oecumenico Vaticano II, magna cum animi Nostri laetitia iam nunc cogitatione complectimur proximum huiusmodi ac prorsus admirandum spectaculum, ingentem nempe sacrorum Antistitum numerum, qui undique gentium in hanc almam Urbem confluent, ut prope Apostolorum Principis sepulcrum una Nobiscum graviora Ecclesiae negotia pertractent. Ac maximas Deo gratias persolvimus, non solum quod Nobis tanti aggrediendi operis consilium benigne indidit, verum etiam quod laboribus Concilio praeviis praesentissima semper affuit ope sua. Idque fiduciam Nostram apprime confirmat, neque in posterum in perficiendo opere eam defuturam esse largam supernorum praesidiorum copiam, quae in inchoando abunde affluxit.

Fructus sane uberrimos ex amplissimo hoc Consessu exspectat Catholica Ecclesia, quae, cum Iesu Christi sanctissima sponsa sit cunctarumque gentium mater et magistra, id summopere exoptat, ut universis filiis suis, iis non exceptis qui extra ipsius saepta versantur, veritatis lumen afferat eosque caritatis ardore magis magisque inflammet; quae quidem veritatis caritatisque superna bona ad unitatem et pacem assequendas conservandasque potissimum valent. Quae autem celebrandum Concilium Oecumenicum sibi proponit, ea ad mandatum illud explendum pertinent, a Christo Domino Apostolis concreditum, quod late re-

* Editio prima edita est in: *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando,* Series II (Praeparatoria), vol. I, Typis Polyglottis Vaticanis 1964, pp. 306-325; *A.A.S.*, 54 (1962), pp. 609-631.

sonat in universo orbe ad extrema usque tempora: « *Euntes ... docete omnes gentes, baptizantes eos ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* » (*Matth.* 28, 19). Tria profecto munera spectant ad Episcopos, Apostolorum successores, scilicet docendi, sanctificandi et regendi, ad quae rite exsequenda, Christus Iesus se ipsis affuturum usque ad saeculorum consummationem benigne promisit.

Instituendi vero homines sunt de iis quae ad rectam fidem et ad castos mores attinent; atque magis magisque recolere oportet, quae sit intima Ecclesiae natura, quaenam eius munera et fines. Etenim, quo magis radians Ecclesiae matris vultus innotescit, eo impensiore amore homines illam diligunt, procliviore animo ipsius salutis instrumenta adhibent ac disciplinam observant. Huc accedit quod nova doctrinarum artiumque incrementa humani generis imperium in rerum naturam latissime adauxerunt. Cum autem in iis reluceat aliquod divinae Sapientiae lumen quae « *candor est ... lucis aeternae et speculum sine macula Dei maiestatis, et imago bonitatis illius* » (*Sap.* 7, 20), optandum profecto est, ut exinde homines incitamenta sumant ad mores acriore studio excolendos et ad illam pertingendam intimam vitae perfectionem, ad quam suapte natura animus impellitur.

Res est quidem ante omnium oculos posita, celebrandum Oecumenicum Concilium, et numero et varietate illorum, qui eius coetibus interfuturi sunt, sine dubio ceteris, quae in Ecclesia habita sunt, praestiturum esse. Quod videlicet si solacii causa profecto est, nihilominus etiam nonnihil curae et sollicitudinis animo ingerit, cum revera arduum admodum videatur, tam amplissima consiliorum mole sapienter uti, tot oratorum voces persequi, omnium vota et optata mature expendere, et quae rata fuerint, ad effectum deducere. Illud tamen addit animum, quod Concilii Patres, etsi natione, stirpe et lingua diversi, omnes tamen Fratres Nostri in Christo sunt, atque omnes uno eodemque Spiritu aguntur (cf. *I Cor.* 12, 11), ita ut secundum Iesu Christi verba lux mundi verissime exstent, fructusque afferre valeant « *in omni bonitate et iustitia et veritate* » (*Eph.* 5, 8-9).

Ut huiusmodi fructus amplissimi sint, id profecto in primis praestabit Omnipotens Deus, omnium nostrum precibus exoratus per Christum Iesum, unum Dei hominumque Mediatorem, et per Beatissimam Virginem Mariam sanctumque eius sponsum Iosephum, quorum patrocinio praesertim Concilium concreditum voluimus; praestabit praeterea sedula atque consociata omnium opera, qui Concilio intererunt, dummodo concors sit aptoque ordine procedat. Quam ad rem, opportunum duximus normas condendas curare, quae, ratione habita peculiarium huius Concilii indolis atque adiunctorum, id conferant, ut in maximo

huiusmodi Consessu labores suscipiendi recte dirigantur et expediantur, atque adeo « *omnia honeste et secundum ordinem fiant* » (*I Cor.* 14, 40).

Quapropter, re mature perpensa, motu proprio atque Apostolica Nostra auctoritate, normas quae sequuntur decernimus ac promulgamus, easque ab omnibus ad amussim servari praecipimus in Concilio Oecumenico Vaticano secundo.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis statuta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibusvis, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VI mensis Augusti, in festo Transfigurationis D.N.I.C., anno MCMLXII, Pontificatus Nostri quarto.

IOANNES PP. XXIII

SS.mus Dominus Noster PAULUS PP. VI, in Audientia die XIII Septembris a. MCMLXIII infrascripto impertita, hanc alteram editionem « Ordinis Concilii Vaticani II celebrandi » a Decessore Suo Ioanne XXIII s. m. per M. P. Appropinquante Concilio *die VI Augusti a. MCMLXII promulgati, rite, ex quorumdam Venerabilium Patrum consiliis, recognitam, cum innovationibus in eam introductis, adprobavit eamque servari mandavit.*

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

ORDO
CONCILII OECUMENICI VATICANI II CELEBRANDI

PARS PRIMA
PERSONAE IN CONCILIO PARTEM HABENTES

Art. 1
(*Concilii participes*)

§ 1. Concilium Oecumenicum constituunt cum Summo Pontifice Episcopi et alii a Summo Pontifice ad Concilium vocati; qui omnes Patres Conciliares appellantur.

§ 2. Si quis ad Concilium vocatus ad normam C.I.C. can. 223 § 1; C.I.O. De personis can. 168 § 1, iusto impedimento detentus,

Concilio interesse nequeat, mittat procuratorem, qui se gerat ad normam C.I.C. can. 224 §§ 1-2; C.I.O. De personis can. 169 §§ 1-2.

§ 3. Secretarius generalis, Subsecretarii, Praefectus caeremoniarum Patribus adsistunt; eisdemque Patribus operam praestant theologi, canonistae, aliique experti atque ministrant Magistri caeremoniarum, assignatores locorum, notarii, promotores, scrutatores, scribae, lectores, interpretes, translatores, tachigraphi, technici.

Caput I

De sessionibus publicis

Art. 2

(*Sessionum publicarum munus*)

In Sessionibus publicis, coram Summo Pontifice Patres vota proferunt de Decretorum vel Canonum formulis, in Congregationibus generalibus digestis, ut Summus Pontifex, si censeat, sententiam suam dicat eamque promulgari iubeat.

Caput II

De congregationibus generalibus

Art. 3

(*Congregationum generalium munus*)

In Congregationibus generalibus, quae Sessionibus publicis praemittuntur, Patres, praehabita disceptatione, Decretorum vel Canonum formulas statuunt.

Art. 4

(*Congregationum generalium Praesidentia et Moderamen*)

§ 1. Duodecim Cardinales, a Summo Pontifice delecti, constituunt Consilium Praesidentiae, cuius est curare ut normae *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* rite observentur, resolutis dubiis ac remotis difficultatibus forte obstantibus.

§ 2. Quattuor Cardinales Delegati seu Moderatores, a Summo Pontifice electi, Concilii labores dirigunt, sibi invicem succedentes in ordinandis disputationibus Congregationum generalium.

Caput III

De Commissionibus conciliaribus

Art. 5

(Commissionum munus)

Commissiones conciliares operam navant Decretorum vel Canonum schematibus expendendis atque emendandis iuxta suffragia a Patribus in Congregationibus generalibus expressa.

Art. 6

(Commissionum constitutio)

§ 1. Unicuique Commissioni praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice nominatus.

§ 2. Quaelibet Commissio, praeter Praesidem, viginti quattuor Membra complectitur, quorum duae partes a Patribus, tertia vero a Summo Pontifice, ex Concilii Patribus eliguntur.

§ 3. Singuli Patres nonnisi uni Commissioni, uti Membra, adscribi possunt; cuiusvis vero Commissionis Praeses, si opportunum censuerit, quoslibet Patres consulere potest.

§ 4. Unusquisque Commissionis Praeses duos suae Commissionis Patres, de consensu Commissionis ipsius, Vice-praesides constituit, qui ipsum adiuvent et absentem vel impeditum suppleant.

§ 5. Commissionis Praeses unum ex conciliaribus theologis seu canonistis seu expertis eligit, qui secretarii munere fungatur.

Art. 7

(Commissionum elenchus)

§ 1. Commissiones conciliares decem constituuntur, nempe:

a) de doctrina fidei et morum;
b) de Episcopis et Dioecesium regimine;
c) de Ecclesiis Orientalibus;
d) de Sacramentorum disciplina;
e) de disciplina Cleri et populi christiani;
f) de Religiosis;
g) de Missionibus;
h) de Sacra Liturgia;

i) de Seminariis, de studiis et de educatione catholica;

l) de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis.

§ 2. Accedunt:

I) Commissio de negotiis Concilii componendis seu coordinandis, cui praeest Cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis; Secretarii autem munere fungitur Secretarius generalis Concilii;

II) Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam;

III) Commissio Technico-organizativa;

IV) Secretariatus de rebus oeconomicis.

Instituta, de quibus in nn. II), III), IV), eadem munera habent iisdemque constant personis ac in periodo praeparatoria Concilii.

Caput IV

De Tribunali administrativo

Art. 8

(*Tribunalis administrativi constitutio*)

§ 1. Peculiare tribunal a Summo Pontifice constituitur quod quaestiones definiat de Concilii disciplina, de excusationibus et de querelis.

§ 2. Tribunali administrativo praeest unus ex S. R. E. Cardinalibus, a Summo Pontifice nominatus; ac praeter eum, Tribunalis Membra sunt decem Patres, a Summo Pontifice electi.

§ 3. Tribunal administrativum quaestiones definit per turnos trium Membrorum; et, in casu recursus, videntibus omnibus.

§ 4. Tribunal administrativum, sepositis iuris sollemnitatibus, solam rerum veritatem spectans, iudicat.

§ 5. Tribunali administrativo adsistit unus ex notariis conciliaribus et, si casus ferat, unus ex Promotoribus conciliaribus.

Caput V

De theologis canonistis aliisque expertis nec non de auditoribus

Art. 9

(*Periti conciliares*)

§ 1. Theologi, canonistae aliique experti, qui Peritorum conciliarium nomine veniunt, Summi Pontificis auctoritate designantur.

§ 2. Periti conciliares Congregationibus generalibus intersunt; at, nonnisi interrogati, loquuntur.

§ 3. Iuxta Commissionum Praesidum designationem et rationem, auditis Vicepraesidibus statutas, Periti conciliares cuilibet Commissioni operam navant, adlaborando cum eius Membris in schematibus expendendis et emendandis atque in conficiendis relationibus.

§ 4. In Commissionibus Periti laici admitti possunt ad nutum Praesidis vel ex postulatione quinque Membrorum vel quartae partis praesentium.

Art. 10

(*Periti privati*)

§ 1. Singuli Patres consilio et opera uti possunt non solum Peritorum conciliarium, sed etiam alicuius vel theologi vel canonistae vel experti privati.

§ 2. Periti vero privati Congregationibus generalibus et Commissionum coetibus non intersunt, sed obligatione, iureiurando firmata, tenentur servandi secretum de actis et disputatis in Concilio.

Art. 11

(*Auditores*)

Praeclari nominis laici ad adsistendum Sessionibus publicis et Congregationibus generalibus et Commissionibus admitti possunt ex benigna Summi Pontificis concessione, iidem autem loqui non possunt, nisi forte in peculiaribus adiunctis, qua Periti, a Moderatore Congregationis vel a Praeside Commissionis ad exponendas suas opiniones invitentur.

Caput VI

De Secretaria generali

Art. 12

(*Secretariae generalis constitutio*)

Concilii Secretaria generalis, quam Secretarius generalis moderatur, in quattuor partitur Officia, nempe:

a) de sacris ritibus;
b) de negotiis peragendis;
c) de actibus scribendis ac servandis;
d) de rebus technicis.

Art. 13

(*Ministrorum ac Officialium elenchus*)

Secretarius generalis; quinque Subsecretarii.

I. Officium de sacris ritibus:
Praefectus caeremoniarum;
Magistri caeremoniarum;
Assignatores locorum.

II. Officium de negotiis peragendis:
Notarii;
Promotores;
Scrutatores.

III. Officium de actibus scribendis ac servandis:
Scribae;
Lectores;
Interpretes;
Translatores;
Tachigraphi.

IV. Officium de rebus technicis:
Addicti instrumentis technicis.

Art. 14

(*Ministrorum et Officialium nominatio*)

Omnes Ministri et Officiales, qui Concilii negotia curant, Summi Pontificis auctoritate nominantur.

Art. 15

(*Singulorum Ministrorum et Officialium munera*)

§ 1. Secretarius generalis Praesidentiae et Moderatoribus operam navat; post Sessiones publicas vel Congregationes generales, res gerendas, sibi praefinitas, exsequitur; tandem Concilii Acta sedulo colligenda, disponenda et asservanda curat.

§ 2. Subsecretarii Secretarium generalem adiuvant eumque absentem aut impeditum supplent.

§ 3. Praefectus caeremoniarum ordinat ac dirigit sacros ritus et caeremonias; eumque Magistri caeremoniarum et locorum assignatores adiuvant.

§ 4. Assignatores locorum, iuxta statutum indiculum, Patres ad locum ipsis paratum deducunt, nomina Patrum praesentium adnotant et curant ut ab iisdem Patribus praesentiae schedula conficiatur.

§ 5. Notarii de omnibus, quae in Sessione publica, in Congregatione generali et in Tribunali administrativo gesta fuerint, instrumenta conficiunt eaque ordinant atque in archivo custodiunt.

§ 6. Promotores in fine singularum Sessionum publicarum sollemni formula rogant, ut de rebus in Sessione gestis per Concilii notarios praesentes authenticum instrumentum seu instrumenta conficiantur.

§ 7. Scrutatores in Sessionibus publicis et in Congregationibus generalibus Patrum suffragia colligunt et summam conficiunt.

§ 8. Scribae adnotationes curant de rebus gestis in Sessionibus publicis et in Congregationibus generalibus, ut de eis relationes scriptae fieri possint; curant praeterea typis edenda schemata, notificationes ceteraque nuntia in Concilio legenda vel Patribus distribuenda.

§ 9. Lectores Patribus praesto sunt ad eorum orationes legendas.

§ 10. Interpretes Patribus disceptantibus in usu linguarum operam navant.

§ 11. Translatores, Patrum orationes linguis vernaculis scriptas, in linguam latinam transferunt; itemque actorum et documentorum textum latinum curant.

§ 12. Tachigraphi Patrum orationes ac disceptationes in Congregationibus generalibus scripto mandant; dein suas notas in communem scripturam translatas Secretario generali tradunt ut relationes scriptae officiales conficiantur.

§ 13. Addicti instrumentis technicis horum rectum exercitium curant.

Caput VII

De generalibus Concilii custodibus

Art. 16

(Custodum generalium munus)

Custodes duo, iuxta Ecclesiae morem a Summo Pontifice nominati, Summum Pontificem et Patres Aulam conciliarem adeuntes comitantur et Concilii aditibus invigilant.

Caput VIII

De sufficiendis personis

Art. 17

(Personarum suffectio)

Si qua, ex personis in Concilio partem habentibus, quacumque ex causa defecerit, in eius locum alia persona a competenti Auctoritate sufficitur.

Caput IX

De Observatoribus

Art. 18

(Concilii Observatores)

§ 1. Legati Christianorum ab Apostolica Sede seiunctorum, qui tamquam observatores Concilio adsistere a Sancta Sede permittuntur, adesse possunt Sessionibus publicis et Congregationibus generalibus, exceptis peculiaribus casibus a Consilio Praesidentiae determinandis, non autem conventibus Commissionum, nisi competens Auctoritas permiserit; ius autem loquendi ac suffragium ferendi in Concilii disceptationibus non habent.

§ 2. Observatores de iis, quae in Concilio acta sunt, certiores facere possunt suas Communitates; secretum autem erga ceteros servare tenentur sicut Patres Concilii ad normam Art. 26.

§ 3. Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam rationes moderatur, quae inter Concilium et Observatores intercedunt, ita ut ipsi Concilii labores sequi possint.

Pars secunda
NORMAE IN CONCILIO SERVANDAE

Caput I
De temporibus et locis conventuum

Art. 19
(Conventuum tempora)

§ 1. Quivis conciliaris conventus Patribus opportuno tempore significatur.

§ 2. In quavis Congregatione generali, proxime sequentis Congregationis indictio fit.

§ 3. Intimatio singulis facta tunc tantum locum habet, cum id Moderator necessarium iudicaverit.

Art. 20
(Conventuum loca)

§ 1. Sessiones publicae et Congregationes generales in Patriarchali Basilica Sancti Petri locum habent.

§ 2. Commissionum conciliarium conventus in peculiaribus locis, ad hoc praefinitis, habentur.

Caput II
De vestibus adhibendis

Art. 21
(Paramenta sacra in Sessione publica induenda)

§ 1. Patres, quovis tempore, adhibent paramenta sacra albi coloris.

§ 2. Singuli paramenta sumunt quae sequuntur:

a) Cardinales paramenta propria sui ordinis cum mitra serico-damascena;

b) Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi tam residentiales quam titulares pluviale cum mitra ex tela alba: Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi Orientales habitum proprii ritus;

c) Abbates et Praelati nullius pluviale cum mitra ex tela alba;

d) Reliqui Patres habitum choralem sibi proprium.

Art. 22

(*Vestes in Congregatione generali induendae*)

In Congregatione generali, nisi aliud statuatur, singuli Patres vestes induunt quae sequuntur:

a) Cardinales habitum cardinalitium, rubrum vel violaceum secundum temporis diversitatem, cum rocheto, mantelletta et mozeta;

b) Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, sive residentiales sive titulares, habitum violaceum cum rocheto, mantelletta et mozeta: Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi Orientales habitum proprii ritus;

c) Abbates et reliqui Religiosi habitum choralem proprium.

Art. 23

(*Vestes in Commissionibus induendae*)

Omnes, quibus pertinet, induunt habitum pianum sine lacerna; ceteri proprium publicum.

Caput III

De praecedentia

Art. 24

(*Praecedentiae ordo*)

§ 1. In Sessionibus publicis, in Congregationibus generalibus et in Commissionibus conciliaribus Patres iuxta praecedentiae ordinem sedent, loquuntur et vota proferunt; ita nempe: S. R. E. Cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi; Patriarchae; Primates, Archiepiscopi; Episcopi; Abbates et Praelati nullius; Abbas Primas, Abbates Superiores Congregationum monasticarum, Supremi Moderatores religionum clericalium exemptarum.

§ 2. Inter eos, qui ad eundem gradum pertinent, eundemque ordinem habent, praecedit qui prius promotus fuerit ad gradum; si eodem tempore promoti sunt, senior ordinatione, nisi iunior ordinatus fuerit a Summo Pontifice; et si eodem tempore ordinem receperint, senior aetate (cf. C.I.C. can. 106, 3°; C.I.O. De personis can. 37, 3°).

§ 3. Si quis Pater forte extra ordinem sedeat, sententiam proferat vel alios actus faciat, nullum ius adquirit, ac nemini praeiudicium affert.

§ 4. Procuratores sedent loco sibi peculiariter assignato, servato inter ipsos praecedentiae ordine. Suo pariter loco sedent Periti conciliares.

Caput IV

De fidei professione

Art. 25

(Fidei profitendae obligatio)

§ 1. Praeses fidei professionem emittit coram Concilio (cf. C.I.C. can. 1406 § 1, 1°).

§ 2. Secretarius generalis fidei professionis formulam legit in quam omnes Patres, tacto pectore, consentiunt dicentes: *Ego N.N. ... spondeo, voveo, et iuro iuxta formulam perlectam. Sic me Deus adiuvet.*

§ 3. Procuratores, Periti conciliares, Ministri et Officiales antequam Concilium ineatur, die et hora praestitutis fidem profitentur coram Praeside eiusve delegato.

Caput V

De secreto servando et de munere fideliter implendo

Art. 26

(Patrum obligatio secreti servandi)

Patres de discussionibus in Concilio habitis et de singulorum sententiis secretum servare tenentur.

Art. 27

(Procuratorum, Peritorum, Ministrorum, Officialium obligationes)

§ 1. Procuratores, Periti conciliares, Ministri, Officiales et ceteri, qui operam suam in rebus Concilii praestant, antequam Concilium ineatur, iusiurandum coram Praeside eiusve delegato emittere tenentur de munere fideliter adimplendo et de secreto servando circa acta, discussiones, singulorum Patrum sententias, suffragia.

§ 2. Auditores de iis, quae in Concilio peracta sunt, et de sententiis prolatis sicut Patres secretum servare tenentur ad normam Art. 26.

Caput VI

De lingua in Concilio adhibenda

Art. 28

(*Lingua in Sessionibus publicis, in Congregationibus generalibus, in Tribunali administrativo, in actis adhibenda*)

In Sessionibus publicis, in Congregationibus generalibus, in Tribunali administrativo et in actis exarandis lingua latina adhibetur; quo autem eius usus expeditior evadat, praesto sunt lectores, interpretes ac translatores.

Art. 29

(*Lingua in Commissionibus adhibenda*)

In Commissionum disceptationibus praeter latinam linguam adhiberi possunt communiores linguae vernaculae, sed quae iis linguis expressa sunt, statim in linguam latinam sunt vertenda.

Caput VII

De colligendis ac distribuendis actis et documentis

Art. 30

(*Ratio colligendi ac distribuendi acta et documenta*)

§ 1. Omnia acta et documenta colliguntur ac distribuuntur per Secretarium generalem.

§ 2. Decretorum et Canonum schemata, necnon quivis textus adprobandus, ita Patribus distribuenda sunt ut iisdem congruum relinquatur temporis spatium ad consilia capienda, maturanda iudicia et determinanda suffragia.

Caput VIII

De schematum examine

Art. 31

(*Schematum examinis gradus*)

Schematum examen sequentibus gradibus perficitur:

a) schema proponitur ac breviter illustratur;

b) schemati inferuntur animadversiones et proponuntur eiusdem emendationes;

c) emendationes perpenduntur atque admittuntur vel reiciuntur;

d) schema reformatur iuxta adprobatas emendationes;

e) si schema reformatum novis egeat emendationibus, iterum atque iterum emendatur donec adprobetur.

Art. 32

(*Schematis propositio*)

Quodcumque argumentum disceptandum in Congregatione generali proponitur ac breviter illustratur a Relatore, quem designavit competentis Commissionis Praeses.

Art. 33

(*Emendationum propositio*)

§ 1. Quivis Pater verba facere potest de unoquoque proposito schemate vel admittendo, vel reiciendo, vel emendando, suae orationis summa Secretario generali saltem tres ante dies scripto exhibita.

§ 2. Oratio ita ordinanda est ut prius de principiis generalibus, postea vero de particularibus dispositionibus agatur, schematis ipsius semper ordine servato.

§ 3. Quilibet Pater de una eademque re, ex regula, semel tantum loqui potest, idemque rogatur decem momenta ne excedat.

§ 4. Si orator obiecti vel temporis assignatos limites praetergrediatur, potest a Moderatore ad eosdem revocari.

§ 5. Qui emendationes proposuit, absoluto sermone, scriptam relationem eandemque a se subscriptam Secretario generali tradere debet.

§ 6. Qui singula verba vel paragraphos schematis emendanda censuerit, scriptam formulam proponere tenetur, prioribus substituendam.

§ 7. Disceptatione generali alicuius schematis in Congregatione generali iam inita, propositio generalis de eodem schemate vel emendationum conspectus organicus a quinquaginta saltem Patribus exhiberi potest Moderatori, qui rem Commissioni de Concilii negotiis componendis seu coordinandis deferat ut eadem Commissio procedendi rationem definiat.

Art. 34

(*Emendationum admissio vel reiectio*)

Absoluta alicuius schematis disceptatione generali, antequam ad examen singularum partium deveniatur, adprobatio ipsius schematis in universum, vel eiusdem reiectio aut dilatio, decerni potest ad normam Art. 39 § 1.

Art. 35

(*Emendati textus examen*)

Congregatio generalis, audita Relatoris declaratione, singulas integri textus emendati partes examinat easque adprobat vel minus.

Art. 36

(*Subsequentium emendationum examen*)

Si quae emendati schematis partes a Congregatione generali non fuerint adprobatae, ad subsequentes inserendas emendationes eadem ratio ac pro praecedentibus adhibetur ad normam Art. 33-35.

Caput IX

De suffragiis ferendis

Art. 37

(*Formula adhibenda*)

§ 1. In Sessionibus publicis, coram Summo Pontifice, formula est: *placet, non placet.*

§ 2. In Congregationibus generalibus pro emendationibus admittendis vel reiciendis formula est: *placet, non placet*; pro unoquoque schemate emendato, sive integro sive diviso, formula est: *placet, non placet, placet iuxta modum.* Qui suffragium dederit: *placet iuxta modum,* tenetur modum clare et concinne scripto tradere.

§ 3. In Commissionibus conciliaribus ad suffragia ferenda adhibetur formula: *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Art. 38

(*Modus ferendi suffragia*)

§ 1. In Sessionibus publicis et in Congregationibus generalibus suffragia feruntur aptis schedulis, nisi Moderator alium modum praeceperit, ex. gr. surgendo vel sedendo, manum elevando vel minus.

§ 2. In Commissionibus conciliaribus modus ferendi suffragia ab uniuscuiusque Commissionis Praeside determinatur, auditis Vicepraesidibus.

§ 3. In Commissionibus, cum de ferendis suffragiis agitur, suffragatio secreto facienda est si hoc a quinque saltem Membris postuletur.

Art. 39

(*Suffragiorum maioritas*)

§ 1. In Sessionibus publicis, in Congregationibus generalibus et in Commissionibus, ad adprobanda schemata vel schematum partes vel emendationes requiruntur duae tertiae partes suffragiorum Patrum praesentium, ad eadem autem reicienda vel differenda sufficit maior suffragiorum pars; pro electionibus autem applicatur C.I.C. can. 101 § 1; et nisi aliud a Summo Pontifice statutum fuerit.

§ 2. Si a Commissionibus conciliaribus, in conficiendo novo textu iuxta emendationes a Congregatione generali adprobatas, praescripta maioritas, quamvis studium et cura adhibita sint, obtineri non potuerit, res tota referatur ad Congregationem generalem.

§ 3. In Tribunali administrativo id decisum habetur quod placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt.

Caput X

De novis proponendis quaestionibus

Art. 40

(*Condiciones ad novas propositas quaestiones admittendas*)

§ 1. Novae propositae quaestiones nequeunt admitti nisi:

a) publicum rei christianae bonum respiciant;

b) necessarium sit aut saltem opportunum illas a Concilio expendi;

c) nihil contineant quod a constanti Ecclesiae sensu eiusque traditionibus alienum sit.

§ 2. Novae quaestiones una cum rationibus Moderatori scripto sunt exhibendae.

Caput XI

De discessu et absentia

Art. 41

(*Patrum discessus*)

« Nemini eorum qui Concilio interesse debent, licet ante discedere, quam Concilium sit rite absolutum, nisi a Concilii Praeside cognita et probata discessionis causa et impetrata abeundi licentia » C.I.C. can. 225: C.I.O. De personis can. 170.

Art. 42

(*Patrum absentia*)

Qui alicui Sessioni publicae vel Congregationi generali interesse nequit, Consilio Praesidentiae per Secretarium generalem absentiae rationem significare debet.

Caput XII

De dispensatione ab obligatione residentiae

Art. 43

(*Beneficiorum fructuum perceptio*)

Omnes, qui Concilio interesse tenentur vel eidem operam quovis titulo legitime impendunt, haud exclusis Peritis privatis ac Patrum familiaribus, Concilio perdurante et donec eidem adsistunt vel inserviunt, quoslibet suorum beneficiorum reditus ac distributiones quotidianas percipere valent, iis tantum exceptis, quae inter praesentes fieri dicuntur (cf. C.I.C. can. 420 § 1, 9°).

Pars tertia
RATIO PROCEDENDI

Caput I

De ratione procedendi in sessionibus publicis

Art. 44

(*Sacrorum rituum et caeremoniarum ordo*)

Omnia quaecumque spectant sacros ritus et caeremonias peraguntur iuxta peculiarem Instructionem a Summo Pontifice probatam.

Art. 45

(*Sessionum publicarum indictio*)

Moderator, iuxta Summi Pontificis mandata, Sessionum publicarum diem et horam Patribus opportune significat.

Art. 46

(*Sessionis publicae initium*)

§ 1. Die et hora statutis, Patres, Periti conciliares una cum Ministris et Officialibus in Aulam conciliarem conveniunt.

§ 2. Assignatores locorum Patres advenientes ad loca ipsis parata deducunt et nomina praesentium notanda curant ad normam Art. 15 § 4.

§ 3. Missa ab uno ex S. R. E. Cardinalibus celebratur iuxta praecedentem Praesidis designationem.

Art. 47

(*Decretorum et Canonum lectio*)

Secretarius generalis accedit ad solii gradus Summi Pontificis, a quo recipit Decreta et Canones in eadem Sessione examinanda; dein illa ex ambone legit.

Art. 48

(*Decretorum et Canonum suffragatio*)

§ 1. Lectis Decretis et Canonibus, Secretarius generalis sequenti formula interrogat Patres: *Em.mi, Exc.mi ac Rev.mi Patres, placentne Vobis Decreta et Canones quae hac Constitutione continentur?*

§ 2. Secretario generali interroganti Patres respondent vota in schedula scribendo, adhibita formula *placet* vel *non placet,* eamque subscribendo.

§ 3. Scrutatores schedulas colligunt et Secretario generali tradunt, ut scrutinium fiat, de quo notarii referunt in actis.

Art. 49

(*Decretorum et Canonum promulgatio*)

§ 1. Secretarius generalis suffragiorum summam reverenter exhibet Summo Pontifici dicens: *Beatissime Pater*: *Decreta et Canones modo examinata placuerunt omnibus Patribus, nemine excepto* (vel si quis forte dissenserit, *tot numero exceptis*).

§ 2. Summus Pontifex si Decreta et Canones confirmare dignatur, sollemnem formulam pronuntiat: *Decreta et Canones modo lecta placuerunt Patribus, nemine dissentiente* (vel si quis forte dissenserit, *tot numero exceptis*) *Nosque, sacro approbante Concilio, illa ita decernimus, statuimus, atque sancimus, ut lecta sunt.*

Art. 50

(*Decretorum et Canonum probatorum instrumentum*)

§ 1. Protonotarii et Promotores accedunt ad ultimum solii gradum.

§ 2. Promotores, in medio infimi gradus genuflexi, Protonotarios rogant ut de omnibus quae in Sessione acta sunt unum aut plura instrumentum vel instrumenta conficiant.

§ 3. Senior Protonotarius respondet: *Conficiemus, vobis testibus,* innuens Praepositum Domui Pontificiae et Praefectum Cubiculi, qui pro hoc actu prope dexterum solii latus consistunt.

Art. 51

(*Sessionis publicae finis*)

§ 1. Summus Pontifex, post cantum hymni: *Te Deum laudamus,* benedictionem impertitur.

§ 2. Secretarius generalis uniuscuiusque Sessionis publicae relationem scriptam conficiendam ac servandam curat.

Caput II

De ratione procedendi in congregationibus generalibus

Art. 52

(*Congregationum generalium indictio*)

In prima Sessione publica Moderator Patribus diem et horam significat, quibus Congregationes generales initium sument.

Art. 53

(*Argumentorum ordo*)

Opportuno tempore Moderator Patres certiores facit de argumentis et ordine disceptationum.

Art. 54

(*Congregationis generalis initium*)

§ 1. Die et hora statutis, Patres, Periti conciliares una cum Ministris et Officialibus in Aulam conciliarem conveniunt.

§ 2. Assignatores locorum Patres advenientes ad loca ipsis parata deducunt et nomina praesentium notanda curant ad normam Art. 15 § 4.

§ 3. Missa de Spiritu Sancto celebratur ab uno ex Patribus a Praeside designato; dein Praeses recitat precem: *Adsumus.*

Art. 55

(*Electio Membrorum Commissionum conciliarium*)

Antequam incipiant disputationes, eliguntur a Patribus Membra Commissionum ad normam Art. 6 §§ 2-3, 39 § 1.

Art. 56

(*Schematis propositio et illustratio*)

§ 1. Antequam singulae disputationes incipiant distribuendae sunt relationes una cum summario animadversionum (linguis quoque vernaculis si casus ferat) quae iam de re ad Secretariam pervenerint.

§ 2. Moderator argumentum disceptandum nuntiat, et ad ambonem vocat Relatorem vel ex ordine Relatores rite designatos, qui argumentum disceptandum breviter illustrent.

Art. 57

(*Schematis discussio*)

§ 1. Moderator, iuxta indicem a Secretario generali confectum, ex ordine ad loquendum Patres vocat, qui antea nomina sua ad hunc finem significaverint.

§ 2. Oratores invicem succedunt proponentes emendationes, quas, absoluto sermone, scriptas Secretario generali tradunt.

§ 3. Expedit quam maxime ut Patres, qui similes rationes exponere intendunt, inter se conveniant ut unum vel paucos oratores eligant qui nomine omnium loquantur.

§ 4. Patres, qui ab aliis Patribus audierunt rationes quas ipsi de eadem re erant expodituri, enixe rogantur ut suae interventioni renuntient.

§ 5. Oratorum indice exhausto, Moderator facultatem loquendi concedere potest Patribus, qui illam petierint perdurante ipsa Congregatione, maxime vero Relatoribus qui facultatem petierint argumentum clarius illustrandi vel oppositas obiectiones refellendi.

§ 6. Disceptationi diutius protractae Moderator finem imponere potest, probante maioris partis Patrum praesentium suffragio, servata autem semper loquendi facultate S. R. E. Cardinalibus necnon Patribus, qui, nedum nomine proprio, sed nomine quoque aliorum saltem quinque Patrum eamdem facultatem petierint; fine vero disceptationis decreto, minor Patrum pars, quae maiori contradixit, potest adhuc tres oratores etiam inter Peritos conciliares designare, cum facultate decem quoque momenta excedendi.

Art. 58

(*Emendationum transmissio ad Commissiones*)

§ 1. Absoluta de aliquo schemate vel de eius parte expositione, Moderator decernit propositas emendationes competenti Commissioni mittendas esse.

§ 2. Si quae emendationes duarum vel plurium Commissionum intersint, Moderator statuit quibus Commissionibus emendationes sint mittendae ut ab ipsis Commissionibus unum examen conficiatur; quo in casu eidem Commissioni mixtae praesunt, iuxta praecedentiae normas, Praeses et Vicepraesides Commissionum partem habentium, nisi Summus Pontifex Commissioni mixtae peculiarem Praesidem praeposuerit.

§ 3. Secretarius generalis collectas emendationes ad Commissionem vel Commissiones mittit iuxta Moderatoris designationem.

Art. 59

(*Subsequentium schematum examen*)

Cum subsequentes gradus examinis alicuius schematis continuo peragi nequeunt, hi ad aliud tempus differuntur; atque interim aliorum schematum examen peragi potest.

Art. 60

(*Emendationum examen*)

§ 1. Expensae a Commissionibus emendationes typis impressae una cum concinna relatione (seu relationibus) Patribus distribuuntur.

§ 2. Die a Moderatore statuto, quivis Relator suam scriptam de emendationibus relationem illustrat.

§ 3. Secretarius generalis singulas emendationes legit; atque de unaquaque admittenda vel reicienda Patres schedula suffragium ferunt, verbis *placet* vel *non placet*.

§ 4. Scrutatores schedulas colligunt et Secretario generali tradunt, ut scrutinium fiat, de quo notarii referunt in actis.

§ 5. Peracta de emendationibus suffragatione, Secretarius generalis eiusdem exitum Patribus et competenti Commissioni significat.

Art. 61

(*Textus emendati examen*)

§ 1. Competens Commissio sive unica sive ex pluribus constituta ad normam Art. 58 § 2, sepositis emendationibus non adprobatis, schema vel schematis partem reformat iuxta probatas emendationes.

§ 2. Textus emendatus, typis impressus, Moderatori traditur atque inter Patres distribuitur.

§ 3. Statuto tempore, Patres, audita Relatoris (seu Relatorum) declaratione, de emendato textu sive integro sive diviso, iuxta Moderatoris ordinationem, schedulis vota proferunt, adhibita formula: *placet, non placet, placet iuxta modum*; qui votum dederit *placet iuxta modum,* schedulae adicere tenetur *modum* ab ipso intentum.

§ 4. Schema sive integrum sive divisum suffragationi subicitur et probatur vel reicitur vel differtur ad normam Art. 39 § 1.

§ 5. Excepto casu quo schema integrum vel divisum maioritate suffragiorum reiectum fuerit, *modi* propositi examini subiciuntur ad normam Art. 58-60.

§ 6. Postquam omnes schematis partes singulae probatae fuerint, schema integrum probatum censetur.

§ 7. In peculiaribus casibus Moderator novam potest suffragationem super integro schemate exquirere, quo in casu Patres suum iudicium proferunt schedula, adhibita formula *placet* vel *non placet.*

Art. 62

(*Schematis probati Summo Pontifici praesentatio*)

Schema, a Congregatione generali probatum, per Moderatorem Summo Pontifici defertur, cuius est, si censeat, illud Sessioni publicae subicere eiusdemque Sessionis diem statuere.

Art. 63

(*Congregationis generalis finis*)

§ 1. Congregationi generali finis a Praeside imponitur prece: *Agimus.*

§ 2. Secretarius generalis curat ut uniuscuiusque Congregationis apta relatio scripta fiat, quae summam rerum gestarum contineat atque Moderatoris et suipsius subscriptione firmetur.

§ 3. Una cum relatione scripta Secretarius generalis omnia Congregationis acta in Concilii archivo sedulo asservanda curat.

Caput III

De ratione procedendi in Commissionibus

Art. 64

(*Commissionum conciliarium indictio*)

Cuiusvis Commissionis Praeses, auditis Vicepraesidibus, tempora et reliquas circumstantias definit, quibus Patres suae Commissionis convenire debent, eaque eiusdem Commissionis Membris significat.

Art. 65

(*Schematis studium et Relatoris designatio*)

§ 1. Commissionis Praeses unumquodque schema Patrum suae Commissionis studio subicit.

§ 2. Praesidis est definire disceptationis rationem, Patrum ac Peritorum consilia exquirenda, linguam adhibendam ad normam Art. 29, modum ferendi suffragia ad normam Art. 38 §§ 2-3.

§ 3. Tres saltem Patres petere possunt ut unus vel plures Periti a Praeside non designati disceptationi intersint.

§ 4. Patres conciliares petere possunt ut ipsi audiantur a Commissione quacumque ut de schemate, de quo disceptatur, exponere valeant suas animadversiones sive nomine proprio sive certi numeri Patrum, sive alicuius regionis; ad quos audiendos Commissio sessionem designat et decernit nomen oratorum et condiciones admissionis.

§ 5. Commissio Relatorem designat, qui schema proponat atque declaret in Congregatione generali iuxta mentem Commissionis vel eiusdem maioris partis; si maiori parti pars minor contradicit, alter Relator a minore parte designari potest.

Art. 66

(*Emendationum ordinatio*)

§ 1. Propositas a Patribus in Congregationibus generalibus emendationes competens Commissio, sive unica sive ex pluribus constituta ad normam Art. 58 § 2, ordinat atque coordinat.

§ 2. Commissio ex suis Membris Relatorem confirmat vel alium eligit, qui de propositis emendationibus scriptam relationem conficiat, in Congregatione generali verbis declarandam.

§ 3. Commissionis Secretarius emendationes ordinatas ac de eisdem relationem typis imprimendas curat atque per Secretarium generalem Moderatori tradit et Patribus distribuit.

Art. 67

(*Emendationum insertio*)

§ 1. Suffragatione de emendationibus peracta, Praeses competentis Commissionis, sive unicae sive ex pluribus Commissionibus constitutae ad normam Art. 58 § 2, curat ut adprobatae emendationes schemati inserantur ita ut novus textus fiat, idemque typis impressus Patribus distribuatur.

§ 2. Si loco emendationis certa forma propositae quinque saltem Commissionis Membra aliam substituendam putent, eiusmodi nova forma una cum alia vel eius loco a Commissione examinanda est.

§ 3. Textus emendatus iudicio Congregationis generalis subici nequit, nisi in Commissione retulerit praescriptam suffragiorum maioritatem ad normam Art. 39 §§ 1-2.

Art. 68

(*Subsequentes textus emendationes*)

Si Congregatio generalis, postquam textum emendatum examinaverit, novas requirat emendationes, competens Commissio eas peragendas curat iuxta suffragia in Congregatione generali a Patribus expressa.

Art. 69

(*Conventuum scripta relatio*)

De unoquoque conventu Secretarius Commissionis scriptam relationem conficit.

Art. 70

(*Normae complementares*)

Ubi peculiares normae Commissionibus conciliaribus non traduntur, ratio procedendi Commissionis rationem procedendi Congregationis generalis imitatur.

7

PRECES

ANTE CONGREGATIONEM DICENDAE



Miniatura XV saec.

Hae preces, typis impressae in verso imaginis referentis mysterium Pentecostes (min. saec. XV), Patribus distributae sunt in trigesima septima congregatione generali, die 30 septembris 1963.

Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in Nomine Tuo specialiter congregati. Veni ad nos, et esto nobiscum: dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur et ostende quid efficere debeamus, ut, Te auxiliante, Tibi in omnibus placere valeamus. Esto solus suggestor et effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiae qui summam diligis aequitatem. Non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personae corrumpat. Sed iunge nos Tibi efficaciter solius Tuae gratiae dono. Ut simus in Te unum, et in nullo deviemus a vero. Sicut in Nomine Tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, ut et hic a Te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur praemia sempiterna. Amen.

8

ORATIO

ANTE DIVINUM OFFICIUM
A SS.MO D.NO PAULO PP. VI
EXARATA



Haec oratio, typis impressa in verso imaginis referentis Christum Regem, Patribus distributa est in congregatione quadragesima quinta, die 10 octobris 1963.

Maiestati tuae, Domine Deus, hoc sacrificium laudis offerimus: et, cum famulo tuo Pontifice Nostro Paulo devoto mentis obsequio coniuncti, immensam tuam oramus pietatem, ut Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum benigno respicias vultu et eius exitum tuae ubertate gratiae fecundes. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Ind. 500 dierum: Plenaria si per integrum mensem recitetur).

9

ALLOCUTIO *

Ad Em.mos Patres Cardinales, Exc.mos Praesules, Rev.mos Praelatos ceterosque Romanae Curiae Officiales, die 21 septembris 1963 habita.

Huiusmodi allocutionis textus, Typis Polyglottis Vaticanis editus, Patribus cardinalibus distributus est in quinquagesima prima congregatione generali, die 18 octobris 1963.

Venerati Fratelli e figli carissimi,

Quali siano i motivi, che Ci hanno suggerito di convocare questa riunione, è facile intendere. Noi abbiamo desiderato incontrarCi con la Curia Romana, vale a dire con le persone dei Signori Cardinali, degli Officiali maggiori e minori, degli Ecclesiastici, dei Direttori e dei Funzionari, che prestano la loro opera alle sacre Congregazioni, ai Tribunali, agli Offici, insieme ai vari Corpi ed alle Istituzioni, di cui si vale il Papa per governare la Chiesa universale, nonché la Diocesi di Roma e la Città del Vaticano.

Stima e gratitudine del Supremo Pastore

Noi abbiamo desiderato, dicevamo, questo incontro all'inizio del Nostro ministero apostolico, innanzi tutto per porgere a tutti i presenti, in forma esplicita e collettiva, il Nostro cordiale e riverente saluto. Abbiamo avuto Noi stessi l'onore di prestare l'umile Nostro servizio per lunghi anni nella Curia Romana; abbiamo avuto nelle file che la compongono degnissimi Superiori e maestri, ottimi colleghi, collaboratori e indimenticabili amici; abbiamo condiviso fatiche, responsabilità, studi, esperienze, gioie e dolori di questo complesso e singolare organismo; abbiamo seguito, per oltre un trentennio, lo svolgimento della sua vita da un punto di osservazione privilegiato, la Segreteria di Stato, l'ottimo e caro e fedele ufficio, che assiste il Papa nella sua personale attività; ed abbiamo così potuto meglio apprezzare la sapiente composizione della Curia Romana, derivata da una tradizione coerente e flessibile; abbiamo ascoltato le segnalazioni relative ai bisogni nuovi di questo stesso organismo, abbiamo raccolto anche le critiche che gli

---

* *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 793-800.

sono rivolte, e ne abbiamo fatto spesso argomento di sincera riflessione; e abbiamo infine conosciuto ed apprezzato l'efficienza dei servizi, che la Curia Romana rende al Papato e alla Chiesa.

Ci è pertanto sembrato doveroso, fin dall'inizio del Nostro ministero apostolico, dare un segno della Nostra paterna benevolenza alle persone che dirigono e che compongono la Curia Romana, e far loro sentire quanto a Noi piaccia, quanto a Noi prema di saperCi in comunione con essa, non soltanto nell'operosità specifica, che tutta la impegna, e nel rapporto giuridico, che a Noi la stringe, ma nello spirito, altresì, con cui il comune servizio deve essere compiuto, a bene e ad esempio di tutta la Chiesa e della sua missione nel mondo, ed a gloria di Colui che è tutto per noi, Nostro Signore Gesù Cristo.

Vogliano pertanto, Signori Cardinali, e vogliate voi, venerati Fratelli e figli diletti, accogliere l'espressione della Nostra venerazione, della Nostra gratitudine, del Nostro incoraggiamento, e vogliano tutti ancora, con la devozione e con la fedeltà, di cui la Curia Romana fa sempre sua affettuosa professione, conservare anche a Noi, nel tempo e nel merito ultimi dei Servi dei Servi di Dio, alla Nostra modestissima persona, alla Nostra difficilissima missione, il conforto della loro costante solidarietà, della loro filiale obbedienza, della loro valida collaborazione; ed anche, come dicevamo, della loro intima comunione, che associa non solo le mani e gli ingegni al Nostro ufficio, ma anche i sentimenti, le preghiere, la carità dei loro cuori al cuore Nostro, che, se il Signore Ci assiste, vuol essere per loro tutti quello d'un amico, d'un pastore e d'un padre.

Il Concilio Ecumenico « momento storico »

Altro motivo di questa riunione Ci è suggerito dal momento, estremamente bello e grave, che la Chiesa tutta e la Santa Sede per prima, e perciò anche la Curia Romana, sono chiamate a vivere, certamente per divina disposizione; momento storico, momento spirituale, quale appunto è il Concilio Ecumenico Vaticano Secondo, il quale riaprirà, com'è noto, le sue solenni assise fra pochi giorni.

Ci è sembrato opportuno che la Curia Romana prendesse coscienza insieme con Noi di questo grande avvenimento; non già perchè essa vi sia impreparata, chè anzi lo attende e se ne occupa con grande alacrità; e non già perchè essa abbia trascurato di meditare sull'enorme importanza del Concilio durante la sua prima sessione, chè anzi ne avvertì la straordinaria e complessa dimensione più di qualsiasi altro settore della Chiesa e della pubblica opinione, fino a lasciar talvolta trasparire qualche suo stupore e qualche sua apprensione circa una convocazione con-

ciliare, inattesa ed improvvisa, e circa la gravità dei problemi ch'essa doveva suscitare; ma perchè tale coscienza sia in noi tutti approfondita, sia resa uniforme e fiduciosa, e sia intimamente penetrata dalla persuasione che un grande e misterioso fatto, guidato dallo Spirito Santo, sta compiendosi intorno alla tomba del Principe degli Apostoli, e sta avvolgendo questo centro provvidenziale della Chiesa cattolica nel flusso potente di quelle forze arcane del regno di Dio, che ne fanno grandeggiare le funzioni, che ne mostrano la posizione di cardine nella storia dell'umanità redenta, e che ne sperimentano severamente, pubblicamente le virtù, quasi a costringerlo ad essere quale deve essere, luce di sapienza e di santità al mondo intero.

La preziosa eredità di Papa Giovanni XXIII

L'ora è grande e sacra; Noi, e voi membri della Curia Romana, per primi, la dobbiamo vivere con comprensione profonda e con cuore magnanimo. Prima espressione di questo adeguamento del nostro spirito alla grandezza dell'avvenimento sia l'uniformità del volere, anzi del fervore per la sua degna celebrazione; sia l'identità di vedute. Volle questo secondo Concilio Vaticano un Papa, al quale veramente la spontanea acclamazione della pubblica voce attribuì le parole evangeliche relative al Precursore di Cristo: « Vi fu un uomo mandato da Dio, il cui nome era Giovanni ». La storia, Noi crediamo, ripeterà tali parole, quando registrerà le salutari conseguenze dell'improvvisa e folgorante deliberazione di lui, che chiamò la Chiesa cattolica al Concilio e ai Fratelli separati aperse le porte ed il cuore per una leale riconciliazione. Ma comunque abbia avuto origine l'indizione del Concilio, è il Papa che l'ha proclamata, il Vicario di Cristo; è quel Successore di San Pietro che la Curia Romana, a nessuno seconda, riconosce suo Vescovo, suo Maestro, suo Capo. Siamo certi che mai dalla Curia Romana trapelerà qualche esitazione in ordine ai sommi voleri del Pontefice; che mai sarà sospettata di qualche disparità di giudizio o di sentimento a riguardo del giudizio o del sentimento del Papa. Se mai tale conformità di animi a ciò che il Papa comanda o desidera deve essere rigorosamente univoca da parte della Curia Romana, se dev'essere sua legge e suo vanto, questo è il momento di darvi ferma ed aperta professione.

E siccome Noi sappiamo che tale è e vuol essere il proposito di tutti e singoli i componenti la medesima Curia Romana, abbiamo a Nostra volta voluto, con questa riunione, dare lode e incoraggiamento a cotesta filiale, armoniosa, gioconda sintonia dei vostri pensieri e dei vostri propositi con quelli del Papa, che oggi ha fatto sua l'eredità di Giovanni XXIII, di felice memoria, e ne fa programma alla Chiesa intera.

Immediata aderenza e assoluta obbedienza al Romano Pontefice

È, del resto, simile accordo fra il Papa e la sua Curia una norma costante. Non solo nelle grandi ore della storia tale accordo rivela la sua esistenza e la sua forza; ma sempre esso vige, in ogni giorno, in ogni atto del ministero pontificio, come conviene all'organo d'immediata aderenza e di assoluta obbedienza, del quale il Romano Pontefice si serve per esplicare la sua universale missione. Ed è questo rapporto essenziale della Curia Romana con l'esercizio dell'attività apostolica del Papa la giustificazione, anzi la gloria della Curia stessa, risultando dal rapporto medesimo la sua necessità, la sua utilità, la sua dignità e la sua autorità; infatti è la Curia Romana lo strumento di cui il Papa ha bisogno, e di cui il Papa si serve per svolgere il proprio divino mandato.

Da Roma l'invito all'« aggiornamento », cioè al perfezionamento

Uno strumento degnissimo, a cui non è meraviglia se da tutti e da Noi stessi per primi, tanto si domanda, tanto si esige! La sua funzione reclama capacità e virtù somme, perchè appunto è sommo l'ufficio suo. Funzione delicatissima, qual è quella d'essere custode o eco delle divine verità e di farsi linguaggio e dialogo con gli spiriti umani; funzione vastissima, qual è quella che ha per confine l'orbe universo; funzione nobilissima, qual è quella di ascoltare e di interpretare la voce del Papa e al tempo stesso di non lasciar a Lui mancare ogni utile ed obiettiva informazione, ogni filiale e ponderato consiglio. Perchè studiosissima ed espertissima dev'essere la Curia Romana per corrispondere al compito suo, voi lo sapete, voi anzi questo desiderate, e voi stessi siete desiderosi, ancor prima e ancor più dei vostri critici, di pareggiare con specifiche virtù le esigenze sempre nuove e crescenti dell'ufficio che vi è demandato.

Abbiamo detto: critici! Sì, perchè è noto che alla Curia Romana sono rivolte, con tanti encomi e riconoscimenti per i suoi indiscutibili meriti, anche delle critiche. Come abbiamo accennato, questo fenomeno deriva anzitutto dalla natura e dalla finalità della Curia stessa; non è mai soddisfatta la misura del dare, dove si tratta di servire la causa di Cristo e delle anime. E che tale fenomeno si pronunci, a volta a volta, lungo il cammino della storia ecclesiastica, è perciò spiegabile e provvidenziale; esso è stimolo alla vigilanza, richiamo all'osservanza, invito alla riforma, fermento alla perfezione. Dobbiamo accogliere le critiche, che ci circondano, con umiltà, con riflessione, ed anche con riconoscenza. Roma non ha bisogno di difendersi facendosi sorda ai suggerimenti che le vengono da voci oneste, e tanto meno se queste voci sono quelle di

amici e di fratelli. Alle accuse, tanto spesso infondate, darà certamente risposta, e al suo onore difesa. Ma senza ritrosia, senza ritorsione, senza polemica. Si potrà intanto oggi osservare che il proposito di ammodernamento nelle strutture giuridiche e di approfondimento nella coscienza spirituale non solo non trova resistenza per quanto riguarda il centro della Chiesa, la Curia Romana, ma trova la Curia stessa all'avanguardia di quella perenne riforma, di cui la Chiesa stessa, in quanto istituzione umana e terrena, ha perpetuo bisogno. È da Roma oggi che parte l'invito all'« aggiornamento » (secondo l'espressione usata dal Nostro venerato Predecessore), cioè al perfezionamento d'ogni cosa, interna ed esterna, della Chiesa; è da Roma che è partito l'annuncio della riforma del Codice di Diritto Canonico, della legge stessa cioè che solennemente regge l'Urbe e l'Orbe ecclesiastico; è da Roma che in questi ultimi cento anni è venuto quel governo regolare, indefesso, coerente, stimolatore che ha portato la Chiesa intera al grado non solo di espansione esteriore, che tutti devono riconoscere, ma di sensibilità e di vitalità interiore altresì dei tesori e dei misteri, di cui Cristo l'ha arricchita. Oggi, per fortuna, San Bernardo non scriverebbe più le sue pagine brucianti sul mondo ecclesiastico romano, nè le loro i riformatori del secolo decimosesto. Roma papale oggi è ben altra, e, per grazia di Dio, tanto più degna e più saggia e più santa; tanto più cosciente della sua vocazione evangelica, tanto più impegnata nella sua missione cristiana, tanto più desiderosa, suscettibile, perciò, di perenne rinnovamento.

Encomio per fedele, competente, devoto servizio

Questo diciamo, venerati Fratelli e figli carissimi della Curia Romana, con un triplice intento: a vostro encomio, a vostra tranquillità e a vostra esortazione.

L'encomio è dovuto appunto al fedele, al competente, al devoto servizio che voi prestate alla Santa Sede ed al Papa, e perciò anche all'intera Chiesa cattolica. Esecutrice della volontà di Chi ha la responsabilità e la potestà di pascere la Chiesa di Cristo, la Curia Romana merita la stima, la fiducia, la riconoscenza della Chiesa stessa, merita la Nostra.

La tranquillità poi che Noi vorremmo infondere, in questa occasione, alla Nostra Curia riguarda le possibili riforme che dovranno essere a suo riguardo adottate. Che debbano essere introdotte nella Curia Romana alcune riforme non è solo facile prevedere, ma è bene desiderare. Come ognuno sa, questo annoso e complesso organismo nel suo riordinamento più recente rimonta alla famosa Costituzione *Immensa aeterni Dei* del 1588 di Papa Sisto V; lo rigenerò, con la Costituzione *Sapienti consilio* del 1908 San Pio X; e il Codice di Diritto Canonico, nel 1917, fece

sostanzialmente sua tale architettura. Sono passati molti anni; è spiegabile come tale ordinamento sia aggravato dalla sua stessa venerabile età, come risenta la disparità dei suoi organi e della sua prassi rispetto alle necessità ed agli usi dei nuovi tempi, come senta al tempo stesso il bisogno di semplificarsi e decentrarsi e quello di allargarsi e abilitarsi a nuove funzioni. Occorreranno perciò varie riforme. Saranno certamente ponderate, saranno allineate secondo le venerabili e ragionevoli tradizioni da un lato, secondo i bisogni dei tempi, dall'altro. E saranno certamente funzionali e benefiche, perchè non avranno altra mira che quella di lasciar cadere ciò ch'è caduco o superfluo, nelle forme e nelle norme, che regolano la Curia Romana, e di mettere in essere ciò ch'è vitale e provvido per il suo più efficace e appropriato funzionamento. Saranno dalla Curia stessa formulate e promulgate! Non avrà perciò timore, ad esempio, la Curia Romana, d'essere reclutata con più larga visione sopranazionale, nè d'essere educata da più accurata preparazione ecumenica. Non diceva San Bernardo, già fin dal suo tempo: « Perchè non sceglierli da tutto il mondo quelli che un giorno dovranno giudicare il mondo intero? ».[1] Non sarà gelosa la Curia Romana di prerogative temporali d'altri tempi; nè di forme esteriori non più idonee ad esprimere e ad imprimere veri ed alti significati religiosi; nè avara di sue facoltà che, senza ledere l'ordine ecclesiastico universale, oggi l'Episcopato può da sè e localmente meglio esercitare. Nè giammai scopi e vantaggi economici avranno peso nel suggerire qualche riserva e qualche accentramento da parte di organi della Santa Sede, se ciò non sia richiesto dal bene dell'ordinamento ecclesiastico e dalla salute delle anime.

Alta vocazione all'esemplarità di fronte alla Chiesa e al mondo

È norma sacra dei Dicasteri della Curia Romana interrogare i Vescovi e valersi del loro giudizio nella trattazione degli affari. Fra i Consultori delle sacre Congregazioni si annoverano non pochi Vescovi, provenienti da varie regioni. E Noi diremo di più: quando il Concilio ecumenico mostrasse desiderio di vedere associato in un certo modo e per certe questioni, in conformità alla dottrina della Chiesa e alla legge canonica, qualche rappresentante dell'Episcopato, particolarmente fra i Presuli che dirigono una diocesi, al Capo supremo della Chiesa stessa, nello studio e nella responsabilità del governo ecclesiastico, non sarà sicuramente la Curia Romana a farvi opposizione, chè anzi essa sentirà accresciuto l'onore e l'onere del suo sublime e indispensabile servizio,

---

[1] *De consid.* IV, 4.

ch'è, a parte il debito procedere dei Tribunali ecclesiastici, sia nella Curia Romana, che nelle Diocesi, come bene sappiamo, specificamente amministrativo, consultivo ed esecutivo.

La Curia Romana, ancora una volta, sentirà così, in modo più forte, la sua vocazione all'esemplarità, in faccia alla Chiesa intera ed al mondo profano. È questa l'esortazione che Noi osiamo paternamente rivolgervi, a conclusione di queste Nostre semplici parole, che Ci sembrano far eco a quelle dell'Apostolo San Paolo, precisamente rivolte alla Chiesa romana: « La vostra fede si annunzia in tutto il mondo ».[2] Da tutte le parti si guarda a Roma cattolica, al Pontificato Romano, alla Curia Romana. Il dovere d'essere autenticamente cristiani è qui sommamente impegnativo. Non ricorderemmo a voi questo dovere, se a Noi stessi non lo ricordassimo ogni giorno. Tutto a Roma fa scuola: la lettera e lo spirito. Come si pensa, come si studia, come si parla, come si sente, come si agisce, come si soffre, come si prega, come si serve, come si ama; ogni momento, ogni aspetto della nostra vita ha intorno a noi un'irradiazione, che può essere benefica, se fedele a ciò che Cristo vuole da noi; malefica, se infedele.

Comunità di fede, carità, preghiera, azione

Ecco perchè desideriamo che oltre il vostro specifico contributo di qualificato servizio la Nostra Curia Romana, voi tutti, Fratelli e figli, diate a Noi, o meglio alla Chiesa, a Cristo Signore, l'offerta preziosa del vostro esempio: di rigoroso disinteresse e abnegazione, di religiosa e sincera pietà, di amorosa accoglienza a quanti ad essa ricorrono e di premuroso servizio. La Curia Romana non è un corpo anonimo, insensibile ai grandi problemi spirituali, che detta leggi automaticamente; ma un vivo organo fedele e docile del Capo della Chiesa; un organo compreso delle gravi responsabilità delle sue funzioni, e pieno di riverenza e di sollecitudine verso quei Presuli che *Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*.[3] Non sia pertanto la Curia Romana una burocrazia, come a torto qualcuno la giudica, pretenziosa ed apatica, solo canonista e ritualista, una palestra di nascoste ambizioni e di sordi antagonismi, come altri la accusano; ma sia una vera comunità di fede e di carità, di preghiera e di azione; di fratelli e di figli del Papa, che tutto fanno, ciascuno con rispetto all'altrui competenza e con senso di collaborazione, per servirlo nel suo servizio ai fratelli ed ai figli della

---

[2] *Rom.* 1, 8.
[3] *Act.* 20, 28.

Chiesa universale e della terra intera. Noi sappiamo che questo Nostro voto esprime il vostro, sincero e profondo; e che è questo voto che in Noi ed in voi si fa preghiera, affinchè Cristo Signore, per l'intercessione di Maria Santissima e dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, faccia risplendere come lucerna sul candelabro questa antica e sempre nuova Curia Romana, *ut luceat omnibus qui in domo sunt.*[4] *In domo,* cioè nella Chiesa di Dio!

E infine non vi dispiaccia, se Noi vi preghiamo tutti, Ecclesiastici e laici della Curia Romana, di voler aggiungere alle vostre fatiche d'ufficio qualche altra spontanea fatica di ministero e di apostolato personale; aiutate il Papa ad evangelizzare non solo l'Orbe, ma l'Urbe altresì, di cui voi siete i primi fedeli e di cui Egli è il Vescovo!

Fidati nella vostra bontà, e assicurandovi che tutti Ci siete presenti nelle Nostre preghiere, di cuore vi diamo la Nostra Apostolica Benedizione.

10

AVVISO PER I PADRI CONCILIARI

Distributus est Patribus conciliariis in quinquagesima sexta congregatione generali, die 25 octobris 1963.

SECRETARIATUS PRO REBUS OECONOMICIS
CONCILII VATICANI II

E Civitate Vaticana, 1 octobris 1963

Il Segretariato Amministrativo del Concilio Ecumenico Vaticano II ha rinnovato la polizza di assicurazione contro gli infortuni che potessero occorrere a tutti i Componenti del Concilio Ecumenico Vaticano II.

Le denuncie degli eventuali infortuni dovranno essere inoltrate con ogni possibile sollecitudine al:

Segretariato Amministrativo
del Concilio Ecumenico Vaticano II
Tel. 698 - Int. 3953 — Città del Vaticano

o alle

Assicurazioni Generali - Gerente Ramo Infortuni
Piazza Venezia, 11 - Tel. 681244

---

[4] *Matth.* 5, 15.

AVIS POUR LES PERES CONCILIAIRES

Le Secrétariat Administratif du IIème Concile Œcuménique du Vatican a renouvelé la police d'assurance contre les accidents qui pourraient arriver à tous les participants du IIème Concile du Vatican.

Dans l'éventualité d'un accident, prière d'en informer le plus rapidement possible le:

Secrétariat Administratif
du IIème Concile Œcuménique du Vatican
Tel. 698 - Int. 3953 — Cité du Vatican

ou les

Assicurazioni Generali - Gerente Ramo Infortuni
(branche accidents)
Piazza Venezia, 11 - Tel. 681244

NOTICE TO THE CONCILIAR FATHERS

The Administrative Secretariat of the Second Vatican Ecumenical Council has renewed the assurance policy for accidents that may happen to members of the Second Vatican Council.

In case of an accident, one should inform, as soon as possible:

Segretariato Amministrativo
del Concilio Ecumenico Vaticano II
Telephone: 698 - interno (extension) 3953 — Città del Vaticano

or

Assicurazioni Generali - Gerente Ramo Infortuni
Piazza Venezia, 11 - Tel. 681244

BEKANNTMACHUNG FÜR DIE KONZILSVÄTER

Das Sekretariat für Administrative Angelegenheiten des 2. Vatikanischen Konzils gibt bekannt, dass die Versicherungs-Polizze gegen Unfälle für alle Teilnehmer des 2. Vatikanischen Konzils erneuert wurde.

Etwaige Unfälle sind unverzüglich an folgende Adresse zu melden:

Segretariato Amministrativo
del Concilio Ecumenico Vaticano II
Tel. 698 - Int. 3953 — Vatikanstadt

oder:

Assicurazioni Generali - Gerente Ramo Infortuni
(Abteilung Unfälle)
Piazza Venezia, 11 - Tel. 681244

11

EPISTULA APOSTOLICA *

Ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos orbis catholici: quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Oecumenico Tridentino sacra Seminaria.

PAULUS PP. VI

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Summi Dei Verbum, *lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,*[1] quemadmodum aeternae salutis nostrae causa humanam assumere naturam voluit, interque nos aetatem degere, ut nobis ostenderet *gloriam quasi unigeniti a Patre plenum gratiae et veritatis,*[2] item pro parvo non putavit in tenui Nazarethana domuncula triginta ferme annos latere, ut preces Deo admovendo operaque faciendo convenienter munus suum apostolicum componeret, omniumque virtutum exempla praeberet. In conspectu enim dulcissimo Ioseph ut patris habiti sanctissimaeque matris Mariae, puer Iesus *proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines.*[3]

Atqui, si omnes, qui Christo auctoritati sunt, Verbum hominem factum imitari tenentur, profecto ii vel magis tenentur, a quibus non minus morum sanctimonia ostensa, quam evangelica disciplina enuntiata et Sacramentis dispensatis, Christi ipsius persona coram hominibus sustinenda aliquando erit.

Quam ob rem cum Ecclesia sibi conscia esset ad Christi Iesu administrorum officium pertinere, coram hominibus se magistros virtutis primum exemplis editis tum elicitis verbis praestare, ut re ipsa *sal terrae* ... et ... *lux mundi*[4] fierent, iam inde a primis suae vitae saeculis singulariter cavit, ut adulescentes ad sacerdotium nitentes bene instituerentur et educerentur. Cuius rei gravissimum testem habemus S. Leonem

---

* *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 979-995. Haec epistola, Typis Polyglottis Vaticanis impressa Patribus conciliaribus distributa est in congregatione generali, die 14 novembris 1963.

[1] *Io.* 1, 9.

[2] *Ib.* 1, 14.

[3] *Luc.* 2, 52.

[4] *Matth.* 5, 13-14.

Magnum, apud quem scriptum legimus: *Merito beatorum Patrum venerabiles sanctiones cum de sacerdotum electione loquerentur, eosdem ut idoneos sacris administrationibus censuerunt, qui multo tempore per singulos officiorum gradus provecti, experimentum sui probabile praebuissent, ut unicuique testimonium vitae suae actuum suorum ratio perhiberet.*[5] Concilia posthac sive universalia sive peculiaria, ut traditas antiquitus consuetudines quodammodo stabilirent gradatim leges ususque definierunt, quae in posterum Ecclesia universa veluti praescripta sancta ascivit. Qua de re satis est circumscripta commemorare decreta a Conciliis Lateranensibus III et IV facta.[6]

Attamen cum pro! mundi improbitas ordinem ipsum ecclesiasticum plus plusque in dies pervaderet, ethnicorumque sensus in scholis quadamtenus reviviscere viderentur, in quibus erudiebantur adulescentes, factum est ob eas causas, ut quae ab Ecclesia adhuc normae datae essent, ad quas instituerentur sacerdotii tirones, impares iam praesenti rei existimarentur. Quapropter saeculis XV et XVI pernecesse esse censuerunt plurimi, ut simul in universa Christi Ecclesia mores in melius corrigerentur, simul sacrorum alumni et tuti ab impendentibus periculis praestarentur, et opera educatorum praeceptorumque prudentium in domiciliis ad rem idoneis eorum animi, ut oporteret, conformarentur.

Cui summae et angustae necessitudini operam pro viribus Romae dederunt saeculo XV Patres Cardinales Dominicus Capranica et Stephanus Nardinius collegiis conditis, quae ab ipsis nomen invenerunt; saeculo autem XVI S. Ignatius Loiolaeus, in Urbe collegiis constitutis Romano et Germanico, altero magistris, altero alumnis erudiendis. Per idem vero tempus Reginaldus Polus Cardinalis, Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopos Cameracensem et Turnacensem hortatus, ut exemplum S. Ignatii sequerentur, illud paravit de Seminariis decretum ad Angliam pertinens, quod Synodus Londinensis anno MDLVI confirmavit, quodque die X mensis Februarii eodem anno in vulgus emissum est. Ad cuius exemplum decreti lex scripta est, paucos post annos a Concilio Tridentino universae posita Ecclesiae, quam caput XVIII continet, quod *De Reformatione* est, die XV mensis Iulii anno MDLXIII ratum habitum.[7]

Cum igitur a gravissimo illo decreto nunc quater centesimus exeat annus, huius memoria rei eo diligentius recordanda videtur, quod in

---

[5] *Epist.* 12, PL 54, 650-651.

[6] MANSI, *Amplissima Concil. Collect.* XXII, 227, 999, 1013.

[7] Cf. ROCCABERTI, *Bibliotheca maxima Pontificia,* XVIII, p. 362; et L. VON PASTOR, *Storia dei Papi,* Roma 1944, vol. VI, p. 569; et vol. VII, p. 329.

celebrationem incurrit Concilii Oecumenici Vaticani II. Hoc enim Concilio coacto Ecclesia, quemadmodum in primis agit, ut opportunis praeceptis traditis christiani populi mores in melius referantur, ita sane non praetermittet, quin in ea re praecipuas collocet curas, quae ad vitam ipsam totius mystici Corporis Christi maximopere pertinet, ad pueros videlicet conformandos, qui in Seminariis se ad sacerdotium instruunt.

Non est quidem Nobis propositum hoc loco neque ea exponere, quae acta sunt antequam caput confirmaretur, quod ad condenda Seminaria revertebatur, neque in singulis eius praescriptis perpendendis commorari; sed Nos e decreti commemoratione uberiores posse fructus percipi putamus, si hinc, clariore in luce posuerimus commoda ex eo in catholicam Ecclesiam inque hominum societatem profecta, si illinc filiorum Nostrorum memoriam breviter ad quaedam revocaverimus capita de sacerdotii tironibus ad pietatem, ad ingenii cultum, ad quaerendorum Deo animorum studium instituendis; quippe cum aetate hac nostra haec omnia studiosius quam antea sint sane reputanda.

Sacra vero Seminaria praeclaras esse utilitates singulis Ecclesiae dioecesibus allatura facili cogitatione prospexerunt Concilii Tridentini Patres, qui in Sessione XXIII caput, ad eam pertinens, cunctis iusserunt suffragiis. Qua super re haec Sfortia Pallavicinus Card. scribit: *In primis Seminariorum constitutio probata est: multique profiteri non dubitaverunt, etiamsi nihil commodi praeter hoc e Concilio perceptum esset, id ipsum satis omnium laboribus et curis respondisse; utpote quod tamquam instrumentum omnium praesentissimum esset habendum ad perditos mores corrigendos; siquidem in quavis republica hoc evenit communiter, ut tales habeamus cives, quales finxerimus.*[8]

Sed quantam spem in aedificandis Seminariis sacrae Ecclesiae potestates defigerent, quod ad Ecclesiae ipsius renovationem, sanctioremque sacerdotum vitam parandam attinebat, e constanti studio colligitur, quo, vix ad finem adducto Concilio, opera data est, ut, per impedimenta omne genus, decreti illius normae efficerentur. Cuius studii Decessor Noster f. r. Pius IV in primis specimen edens, die I mensis Februarii anno MDLXV suae Romanae dioecesi Seminarium condidit; quem tamen praeiverant sive eius nepos S. Carolus Borromaeus anno MDLXIV Mediolani Seminario constituto, sive tenuiore quadam ratione Reatinus, Larinensis, Camerinensis, et Montis Politani Episcopi. Post hos alii Epi-

---

[8] Cf. P. SFORZA PALLAVICINO, *Istoria del Concilio di Trento,* ed. di A. M. Zaccaria, Tom. IV, Roma 1833, p. 344.

scopi, ad suarum dioecesium instaurationem intenti, Seminaria excitaverunt, quibus plurimi viri, iique conspicui, subsidio venerunt, in Ecclesiae utilitatibus diligentissimi. In quorum numerum ascribere iuvat, ad Galliam quod spectat, Petrum de Berulle Cardinalem, Hadrianum Bourdoise, S. Vincentium Paulanum ab eoque conditos sodales, quibus a Missione appellatio, S. Ioannem Eudes, Ioannem Iacobum Olier sacerdotem, ab eoque institutam Societatem, cui a S. Sulpitio nomen. In Italia vero praecipuae S. Gregorii Barbadici laudi tribuendum est, quod exeunte saeculo XVII, assiduas et perpetuas in eo curas posuit, ut nova ratione Seminaria digereret Bergomense et Patavinum, intuitus non modo normas a Concilio Tridentino latas et S. Caroli Borromaei exemplum, sed etiam suorum temporum necessitates, quod ad animorum ornamenta pertineret et bonarum artium studia. Quod apposuit hic Pastor impiger ceteris Italiae Episcopis exemplum, id vel nostris hisce diebus valet plurimum; quandoquidem apte ille cum servatis normis antiquitus traditis novas coniunxit: cuius est generis imperatum linguarum studium populorum orientalium. Hoc namque non parum conferre opinabatur ad cognoscenda commodius sive Sanctorum Patrum sive scriptorum ecclesiasticorum orientalium opera; atque adeo ad seiunctas illas christianas communitates catholicae Ecclesiae paulatim conciliandas. Quae praestantissimi Patavini Episcopi merita commemorare placuit Decessori Nostro fel. rec. Ioanni XXIII, eo die habita homilia, quo Gregorium Barbadicum in Sanctorum caelitum albo sollemni ritu ascripsit.[9]

Iure optimo quivis opinari potest, ex hoc Concilii Tridentini decreto, veluti ex semine, in fertilem Ecclesiae agrum, quosdam quasi flores, exiisse Seminaria seu Collegia illa, quibus peculiare quid est propositum; cuius sunt generis et Collegium de Propaganda Fide, Romae excitatum, et Collegium a Missionibus Exteris appellatum, Parisiis erectum; exiisse pariter Collegia variis nationibus vel Romae, vel in Hispania, vel in Flandria constituta; ita quidem ut quaecumque peropportuna domicilia sacerdotii tironibus informandis, ad similitudinem sacri illius Cenaculi, hodie in Ecclesia universa exsistunt, eadem cum arbore illa conferri possint, de qua in evangelica parabola mentio, quae, licet e perexiguo semine nata, ita crevit tamque mirabiliter diffluxit, ut in ramos suos innumeras caeli aves veluti hospites accipere possit.[10]

Immortales ergo gratiae a nobis Deo sunt agendae, quod insequentibus saeculis, quamvis per multos populos et opiniones et consuetudines

---

[9] Cf. *A.A.S.*, LXII, 1960, pp. 458-459.
[10] Cf. *Matth.* 13, 31-32.

serperent, a doctrina a saluberrimoque Ecclesiae munere alienae, tantum afuit ab eo ut Seminaria excitari desinerent, ut in dies longius latiusque erigerentur. Neque solum in Europa id evenit, sed etiam in utraque America, in ipsisque terris evangelica adhuc luce collustrandis, simulatque catholica fides radices egit, Seminaria pariter constituta sunt. Apostolica autem Sedes id prolixe elaboravit semper, ut ad Seminaria quod spectaret, praecepta traderet, cum necessitatibus sive animorum sive mentium congruentia, quae vel temporum vel locorum indoles postularet. Quam multae prudentiae rem dum tangimus, quam Sanctus Spiritus, supernus omnium salutarium praeceptorum auctor, a Conciliis editorum, in primis Summo Ecclesiae Pastori concredidit,[11] facere profecto non possumus, quin egregia merita laudemus Decessorum Nostrorum, in quibus enitent Gregorius XIII, Sistus V, Clemens VIII, Urbanus VIII, Innocentius XI, Innocentius XIII, Benedictus XIII, Benedictus XIV, Clemens XIII, Pius VI, Gregorius XVI, Pius IX, Leo XIII, S. Pius X, Benedictus XV, Pius XI, Pius XII, Ioannes XXIII.

Nihil propterea mirum, si Seminaria, in quae tot tantaeque curae ab Apostolica Sede et a vigilantissimis ubique gentium Episcopis collatae sunt, ingentia ceperunt incrementa, maxima cum Ecclesiae civilisque consortionis utilitate. Iamvero haec magna et egregia commoda saeculis volventibus a Seminariis parta, Decessor Noster fel. rec. Pius IX appellare voluit Litteris Apostolicis *Cur Romani Pontifices,* die XXVIII mensis Iunii anno MDCCCLIII datis, quibus Seminarium Pianum condidit. Iis enim Litteris cum civitatum moderatores, tum homines quoslibet, publici boni studiosos, docuit *quantopere ad augustae religionis et humanae societatis incolumitatem prosperitatemque procurandam, atque ad veram sanamque doctrinam tuendam conduceret recta et accurata cleri institutio.*[12]

Artam huiusmodi salutaremque conexionem, quae inter populorum progressum, ad religionem, ad mores, ad mentis culturam attinentem, et congruum sacrorum administrorum numerum sanctitudine doctrinaque conspicuorum intercedit, rursus Pius XI gravibus hisce verbis significat: *Id enim est eiusmodi, quod Ecclesiae et dignitatem et efficientiam et vitam ipsam coniunctam habet; quodque ad salutem humani generis tam interest quam quod maxime: siquidem quae mundo parta sunt a Iesu Christo Redemptore immensa beneficia, ea non cum*

---

[11] Cf. *Act.* 15, 28.

[12] Cf. *Pii IX P. M. Acta,* vol. I, 1846-1854, p. 473.

hominibus nisi per ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei *communicantur.*[13] Exemplum igitur libenter capientes a Decessore Nostro Pio XII, aptissimam sententiam usurpamus a Leone XIII imm. mem. de Seminariis prolatam: *quorum cum statu fortuna Ecclesiae coniungitur maxime.*[14]

Quare, dum omnes Venerabiles in Episcopatu Fratres, sacerdotes et christifideles rogamus, ut omnipotenti Deo, bonorum omnium largitori, debitas grates persolvant de praestantissimis beneficiis, quae e providenter conditis Seminariis in Ecclesiam profecta sunt, interea saecularis huius celebrationis opportunitate libenter utimur, ut omnibus paternam adhortationem adhibeamus. Scilicet universos catholicae Ecclesiae filios commonere cupimus, ut se communi officio divinctos sentiant, auxiliatricem operam, quaecumque ea est, Seminariis navandi. Haud dubie ad supremos dioecesium Pastores, ad Seminariorum rectores pietatisque magistros, itemque ad variarum disciplinarum praeceptores maxime pertinet in multiplex opus incumbere sacros tirones rite sustentandi, instituendi, tuendi atque educandi. Ad irritum tamen ipsorum actio cadat, aut saltem multo difficilior sit ac minus efficax, nisi praeeat atque adiungatur alacris assiduaque socia opera tum curionum, tum sacerdotum, tum Religiosorum laicorumque hominum, qui iuventuti educandae praepositi sunt, tum denique, et quidem peculiari modo, christianorum parentum.

Ac revera, si ad sacerdotium animi inclinatio a primo suo initio usque ad plenam maturitatem diligenter expendatur quis non videat, eandem quamvis Dei donum potissimum sit habenda, nihilominus plurium hominum, sive e clero sive e laicorum ordine, liberalem postulare operam? Etenim, dum nostrorum dierum civilis cultus apud christianum populum externorum bonorum aestimationem atque cupiditatem valde adauxit, minoris inter haec apud multos habentur bona, quae peritura non sunt et ad supernaturalem ordinem pertinent.

Quae cum ita sint, quomodo eveniet, ut plurimi iuvenes, iidemque recta voluntate permoti, sacra capessendi propositum imbibant, si in domestico convictu, vel in scholis, ubi adolescunt, nonnisi profanarum artium praestantiam atque beneficia laudibus efferri audierint? Nimirum pauci christiani homines pro dolor secum intento animo haec reputant Servatoris nostri monitoria verba: *Quid enim prodest homini, si*

---

[13] Epist. Apost. *Officiorum omnium, A.A.S.*, XIV, 1922, p. 449.

[14] Epist. *Paternae providaeque*: *Acta Leonis*, 1899, p. 194; cf. Pii XII Epist. ad Ep. Poloniae: *Per hos postremos annos, A.A.S.*, XXXVII, 1945, p. 207.

lucretur mundum totum, et detrimentum animae suae faciat? [15] Nimirum arduum est, inter innumera huius saeculi oblectamenta atque illecebras, in proprios referre mores hanc Apostoli sententiam: *Non contemplantes nos quae videntur, sed quae non videntur; quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur, aeterna sunt.*[16] Ceterum, nonne Christus Dominus, cum pauperes Galileae piscatores accivit, ut divini muneris sui adiutores fieri vellent, eorum animos ad caelestium praemiorum contemplationem et spem erexit? Etenim cum Simonem et Andream fratres vidisset, piscatoriam artem exercentes, ita eos est allocutus: *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum.*[17] Petro autem ceterorum apostolorum nomine ab eo quaerenti, quamnam mercedem acciperent, cum ipsius causa omnia reliquissent, Iesus Christus haec affirmate pollicitus est: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel.*[18]

Quamobrem, ut pueri atque adulescentes aequam sacerdotalis vitae aestimationem faciant ac foveant, eorumque animi ad eam amplectendam sancto ardore incendantur, necesse est, ut idoneae ad id condiciones, cum intra domesticos parietes tum in studiorum domiciliis, pariantur. Iamvero, quamquam pauci christifideles ad sacerdotium vel ad religiosae vitae institutum divinitus vocantur, omnes tamen vivere ac sentire ea ratione tenentur, quae supernaturalis fidei normis apprime respondeat;[19] ac propterea summa observantia ac reverentia eos prosequi, qui vitam totam sive in suam ipsorum sanctimoniam, sive in spirituale humani generis bonum, sive in Dei gloriam amplificandam impendunt. Hoc pacto tantummodo fiet, ut christianum populum magis magisque sensus Christi [20] pervadat, ac facilius sacerdotii candidatorum numerus augeatur.

Verum, quod ad sacerdotalis militiae incrementum attinet, primae christifidelium partes sunt, preces Deo admovere, Christo Domino praecipiente: *Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*[21] Ex quibus divini

---

[15] *Marc.* 8, 36.
[16] Cf. *2 Cor.* 4, 18.
[17] *Matth.* 4, 19.
[18] *Matth.* 19, 28.
[19] Cf. *Hebr.* 10, 38.
[20] Cf. *1 Cor.* 2, 16.
[21] *Matth.* 9, 37-38.

Redemptoris verbis explicate efficitur, ipsius Dei misericordem ac liberrimam voluntatem primum fontem putandum esse, unde animi inclinatio ad sacra capessenda munera proficiscitur. Hac enim de causa Christus Apostolos suos hisce vocibus monebat: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.*[22] Atque S. Paulus, quamquam statuerat sacerdotium Iesu Christi sacerdotio veteris Testamenti dignitate antecellere, docebat tamen, potissimum ex divina voluntate quemlibet legitimum sacerdotem pendere, utpote qui suapte natura mediator inter Deum et homines constitutus sit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum ... Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*[23] Longe igitur potiore iure excellens et gratuita habenda est divina vocatio ad Christi sacerdotium participandum, de quo idem Apostolus scribit: *Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret; ... et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech.*[24] Recte igitur S. Ioannes Chrysostomus, de sacerdotio agens, haec habet: *Sacerdotium enim in terra peragitur, sed caelestium ordinum classem obtinet: et iure quidem merito. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non alia quaepiam creata potestas, sed ipse Paracletus hoc officium ordinavit: qui manentibus in carne auctor fuit, ut angelorum ministerium animo conciperent.*[25]

Iuvat tamen animadvertere divinam hanc vocationem ad sacerdotalia munia ineunda, non tantum ad animi dotes, hoc est ad mentem et liberam candidatorum voluntatem spectare, verum etiam ad sensus atque ad ipsum corpus; ita quidem ut homo totus habilis exsistat ad ardua suscipienda sacri muneris officia, quae saepe cum asperis incommodis sunt coniuncta, et quandoque, ut exemplo utamur Boni Pastoris Iesu Christi, vel ipsius iacturam vitae eos facere iubent. A Deo idcirco ad sacerdotium pueri vel adulescentes vocari nequaquam putandi sunt, qui, cum ingenii atque voluntatis dotibus non satis praediti sint, aut ingenita quadam animi infirmitate vel corporis vitio laborent, non apti propterea existimandi sunt, ad digne explenda complura sui muneris officia, atque ad ecclesiastici ordinis onera ferenda. Contra, solacii plena est Angelici Doctoris sententia, qui confirmat, ad singulos sacerdotes ea

---

[22] *Io.* 15, 16.
[23] *Hebr.* 5, 1-4.
[24] *Ib.* 5, 5-9.
[25] *De Sacerdotio,* lib. III, n. 4; PG 48, 642.

pertinere, quae ab Apostolo de primis Evangelii praeconibus dicta sunt. Etenim scribit S. Thomas: *Illos quos Deus ad aliquid eligit, ita praeparat et disponit ut ad id ad quod eliguntur inveniantur idonei, secundum illud 2 Cor., 3, 6*: Idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.[26]

Quamobrem parentes, sacri pastores iique omnes, in quos puerorum iuvenumque educandorum officium recidit, non solum condiciones parent oportet, iis aptas, qui ad sacerdotium vocantur, atque ad eorum augendum numerum supernas Dei gratias precibus impetrent, sed etiam sollerter pro viribus enitantur, ut adulescentuli Seminarium vel aliquod Religiosum Institutum ingrediantur, statim atque iidem palam significaverint et ostenderint, se sacerdotium reapse appetere, et ad illud esse habiles. Nam tunc tantum, cum hoc factum erit, iidem tutius saeculi illecebras praecavere, atque aptissimo in loco divinae vocationis semen excolere poterunt. Tunc pro officio quisque suo moderatores, pietatis magistri praeceptoresque incipient, primum signa diligentius dignoscere, quibus constet utrum Christus hos iuvenes re vera elegerit administros suos, deinde sacerdotii candidatis praesentes adesse, ut iidem ad huiusmodi excelsum munus idoneos se praestent. Quod magnum et difficile educationis opus, intra Seminarii parietes perficiendum, quod adulescentium corpus, pietatem, mores, ingenium attingit, apprime declaratur illo decreti Tridentini capite, cuius verba haec sunt: *Alere ac religiose educare et ecclesiasticis disciplinis instituere.*[27]

Sed hoc loco summi momenti haec quaestio proponitur: quo videlicet peculiarissimo ac necessario indicio divina ad sacerdotium vocatio dignoscenda sit, quove propterea indicio potissimum ducendi sint qui in Seminario sacris tironibus educandis instituendisque vacant, ac praesertim pietatis magister. Quod indicium haud dubie in recto proposito ponendum est, hoc est in manifesta et firma voluntate, qua quis in divinum famulatum se totum dedere exoptet; idque cogitur ex eiusdem Tridentini canonis praescripto, quo statuitur in Seminarium eos dumtaxat iuvenes esse accipiendos: *quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros.*[28] Quare Decessor Noster fel. rec. Pius XI, de recto huiusmodi proposito agens, in praeclaris Litteris Encyclicis, quibus initium *Ad catholici sacerdotii,* asseverare non dubitavit: *Qui ad sacrum huiusmodi institutum ea una nobilique de*

---

[26] *Summ. Theol.,* P. 3^a, q. 27, a. 4 c.

[27] Mansi, *Ampliss. Concil. Collect.,* XXIII, 147.

[28] *Concil. Oecum. Decr.;* Centro di Documentazione, Istituto per le Scienze Religiose, Herder 1962, p. 726, 38-39.

causa contendat, ut divino famulatui animarumque saluti se dedat, simulque et solidam pietatem et probatam vitae castimoniam, et consentaneam, ut diximus, doctrinam assecutus sit vel assequi nitatur, is profecto, ut perspicue patet, ad sacerdotale ministerium a Deo vocatur.[29]

Attamen, si ad iuvenes in Seminarium recipiendos satis est eos saltem prima indicia ostendere recti propositi atque indolis ad sacerdotale munus eiusque onera habilis, nihilo tamen secius sacrorum alumni, ut rite ad sacros Ordines ac praecipue ad Presbyteratum promoveantur. Episcopo vel Moderatori Ordinis religiosi talem praebere debent sanctorum propositorum maturitatem, ut hi ex animi sui sententia certam habeant, coram se adesse, quos eligit Deus.[30]

Ex quo consequitur, ut formidandum gravissimumque onus atque periculum in Ordinarios cadere dicendum sit, utpote ad quos pertineat tum munus ultimum faciendi iudicium de divinae electionis indiciis in sacrorum Ordinum candidatis, tum ius pertineat eos ad sacerdotium vocandi, atque adeo ratam habendi coram Ecclesia efficacemque condendi divinam ad sacerdotium vocationem, quae in iuvenibus pedetemptim ad maturitatem venit. Haec vis est illis Catechismi Concilii Tridentini verbis subiecta: *Vocari a Deo dicuntur qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur.*[31] Nostra quoque aetate, cum Nobis dolendum est nonnullos Ecclesiae administros ab officiis suis defecisse — quae calamitas severiore adhibita diligentia in sacerdotii tironibus deligendis atque instituendis praecaveri forsitan potuisset — sacri dioecesium Pastores peropportune secum gravia verba perpendent, quibus S. Paulus Timotheum monebat: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*[32]

Postquam igitur id summatim memoravimus, quod prorsus requiritur in iis, qui divino afflatu ad sacerdotium vocantur, hoc est manifestam, promptam atque firmam voluntatem sacra munera capessendi, spectatis potissimum Dei gloria amplificanda et sui ipsius fratrumque aeterna salute exquirenda, imo et omnium pretiosissimo divini Servatoris Sanguine redemptorum, non alienum esse arbitramur et alia breviter attingere, quae ad sacerdotii candidatos perfecte absoluteque instituendos prosunt. Quas res, cum summopere ad ipsam conducant Ecclesiae vitam, saepenumero Decessores Nostri pertractatas habuerunt, quorum recentiora scripta, omnibus sane nota, hic recordari iuvat, scilicet:

---

29 Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii, A.A.S.*, XXVIII, 1936, p. 40.

30 Cf. *1 Reg.* 16, 6.

31 *Catech. Concil. Trid.*, p. III, *de Ordine,* 3.

32 *1 Tim.* 5, 22.

Pii XI Litteras Encyclicas a verbis incipientes *Ad catholici sacerdotii,*[33] Pii XII Adhortationem Apostolicam, cui initium: *Menti Nostrae,*[34] et Ioannis XXIII Litteras Encyclicas, quibus index: *Sacerdotii Nostri primordia.*[35] Praeterea ad Oecumenicum Concilium Vaticanum II lata est Constitutio *De sacrorum alumnis formandis,* quae, cum probata erit, opportuna Concilii Tridentini decreta, aliaque subsequentia Apostolicae Sedis praescripta perficiet, et sine ulla dubitatione id dabit, ut valde procedat opus ad sacerdotii tirones conquirendos spectans, atque, quod sane maioris momenti est, ad eosdem sive ad sacerdotalium virtutum amorem et exercitationem, sive ad sacrorum rituum studium, sive ad ingenii culturam, sive ad pastoralem, quam vocant, disciplinam informandos.

Dum igitur praeclaras normas, quae de Seminariis a Concilio Oecumenico edentur, exspectamus, supremi muneris Nostri partes esse putamus, omnes hortari, qui sacrorum alumnis erudiendis dant operam, ut pariter pericula acri animo perpendant, quae artem educandi, in Seminariorum usum nunc receptam, eiusque efficacitatem extenuare possunt, atque pariter ea prospiciant, quae in eorumdem institutione alumnorum impensiore studio sunt accuranda.

De insidiis vero, quae, non secus atque fallaces herbae, nostris hisce temporibus plus quam olim, adulescentium animum, quasi agrum cuilibet semini expositum, incedere videntur, voluntatem illam omnes reprehendendi, omnia carpendi indicamus, quae eorum inficiat mentem. Illud praeterea incusandum est, vel minimos natu nullum ferre vinculum velle, sive a lege naturae, sive ab auctoritatibus vel ecclesiasticis vel civilibus iniectum; atque adeo eos effrenatam agendi libertatem affectare. Nihil igitur mirum si, viribus animi infirmatis et ascensibus ad verum rectumque cohibitis, cum interiores tum exteriores iuvenum sensus debitam rectae rationis bonaeque voluntatis moderationem defugiunt; quippe qui se a continua efficacique gratiae et supernaturalium virtutum vi removerint. Ex quo illud natura consequitur, ut saepe saepius adulescentes loquendi agendique generi nonnihil permittant, quod ab humilitatis, ab oboedientiae, a modestiae atque a castitatis normis abhorreat, rationabilis creaturae dignitati omnino congruentibus ac praesertim christiani hominis, cuius etiam corpus, caelestis gratiae ope Iesu Christi membrum ac Spiritus Sancti templum factum est. Etenim ex

---

[33] *A.A.S.,* XXVIII, 1936, pp. 5-53.
[34] *A.A.S.,* XLII, 1950, pp. 657-702.
[35] *A.A.S.,* LI, 1959, pp. 545-579.

hisce iuvenilis levitatis atque etiam intemperantiae indiciis, quis fore non prospiciat, ut iidem iuvenes in posterum multa quidem iura sibi vindicent, pauca vero officia recipiant? Quis non vereatur ne has ob causas apparere desinant conscii generosique iuvenes sacerdotium percupientes? Quocirca ea omnia prohibere oportet, quae sano iuvenum cultui officiant, eorumque maxime, qui a Christo Iesu eo vocantur, ut ipsius Redemptionis opus pergant.

Sed quibus subsidiis haec obtinenda erunt? Ad hoc potissimum est a parentibus et a praeceptoribus nitendum, ut eorum filii vel alumni, iique praesertim qui mitiore et alacriore ornentur indole, ad sacerdotium inclinata, imbuantur humilitate, oboedientia atque orandi seque devovendi studio. Praeterea Seminariorum moderatorum et magistrorum partes sunt, non tantum eas, quas diximus, virtutes in sibi commissorum adulescentium animis custodire et augere, verum etiam curare, ut in sacerdotii candidatis progrediente aetate aliae quoque animi dotes eluceant ac firmentur, quae prorsus necessariae sunt habendae ad solidam plenamque formationem morum.

In quibus dotibus praecipuum obtinere locum existimamus tum animi inclinationem ad meditandum, tum rectam in agendo voluntatem, tum facultatem libere et per se eligendi id quod bonum, immo melius est, tum suae voluntatis suique corporis moderationem. Haec enim moderatio valet adversus immodicum sui ipsius amorem, adversus mala aliorum exempla, et adversus proclivitatem ad malum, quae vel ex humana natura oritur, hereditaria labe infecta, vel ex improborum hominum societate, vel e spiritu illo maligno et perdito, qui nostra hac aetate acriore videtur rabie insidias struere, si eos perdere possit, quos Deus singulari prosequitur amore.

Ad proximos autem quod attinet, ii qui cum Christo et pro Christo coram hominibus testes esse cupiunt evangelicae veritatis, quae homines liberat atque salvos praestat,[36] informentur oportet ad veritatis studium in loquendo et in agendo, atque adeo ad animi sinceritatem, ad probitatem, ad constantiam, ad fidelitatem; ita S. Paulo dilectum Timotheum hortante: *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis.*[37]

Ut autem efficaciter adulescentium animi emendentur, ut mala noxa-

---

[36] Cf. *Io.* 18, 37; 8, 32.
[37] *2 Tim.* 2, 14-15.

rum vitiorumque germina ipsi praecaveant, utque bona in iis sparsa semina in salutares arbores erumpant, debita ratio habeatur opus est etiam sanarum virium, quae in hominis natura insitae sunt; ita quidem ut ecclesiasticae perfectionis opus in virtutibus naturalibus tamquam in solido fundamento innitatur.

In quam rem opportune quadrare videntur haec Doctoris Angelici verba, sapientiae plena: *Cum enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis inclinatio intellectus subserviat fidei, sicut et naturalis inclinatio voluntatis subsequitur caritati.*[38]

Verum tamen sanae hominis vires atque naturales virtutes plus aequo non sunt extollendae, quasi veri et permansuri apostolicae alacritatis fructus sint potissimum humanis nisibus tribuendi. Atque illud pariter animadvertere necesse est, non posse iuvenum animos ad ipsas virtutes naturales recte apteque educari atque institui, ad prudentiam nempe, ad iustitiam, ad fortitudinem, ad temperantiam, ad modestiam, ad lenitatem ad ceterasque virtutes cum his conexas, si rectae rationis principia dumtaxat adhibeantur et humanarum disciplinarum normae, cuius sunt generis psychologia experimentalis, et paedagogia, quas vocant.

Catholica enim disciplina edocemur, neminem, vacuum a gratia Servatoris Nostri, quam sanantem appellant, omnia ipsius naturalis legis praecepta servare posse, neque idcirco perfectas solidasque virtutes adipisci.[39]

Quo firmissimo principio posito, illud sequitur, quod in ecclesiasticae vitae usu magni est ponderis, humanam nempe educationem pari gradu procedere oportere cum educatione, quae christianum hominem et sacerdotem addeceat, ut naturae humanae vires evehantur ac roborentur, sive ope precationis, supernaeque gratiae, quae per Paenitentiae et Eucharistiae sacramenta saepe suscepta confertur, sive supernaturalium virtutum pulsu, quibus quidem exercendis naturales virtutes praesidio sint et auxilio.

Neque haec satis. Etenim, ut Apostolus monet, necesse praeterea est, ut hominis vires cum ingenii tum voluntatis fidei normis caritatisque motibus obsecundent; ita quidem ut actiones nostrae ob Domini Nostri Iesu Christi amorem positae, valeant ad sempiternam mercedem promerendam.[40]

Quae exposuimus, uti patet, bene expendant opus est, qui divinitus vocati sunt, ut cum Redemptore nostro coniuncti pro hominum salute

---

38 *Summ. Theol.* I^{a}, q. 1, a. 8 c.
39 Cf. *Ib.* I^{a}-II^{ae}, q. 109, a. 4 c.
40 Cf. *Col.* 3, 17; *1 Cor.* 13, 1-3.

veluti amoris et oboedientiae hostias se devoveant; itemque ut castam, quemadmodum virgines decet, vitam ducant, atque a fluxis huius mundi bonis re et animo abalienatam. Ita enim sacrum ipsorum munus dignius evadet, salutariumque fructuum fecundius. Hac de re ab iis aliquando postulabitur ut, sacri muneris causa, non tantum omnes praestantiores suas dotes commodent, sed etiam ut hinc legitimas quasdam naturae necessitates posthabeant, hinc aerumnas et vexationes perferant, ut Boni Pastoris partes fideli generosoque animo agant. Par namque est quemlibet fidelem Iesu Christi administrum de se ipso dicere posse, quod S. Paulus de se dicebat: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps eius efficiar.*[41]

Non aliam agendi rationem secuti sunt tot Episcopi totque sacerdotes, quos Ecclesia omnibus viris, qui rebus divinis praesunt, in exemplum proponit, cum eos in Sanctorum caelitum numerum adscribit.

Haec sunt summa ac praecipua capita, quibus, si de disciplina et de vita spirituali agatur, gravissimum educandi munus continetur, quod, sub Episcopi supremo moderamine, Seminarii rectori pietatisque magistro demandatur.

In id tamen adiutricem conferre curam debent variarum quoque disciplinarum magistri, quod spectat ad sacerdotii tironum ingenii vires congrua via excolendas atque perficiendas.

Ex hac autem socia opera, a Seminarii moderatoribus et praeceptoribus sapienti concordique consilio collata, illud commodi profecto consequetur, ut iuvenibus educatio impertiatur omni ex parte perfecta, iidemque excelsae eiusmodi dignitatis gradum attingant, qui non tantum in communi homine vel in christifideli, sed maxime in sacerdote convenit, utpote qui divinae revelationis lumine penitus sit imbuendus; cuius praesertim rei gratia fiet, ut ipse *perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*[42] Etenim meminisse operae est quae S. Ioannes Chrysostomus scribit: *Animum sacerdotis instar lucis totam orbem illustrantis splendere oportet.*[43]

In studiorum denique supellectile, qua adulescens clerus ornari oportet, sane ponenda est non exigua variarum linguarum scientia, in primisque Latinae, si maxime de sacerdotibus agatur Latini ritus; scientia praeterea ponenda est praecipuarum rerum, quae ad historiam, ad

---

[41] *1 Cor.* 9, 22-23.
[42] *2 Tim.* 3, 17.
[43] *De Sacerdotio,* lib. VI n. 4, PG 48, 681.

physica, ad mathematicas disciplinas, ad terrarum descriptionem, ad formas atque figuras pertinent, quibusque omnes nostrorum temporum homines doctrina exculti, pro populorum diversitate, instruuntur atque informantur. At praestantiores sacerdotalis animi divitiae in illa continentur humana atque christiana sapientia, quae in firma ac certa philosophiae et theologiae institutione constat, secundum S. Thomae rationem, doctrinam atque principia, veritatibus divinitus traditis atque docentis Ecclesiae praeceptis studiose religioseque servatis. Quam pariter institutionem vel efficiunt vel complent hae quae sequuntur disciplinae: Sacrarum litterarum interpretatio iuxta catholicae Ecclesiae hermeneumatis artem atque praecepta, sacra Liturgia, Musicae sacrae disciplina, Ius canonicum, Ecclesiasticarum rerum historia, Archaeologia, Patrologia, Dogmatum historia, Theologia ascetica ac mystica, Hagiographia, sacrae Eloquentiae institutiones, ingenuarum artium praecepta, et id genus alia.

Cum autem maioribus Ordinibus, quos vocant, sacrorum alumnus proxime initiandus erit, primisque deinde annis post initum sacerdotium, ei theologiae, quam pastoralem appellant, opera danda erit, atque omni cura efficiendum, ut cotidie laboriosius in partem veniat, tamquam auctor, negotiorum suae dioecesis, hoc est, divini cultus exercendi, christianae doctrinae tradendae, sacrarum denique expeditionum iuvandarum et incitandarum; ita ut, qui futurus est animorum pastor, munus suum atque officium paulatim quidem, sed tempestive cognoscat, et se ad illud apte et congruenter accingat. Qua in re magno erit illi auxilio non exiguus Gregoriani cantus sacrique concentus usus atque exercitatio. Tum demum sua studia in unum convertet aspectum suosque labores ad animorum salutem diriget, cum ei persuasum esse debeat, eo omnem industriam esse convertendam, ut Christi et Dei Regnum adveniat, iuxta S. Pauli monitum: *Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.*[44] Quo enim magis nostrae aetatis homines omnia ad Deum pertinere oblivisci videntur, eo magis ut *alter Christus* et *homo Dei*[45] debet in mundo enitere sacerdos.

Sanctitate igitur ac scientia ornetur necesse est, qui a Deo vocatur, ut Verbi Dei, omnium hominum Redemptoris, nuntius ac minister exsistat; sanctitate, dicimus, in primis eximia, quae sanctitati scilicet praestet sive laicorum hominum sive Religiosorum, sacris non initiatorum, quia, ut Doctor Angelicus merito monet: *Si religiosus ordine*

---

[44] *1 Cor.* 3, 22-23.
[45] *1 Tim.* 6, 11.

careat, sic manifestum est excellere praeeminentiam ordinis, quantum ad dignitatem. Quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in sacramento altaris.[46] Quapropter incensissima erga sanctissimam Eucharistiam pietate eius vita fulgeat opus est, qui augusti huiusmodi Sacramenti consecrator atque dispensator aliquando fieri exoptat; quem quidem Corporis et Sanguinis Christi cultum par est alias pietatis formas coniunctas habere apprime consentaneas: hoc est, pietatem erga venerabile Christi nomen eiusque Cor sacratissimum.

Hisce demum adhortationibus finem facientes, paterna caritate iis gratulamur omnibus, ex utroque clero, qui summa diligentia nec sine magnis iacturis contendunt, ut iuvenes ad sacerdotium inclinatos et reperiant et congregent et instituant. Praecipua vero laude eos Nobis ornare placet, qui iisdem funguntur officiis in illis regionibus, quae graviore clericorum penuria laborant, et ubi maiores difficultates suscipere, atque pericula saepe subire coguntur qui novos sacrorum administros Ecclesiae parare student. Illis etiam gratulari exoptamus qui, Sacrae Seminariorum atque Studiorum Universitatum Congregationis incitamentis praeceptisque obsequentes, summa ope conantur, scriptis editis et conventibus peractis, sacrorum alumnorum institutionem ad exactiorem rationem adducere cum temporum locorumque necessitudine cumque progressibus artis educandi consentaneam, sanctae semper sacerdotalis vitae proposito ac natura servatis. Id enim quam maxime ad Ecclesiae utilitatem decoremque conducit.

Vobis denique, filii dilectissimi, qui intra sacros Seminarii parietes, haud secus atque olim Apostoli in Cenaculo, in maternis oculis Apostolorum Reginae, omni vos diligentia paratis ad potestatem illam, quae omnem humanum modum excedit, adipiscendam, Corpus scilicet et Sanguinem Christi Dei consecrandi et condonandi peccata, et ad Sancti Spiritus largiorem gratiae profusionem accipiendam, quae expeditiores vos reddat ad *reconciliationis ministerium*[47] digne perficiendum, verbis usi Apostoli dicimus: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.*[48] Omnes enim qui pariter hominum salutem cum Christo coniunctissimi quaerere volunt, pariter fulgidam sibi aeternae gloriae coronam parare, eos omni docilitate et constanti oboedientia divino instinctui respondere oportet.

---

[46] *Summ. Theol.* II^{a}-II^{ae}, q. 184, a. 8 c.
[47] *2 Cor.* 5, 18.
[48] *1 Cor.* 7, 20.

Mirabile Dei donum cum animo reputate, et inde a iuvenilibus annis illi *in laetitia et in exsultatione servite.*[49]

Ad ultimum vos, Venerabiles Fratres, adhortantes, ut pro viribus haec monita, quae Nobis unus Ecclesiae subiecit amor, ad rem in dioecesibus vestris adducatis, vobis gregibusque unicuique vestrum concreditis, in primisque sacrorum alumnis, propensissimam declaramus voluntatem; cuius esse testem cupimus Apostolicam Benedictionem, quam singulis universis paterno animo impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, in festo S. Caroli Borromaei, die IV mensis Novembris anno MDCCCCLXIII, Pontificatus Nostri primo.

PAULUS PP. VI

12

COMMISSIO DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

DE LABORE COMMISSIONIS DOCTRINALIS HUCUSQUE PERACTO

Hic fasciculus distributus est Patribus conciliaribus in septuagesima tertia congregatione generali, die 22 novembris 1963.

A – DE SUBCOMMISSIONIBUS: Instituta est *Subcommissio generalis* ad labores de revisione textus ordinandos, composita ab Em.mo BROWNE, Praeside, et Exc.mis GARRONE, FLORIT, CHARUE et SPANEDDA, Membris, cum 5 Peritis: GAGNEBET, SCHAUF, MEDINA, MOELLER, PHILIPS Relatore.

Haec Subcommissio generalis curat de ordine materiae exponendae, et de unitate inter diversas partes schematis servanda.

Institutae deinde sunt 7 *Subcommissiones particulares,* quarum elenchus sequitur:

1) *Prima Subcommissio*: DE MYSTERIO ECCLESIAE, Cap. I, nn. 1-7. Quaestiones sunt praevalenter ordinis biblici, scilicet: de Ecclesia fundata super Petrum et Apostolos, de voce Mysterii, de « Sacramento », de Regno Dei [paragraphus addenda], de variis imaginibus apud S. Paulum et de earum ordinatione, de paupertate evangelica.

---

[49] Cf. *Ps.* 99, 2.

2) *Secunda Subcommissio*: DE POPULO DEI, Cap. I bis, quod comprehendit: n. 24 [ex schemate de Laicis], nn. 8-9-10 ex Cap. I, additis quibusdam ex Emendatione ab Em.mo SUENENS proposita [cf. Fasc. II Emendationum, 1, (1)-(16)]. Quaestiones principaliores sunt: de sacerdotio omnium fidelium, de sensu fidei, de charismatibus, de unione cum christianis acatholicis, de indole missionaria Ecclesiae (expositio uberius et profundius tractanda).

3) *Tertia Subcommissio*: DE INSTITUTIONE ET SACRAMENTALITATE EPISCOPATUS, Cap. II, nn. 11-14. Quaestiones praecipuae: de successione Apostolorum; de indole sacramentali consecrationis episcopalis.

4) *Quarta Subcommissio*: DE PRESBYTERIS ET DIACONIS, Cap. II, n. 15. Textus de presbyteris est complendus. De diaconis notatur quod, si momentum dogmaticum sat breviter tractari potest, moles documentorum est ingens.

5) *Quinta Subcommissio*: DE COLLEGIO ET MINISTERIIS EPISCOPORUM, Cap. II, nn. 16-21. Quaestiones praecipuae: de natura Collegii Episcoporum et relatione eius cum Primatu; de infallibilitate.

6) *Sexta Subcommissio*: DE LAICIS, Cap. III, nn. 22-23 et 25-27, additis quibusdam ex Emendatione Card. SUENENS, Fasc. II, 1, (28)-(32). Quaestiones praecipuae: de descriptione laicatus eiusque diversorum munerum.

7) *Septima Subcommissio*: DE VOCATIONE AD SANCTITATEM, Cap. IV, nn. 28-36. Quaestiones praecipuae: de universali vocatione, de natura status religiosi.

Compositio singularum Subcommissionum particularium. Enumerantur Em.mi et Exc.mi Patres:

1ª Subcommissio: CHARUE, VAN DODEWAARD, PELLETIER.
2ª Subcommissio: SANTOS, GARRONE, DEARDEN, GRIFFITHS.
3ª Subcommissio: KÖNIG, BARBADO, DOUMITH.
4ª Subcommissio: SCHERER, ROY, FRANIĆ.
5ª Subcommissio: PARENTE, FLORIT, SCHRÖFFER, VOLK.
6ª Subcommissio: WRIGHT, SPANEDDA, MCGRATH.
7ª Subcommissio: ŠEPER, GUT, FERNANDEZ.

In singulis Subcommissionibus particularibus adsunt praeterea ad minus 5 Periti.

Prima Subcommissio particularis (biblica), labore peracto, aliis Subcommissionibus auxilium praebebit pro citationibus S. Scripturae examinandis et perficiendis.

Alia Subcommissio erecta est, constans Exc.mis PARENTE, SCHRÖFFER et FERNANDEZ, pro statuenda qualificatione theologica doctrinae a Concilio propositae. Haec Subcommissio textum elaboravit, qui die 29 m. oct. a Commissione Doctrinali approbatus est.

B – CONSPECTUS LABORIS IAM PERACTI.

1) Ex documentis *ante secundam sessionem* Concilii Secretariatui transmissis confecta est *Relatio Generalis,* et deinde elenchus propositionum et emendationum, per ordinem dispositarum. Elenchus ille in foliis multiplicatis exstat; constat 143 magnis paginis, cum pluribus centenis propositionum.

2) Ad usum sociorum Commissionis omnes oratores Patrum sive ore habitae, sive scripto traditae dactylographice multiplicantur. Hucusque confecta sunt 400 folia (singula continent circiter 45 lineas), probabiliter autem numerus foliorum completus erit 1.500.

3) *Ex orationibus Patrum,* sive in Aula pronuntiatarum, sive in scriptis ad Secretarium transmissarum, durante hac Sessione, confectae sunt schedulae singulae pro singulis propositionibus factis. Schedulae hucusque confectae et ordinatim dispositae, numerum iam attingunt circiter 2.200, et referunt placita ex circiter 500 orationibus.

Ordinatio schedularum facta est:

pro Cap. I: DE MYSTERIO ECCLESIAE;

pro Cap. I bis: DE POPULO DEI, pro parte quae continetur in antiquis nn. 8-9-10.

Magna ex parte hic labor confectus est:

pro Cap. I bis: altera parte;

pro Cap. II: DE HIERARCHIA.

Post paucos dies hic labor absolvetur:

pro Cap. III: DE LAICIS;

pro Cap. IV: DE VOCATIONE AD SANCTITATEM.

4) *Subcommissiones particulares* imprimis considerant quaestiones maioris momenti, uti sunt:

de fundatione Ecclesiae super Petrum et Apostolos;

de indole missionaria Ecclesiae;

de indole sacramentali Episcopatus;

de Collegio Episcoporum;

de Diaconatu.

C – CONSPECTUS OBSERVATIONUM GENERALIUM, quae in totum schema De Ecclesia propositae sunt. Hic conspectus a Subcommissione generali compositus est et a Commissione Doctrinali approbatus.

Referimus *puncta principaliora,* quae in hoc « Conspectu » indicantur, cum responsione Commissionis Doctrinalis ad principaliores quaestiones, quae excitatae fuerunt.

I - Grato animo acceptat Commissio *laudes* prolatas pro indole pastorali, biblica, positiva, organica, plena, aperta et oecumenica novae redactionis.

II - Circa generalia, quae adhuc *desiderantur,* Commissio Doctrinalis statuit maiorem adhuc esse prosequendam *claritatem*; rationem servandam esse indolis *historicae* Ecclesiae in expositione doctrinae; accuratim perpendendas esse singulas *citationes Scripturae.*

III - Circa *nova themata* proposita, statuuntur sequentia:

1) *De Populo Dei* conficiatur caput speciale, quod provisorio modo ut Cap. I bis indicatur. Componitur autem ex partibus aliunde ex schemate desumptis, praesertim ex Capite III, additis quibusdam ex Emendatione proposita in Fasc. II: « Emendationes », 1 (1)-(16). Hic denique reponentur illa quae de diversitate in unitate Ecclesiae et de aspectu eschatologico a pluribus Patribus postulata fuerunt.

2) *De indole missionaria Ecclesiae.* Statutum est ut, secundum desiderium a pluribus Patribus expressum, profundius et uberius tractentur illa, quae in numero 10 occurrunt.

3) *De paupertate evangelica* statutum est, hanc ideam sedulo esse considerandam, et prudenter ac sobrie esse tractandam in decursu expositionis, et speciatim, si apte fieri potest, in numero 7.

4) Thema *de Regno Dei,* quod a pluribus commendatum est, tractabitur in paragrapho peculiari, quae, utpote de placito Synopticorum agens, ante expositionem doctrinae S. Pauli et S. Ioannis veniet, et provisorie ut numerus 4 bis indicatur.

5) *Doctrina de Eucharistia*: petitur ut explicitius exponatur. Quod in pluribus partibus schematis fieri potest, ubi nempe idea de cultu eucharistico connaturaliter inducitur, v. g. ubi de coadunatione Ecclesiae tum localis tum universalis circa Eucharistiam, v. g. Cap. II, n. 20, cum nota 57.

6) *Aspectus eschatologicus Ecclesiae,* in Sanctorum Communione consummatae, aptum locum expositionis obtinebit in Cap. I bis, de Populo Dei.

IV - *Alia themata,* vel alibi tractanda, vel in schemate de Ecclesia amplificanda:

1) *De proprietatibus Ecclesiae* passim in textu explicite agitur;

quod videtur sufficere. Concilium enim non « tractatum de Ecclesia » conscribere intendit, sed quibusdam quaestionibus maioris momenti pro hodierno tempore respondere.

2) Expositio *de presbyteris* videtur amplificanda, insistendo in connexione cum Episcopo. Huic tractationi numerus peculiaris consecrabitur, n. 15, materia de diaconis ad n. 15 bis remissa.

3) Indicatio *de Revelatione,* quae in Scriptura et Traditione continetur, et cui innititur doctrina de Ecclesia, in decursu expositionis breviter inducetur.

4) *De Ecclesia relate ad Statum civilem*: haec materia ad Schema de Ecclesia non pertinet.

V - *Indicationes finales*:

1) Ad quaestionem *de libertate religiosa* quod attinet, constituta est Subcommissio ad praeparandas, ubi oportet, animadversiones Commissionis Doctrinalis circa textum a Secretariatu pro unione propositum. Componitur ab Em.mo Léger, praeside, et Exc.mis Wright, Spanedda, Gut et Fernandez, membris.

2) Quod attinet ad Caput VI, *de Beata,* constituta est Subcommissio praeparatoria, composita ab Em.mis König et Santos et Exc.mis Doumith et Théas.

3) Quamvis labor praestandus ingens sit, et moles documentorum, quorum sedulam rationem servare oportet, fere in immensum excreverit, Commissio Doctrinalis tamen *sperat,* ut opus suum saltem pro quaestionibus maioris momenti et in specie pro Capite I schematis, Deo favente, mox absolvere possit.

Die 5 nov. 1963.

13

NOTIFICATIO

Distributa est Patribus conciliaribus in septuagesima tertia congregatione generali, die 22 novembris 1963.

In hunc finem ut Commissionum Conciliarium labores expeditius et alacrius procedant, Summus Pontifex, accipiens etiam multorum Patrum postulata, dignatus est concedere ut numerus sodalium uniuscuiusque Commissionis ad triginta perducatur. Quinque igitur sodales in Commissionibus omnibus addendi sunt, exceptis Commissione de Ecclesiis Orientalibus, quae iam numerat viginti septem sodales, et Secretariatu ad chri-

stianorum unitatem fovendam, quae tantummodo duodeviginti sodales ex Patribus Conciliaribus habet: pro illa itaque tres tantum sodales eligendi sunt, pro hoc, duodecim.

Statuit Summus Pontifex ut ex quinque sodalibus eligendis in Commissionibus, unus Ipsi reservetur, quattuor a Patribus eligantur. In Commissione de Ecclesiis Orientalibus, cum duo iam electi sint a Summo Pontifice, durante intersessione, electio aliorum trium committitur Patribus. In Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam quattuor a Summo Pontifice, octo a Patribus eligentur. Pro Commissione de Sacra Liturgia, cum haec iam expletura sit feliciter, ut speramus, suum munus, nullus alius sodalis eligendus est.

Novi sodales eligendi sunt inter Patres qui vere periti sint in materiis, quae Commissionum studio sunt subiectae, et possint Romam, durante intersessione, facile convenire.

Uti patet, eligi non possunt qui iam sint sodales in alia Commissione vel munus obeant in Coetibus directivis Concilii.

Postquam novi sodales omnes electi fuerint, Summus Pontifex concedit ut novum Vicepraesidem et novum Secretarium *additum* (hunc tamen inter Peritos), praeter iam existentes, Commissiones sibi eligant.

Ut electio expeditissime, quantum potis est, fiat a Patribus, rogantur vehementer Praesides Conferentiarum Episcopalium ut suam quisque Conferentiam congreget et Patrum nomina indicet, non plus quam tria pro qualibet Commissione (et pro Secretariatu non plus quam sex), qui proponi possint eligendi in Congregatione Generali.

Valde optandum est ut plures Conferentiae in unam coalescant, ita ut elenchum unicum exhibeant.

Manet tamen Patribus libertas alios quoque Patres eligendi.

Terminus ultimus pro exhibendis Secretariae Generali elenchis statuitur feria II proxima, dies scilicet 25 Novembris.

Omnes elenchi distribuentur Patribus feria IV sequenti, ita ut electio fiat feria V successiva.

E Civitate Vaticana, die 21 Novembris 1963.

✠ PERICLES FELICI, *Secr. Gen.*

14

PATRUM CONCILIARIUM INDICES SICUT A CONFERENTIIS EPISCOPALIBUS EXHIBITI SUNT * AD SODALIUM COMMISSIONUM CONCILIARIUM NUMERUM AUGENDUM

Hic fasciculus Patribus distributus est in septuagesima sexta congregatione generali, die 27 novembris 1963.

CONFERENTIAE EPISCOPALES COADUNATAE

EX AFRICA

Africa Centralis (Cameroun, Centre-Afrique, Congo-Brazza, Gabon, Tchad)
Africa Occidentalis (Côte d'Ivoire, Dahomey, Guinée, Haute Volta, Mali, Sénégal, Togo)
Africa Septemtrionalis (Algeria, Marocco, Sahara, Tunisia)
Angola et Mozambico
Congo-Leo.
East Africa: Kenya, North-Rhodesia, Nyassaland, Sudan (Egyptus et Aethiopia), Tanganyika, Uganda
Ghana (Gambia, Liberia, Sierra Leone)
Nigeria
Madagascar et Insulae (Mauritius, Réunion)
Ruanda-Burundi
South Africa: South Africa, South-Rhodesia

EX AMERICA

America Centralis et Panama
America Meridionalis: Argentina, Bolivia, Brasilia, Chile, Columbia, Ecuador, Paraguay, Perù, Uruguay, Venezuela
America Septemtrionalis: Canada, Mexico, USA

EX ASIA

Birmania, Ceylon, India, Insulae Philippinae, Japonia, Pakistan

EX EUROPA

Anglia, Austria, Belgium, Gallia, Germania, Hispania, Hollandia, Hungaria, Italia, Jugoslavia, Lusitania, Scandinavia

EX OCEANIA

Australia, Insulae Oceaniae, New-Zeeland

---

* Hinc explicantur diversitates in redactione.

Commissio de Doctrina fidei et morum

1. Ancel, Ep. Aux. Lyon (Gallia).
2. Butler, Sup. Gen. Congr. Angliae, OSB (Anglia).
3. Heuschen, Ep. Aux. Liége (Belgium).
4. Henriquez, Ep. Aux. Caracas (Venezuela).
5. Calabria, Ar. Benevento (Italia).
6. Granados Garcia, Ep. Aux. Toledo (Hispania).
7. Whelan, Ep. Owerri (Nigeria).
8. Majdanski, Ep. Aux. Wloclawek (Polonia).
9. Buteler, Ar. Mendoza (Argentina).

Commissio de Episcopis ac de Dioecesium regimine

1. Carroll, Ep. Aux. Sydney (Australia).
2. Schick, Ep. Aux. Fulda (Germania).
3. Viola, Ep. Salto (Uruguay).
4. McCann, Ar. Cape Town (South Africa).
5. Cule, Ep. Mostar (Jugoslavia).
6. Santos Ascarza, Ep. Valdivia (Chile).
7. Himmer, Ep. Tournai (Belgium).

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

1. Baudoux, Ar. Saint-Boniface (Canada).
2. De Provenchères, Ar. Aix-en-Provence (Gallia).
3. Ziadé, Ar. Beyrouth Maronitarum (Libanus).

N. B.: Hoc nomen excerptum est ex elencho ab omnibus Ecclesiis Orientalibus exhibito, in quo primum citatur pro hac Commissione.

Commissio de Sacramentorum disciplina

1. Hervas y Benet, Ep. Prael. null. Ciudad Real (Hispania).
2. De Reeper, Pr. Ap. Ngong (Kenya).
3. Taylor, Ep. Stockholm (Svezia).
4. Moors, Ep. Roermond (Hollandia).
5. Neto, Ar. Pouso Alegre (Brasilia).
6. Espino y Silva, Ar. Monterrey (Mexico).

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

1. Gantin, Ar. Cotonou (Dahomey).
2. Rosales, Ar. Cebù (Insulae Philippinae).
3. Rusch, Adm. Ap. Innsbruck (Austria).
4. Nagae, Ep. Urawa (Japonia).
5. Conway, Ar. Primas Armagh (Hibernia).

Commissio de Religiosis

1. Borromeo, Ep. Pesaro (Italia).
2. Stein, Ep. Aux. Trier (Germania).
3. McDevitt, Ep. Aux. Philadelphia (USA).
4. Cordeiro, Ar. Karachi (Pakistan).
5. Salinas Fuenzalida, Ep. Linares (Chile).

Commissio de Missionibus

1. D'Souza Eugenius, Ar. Bhopal (India).
2. Doggett, Vic. Ap. Aitape (Nova Guinea).
3. Amissah, Ar. Cape Coast (Ghana).
4. Schütte, Sup. Gen. Soc. Verbi Divini (S.V.D.).
5. Mojaisky Perrelli, Ar. Nusco (Italia).
6. Mahon, Sup. Gen. Mill Hill.
7. Comber, Ep. Sup. Gen. Maryknoll.

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

1. Jachym, Ar. Coad. Wien (Austria).
2. Maurer, Ar. Sucre (Bolivia).
3. Lane, Ep. Rockford (USA).
4. Corboy, Ep. Monze (North-Rhodesia).
5. Wall, Ep. Brentwood (Anglia).
6. Tortolo, Ar. Parana (Argentina).

Commissio de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

1. Da Silva Ioseph, Ep. Aux. Lisboa (Lusitania).
2. Fernandez-Conde, Ep. Cordoba (Hispania).
3. Babcock, Ep. Grand Rapids (USA).
4. Pessoa Camara, Ar. Aux. Rio de Janeiro (Brasilia).
5. Carter, Ep. Sault Sainte Marie (Canada).
6. Proaño Villalba, Ep. Riobamba (Ecuador).

Secretariatus ad unitatem Christianorum promovendam

1. Hermaniuk, Ar. Winnipeg Ukrain. (Canada).
2. Cantero Cuadrado, Ep. Huelva (Hispania).
3. Helmsing, Ep. Kansas-City (USA).
4. Gran, Ep. Coad. Oslo (Norvegia).
5. Lorscheider, Ep. Santo Angelo (Brasilia).
6. Ramantoanina, Ar. Fianarantsoa (Madagascar).
7. Lamont, Ep. Umtali (South Rhodesia).

8. Primeau, Ep. Manchester (USA).
9. Gouyon, Ar. Coad. Rennes (Gallia).
10. Arrieta Villalobos, Ep. Tilaran (Costa Rica).
11. Leven, Ep. Aux. San Antonio (USA).
12. Pogacnik, Adm. Ap. Liubliana (Jugoslavia).
13. Lazik, Adm. Ap. Trnava (Cecoslovacchia).

EUROPA

Helvetia

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica, vel *Commissio de Missionibus*

Hasler Joseph, Ep. Sangallensis in Helvetia.

Hibernia

Commissio de Doctrina fidei et morum

Philbin, Ep. Dunensis et Connorensis.

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

Conway, Ar. Armachanus.

Commissio de Missionibus

Dooley, Ar. tit. Macrensis in Rhodope.

Polonia et Cecoslovachia

Commissio de Doctrina fidei et morum

R. P. D. Majdanski Casimirus, Episcopus tit. Zorolen., Auxiliaris in Wloclawek.

Commissio de Sacramentorum disciplina

R. P. D. Kalwa Petrus, Episcopus Lublinensis in Polonia.

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

R. P. D. Wojtyla Carolus, Episcopus tit. Ombitanus, Vicarius Capitularis in Kraków.

Commissio de Religiosis

R. P. D. Dabrowski Bronislavus, Episcopus tit. Hadrianotheraeus, Auxiliaris in Warszawa.

Commissio de Missionibus

R. P. D. Kowalski Casimirus, Episcopus Culmensis in Polonia.

Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam

R. P. D. Jaroszewicz Ioannes, Episcopus tit. Letopolitanus, Vicarius Capitularis in Kielce.

R. P. D. Lazik Ambroz, Episcopus tit. Appianus, Administrator Apostolicus in Trnava in Cecoslovachia.

Scotia

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Hornyak Augustine, VT. Ermontis, Gran Bretagna.

Commissio de Sacramentorum disciplina

Scanlan James Donald, VR. Motherwell, Gran Bretagna.

Commissio de Missionibus

Gray Gordon Joseph, AR. St Andrews & Edinburgh, Gran Bretagna.

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

McGill Stephen, VR. Argyll & the Isles, Gran Bretagna.

Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam

Hart William A., VR. Dunkeld, Gran Bretagna.

ASIA

China

Commissio de Doctrina fidei et morum

Chang Vitus, Episcopus tit. Cyanitanus.

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

Kramer Francis Gerard, O.F.M., Episcopus Lunganensis.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Velasco Ioannes B., O.P., Episcopus Sciiamenensis.

Commissio de Sacramentorum disciplina

Cheng Ioseph, O.P., Episcopus Kaohsiungensis.

Commissio de disciplina cleri et populi christiani

Van Melckebeke Carolus, C.I.C.M., Episcopus Nimsciianus.
Boisguerin Renatus, M.E.P., Episcopus Siufuanus.

Commissio de Religiosis

Kuo Ioseph, C.D.D., Archiepiscopus tit. Salaminensis.

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

Cheng Paulus, Episcopus tit. Ucculensis.
Bianchi Laurentius, P.I.M.E., Episcopus Sciiamchiamensis.

Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam

Tou Pao-Zin Petrus, Episcopus Hsinchuensis.

Corea

Commissio de disciplina cleri et populi christiani

Pardy James, Episcopus Cheongjuensis.

Commissio de Seminariis et de studiis

Kongryel Han Petrus, Episcopus Jenjuensis.

Commissio de Missionibus

Henry Harold, Archiepiscopus Kwangjuensis.

Commissio de fidelium apostolatu

Kinam Ro Paulus Maria, Archiepiscopus Seoulensis.

Indonesia

Commissio de doctrina fidei et morum

1. Ancel, Ep. Aux. Lyon (Gallia).
2. Heuschen, Ep. Aux. Liége (Belgium).
3. Bettazzi, Ep. Aux. Bologna (Italia).

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

1. Carroll, Ep. Aux. Sydney (Australia).
2. Schick, Ep. Aux. Fulda (Germania).
3. Viola, Ep. Salto (Uruguay).

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

1. Baudoux, Ar. Saint-Boniface (Canada).
2. De Provenchères, Ar. Aix-en-Provence (Gallia).
3. Ziadé, Ar. Beyrouth Maronitarum (Libanus).

Commissio de Sacramentorum disciplina

1. De Reeper, Pr. Ap. Ngong (Kenya).
2. Taylor, Ep. Stockholm (Svezia).
3. D'Angelo Neto, Ar. Pouso Alegre (Brasilia).

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

1. Gantin, Ar. Cotonou (Dahomey).
2. Rosales, Ar. Cebú (Insulae Philippinae).
3. Rusch, Adm. Ap. Innsbruck (Austria).

Commissio de Religiosis

1. Borromeo, Ep. Pesaro (Italia).
2. Stein, Ep. Aux. Trier (Germania).
3. McDevitt, Ep. Aux. Philadelphia (USA).

Commissio de Missionibus

1. D'Souza Eugene, Ar. Bhopal (India).
2. Van Valenberg, Ep. tit. Comba (Roma).
3. Van Melckebeke, Ep. Ningsia (Cina).

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

1. Jachym, Ar. Coad. Wien (Austria).
2. Maurer, Ar. Sucre (Bolivia).
3. Lane, Ep. Rockford (USA).

Commissio de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

1. Da Silva Campos Neves, Ep. Lamego (Lusitania).
2. Fernandez-Conde, Ep. Córdoba (Hispania).
3. Pessoa Camara, Ar. Aux. Rio de Janeiro (Brasilia).

Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam

1. Hermaniuk, Ar. Winnipeg Ucrainorum (Canada).
2. Cantero Cuadrado, Ep. Huelva (Hispania).
3. Helmsing, Ep. Kansas City (USA).
4. Gran Nicolaysen, Ep. Coad. Oslo (Norvegia).
5. Lorscheider, Ep. Santo Angelo (Brasilia).
6. Ramanantoanina, Ar. Fianarantsoa (Madagascar).
7. Lamont, Ep. Umtali (South-Rhodesia).
8. Primeau, Ep. Manchester (USA).

RITUS ORIENTALES

(Elenchus unicus)

Commissio de Doctrina fidei et morum

Terzian Mesrob (Armenus).

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

Khoreiche Antoine (Maronita).

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Ziadé Ignace (Maronita).
Amadouni Garabel (Armenus).
Rabban Raphael (Chaldaeus).
Scandar Alexandros (Coptus).

Commissio de Sacramentorum disciplina

Jules Georges Kandela (Syrus).

Commissio de Disciplina Cleri et populi christiani

Dachtou Zaya (Chaldaeus).

Commissio de Religiosis

Ghattas Isaac (Coptus).

Commissio de Missionibus

Tawil Ioseph (Melchita).

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

Abed Antoine (Maronita).

Commissio de apostolatu Fidelium etc.

Ayoub François (Maronita).

Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam

Khouri Ioseph (Maronita).
Zoghby Elie (Melchita).
Ganni Gabriel (Chaldaeus).
Bayan Raphael (Armenus).
Kabes Youhanna (Coptus).
Hakim Georges (Melchita).

CONFERENTIA EPISCOPALIS RITUS UCRAINI

Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam

Exc. D.nus Maximus Hermaniuk, Archiep. Metropolit. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada.

Commissio de Doctrina fidei et morum

Exc. D.nus Augustinus Hornyak, Exarcha Apostolicus pro Ucrainis in Anglia.

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

Exc. D.nus Volodymirus Malanczuk, Exarcha Apostolicus pro Ucrainis in Gallia.

CONFERENTIA EPISCOPORUM LATINORUM REGIONUM ARABICARUM

(C.E.L.R.A.)

Commissio de Doctrina fidei et morum

1. Terzian Hesrob, VT. Comana di Armenia.

Commissio de Episcopis et Dioecesium regimine

1. Karroum Ioannes, VR. Hassaké in Siria.
2. Tawil Ioseph, AT. Mira.
3. Khoreiche Antonius, VR. Saida.

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

1. Hubert Amand, VT. Sais.
2. Amadouni Garabel, VT. Amatunte in Cipro.
3. Ziadé Ignatius, AR. Bairut.

Commissio de Sacramentorum disciplina

1. Bakose Athanasius, AR. Bagdad.

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

1. Zayek Franciscus, VT. Callinico.
2. Layek Georgius, AR. Alep.

Commissio de Religiosis

1. Collin Bernardinus, VR. Digne.
2. Ghattas Isaac, VR. Tebe.
3. Anastasius del SS. Rosario, Generale dei Carmelitani Scalzi.

Commissio de Missionibus

1. Comber Ioannes, VT. Foraziana.
2. Schütte Ioannes, Generalis « Verbiti ».
3. Baroni Augustus, VT. Balecio (Sudan).

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

1. Abed Antonius, VR. Tripoli.

Commissio de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

1. Ayoub Franciscus, AR. Alep.
2. Delly Emmanuel, VT. Paleopoli in Siria.
3. Farah Agostinus, VR. Tripoli.

Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam

1. Smith Eustachius, VT. Apamea Ciboto.
2. Khoury Ioseph, VR. Tyr.
3. Hakim Georgius, VR. Akka.
4. Bayan Raphael, VR. Iskandaryeh.
5. Ganni Gabriel, VT. Gargara.

UNIO SUPERIORUM GENERALIUM

Commissio de doctrina fidei et morum

Rev.mus P. Anastasius a Ss. Rosario, Praep. Gen. O.C.D.

Commissio de Episcopis et dioecesium regimine

Rev.mus P. Lucianus Rubio, Prior Gen. Ord. Eremitarum S. Augustini (O.E.S.A.).

Commissio de Ecclesiis Orientalibus

Rev.mus P. Wilfridus Dufault, Sup. Gen. Augustinianorum ab Assumptione (A.A.).

Commissio de Sacramentorum disciplina

Rev.mus P. Gulielmus Gaudreau, Rector Maior Congr. Ss. Redemptoris (C.SS.R.).

Commissio de disciplina Cleri et populi christiani

Rev.mus P. Cornelius Heiligers, Sup. Gen. Soc. Mariae Montfortanae (S.M.M.).

Commissio de Religiosis

Exc.mus et Rev.mus D. Pacificus Perantoni, O.F.M., Archiepiscopus Lancianensis et Ortonensis.

Commissio de Missionibus

Rev.mus P. Ioannes Schütte, Sup. Gen. Soc. Verbi Divini.

Commissio de Sacra Liturgia

Nil.

Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

Rev.mus P. Ioseph Hoffer, Sup. Gen. Societatis Mariae (S.M.).

Commissio de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

Rev.mus P. Möhler Gulielmus, Rector Gen. Soc. Apostolatus Catholici (S.A.C.).

Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam

1. Rev.mus P. Basilius Heiser, Min. Gen. Ord. Fr. Min. Conv.
2. Rev.mus P. Vincentius Tomek, Praep. Gen. Ord. Clericorum Reg. (O.Sch.P.).
3. Rev.mus P. Malcolm La Velle, Praep. Gen. Congr. e Passione D.N.I.C. (C.P.).

15

ELECTI AD SODALIUM COMMISSIONUM CONCILIARIUM NUMERUM AUGENDUM

A – Commissio de Doctrina fidei et morum

	suffragia
1. Exc.mus P. D. Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis	1.491
2. Rev.mus P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congregationis O.S.B.	1.448
3. Exc.mus P. D. Ioseph Heuschen, ep. aux. Leodiensis	1.160
4. Exc.mus P. D. Aloisius E. Henriquez Jimenez, ep. aux. Caracensis	831
5. Exc.mus P. D. Raphael Calabria, arch. Beneventanus	829
6. Exc.mus P. D. Anastasius Granados Garcia, ep. aux. Toletanus	731
7. Exc.mus P. D. Ioannes Majdanski, ep. aux. Voclavensis	503

B – Commissio de Episcopis et dioecesium regimine

	suffragia
1. Exc.mus P. D. Iacobus Carroll, ep. aux. Sydneyensis	1.738
2. Exc.mus P. D. Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis	1.457
3. Exc.mus P. D. Alfredus Viola, ep. Saltensis in Uruguay	1.173
4. Exc.mus P. D. Osvaldus McCann, arch. Civitatis Capitis	960
5. Exc.mus P. D. Carolus Himmer, ep. Tornacensis	717
6. Exc.mus P. D. Petrus Cule, ep. Mandetriensis	537
7. Exc.mus P. D. Ioseph Santos Ascarza, ep. Valdiviensis	308

C – Commissio de Ecclesiis Orientalibus

1. Exc.mus P. D. Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii	1.684
2. Exc.mus P. D. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum	1.677
3. Exc.mus P. D. Carolus de Provenchères, arch. Aquensis	1.323
4. Exc.mus P. D. Raphael Rabban, arch. Cherchensis	226
5. Exc.mus P. D. Garabed Amadouni, ep. tit. Amathusius in Cypro	223
6. Rev.mus P. D. Dufault, sup. gen. A.A.	
7. Exc.mus P. D. Ramón Castellano, arch. Cordubensis in Argentina	216

D – Commissio de Sacramentorum disciplina

1. Exc.mus P. D. Ioannes Hervas y Benet, ep. prael. null. Cluniensis	1.470
2. Exc.mus P. D. Ioannes Taylor, ep. Holmiae	1.463
3. Exc.mus P. D. Petrus Moors, ep. Ruremondensis	1.257
4. Rev.mus P. D. Ioannes de Reeper, praef. ap. de Ngong	1.178
5. Exc.mus P. D. Ioseph d'Angelo Neto, arch. de Pouso Alegre	785
6. Exc.mus P. D. Alphonsus Espino y Silva, arch. Monterreiensis	664

E – Commissio de Disciplina cleri et populi christiani

1. Exc.mus P. D. Bernardinus Gantin, arch. Cotunuensis	1.587
2. Exc.mus P. D. Paulus Rusch, ep. tit. Meloënsis in Isauria	1.510
3. Exc.mus P. D. Iulius Rosales, arch. Caebuanus	1.426
4. Exc.mus P. D. Guillelmus Conway, arch. Armachanus	1.371

	suffragia
5. Exc.mus P. D. Laurentius Satoshi Nagae, ep. Urawaensis	1.043
6. Rev.mus P. D. Cornelius Heiligers, sup. gen. S.M.M.	375
7. Exc.mus P. D. Calderón y Padilla, ep. Matagalpensis	233

F – Commissio de Religiosis

1. Exc.mus P. D. Gerardus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis	1.543
2. Exc.mus P. D. Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis	1.454
3. Exc.mus P. D. Aloisius Borromeo, ep. Pisaurensis	1.240
4. Exc.mus P. D. Ioseph Cordeiro, arch. Karacensis	1.222
5. Exc.mus P. D. Augustus Salinas Fuenzalida, ep. Linarensis	756
6. Exc.mus P. D. Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis	657

G – Commissio de Missionibus

1. Rev.mus P. D. Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.	1.645
2. Exc.mus P. D. Eugenius D'Souza, arch. Bophalensis	1.417
3. Exc.mus P. D. Ioannes Comber, ep. tit. Forazianensis	1.063
4. Exc.mus P. D. Ignatius Dogget, vic. apost. Aitapensis	833
5. Rev.mus P. D. Gerardus Mahon, sup. gen. Mill Hill	831
6. Exc.mus P. D. Ioannes Amissah, arch. Cape Coast	793
7. Exc.mus P. D. Gasto Mojaisky Perrelli, arch. Nuscanus	670

H – Commissio de Seminariis, de studiis et de educatione catholica

1. Exc.mus P. D. Franciscus Jachym, arch. tit. coad. Vindobonensis	1.674
2. Exc.mus P. D. Loras Thomas Lane, ep. Rockfordiensis	1.581
3. Exc.mus P. D. Bernardus Wall, ep. Brentowoodensis	1.150
4. Exc.mus P. D. Ioseph Maurer, arch. Sucrensis	1.050
5. Exc.mus P. D. Iacobus Corboy, ep. Monzensis	840
6. Exc.mus P. D. Adolphus Tortolo, arch. Paranensis	656
7. Rev.mus P. D. Paulus Hoffer, sup. gen. S.M.	438

I – Commissio de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis

		suffragia
1.	Exc.mus P. D. Ioseph Da Silva, ep. aux. Lisbonensis	1.632
2.	Exc.mus P. D. Emmanuel Fernandez Conde, ep. Cordubensis	1.491
3.	Exc.mus P. D. Allen Iacobus Babcock, ep. Grandormensis	1.387
4.	Exc.mus P. D. Helder Pessõa Cãmara, arch. tit. aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii	1.100
5.	Exc.mus P. D. Alexander Carter, ep. Sault Sainte Marie	963
6.	Exc.mus P. D. Proano Villalba, ep. Riobambensis	490
7.	Rev.mus P. D. Villelmus Möhler, rect. gen. S.A.C.	469

L – Secretariatus ad unitatem christianorum promovendam

1.	Exc.mus P. D. Maximus Hermaniuk, arch. Winnipegensis pro Ucrainis	1.641
2.	Exc.mus P. D. Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus S. Iosephi	1.406
3.	Exc.mus P. D. Villelmus Gran Nicolaysen, ep. coad. Osloensis	1.351
4.	Exc.mus P. D. Petrus Cantero Cuadrado, ep. Huelvensis	1.148
5.	Exc.mus P. D. Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis	1.127
6.	Exc.mus P. D. Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus	952
7.	Exc.mus P. D. Gilbertus Ramanantoanina, arch. Fianarantsoanensis	947
8.	Exc.mus P. D. Daniel Lamont, ep. Umtaliensis	911
9.	Exc.mus P. D. Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis	880
10.	Exc.mus P. D. Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii	878
11.	Exc.mus P. D. Ambrosius Lazik, adm. ap. Trnava	727
12.	Exc.mus P. D. Ioseph Pogacnik, adm. ap. Liubliana	502
13.	Rev.mus P. D. Basilius Heiser, min. gen. O.F.M. Conv.	350
14.	Exc.mus P. D. Ioseph Khoury, Ep. Tyrensis Maronitarum	349

16

NUNTIUS PATRUM CONCILII OECUMENICI VATICANI II AD UNIVERSOS CATHOLICAE ECCLESIAE SACERDOTES

Hic nuntius Patribus distributus est in septuagesima octava congregatione generali, die 29 novembris 1963, sed ad sacerdotes missus non est.

Ad exitum vergente altera Concilii Oecumenici Vaticani II Sessione, quae in Ecclesiae mysterio tota versata est, superno Dei afflatu nos impelli sentimus, ut paternis verbis alloquamur vos, sacerdotes nostri carissimi, quod Christus Dominus ad sempiternam salutem hominibus procurandam nobiscum tam arctis vinculis consociavit.

Augusti Pontificis votis obtemperantes, per hoc temporis spatium catholicam de Episcopatu doctrinam altius investigavimus hoc ducti consilio, ut Supremo Ecclesiae Pastori efficaciore ratione adiutricem operam praestaremus. Nunc autem ad proximos episcopalis muneris adiutores sollicitudo nostra convertitur, erga quos, nostrorum officiorum conscientia penitus affecti, paterna effusaque ferimur caritate.

Sacerdotale ministerium vestrum in temporum adiuncta incidit sane ardua, cum in praesens hominum convictus summas experiatur mutationes et ad novas prorsus vitae condiciones progrediatur. Id potissimum testantur: valde numero auctum humanum genus, populorum migrationes, urbes incolarumque sedes in immensum amplificatae, recentiora artium inventa ad agrorum culturam adhibita, productum tempus scholis destinatum, celerrima per universum orbem cuiusvis doctrinae propagatio, atheorum errores tam late apud nonnullas Nationes diffusi.

Gravissimis hisce quaestionibus propositis, quae tam instanter pastorale opus hodie urgent, ad nostrae aetatis necessitatibus aptius consulendum, nihil aliud opportunius nobis videtur, quam universos Catholicae Ecclesiae sacerdotes adhortari ad mirabilem illam unitatem considerandam firmandamque, quae eos cum sacris suis Pastoribus arcte coniungit, quaeque secundum Dei eiusque Ecclesiae voluntatem innititur:

in unitate eiusdem sacerdotii;
in unitate eiusdem divinae missionis;
in unitate eiusdem sanctitatis.

I – Unitas eiusdem sacerdotii

Sacerdotium nonnisi unum est, sacerdotium scilicet Iesu Christi, quia unus est « mediator Dei et hominum homo Christus Iesus » (*1 Tim.* 2, 5).

Iamvero, quoniam Christus sacerdos est, universa quoque Ecclesia, per Baptismum, sacerdotalem huiusmodi dignitatem quodammodo participat.

Attamen ad sacerdotium exercendum Christus Dominus ex Ecclesiae filiis quosdam delegit administros suos, qui pro universo populo Dei ministeria sacra peragerent.

Nos, utpote Apostolorum successores, plane conscii sumus, plenitudinem sacramenti Ordinis, prout a Christo institutum est, nobis, quo die episcopalem consecrationem suscepimus, collatam esse per venerandum manuum impositionis ritum eique annexam Sacramenti formulam.

Ex sacra autem Ordinatione, qua vos ad presbyteratus Ordinem promovimus, originem suam duxerunt sacerdotii vestri character et gratia, ut « providi cooperatores Ordinis nostri » evaderetis.

Huiusmodi sacra vincula, quae vos auctoritati nostrae obnoxios faciunt, et utrosque eidem Pontificis aeterni sacerdotio devinciunt, tam excelsa sint, ut personarum nostrarum humilitatem plane transcendant; eadem enim, cum in sacramento innitantur, ad divinorum mysteriorum ordinem pertinent. Igitur ex christiana doctrina novimus, nos invicem admiranda quadam unitate coniungi, quae ipsis carnis et sanguinis vinculis firmitate dignitateque praestant; ita quidem ut nobis liturgicum sacrae Ordinationis ritum peragentibus hoc modo liceat appellare sacerdotii candidatos: « Filii carissimi, filii dilectissimi ... ».

Ecce vobis proposita arcana illa catholici sacerdotii unitas, quae in Ecclesia viget, et cuius perfectissima forma et origo est ipsa unitas Patris et Filii in Spiritu Sancto.

Ut autem flagrantissimo illi voto Christi Domini satisfaciamus, quod ipse suprema sua sacerdotali praecatione nobis significavit, omnino necesse est, ut hoc unitatis mysterium universas prorsus afficiat necessitudines, quae sive inter episcopos eorumque sacerdotes, sive inter sacerdotes ipsos intercedunt. Necesse etiam est ut haec animorum concordia exterius appareat in mutuis nostris rationibus, ac propterea inter nos magis magisque vigeant et floreant evangelica animi sinceritas, mutua fiducia, mutuum adiutorium, quibus quidem aptius Ecclesiae bono inservire valeamus. Paucis, pastorum unitas ipsius gregis unitatis forma et causa esse debet, « ut omnes unum sint », « ut mundus credat ». Non

enim communis sumus hominum coetus, sed sacerdotalis familia; neque publici administri tantummodo, sed Iesu Christi praecones habendi sumus.

II – Unitas eiusdem divinae Missionis

Non alia divina Missio est, nisi Missio Iesu Christi, qui Dei Patris unigenitus est, et « propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelo et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine ».

Cum autem Iesus Christus, ob huiusmodi divinam Missionem, perfectissimum omnium missionalium exemplum se exhibeat inde sequitur ut universa quoque Ecclesia hoc missionale munus participet. At duodecim Apostolis, sub Petro capite, Christus divinae suae Missionis plenitudinem concredidit, simulque ea omnia, quae ad illud munus explendum sunt necessaria. Nos igitur, vestri Episcopi, circa Petri Successorem congregati, nobis conscii sumus, universos Episcopos, qui communionem plenam cum Christi Vicario habent, in Apostolorum locum succedere ac legitimos esse heredes divinae Missionis, quae a Christo Apostolis demandata est.

Ad vosmetipsos etiam, ob communionem quam nobiscum habetis, praecipuae spectant partes in hac divina Ecclesiae Missione explenda.

Quamobrem in singulis Dioecesibus vestris, velut in tot parvis Ecclesiis, cum vestro Episcopo et sub ipsius auctoritate unum « presbyterium » efficitis. Apud populum, qui Episcopi vestri vigilantiae demandatus est, vos cum ipso communem divinam Missionem habetis, communi labore absolvendam.

Re quidem vera per vos in primis liturgicae actiones et preces peraguntur; per vos Evangelium praedicatur omni creaturae et ubique christiana fides diffunditur; per vos homines, sacramentorum ope, mystico Christi Corpori inseruntur et superna ipsius gratia nutriuntur; per vos denique Crucis Sacrificium cotidie ad altaria nostra mystice renovatur, et christifideles eiusdem participes fieri discunt, totam vitam cuiusque suam offerendo tamquam hostiam viventem, sanctam ac Deo placentem.

Ac praeterea vos penitius cognoscitis necessitates spirituales hominum nostrae aetatis, qui ad res novas continenter nituntur; vos doctrinam, eorum ingeniis aptius accommodatam, traditis; vos egregia incepta in re pastorali suscipitis; vos denique confirmatis et ad actionem exacuitis apostolos ex ordine laicorum, qui possint esse testes Fidei in communitatibus christianis nostris, in omnibus civium ordinibus atque omnibus coetibusque ad varias professiones spectantibus, ubi salus fratrum eorum agitur.

Vestrum ministerium verbi et piae precationis in Ecclesia huiusmodi est, ut nihil in eius locum substitui possit. Nemo alius munus obire potest, quod Deus mandavit vobis, sacerdotii Filii sui vos participes faciens.

Hac de causa nos, Episcopi vestri, vos rogamus, ut plenius in dies celsam vocationem vestram et peculiares necessitates hominum horum temporum agnoscatis. Parati estote Ecclesiae iussa exequi, ut bono communi vestrae cuiusque dioecesis aptius inservire possitis. Cavete ne vestro marte et proprio ducti consilio sacrum ministerium exerceatis, sed curate, ut id ad opus pastorale commune spectet, prout singulorum partes ad unum finem recte disponantur. Ad hoc contendentes, sententiam Episcoporum vestrorum aequamini oportet et conatus vestros cum conatibus societatis sacerdotum, qui una vobiscum in vinea Domini operantur.

Attamen haec addere velimus: studium apostolicum, quo estis incensi, ne finibus circumscribatur dioecesis, ad quam pertinetis. Adiutores enim cum sitis Episcoporum vestrorum, ad vos etiam quodammodo spectant verba, quae a Summo Pontifice Pio XII Episcopis universis adhibita sunt: « Vosmet, quos caritas Christi urget, penitus adstringi nobiscum gravissimo officio sentiatis, dilatandi scilicet Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae » (Litt. Enc. *Fidei donum*).

Hinc fieri potest, ut quis vestrum ab Episcopo compelletur ad relinquendam dioecesim propriam, saltem in aliquod tempus, eo consilio, ut alii dioecesi subveniat.

Omnes tamen vos esse oportet in populo vestro testes Ecclesiae universalis eiusque necessitatum atque dolorum.

Vos oportet animos vestros et christifidelium, quorum curam agitis, sine intermissione convertere ad ingentes necessitates spirituales et corporales horum temporum. Omnium vestrum est vocationes missionales excitare.

Hic ad religiosos quoque sodales mentem convertere placet, qui in nostris dioecesibus non sine magno christiani nominis christianaeque virtutis emolumento ad divinae gloriae incrementum allaborant.

Novimus ex his non paucos, ob praesentes christiani populi necessitates, praeclaris Institutorum suorum promeritis id quoque adicere, ut nempe pastoralem christifidelium curam saepissime suscipiant. Cum hos Evangelii operarios recte ac iure perutiles ministerii nostri adiutores censeamus, ad eos quoque verba nostra pertinere volumus; eosdemque igitur adhortamur ut cum cetero clero studiosam concordemque operam ad sacrum apostolatum conferre pergant, atque, pro condicione cuiusque sua, optata nostra libentes volentesque efficere studeant.

III – Unitas eiusdem sanctitatis

Denique ex sanctitate sacerdotum pendet divina Ecclesiae missio mundique salus. Exinde alia unitatis causa, qua invicem coniungimur.

Revera una tantum est sanctitas, nempe sanctitas Iesu Christi, quemadmodum dicitur: « Tu solus sanctus ... ».

Ecclesia, eo quod est Sponsa Christi, sancta est et singuli eius filii aliquo modo Christi sanctitatis sunt participes.

Tamen, sive nos Episcopi sive vos presbyteri, propter sacerdotium et munus nostrum, maiore sanctimonia ceteris fidelibus antecellere debemus. Nam sanctitas pastorum propria nobis est imposita. Est quidem Episcopus « perfector » praecipuus, quippe qui omnes oves gregis sibi commissi in sanctimoniae semitis ducere debeat, imprimis eos, qui sunt in sortem Domini vocati. Sed sacerdotes, cum sint episcopalis muneris adiutores, gratiam quoque sacrorum Antistitum propriam participant. Sicut Episcopi, et quidem cum illis, ita sacerdotes quoque debent se sanctificare in ministerio pastorali constituti et per ipsum hoc ministerium, id est eo quod, exemplum Boni Pastoris secuti, vitam impendunt pro ovibus suis.

Sanctitas sacerdotalis imprimis spiritum fidei postulat. Cum cultus civilis, ut hac aetate accidit, magis magisque ad technicarum artium rationes conformetur, non erimus testes Christi, e morte resuscitati, nisi ad fontes vivos fidei nos continenter revocaverimus. Precatio sacerdotis nunc quam maxime esse debet contemplativa, quippe quae meditatione Divinarum Scripturarum et studio sacrarum disciplinarum alatur.

Sanctitas sacerdotalis praeterea spem theologicam a nobis postulat.

Sine dubio sacerdotibus nequaquam neglegenda sunt incrementa doctrinae, his temporibus allata, ut Revelationis nuntium disseminent et fines Regni Dei propagent. Nonne renovatio Ecclesiae, a Concilio expetita, eo tendit, ut vires eiusdem Ecclesiae ad condiciones, quibus Evangelium hac aetate est annuntiandum, accommodentur?

Numquam tamen apostoli horum temporum obliviscantur vias Domini non esse vias nostras; sed externa subsidia ad Evangelium docendum esse exigua et lumen Resurrectionis e tenebris montis Calvariae oriri. Etiam in rerum adiunctis, quibus sapientia humana maxime perturbatur, ipsi firmissime fidant Ei cui crediderunt.

Sanctitas demum sacerdotalis caritatem pastoralem postulat.

Cum sacerdos alter Christus sit, eius sanctitas illa virtute fulgeat necesse est, quae discipulorum Christi signum est, ac veluti eorum tessera: caritate scilicet in proximos. « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35).

Quae sententia si ad omnes christianos homines pertinet, at potiore iure in sacerdotes convenit, quibus nullus miseriae locus impervius sit, qui nullum dolorem non leniant, nullam tristitiae umbram non dissipent, quibus denique ipsum officium pascendi gregem Dei, nonnisi officium amoris esse debeat.

Quae quidem eo apertius patent, quod homines nostrae aetatis oportet amorem Dei percipiant per amorem pastorum, qui eis praesunt. Hinc in nostros referamus mores optimam illam normam, a S. Paulo traditam, qui de se ipso asseverabat: « ... omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos » (*1 Cor.* 9, 22).

Hac quidem pastorali caritate impellamur, ut totos nos Domino committamus, atque, exemplum Iesu Christi secuti nihil aliud quaeramus quam voluntatem Patris, ultro libenterque posthabentes utilitates nostras, animi nostri propensiones nostrasque opinationes, immo ipsi felici exitui laboris nostri apostolici renuntiantes, ut opus Christi perficiatur; nam, ut perapte Summus Pontifex Paulus VI nuper asseruit, nos omnes ideo divinitus vocati sumus, ut cum Redemptore nostro coniuncti pro hominum salute veluti amoris et oboedientiae hostias nos voveamus (cf. Ep. Ap. *Summi Dei Verbum*).

Ut autem haec pastoralis caritas pergat in exemplum fervida, experrecta, operosa atque frugifera, omnia gratiae subsidia adhibenda sunt, quae eidem custodiendae alendaeque omnino sunt necessaria. Quibus subsidiis neglectis, non solum robur et fructus deerunt pastoralis laboris, sed etiam sensim animus sacerdotis defervescet, nec diu satis cavere poterit a periculis, quae in pastoralis ipsa caritatis perfunctione latent. Quare noster in animarum salutem labor tamdiu utiliter impendetur, quam diu ab animo vere sacerdotali proficiscetur, quamdiu scilicet alienae salutis studium calebit, studio intimae propriae perfectionis innutritum. Quae intima animae perfectio una nos efficiet, quales pastoralis labor exposcit, ministros Dei videlicet ad caelestia unice spectantes, ut et alios eodem adducere omni ope contendant. Nos efficiet homines mundo crucifixos et quibus mundus ipse, crucifixus est, ut fideles ex nostro exemplo discant in rem deducere Christi mandatum conditionemque ab ipso latam: « Si quis vult post me venire abneget semetipsum » (*Mt.* 16, 24).

Efficiet etiam ut in nobis intemerata semper floreat castitas, cuius nitore sacerdos, angelorum instar in terris vivens, apud populum varia sacerdotii munia augustiora faciat et plena veneratione. Efficiet denique, quod hodie maximi momenti est, ut sacerdos, sicut Christus, sit pater pauperum et amator paupertatis; atque adeo cum auctoritate loqui valeat ad innumeras illas tenuioris fortunae multitudines, quae in summo ver-

santur Fidei discrimine: turbae, quae olim « Iesum sequebantur, ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis » (*Lc.* 6, 18), nunc autem ab eo recesserunt, aliosque sequuntur, sane caecos et duces caecorum.

Habetis iam, sacerdotes dilectissimi, ea breviter commemorata, quae nobis magnopere conferre videntur ad nostri ordinis unitatem roborandam, et ad sublimem vitae sacerdotalis imaginem illustrandam. Quae omnia vobis testentur, quanta sollicitudine adiutricem vestram operam consideremus atque aestimemus. Novimus qua providentia, qua navitate in excolendo ad virtutem christiano populo connitamini. Novimus etiam multiplices anxietudinis et maeroris causas, quae vos angunt, ob tot Christi asseclas, qui ethnicorum more vitam degunt; ob rerum penuriam, qua tot salutaria incepta maiora incrementa capere non possint; ob exiguum operariorum evangelicorum numerum, multis in locis necessitatibus succrescentibus imparem; ob arduas difficultates et aerumnas, quibus in frequentibus civitatibus, in pagis, in longinquis solitariisque vicis, in regionibus missionalium apostolatui concreditis, animarum cura agitur. Utinam verba nostra omnibus hisce Evangelii operariis salutari incitamento sint, ac solacium afferant sacerdotibus infirmis, senio confectis, dolore quoquo modo laborantibus, persecutiones pro Christo patientibus. De eorum sollertia iisdem non tam laudes impertire, quam effusas gratias palam habere exoptamus.

Ac liceat animum nostrum ad eos quoque sacerdotes patere, qui a paterna domo infeliciter desciverunt; scimus hos devios filios plerumque commiserandos magis quam damnandos esse; ac propterea eos certiores facere cupimus, nos alere spem de ipsorum reditu atque pro eis interea numquam preces Deo fundere cessaturos.

Sacerdotes nostri dilectissimi! Iter quod terendum vobis monstravimus, arduum sane est; sed animum ad certissimae victoriae spem erigite, quia non nostra, sed Iesu Christi causa agitur. Ipse igitur semper nobiscum erit. Quomodo Redemptor noster, qui dives est in omnes qui invocant illum, non praedives erit in sacerdotes suos, tribuens fortitudinem militantibus, auxilium periclitantibus, solacium afflictis, lumen errantibus, misericordiam poenitentibus, victoriam perseverantibus?

Faveat precibus et hortamentis nostris benignissimus Christus Dominus, intercedente Deipara Maria Virgine Apostolorum Regina; atque clemens et propitius id nobis concedat, ut quos in terris voluit sacerdotalium munerum socios, eos etiam caelestis praemii participes sibi in aeternum coniungat.

17

RELATIO

QUAM, IN CONVENTU EM.RUM CARDINALIUM CONSILII PRAESIDENTIAE COMMISSIONIS DE NEGOTIIS CONCILII COORDINANDIS ET MODERATORUM CORAM SS. D. N. PAULO PP. VI IN AEDIBUS VATICANIS HABITO DIE 15 NOVEMBRIS 1963, LEGIT E.MUS CARD. IACOBUS LERCARO MODERATOR; QUAEQUE ADPROBATA, EX VOTO PATRUM, PATRIBUS OMNIBUS COMMUNICATUR

Distributa est Patribus in septuagesima nona congregatione generali, die 2 decembris 1963.

Beatissime Pater,

Ea quae praecipua manifeste patent in labore quem secunda sessione Concilii iam perfecimus omnibus nota sunt. Satis igitur est breve summarium delineare:

1. Quinque schematum quae secundae sessioni proposita sunt duo tantum omni ex parte pertractata sunt: id est schema *de Ecclesia* et schema *de Episcopis et de regimine dioeceseon.*

2. Schema *de Beata Virgine Maria* maiori paucis sententiis parti Patrum visum est ad Commissionem remittere ut in schema *de Ecclesia* extremum caput includeretur, secundum congruentem cohaerentemque de Ecclesia rationem. Id nondum in promptu est quod disputetur, etiam propter magnam molem laboris quae uni Commissioni de Doctrina committitur.

3. Reliquorum schematum *De Oecumenismo* et *De Apostolatu Laicorum,* quae ne delibata quidem sunt, alterum, evidentiorem nexum habet cum praecipuis schematis *De Ecclesia* partibus et ad principia ipsa pertinet quae magis propria sunt Concilii Oecumenici propter quaestionum subtilitatem et propter earum perennem vim; alterum, quamquam nodos in agendo difficiles et graves spectat, aspectus habet et partes quae magis sunt descriptivae, ad principia minus pertinent et magis sunt temporibus temporumque mutationibus conexae. Id est cur in oeconomia et aequabilitate laboris, quem ad hoc tempus perfecimus, schema *De Oecumenismo* praecedere voluimus.

4. In Generalibus Congregationibus mensis octobris decem fere relationes de schemate *De Liturgia* lectae sunt et ad hoc quinque et sexa-

ginta suffragia tulimus non omnia tamen propositionibus faventia. Capita secundum et tertium rursus Congregationi proponenda erunt ut « modi » probentur. Hic exitus (in universum positivus quod propositiones latae plerumque acceptae sunt, ea interdum condicione ut quodammodo perficerentur) gravem nodum patefecit in ordine procedendi, a quo pendet maior vel minor celeritas et perspicuitas laboris futuri: melius enim ita patuit confusiones et graves moras existere posse si Commissiones, validis etiam de causis, in locis magis dubiis et controversis unum tantum textum sine optione offerant et emendationes magni momenti a Patribus latas ipsae aboleant. Inde postulatus et flagitationes aliquorum Coetorum Episcoporum ut posthac Commissiones, iuxta *Ordinem Concilii,* emendationes ordinent et perpendant, non suo arbitrio absumant, ita ut Congregationi Generali emendationes comparare et legere et decernere concedatur.

I

Laborem, quem usque ad hoc tempus fecimus, existimare aliquo modo possumus? Primum laboris molem perpendere possumus?

Secunda sessione ineunte multi solliciti erant de laboris rhythmo praesertim Congregationis Generalis. Primis tamen diebus patuit Concilium celerius quam in prima sessione procedere posse. Dici enim non potest nimium tempus consumptum esse in quaestionibus disputandis quae tanti sunt momenti ut illae *De Ecclesia*:

— disputatio *De Ecclesia* in universum: unus dies consumptus est et diei dimidium;

— disputatio de primo capite: *De mysterio Ecclesiae*: tres dies et diei dimidium;

— disputatio de secundo capite *De Hierarchia*: septem dies (immo, si tempus deducitur quod in relationibus consumptum est et in suffragiis ferendis, sex dies).

Si nostros cum Vaticani Primi laboribus comparamus, in quo tertia pars aderat tantum Patrum qui nunc sunt, multum praevalet Vaticanum Secundum.

Visum autem est Concilium morari in duobus capitibus disputandis *De populo Dei* et *De vocatione ad sanctitatem*: et vere celerius procedere poterat. Haec mora — qua fortasse paucos vere dies consumpsimus — multis Patribus suasit ut quaedam de properandis laboribus proponerent. Ordini tamen Concilii immutationes allatae non sunt (quae ad hoc tempus minime opportunae videntur): promptius et frequentius tantum in dies Moderatores articulo eiusdem Ordinis 57 § 6 usi sunt. Quod satis fuit.

Disceptatio de schemate *De Episcopis* etiam in difficilioribus quaestionibus magnique momenti non amplius quam tres circiter dies pro singulo capite protracta est.

Si maiori celeritati studeremus, cum parum temporis lucraremur tum disceptatio coarctata raptimque facta videretur: neque sententia cum sententia conferretur atque accommodaretur, id quod saepe per dicta repetita melius fit.

Ceterum non parvus est numerus Patrum qui saepius nomen dederunt ut loquerentur neque potuerunt loqui propter supradicti articuli 57 § 6 usum.

Ipsa tamen Congregatio Generalis valide ac firmiter Moderatorum nisus fovet, ut disceptationes breviores efficiantur.

Iam haud lati videntur fines in quibus labor in Congregationibus Generalibus celerior fiat. Iam res pendet magis fortasse ex rhythmo laboris Commissionum: cuidam Commissioni re vera nimiae provinciae et officia competunt. Res vero haud minus pendet ex obsequio et expeditiore accommodatione Commissionum ad mentem Congregationis Generalis, iuxta illarum naturam ministerialem et munus servitii relate ad Congregationem Generalem. Quae omnia servari possunt magno cum incremento actionis conciliaris si eadem methodo — id quod multi Coetus Episcoporum suis votis expetierunt — in posterum utemur qua usi sumus in conclusione disceptationis capitis secundi schematis *De Ecclesia* et quae expoliri poterit: id est enucleare cura Moderatorum, qui labores Congregationis Generalis dirigunt, cuiusvis disceptationis quaestiones maiores et proponere quaesita, in quibus summa disceptationis collecta sit et regulae indicativae Commissionibus exhibeantur.

II

Si autem *qualitatem* laboris perpendere volumus huius secundae sessionis dicere possumus nos nimium in labore etiam nunc mergi ut iudicium, non sensum tantum, exprimamus. Mihi tamen videntur duae potissimum Concilii secundae sessionis inclinationes satis constare:

a) Patrum spiritus gradatim sed assidue magis magisque in dies universalis et vere catholicus fit; omnes fere Patres crebrius notitiis atque iudiciis dandis recipiendisque (ut Concilium in Aula et extra Aulam permittit) assequuntur notionem — in dies magis universalem et altam et cum nostra aetate congruentem — de problematibus quae Christifideles et homines toto orbe terrarum solvere debent. Nos fortasse nondum plene intelleximus unitatem et varietatem omnium nostri temporis no-

dorum atque difficultatum; sed animorum crescit motus ut particulares quaestiones minus considerentur et singulorum locorum mentes propriae aliquo modo tenuentur, ut contra in modum magis universalem et varium distinctumque Ecclesiae structurae et eius toto orbe agendi rationes considerentur.

Hoc tamen initialis tantum voluntas forsitan sit et praeliminaris propensio, quae satis non valeat in distinctis et certis electionibus faciendis: magis nobis enitendum erit ne omnes res omnium Christianarum communitatum in omnibus continentibus antiquarum vel recentiorum uno eodemque modo iudicemus atque suscipiamus: nobis magis magisque praeferendum erit ita quaestiones expedire ut melius et distinctius nos rebus singularum gentium et locorum accommodare possimus.

b) Universus Episcopatus firmissimum unanimumque sensum ostendit unitatis et obsequii Romano Pontifici. His enim diebus quibus difficillima et gravissima themata tractata sunt de Ecclesiae ratione et hierarchiae structura, et in comprehensibili sententiarum varietate (quae tamen complementum, alia alterius, potius quam contrapositum esse saepius videntur) nullum discidium exstitit. Immo videmur nos dicere posse quaestiones ipsas, de quibus magis disputatum est, utiles fuisse ut evidentius emineret quam longinquae et praeteritae vere essent opiniones illae quae quibusdam Ecclesiae Occidentalis recentioribus temporibus floruerunt. Ad hunc exitum multa magno adiumento fuerunt: id est processus doctrinae et conscientiae catholicae in saeculo duodevicesimo ita ut Vaticani primi definitiones praepararentur nec non definitiones ipsae Vaticani primi de Primatu Romani Pontificis, quibus in hac Sacrosancta Synodo Episcopatus universus *fortiter et sincere* adhaerere gloriatur.

Haud minus autem ad hoc contulit, etiam nunc confert et magis in dies conferet, quod Ecclesiae conscientia et cor dilatatur in sensum et firmam voluntatem missionariam: haec Ecclesiae Catholicae dilatatio ultra praeclaras sed adhuc angustas Occidentis Communitates, contrarium aetati nostrae efficit reditum ad doctrinas vel res proprias temporum quae omnino praeterita sunt (huius nostrae aetatis enim propriae esse non possunt eae voluntates Romae adversantes quae gallicanismus et iansenismus transalpinus vel iansenismus italicus fuerunt, quae nihil commune habent cum sententiis quae Patres his diebus nostro Concilio defenderunt).

Haec enim omnia a caelo Ecclesiae evanuerunt et contra magis in dies eius universalis missio panditur.

Ad quam diaconiam adimplendam Episcopi ponere volunt cum sollicitudinem suam tum summam potestatem sanctificandi, docendi et gubernandi, quas ipsi, una cum traditione tota, sciunt se accipere a Spiritu

Sancto Qui eos ad regendam Ecclesiam Dei posuit, quas autem sciunt etiam se non posse exercere nisi in communione cum Petri Successore et sub Eius ductu et apostolica auctoritate.

IACOBUS Card. LERCARO, *Relator*

NB. - A die 29 septembris ad diem 15 novembris locum habuerunt Congregationes Generales n. 32.

18

INTIMATIO

per cursores facienda, domi dimisso exemplari

Feria IV, 4 decembris 1963, *hora nona,* habebitur Prima [1] Sessio Publica Concilii Oecumenici Vaticani II.

E.mi et Rev.mi DD. Cardinales, induti vestibus laneis violaceis cum mantelleto ac mozetta, et calceis rubris, ad Aulam II Borgianam accedent, ibique supra rochetum (et si sint ex Ordine Episcoporum etiam supra superpelliceum) assument amictum et paramenta suo Ordini propria albi coloris (videlicet: Episcopi pluviale ex tela argentea simplici, et formali; Presbyteri casulam opere phrygio ornatam; ex Ordine Diaconorum dalmaticam similiter confectam et ornatam) et mitram serico-damascenam; deinde in Aula Paramentorum convenient et Summi Pontificis adventum exspectabunt, accessuri cum Eo ad Basilicam Vaticanam.

Cappellani Caudatarii induent superpelliceum cum vimpa, supra consuetam croceam et vestem violaceam.

Exc.mi DD. Patriarchae sacra paramenta assument in prima Aula Borgiana, Auditores Rotae, Clerici R. Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae superpelliceo se vestient in Aula prima Paramentorum.

Omnes vero Primates, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates pluviale induent in ambulacro Iuliano (Galleria delle Lapidi), reliqui Patres in eodem ambulacro proprias vestes chorales assument.

Praelati et alii Officiales Cappellae Papalis, vestibus respective sibi debitis induti, in Aula Ducali sistent.

Omnes praedicti Patres, Praelati et Officiales, praeter E.mos Cardinales et Exc.mos Patriarchas, sollicite et ordinate pergent per atrium ad Basilicam Vaticanam propria subsellia adepturi.

---

[1] Reapse, in ordine sessionum publicarum Concilii, est tertia.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis cum mitra pretiosa, Se conferet in Paulinum Sacellum, comitantibus E.mis Cardinalibus et Patriarchis, in quo adorato Augustissimo Sacramento sollemniter exposito, hymnum « Ave, maris stella » intonabit, et absoluto primo versu, gestatoria sella in Basilicam Vaticanam evehetur.

Sanctissimus Pater cum Basilicam ingressus fuerit e sella gestatoria descendet, accedet ad altare et adsistet Missae lectae ab E.mo Cardinali S. Collegii Decano celebrandae.

Tunc praestabitur obedientia a Patribus conciliaribus, et deinde servetur methodus pro approbatione decretorum Concilii.

Quibus absolutis Sanctitas Sua solemnem impertietur benedictionem.

Intimentur itaque omnes et singuli E.mi DD. Cardinales, Exc.mi Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, nec non Abbates et supremi Moderatores Ordinum et Congregationum ex Apostolica concessione locum in Concilio Vaticano II habentes.

Insuper intimentur Vice-Camerarius, Principes solii Concilii custodes, Auditor et Thesaurarius Generalis R.C.A., Praefectus Palatii Apostolici, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, Auditores R. Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae, Officiales Concilii; ceterique intimari soliti, qui suis locis praesto esse debent *hora* saltem *octava cum dimidio.*

De mandato Sanctissimi D. N. Papae

✠ Henricus Dante, Archiep. Carpasien.
Apost. Caerem. Praefectus

PROCESSUS VERBALES
CONGREGATIONUM GENERALIUM

XXXVII-LXXIX

PROCESSUS VERBALES
CONGREGATIONUM GENERALIUM

XXXVII

Congregatio generalis tricesima septima habita est die 30 septembris 1963, feria II, hora nona ante meridiem. Interfuerunt 2.227 Patres, nempe 66 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 380 archiepiscopi, 1.611 episcopi, 7 abbates nullius, 13 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 77 superiores generales.

Exc.mus P. D. Ioannes Villot, subsecretarius, Patres rogavit ut S. Missae liturgiae choraliter, lente et graviter, respondere faverent.

S. Missa de Spiritu Sancto, ritu ambrosiano, ab exc.mo P. D. Ioanne Colombo, arch. Mediolanensi, celebrata est. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Confirma hoc Deus* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Extra omnes,* ac deinde S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres canunt *Credo...*

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit. Secretarius generalis, ex ambone, nomine consilii praesidentiae, Patribus proposuit nuntium mittendum ad Summum Pontificem. Omnes Patres plauserunt.

Dein praecipuas immutationes, in *Ordinem Concilii celebrandi* inductas, significavit et Patres praesertim admonuit de a. 57 §§ 2, 3, 4.

Insuper hortatus est eos, qui loqui desiderabant, ut iuxta a. 33, suae orationis summam, immo integram orationem, secretariae generali traderent; atque rogavit illos, qui nomine aliorum loquebantur, ut ipsorum nominum indicem praeberent.

Item annuntiavit telephonium, quod est prope microphonium, sonitus emissurum post octo minuta, ita ut Pater posset animadvertere tempus sibi concessum ad finem vergere. Patres monuit de secreto servando atque communicavit nullos alios peritos amodo electum iri.

Tandem annuntians disceptationis initium circa schema *de Ecclesia* generatim sumptum, Patres rogavit ne de argumentis singulis agerent.

Huiusmodi monita ab exc.mis subsecretariis repetita sunt linguis hispanica, gallica, anglica, germanica, arabica.

Em.mus moderator card. P. D. Gregorius Petrus Agagianian coetum salutavit, et secretarius generalis legit nomina Patrum, qui circa schema *de Ecclesia* in genere loqui postulaverant.

Relationes super schema habitae sunt ab em.mis cardd. PP. DD. Alfredo Ottaviani, praeside commissionis de doctrina fidei et morum, et Michaele Browne, eiusdem commissionis vice praeside.

Relationibus expletis, ad loquendum a moderatore vocati sunt: em.mi cardd. PP. DD. Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Ioseph Siri, arch. Ianuensis; beat.mus Ignatius Petrus XIV Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus, Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Petrus Martinus Ngo-dinh-Thuc, arch. Hueensis, Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis.

Hora 12,16 moderator intimavit proximam congregationem generalem, die subsequenti habendam, hora 9, et Patres admonuit de suffragatione peragenda, in proxima congregatione, circa schema *de Ecclesia* in genere.

Secretarius generalis rogavit Patres, qui locuti erant, ut suae orationis textum duplici exemplari exhibere vellent. Item invitavit Patres, qui illa die prima vice interfuerant congregationi, et ideo locum proprium in aula non habebant, ut nomina sua centro mechanographico patefacerent.

Durante congregatione distributae sunt imagines cum precibus ante congregationem dicendis; *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* (editio altera recognita), Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,20 S. Evangelii codice reposito, em.mus card. Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio clausa est.

XXXVIII

Congregatio generalis tricesima octava habita est die 1 octobris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.280 Patres, nempe 64 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 395 archiepiscopi, 1.645 episcopi, 7 abbates nullius, 7 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioanne Carolo McQuaid, arch. Dublinensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O memoriale* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Perosi), *Panis angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Extra omnes,* et exc.mus P. D.

Philippus Nabaa, arch. Beritensis et Gibailensis Melchitarum S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum Patres et chorus alternatim canunt *Christus vincit* cum Ps. 116.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, precem *Adsumus...* recitavit. Secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen moderatoris, em.mi card. P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et legit nuntium (telegramma), quo exc.mus P. D. Ioseph Mancuso, adm. ap. Mazariensis, significabat exc.mum Ioachim Di Leo, arch. Mazariensem, morientem dolores pro felici laborum exitu offerre et preces postulare. Unde proposuit responsum gratum mittere cum promissione precum.

Deinde legit nomina eorum, qui adhuc circa schema *de Ecclesia* in genere loqui postulaverant.

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis; exc.mi PP. DD. Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Primus Gasbarri, ep. aux. Veliternus, Leo Elchinger, coad. Argentinensis, Armandus Fares, arch. Catacensis-ep. Squillacensis, Hadrianus Djajasepoetra, arch. Djakartanus.

Hora 10,45 secretarius generalis rogavit omnes Patres ut ad sua loca redirent, ut suffragatio circa schema *de Ecclesia* in genere peragi posset.

Postea disceptatio prosecuta est et locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Guffens, ep. tit. Germanicianensis, Iucundus Grotti, prael. null. Acrensis et Puruensis, Sergius Méndez Arceo, arch. Cuernavacensis, et em.mus card. Michael Browne.

Hora 10,59 secretarius generalis admonuit Patres in secunda Concilii periodo iisdem frui privilegiis ac in prima, et illustravit modum suffragii ferendi super quaestionem: « Placetne schema *de Ecclesia* generatim vel globatim sumptus, ita ut transitus fiat ad capita singula examinanda ». Huiusmodi monitum a subsecretariis repetitum est linguis gallica, anglica, germanica, arabica, hispanica.

Hora 11,24 secretarius generalis annuntiavit exc.mum P. D. Thomam Pothacamury, arch. Bangalorensem, Romae morti proximum, Patrum preces postulare. Insuper communicavit congregationes generales omnibus diebus habitum iri, praeter sabbatum et dominicam, et ex ordine tractatum iri schemata *de Ecclesia, de B. M. V. Matre Ecclesiae, de episcopis et dioecesium regimine, de apostolatu laicorum, de oecumenismo.*

Hora 11,51 secretarius generalis annuntiavit exitum suffragationis

circa schema *de Ecclesia* in genere: praesentes votantes 2.301, *placet* 2.231, *non placet* 43, vota nulla 27, quorum 3 *iuxta modum.* Itaque schema admissum est ad ulteriorem disceptationem. Dein legit notulam ab em.mo card. P. D. Michaele Browne, schematis relatore, exaratam.

Hora 11,54 moderator ad loquendum vocavit em.mum card. P. D. Ernestum Ruffini, arch. Panormitanum, et exc.mum Carolum Aramburu, arch. Tucumanensem.

Hora 12,13 reposito S. Evangelii codice, em.mus card. Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio finita est.

XXXIX

Congregatio generalis tricesima nona habita est die 2 octobris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.289 Patres, nempe: 63 cardinales, 5 patriarchae, 11 primates, 392 archiepiscopi, 1.651 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 62 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Exc.mus P. D. Thomas Cooray, arch. Colombensis, S. Missam de Spiritu Sancto, ritu romano, celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Laudate Dominum* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ecce panis angelorum* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Extra omnes,* et exc.mus P. D. Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen moderatoris, em.mi card. P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et Patres rogavit ut mitterent ad secretariam generalem petitiones loquendi circa caput II schematis *de Ecclesia.* Deinde nomina legit eorum, qui circa eiusdem schematis introductionem et cap. I loqui petierant.

Exc.mus P. D. Ioannes Villot, subsecretarius, nuntium legit, quem Concilii auditores ad Patres miserant.

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; exc.mi PP. DD. Ioannes Abasolo y Lecue, ep. Vijayapuramensis, Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis, Carolus de Provenchères, arch. Aquensis, Anastasius Granados, aux. Toletanus, Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Felix Romero, ep. Giennensis, Aloisius Carli, ep. Si-

gninus, Villelmus Brasseur, vic. ap. Montanus, Alfredus Ancel, aux. Lugdunensis, Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Iesus Enciso, ep. Maioricensis, Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis; rev.mus P. Christophorus Butler, abb. primas Congregationis Anglicae O.S.B.

Hora 12,02 secretarius generalis, nomine consilii praesidentiae, monuit Patres ut quantum possibile suis locis manerent.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, S. Evangelii codice reposito, preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et secretarius generalis proximam congregationem generalem indixit, die subsequenti, hora 9 habendam. Congregatio hora 12,06 finita est.

XL

Congregatio generalis quadragesima habita est die 3 octobris, feria V, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.262 Patres, nempe: 63 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 384 archiepiscopi, 1.631 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioanne B. Zoa, arch. Yaundensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Adoramus te, Christe* (Palestrina), *Sanctus* et moteto *Duo Seraphim* (T. L. de Victoria), *Domine non sum dignus* (T. L. de Victoria).

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis ab exc.mo P. D. Ioanne Villot, arch. tit. Bosporano, facta est, dum chorus et Patres alternatim cantant *Magnificat.*

Intimatione facta: *Exeant omnes,* em.mus P. D. card. Eugenius Tisserant precem *Adsumus...* recitavit. Secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, proclamavit nomen moderatoris, em.mi card. P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Deinde legit nomina eorum, qui loqui petierant circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia.*

Ex ordine ad loquendum a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Beniamin de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Carolus Confalonieri, Paulus M. Richaud, arch. Burdigalensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Augustinus Bea; exc.mi PP. DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Geraldus de Proença, arch. Adamantinus, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, Abilius Del Campo, ep. Calaguritanus, Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Antonius Pildáin, ep. Canariensis, Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis, Ioannes Heenan, arch. Westmonasteriensis, Felix Scalais, arch. Leopoldpolitanus, Gerardus van Velsen, ep.

Kroonstadensis, Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis, Ioseph Martin, arch. Rothomagensis.

Hora 12,01 secretarius generalis, de mandato consilii praesidentiae, admonuit omnibus, in Concilio partem habentibus, omnino prohibitum esse Patribus vel peritis libros, folia vel textus quoscumque, sine expressa permissione distribuere. Item communicavit diebus subsequentibus distributum iri emendationes circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* ita ut hebdomada sequenti suffragatio incipi posset.

Reposito S. Evangelii codice, moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,05 finita est.

XLI

Congregatio generalis quadragesima prima habita est die 4 octobris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.256 Patres, nempe: 61 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 380 archiepiscopi, 1.628 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missa de festo S. Francisci Assisiensis, primarii Italiae patroni, celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Francisco Filippini, ep. tit. Thinisensi in Numidia, vic. ap. Mogadiscioensi, qui celebraverat 50 anniversarium ordinationis suae sacerdotalis et suae commorationis in Missionibus Africae. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Domine exaudi* (Bartolucci), *Benedictus qui venit* (Bartolucci), *O sacrum convivium* (Bartolucci).

Missa expleta, exc.mus P. D. Ioannes Krol, arch. Philadelphiensis Latinorum, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, Patribus cantantibus *Salve Regina.*

Prece *Adsumus...* recitata, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Exeant omnes.* Ex ambone, proclamavit nomen moderatoris, em.mi card. P. D. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit distributum iri emendationes circa cap. II schematis *de sacra Liturgia*: « De sacrosancto Eucharistiae mysterio », de quibus suffragationem factum iri inde a feria II sequentis hebdomadae.

Dein legit nomina eorum, qui adhuc circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia,* et eorum, qui circa cap. II loqui petierant.

Ad loquendum de introductione et cap. I ex ordine a moderatore vocati sunt: em.mus card. P. D. Petrus Gerlier, arch. Lugdunensis; exc.mi PP. DD. Antonius Grauls, arch. Kitegaensis, Mauritius Bau-

doux, arch. S. Bonifatii, Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis, Ioseph Marling, ep. Civitatis Jeffersonensis, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis.

Hora 10,36 em.mus card. P. D. Michael Browne disceptationem circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia* clausit, et hora 10,39 initium habuit disceptatio circa cap. II.

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Antonius Bacci; exc.mi PP. DD. Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, Raphael De Castro, arch. Granatensis, Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus, Carolus Saboia, ep. Palmensis.

Interim Patribus distributus est fasciculus: *Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae*: cap. II, *De sacrosancto Eucharistiae mysterio,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Moderator intimavit proximam congregationem generalem feria II, die 7 octobris, hora 9, habendam, et ad loquendum vocavit exc.mum Philippum Pocci, aux. em.mi card. Micara, vicarii in Urbe, ut illius nomine verbum faceret.

Deinde secretarius generalis, quibusdam interrogantibus, significavit monitum, hesterna die datum, de non distribuendis foliis vel textibus Patribus sine licentia consilii praesidentiae, valere tantum in aula.

Praeterea communicavit distributum iri, proxima hebdomada, novum elenchum Patrum conciliarium, et inde a feria III proximae hebdomadae sedes, Patribus assignatas in aula, fore mutandas ut praecedentiae ordo rite servaretur. Secretarii generalis monitum a subsecretariis translatum est in linguam hispanicam, gallicam, anglicam, germanicam, arabicam.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,12 finita est.

XLII

Congregatio generalis quadragesima secunda habita est die 7 octobris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.274 Patres, nempe: 66 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 379 archiepiscopi, 1.646 episcopi, 9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa de festo B. M. V. a Rosario celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Petro Théas, ep. Tarbiensi et Lourdensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Ave Maria* (ant. ad offert., modo gregoriano), *Pange lingua* (Bartolucci), *Ave verum* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus secretarius generalis Concilii, P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, intimavit: *Exeant omnes*. Inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Villelmo Kempf, ep. Limburgensi, dum omnes canunt *Salve Regina,* modo gregoriano.

Prece *Adsumus*... recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et monuit Concilii peritos et officiales ne grave haberent si quandoque, ex necessitate, vigiles eorum documentum permissionis sessionibus adsistendi peterent.

Dein ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis; beat.mus P. D. Maximus IV Saigh (qui lingua gallica usus, sed eius oratio statim in linguam latinam versa est); exc.mi PP. DD. Petrus Massa, ep. Naniamensis, Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, Carmelus Zazinović, ep. tit. Lebessenus, Georgius Beck, ep. Salfordensis, Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis.

Hora 12,12 moderator monuit die sequenti suffragationem factum iri de emendationibus super cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus*..., *Angelus*... recitavit, et congregatio clausa est.

XLIII

Quadragesima tertia congregatio generalis habita est die 8 octobris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.291 Patres, nempe: 61 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 390 archiepiscopi, 1.653 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 61 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

S. Missa celebrata est iuxta ritum Ecclesiae Syro-Antiochenae, ab em.mo P. D. Ignatio card. Tappouni, patr. Antiocheno Syrorum, lingua aramaica et arabica; *Credo* autem, *Sanctus* et *Pater noster* recitata sunt ab omnibus lingua latina. Alumni Pontificii Collegii Urbaniani de Propaganda fide exsecuti sunt Missae cantus. Explanatio Ordinis Missae

— cuius opusculum omnibus antea distributum fuerat — facta est ab exc.mo P. D. Ignatio Mansourati, arch. tit. Apameno in Syria.

Expleta Missa, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Exeant omnes*. Inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Athanasio Bakose, arch. Babylonensi Syrorum.

Prece *Adsumus*... recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen moderatoris, em.mi card. P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et legit nomina eorum, qui circa cap. II schematis *de Ecclesia* loqui petierant. Deinde illustravit modum suffragationes peragendi circa emendationes cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Em.mus card. P. D. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, legit relationem generalem de iis, quae a commissione conciliari de sacra Liturgia peracta sunt ad Patrum emendationes expendendas et textum constitutionis emendandum.

Exc.mus P. D. Iesus Enciso Viana, ep. Maioricensis, relationem legit circa emendationes ad cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Tandem secretarius generalis textum legit primae emendationis, de qua suffragatio facienda erat.

Interim prosecuta est disputatio de cap. II schematis *de Ecclesia.* Ex ordine ad loquendum a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Beniamin de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, et Valerianus Gracias, arch. Bombayensis.

Tunc moderator annuntiavit secundam emendationem ad cap. II *de sacra Liturgia* suffragandam, et secretarius generalis legit textum.

Idem moderator monuit Patres ne praetergredirentur limites temporis et argumenti, omittendo repetitiones de iam dictis.

Prosecuta est disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia* et locuti sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus, et Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Dein moderator annuntiavit tertiam emendationem ad cap. II schematis *de sacra Liturgia,* cuius textus a secretario generali lectus est.

Prosecuta est disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia,* et ex ordine locuti sunt beat.mus Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum, et exc.mus Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina.

Moderator annuntiavit quartam emendationem ad cap. II *de sacra Liturgia* et secretarius generalis communicavit exitum suffragationis primae et secundae emendationis. In prima suffragatione: praesentes votantes 2.298; *placet* 2.278; *non placet* 12; vota nulla 8, quorum 1 *iuxta modum.* In secunda suffragatione: praesentes votantes 2.290; *placet*

2.264; *non placet* 14; vota nulla 12, quorum 2 *iuxta modum*. Utraque igitur emendatio approbata est.

Deinde secretarius generalis quartae emendationis textum legit.

Iterum prosecuta est disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia*. Locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, et Ioseph Heuschen, aux. Leodiensis.

Tandem moderator annuntiavit suffragationem quintae emendationis ad cap. II *de sacra Liturgia*, cuius textus lectus est a secretario generali, qui insuper tertiae suffragationis exitum communicavit: votantes 2.284; *placet* 2.249; *non placet* 31; vota nulla 4.

In disceptatione circa cap. II schematis *de Ecclesia* ultimus in quadragesima tertia congregatione generali locutus est exc.mus P. D. Andreas Charue, ep. Namurcensis.

Interim Patribus distributus est fasciculus typis impressus: *Relatio generalis de iis quae a commissione conciliari de sacra Liturgia peracta sunt ad Patrum animadversiones expendendas et textum constitutionis emendandum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Postea moderator indixit proximam congregationem die sequenti, hora 9, habendam. Secretarius generalis legit exitum quartae suffragationis: praesentes votantes 2.285; *placet* 2.263; *non placet* 15; vota nulla 7. Itaque omnes quatuor emendationes approbatae sunt.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,18 finita est.

XLIV

Congregatio generalis quadragesima quarta habita est die 9 octobris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.278 Patres, nempe: 64 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 386 archiepiscopi, 1.643 episcopi, 8 abbates nullius, 14 praelati nullius, 61 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missam de Spiritu Sancto celebravit, ritu romano, exc.mus P. D. Andreas Rohracher, arch. Salzburgensis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Laudate Dominum omnes gentes* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Domine ante te* (Bartolucci).

Missa expleta, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Exeant omnes*. S. Evangelii codex super paratum thronum positus fuit ab exc.mo P. D. Ioanne Colburn Garner, arch. Pretoriensi, dum Patres canunt *Credo*.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone, com-

municavit illa die recurrere anniversarium pii decessus Summi Pontificis Pii XII, quem omnium venerationi ac precibus commendavit.

Item nuntiavit obitum exc.morum PP. DD. Ioachim Di Leo, arch.-ep. Mazariensis; Leonis Smith, ep. Ogdenburgensis; Salvatoris Siino, nuntii ap. in Insulis Philippinis, qui pridie decesserat in cubiculo Summi Pontificis, improviso morbo correptus. Communicavit etiam mortem honorati viri Camilli Corsanego, promotoris S. Concilii et advocati S. Consistorii. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, *De profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. II schematis *de Ecclesia.* Praeterea communicavit exitum quintae suffragationis circa emendationes ad cap. II schematis *de sacra Liturgia* pridie peractae: praesentes votantes 2.284; *placet* 2.261; *non placet* 18; vota nulla 5. Proinde emendatio approbata est.

Tandem annuntiavit durante congregatione distributum iri fasciculum: *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia, pars II,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Tunc em.mus card. P. D.Achilles Liénart, ep. Insulensis, de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est.

Postea secretarius generalis legit sextam emendationem ad cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Em.mus card. P. D. Paulus Richaud, arch. Burdigalensis, locutus est de cap. II *de Ecclesia.*

Secretarius generalis respondit dubio, a nonnullis Concilii Patribus proposito, circa responsum dandum quibusdam emendationibus; et legit septimam emendationem ad cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Exc.mus P. D. Antonius Añoveros, ep. tit. Tabudensis, coad. Gaditanus, locutus est de cap. II schematis *de Ecclesia.*

Secretarius generalis legit octavam emendationem ad cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Dein ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Aemilius Blanchet, arch. Philippopolitanus, Villelmus Conway, arch. Armachanus, Eduardus Martinez, ep. Zamorensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis.

Hora 11.01 secretarius generalis legit exitum suffragationum, quae peractae erant. Emendatio VI: praesentes votantes 2.275; *placet* 2.215; *non placet* 52; vota nulla 8 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio VII: praesentes votantes 2.278; *placet* 2.212; *non placet* 47; vota nulla 19

(quorum 2 *iuxta modum*). Emendatio VIII: praesentes votantes 2.251; *placet* 2.193; *non placet* 44; vota nulla 14 (quorum 3 *iuxta modum*). Igitur omnes emendationes approbatae sunt.

Dein legit emendationem nonam, quae ad art. 40 se referebat, ideoque etiam illum articulum legit.

Prosecuta est disceptatio circa cap. II schematis *de Ecclesia* et ex ordine ad loquendum vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis et Dionysius Hurley, arch. Durbanianus.

Lecta a secretario generali decima emendatione circa cap. II *de sacra Liturgia,* locutus est de cap. II schematis *de Ecclesia* exc.mus P. D. Gerardus de Proença Sigaud, arch. Adamantinus.

Secretarius generalis legit undecimam emendationem circa cap. II *de sacra Liturgia.* Exc.mus P. D. Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, locutus est de cap. II schematis *de Ecclesia.*

Lecta a secretario generali duodecima emendatione circa cap. II *de sacra Liturgia,* locuti sunt de cap. II *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Michael Browne, ep. Galviensis et Duacensis, Michael Doumith, ep. Sarbiensis Maronitarum, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis.

Hora 12,10 moderator indixit proximam congregationem generalem sequenti die, hora 9, habendam. Secretarius generalis exitum suffragationum proclamavit. Emendatio IX: praesentes votantes 2.219; *placet* 2.139; *non placet* 67; vota nulla 13. Emendatio X: praesentes votantes 2.218; *placet* 2.159; *non placet* 46; vota nulla 13 (quorum 2 *iuxta modum*). Emendatio XI: praesentes votantes 2.236; *placet* 2.131; *non placet* 96; vota nulla 9. Emendatio XII: praesentes votantes 2.254; *placet* 2.232; *non placet* 14; vota nulla 8. Unde omnes illae emendationes approbatae sunt.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio finita est hora 12,16.

XLV

Congregatio generalis quadragesima quinta habita est die 10 octobris, feria V, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.265 Patres, nempe: 57 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 381 archiepiscopi, 1.643 episcopi, 8 abbates nullius, 14 praelati nullius, 61 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missam de Spiritu Sancto exc.mus P. D. Paulus Kinam Ro, arch. Seulensis, ritu romano celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O felix anima* (Carissimi), *O salutaris hostia* (Renzi), *O memoriale* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Extra omnes.* Intronizatio S. Evangelii codicis ab exc.mo P. D. Petro Kimbondo, ep. Kisantuensi, facta est dum chorus et Patres alternatim canunt *Christus vincit* cum Ps. 116.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit exsequias exc.mi P. D. Leonis Smith hora 17,30 factum iri in Ecclesia B. M. V. de Mercede.

Dein, nomine exc.mi praefecti caeremoniarum, Patres invitavit ad sacrum ritum, die sequenti, hora 17, ad S. Mariam Maiorem peragendum.

Item annuntiavit dominica sequenti, die 13 octobris, hora 17, habitum iri beatificationem ven. Ioannis Nepomuceni Newman, ep. Philadelphiensis.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant super cap. II schematis *de Ecclesia.*

Ad loquendum vocatus est em.mus card. P. D. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluvii Ianuarii.

Secretarius generalis legit textum decimaetertiae emendationis ad cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Deinde em.mus card. P. D. Ferdinandus Cento locutus est de cap. II schematis *de Ecclesia.*

Exc.mus P. D. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum, qui per 18 annos in carcere detentus fuerat propter fidelitatem Sedi Apostolicae, mense februario elapso liberatus, prima vice ad loquendum vocatus est, Patribus plaudentibus, sed nimis permotus illa die iuri loquendi renuntiavit. Ideoque locutus est exc.mus P. D. Emmanuel Galea, aux. Melitensis.

Secretarius generalis emendationem decimamquartam circa cap. II *de sacra Liturgia* legit.

Ad loquendum de cap. II *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. Eduardus Schick, aux. Fuldensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis.

Secretarius generalis legit emendationem decimamquintam ad cap. II *de sacra Liturgia.* Exc.mus P. D. Bernardus Yago, arch. Abidjanensis, de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est.

Lecta vero a secretario generali emendatione decimasexta circa cap. II *de sacra Liturgia,* ad loquendum de cap. II *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. Demetrius Mansilla, ep. tit. Erythraeus et Ioseph Clemens Maurer, arch. Sucrensis.

Tunc secretarius generalis, de mandato praesidis, Patres vehementer

rogavit ut, tempore suffragationis, quantum possent, suis locis manerent; et legit emendationem decimamseptimam ad cap. II *de sacra Liturgia.*

Ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, et Isaac Ghattas, ep. Thebanus.

Lecta a secretario generali emendatione decimaoctava circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* vocati sunt exc. PP. DD. Alexander Renard, ep. Versaliensis, et Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus.

Secretarius generalis legit ultimam emendationem circa cap. II *de sacra Liturgia.*

Ad loquendum vocati sunt ex ordine rev.mus P. D. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P., Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Paulus Yü pin, arch. Nanchimensis, Antonius van den Hurk, arch. Medanensis.

Interim Patribus distributa est parva imago cum textu orationis, ante divinum Officium recitandae, a Summo Pontifice Paulo VI exaratae.

Hora 12,04 secretarius generalis proclamavit exitum suffragationum, quae peractae fuerant. Emendatio XIII: praesentes votantes 2.263; *placet* 2.166; *non placet* 92; vota nulla 5 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio XIV: praesentes votantes 2.265; *placet* 2.088; *non placet* 168; vota nulla 9. Emendatio XV: praesentes votantes 2.261; *placet* 2.111; *non placet* 142; vota nulla 8 (quorum 2 *iuxta modum*). Emendatio XVI: praesentes votantes 2.166; *placet* 2.006; *non placet* 142; vota nulla 18. Emendatio XVII: praesentes votantes 2.163; *placet* 1.839; *non placet* 315; vota nulla 9 (quorum 2 *iuxta modum*). Emendatio XVIII: praesentes votantes 2.224; *placet* 1.975; *non placet* 245; vota nulla 4. Emendatio XIX et ultima: praesentes votantes 2.231; *placet* 2.159; *non placet* 66; vota nulla 6 (quorum 1 *iuxta modum*). Itaque omnes illae emendationes approbatae sunt. Quapropter secretarius generalis communicavit feria II sequenti factum iri suffragationem super integrum cap. II *de sacra Liturgia.* Item annuntiavit die sequenti distributum iri emendationes super cap. III schematis *de sacra Liturgia.*

Moderator indixit proximam congregationem generalem sequenti die, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio finita est hora 12,13.

XLVI

Congregatio generalis quadragesima sexta habita est die 11 octobris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.249 Patres, nempe: 59 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 377 archiepiscopi, 1.635 episcopi, 8 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

Ante Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, invitavit Patres ut, durante Missa, preces effunderent pro victimis calamitatum, quae illis diebus terram commoverant, et pro iis qui in egestatem redacti erant.

Exc.mus P. D. Alexander Fernandez Feo-Tinoco, ep. S. Christophori in Venezuela, Missam de festo Maternitatis B. M. V. ritu latino celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Inviolata* (modo gregoriano), *Ave verum* (Viadana), *Miserere mei* (Victoria).

Post Missam, secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et exc.mus P. D. Vincentius Kennally, vic. ap. Carolinensis et de Marshall, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim canunt *Magnificat* modo gregoriano (8 G).

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et notum fecit episcopatum mexicanum aliquam pecuniae summam destinasse pro victimis calamitatum. Qui tale exemplum sequi vellent, pecuniam directe ad S. Pontificem mittere possent.

Dein annuntiavit, durante congregatione, distributum iri varia opuscula: Summi Pontificis Pauli VI epistulam, qua ad alteram Concilii sessionem celebrandam Patres convocati sunt; eiusdem allocutionem in initio alterius periodi Concilii habitam; elenchum novum Patrum conciliarium; emendationes ad cap. III schematis *de sacra Liturgia.* Annuntiata suffragatione sequenti feria II peragenda de integro cap. II schematis *de sacra Liturgia,* legit nomina eorum, qui loqui petierant super cap. II *de Ecclesia.*

Tunc em.mus moderator Patres invitavit ad sermonis brevitatem atque rogavit illos, qui de cap. III loqui desiderabant, ut nomen suum secretariae generali traderent. Item Patres rogavit, ut se a plausibus abstinerent.

Deinde ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* vocati sunt: em.mus card. P. D. Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus; exc.mi PP. DD. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum, Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Emmanuel Talamás,

ep. Civitatis Juarezensis, Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis, Ioseph Cirarda, aux. Hispalensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Paulus Gouyon, coad. Rhedonensis, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis, Conradus De Vito, ep. Lucknovensis, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Sinnadensis in Phrygia, Angelus Temiño, ep. Auriensis, Petrus Boillon, ep. Virodunensis, Paulus Rusch, adm. ap. Oenipontanus, Ioseph Pont, ep. Segobricensis, Aloisius Bettazzi, aux. Bononiensis.

Durante congregatione, Patribus opuscula distributa sunt: *Pauli VI Pontificis Maximi Epistula ad singulos Catholicae Ecclesiae Episcopos ceterosque Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, de Patrum Conciliarium convocatione ad alteram sessionem Concilii celebrandam,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Pauli VI Pontificis Maximi Allocutio ad Patres Concilii Oecumenici Vaticani II in Basilica Vaticana habita cum altera sessio inchoaretur die XXIX mensis septembris anno MDCCCCLXIII,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Emendationes a Patribus Conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae,* cap. III: *De ceteris sacramentis et de sacramentalibus,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Elenco dei Padri Conciliari,* 2 ed., Tipografia Poliglotta Vaticana 1963.

Hora 12,13 reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Secretarius generalis proximam congregationem, feria II proxima, die 14 octobris, hora 9, habendam, indixit. Congregatio hora 12,15 finita est.

XLVII

Congregatio generalis quadragesima septima habita est die 14 octobris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.241 Patres, nempe: 57 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 381 archiepiscopi, 1.623 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 59 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

Exc.mus P. D. Marcus Mihayo, arch. Taboraensis, Missam de Spiritu Sancto, ritu romano, celebravit. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lucem provehit* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Confirma hoc Deus* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* Exc.mus P. D. Ceslaus Sipović, ep. tit. Mariammitanus, super paratum thronum S. Evangelii codicem statuit, dum omnes canunt *Credo* modo gregoriano (III).

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Mona-

censis et Frisingensis, et annuntiavit pium obitum exc.mi P. D. Sebastiani Briacci, ep. Montis Regalis in Pedemonte. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, alternatim cum Patribus, *De profundis* cum versiculis et oratione recitavit.

Dein secretarius generalis legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. II schematis *de Ecclesia.* Insuper legit initium et finem cap. II schematis *de sacra Liturgia,* quod inscribitur « De sacrosancto Eucharistiae Mysterio », de quo suffragatio peragenda erat per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Moderator iterum enixe rogavit Patres ne eadem repeterent argumenta, atque ad loquendum de cap. II *de Ecclesia* ex ordine vocavit em.mos cardd. PP. DD. Ioseph Frings, arch. Coloniensem, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; exc.mos PP. DD. Petrum Parente, arch. tit. Ptolemaidensem in Thebaide, Custodium Alvim Pereira, arch. de Lourenço Marques, Vincentium Jacono, ep. tit. Patarensem, Fortunatum Coutinho, ep. tit. Sagalassensem, coad. Belgaumensem.

Hora 10,38 moderator invitavit Patres ut suffragationem de cap. II schematis *de sacra Liturgia* perficerent. Deinde de cap. II schematis *de Ecclesia* ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Henricus Vion, ep. Pictaviensis, Ioseph Schneider, arch. Bambergensis, Patricius Cleary, ep. Nancemensis, Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis, Secundus Garcia, coad. Ovetensis, Petrus Čule, ep. Mandetriensis (cuius textum legit exc.mus P. D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis).

Hora 11,18 secretarius generalis exitum suffragationis de cap. II schematis *de sacra Liturgia* communicavit: praesentes votantes 2.242; maioritas requisita 1.495; *placet* 1.417; *non placet* 36; *placet iuxta modum* 781; vota nulla 8. Cum igitur non sit habita maioritas requisita, cap. II approbatum non est.

Prosecuta est disceptatio circa cap. II *de Ecclesia* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Marianus Oblak, aux. Iadrensis, Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis, Ioseph Carraro, ep. Veronensis, Armandus Fares, arch. Catacensis.

Hora 11,54 secretarius generalis illustravit quae antea dixerat circa exitum suffragationis de integro cap. II *de sacra Liturgia.*

Deinde de cap. II *de Ecclesia* ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Georgius Kemerer, ep. Posadensis, Paulus Zoungrana, arch. Oagaduguensis, Aloisius Carli, ep. Signinus.

Moderator indixit proximam congregationem die sequenti, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,19 finita est.

XLVIII

Congregatio generalis quadragesima octava habita est die 15 octobris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.250 Patres, nempe: 60 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 377 archiepiscopi, 1.636 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 59 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu mozarabico, ab exc.mo P. D. Anastasio Granados Garcia, aux. Toletano; alumni Pontificii Collegii Hispanici et Collegii Filiorum Cordis Immaculati Mariae cantus exsecuti sunt. Rev. Raymundus Platero, lingua latina, ritum illustravit.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii, intimavit: *Extra omnes*; et exc.mus P. D. Eduardus Martinez Gonzáles, ep. Zamorensis, Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et communicavit duodecim poenitentiarios apostolicos, pluribus petentibus Patribus, adesse quotidie in Basilica S. Petri et praesto esse Patribus ab hora 8 ad horam 9,30 ad excipiendas confessiones.

Dein, annuntiata suffragatione facienda super emendationes de cap. III schematis *de sacra Liturgia,* quod inscribitur « De ceteris sacramentis et sacramentalibus », legit nomina eorum, qui super cap. III schematis *de Ecclesia* loqui petierant.

Exc.mus P. D. Paulus Hallinan, arch. Atlantensis, relationem super emendationes propositas circa cap. III schematis *de sacra Liturgia* legit.

Tunc ex ordine ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, et Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis.

A secretario generali prima emendatio ad cap. III schematis *de sacra Liturgia* lecta est et beat.mus P. D. Paulus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum, de cap. III schematis *de Ecclesia* locutus est.

Secretarius generalis legit secundam emendationem ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* et de cap. II schematis *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Narcissus Jubany, aux. Barcinonensis, et Thomas Cooray, arch. Colombensis, locuti sunt.

Lecta vero a secretario generali tertia emendatione ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* de cap. II schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mi

PP. DD. Iesus Enciso, ep. Maioricensis, et Ioannes Gay, ep. Imae Telluris et Pointapitrensis.

Tandem secretarius generalis legit quartam emendationem ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* et exc.mus P. D. Aloisius Romoli, ep. Pisciensis, de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est.

Hora 11,46 moderator Patrum consensum petiit de fine imponendo disceptationi circa cap. II schematis *de Ecclesia.* Plusquam dimidia Patrum pars, surgendo, consensit et moderator communicavit die sequenti distributum iri quattuor propositiones circa praecipua argumenta cap. II *de Ecclesia,* subiciendas suffragationi sequenti feria V, ut commissio normas haberet ad caput emendandum.

Tunc secretarius generalis legit exitum suffragationis super tres priores emendationes ad cap. III *de sacra Liturgia.* Emendatio I: praesentes votantes 2.239; *placet* 2.224; *non placet* 12; vota nulla 3 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio II: praesentes votantes 2.159; *placet* 2.103; *non placet* 49; vota nulla 7 (quorum 3 *iuxta modum*). Emendatio III: praesentes votantes 2.100; *placet* 2.058; *non placet* 42. Ergo omnes tres emendationes approbatae sunt.

Ultimus de cap. II schematis *de Ecclesia* locutus est exc.mus P. D. Ioannes Mazur, aux. Lublinensis.

Em.mus moderator annuntiavit initium discussionis super cap. III *de Ecclesia,* in proxima congregatione die sequenti habenda.

Em.mus P. D. card. Michael Browne, qui relator fuerat, disceptationem clausit.

Hora 12,07 secretarius generalis proclamavit exitum quartae suffragationis: praesentes votantes 2.178; *placet* 2.143; *non placet* 35. Etiam quarta emendatio approbata est.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,10 finita est.

XLIX

Congregatio generalis quadragesima nona habita est die 16 octobris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.268 Patres, nempe: 62 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 383 archiepiscopi, 1.640 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Exc.mus P. D. Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, S. Missam celebravit, ritu copto-alexandrino, cuius Ordo antea Patribus distributus fuerat.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*. Inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Ioanne Kabes, ep. tit. Cleopadritensi.

Prece *Adsumus*... recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit Summum Pontificem assensum esse quorumdam Patrum petitioni Missam celebrandi sine acolyto seu clerico, dummodo aliquis fidelis vel alius sacerdos celebrans adesset. Dein annuntiavit pium decessum exc.mi P. D. Dominici Vendola, ep. Lucerini, pro quo ab em.mo card. P. D. Eugenio Tisserant alternatim cum Patribus recitatum est *De profundis* cum versiculis et oratione.

Moderator communicavit quosdam Patres adhuc loqui petiisse super cap. II *de Ecclesia* nomine plurium aliorum Patrum, ac proinde suffragationem, pridie pro illa die propositam, in aliam diem dilatum iri.

Secretarius generalis legit nomina eorum, qui adhuc loqui petierant circa cap. II *de Ecclesia,* et ex ordine ad loquendum vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioachim Amman, ep. tit. Petnelissenus, Petrus Carretto, vic. ap. Rajaburiensis.

Dein secretarius generalis legit quintam emendationem circa cap. III schematis *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. II schematis *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Aloisius Henriquez, aux. Caracensis, et Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum.

Postea secretarius generalis legit emendationem sextam ad cap. III schematis *de sacra Liturgia* cum adnotatione quam Patres commissionis addiderant.

Prosecuta est disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia* et ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Vedastus Jacquier, aux. Algeriensis, Thomas Holland, coad. Portusmagni, Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis, Caesar Mosquera, arch. Guayaquilensis, Ioseph Drzazga, ep. tit. Siniandensis.

Dein secretarius generalis legit emendationem septimam circa cap. III schematis *de sacra Liturgia,* necnon nomina eorum, qui de cap. III schematis *de Ecclesia* loqui petierant.

Primus de hoc capite locutus est em.mus P. D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus.

Lecta a secretario generali emendatione octava ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ferdinandus Cento, Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis, Antonius Bacci.

Hora 12,04 secretarius generalis legit exitum suffragationum, quae

peractae fuerant. Emendatio V: praesentes votantes 2.259; *placet* 2.219; *non placet* 37; vota nulla 3. Emendatio VI: praesentes votantes 2.216; *placet* 1.964; *non placet* 247; vota nulla 5 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio VII: praesentes votantes 2.175; *placet* 2.124; *non placet* 50; votum nullum 1. Emendatio VIII: praesentes votantes 2.220; *placet* 2.194; *non placet* 24; vota nulla 2 (quorum 1 *iuxta modum*). Ergo omnes emendationes fuerunt approbatae.

Moderator proximam congregationem indixit die sequenti, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio clausa est hora 12,09.

L

Congregatio generalis quinquagesima habita est die 17 octobris, feria V, hora nona matutina. Interfuerunt 2.258 Patres, nempe: 60 cardinales, 7 patriarchae, 11 primates, 385 archiepiscopi, 1.628 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioanne Aramburu, arch. Tucumanensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O felix anima* (Carissimi), *O salutaris hostia* (Renzi), *Da pacem* (Gounod).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et exc.mus P. D. Iacobus Donaldus Scanlan, ep. Matrisfontis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et, de mandato praesidentiae, iterum monuit ne in aula conciliari distribuerentur folia sine expressa permissione eiusdem praesidentiae. Item communicavit illa die suffragationem esse faciendam circa ultimas emendationes ad cap. III *de sacra Liturgia,* die vero sequenti circa integrum cap. III.

Dein annuntiavit versus finem congregationis distributum iri pictacia vehicularia (francobolli) impressa occasione coronationis Summi Pontificis gloriose regnantis.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. III schematis *de Ecclesia,* et disceptatio coepta est.

Post orationem exc.mi P. D. Ludovici Rastouil, ep. Lemovicensis,

secretarius generalis legit emendationem nonam circa cap. III *de sacra Liturgia.* Deinde locuti sunt exc.mi PP. DD. Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis, et Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis.

Secretarius generalis legit decimam et ultimam emendationem circa cap. III *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. III *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis, Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus, Candidus Padin, aux. S. Sebastiani Fluminis Januarii, Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabadensis, Leo Arturus Elchinger, coad. Argentinensis, Philippus Hannan, aux. Washingtonensis, Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis, Marius Castellano, arch. Senensis, Aloisius Mathias, arch. Madrapolitanus, Herbertus Bednorz, coad. Katovicensis, Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis, Villelmus Philbin, ep. Dunensis et Connorensis.

Interim Patribus distributa sunt praefata pictacia vehicularia.

Secretarius generalis legit exitum suffragationum circa emendationes cap. III *de sacra Liturgia.* Emendatio IX: praesentes votantes 2.250; *placet* 1.637; *non placet* 607; vota nulla 6 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio X: praesentes votantes 2.248; *placet* 2.207; *non placet* 39; vota nulla 2. Ergo etiam hae duae emendationes approbatae sunt.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Moderator vero indixit proximam congregationem die sequenti, hora 9, habendam, et congregatio clausa est hora 12,07.

LI

Congregatio generalis quinquagesima prima habita est die 18 octobris, feria VI, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.225 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 389 archiepiscopi, 1.599 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 59 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

S. Missa de festo S. Lucae ev., ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Hadriano Djajasepoetra, arch. Djakartano. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Crux fidelis* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Perosi), *O sacrum convivium* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* Inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Antonio Abed, arch. Tripolitano Maronitarum.

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis, ex ambone, procla-

mavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et annuntiavit distributionem emendationum super cap. IV *de sacra Liturgia.* Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. III schematis *de Ecclesia.* Item communicavit suffragationes super emendationes in cap. IV *de sacra Liturgia* sequenti feria II inceptum iri.

Tunc legit initium et finem cap. III schematis *de sacra Liturgia,* de quo suffragatio facienda erat per *placet, non placet, placet iuxta modum.*

Moderator hortatus est Patres ut intra decem momentorum spatium tenerent suas orationes, et vocavit ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* em.mos cardd. PP. DD. Iacobum de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Valerianum Gracias, arch. Bombayensem, Laureanum Rugambwa, ep. Bukobaensem; exc.mos Paulum Sani, ep. Denpasarensem, Laurentium Picachy, ep. Jamshedpurensem, Godefridum Dayez, praesidem Congregationis Belgicae O.S.B., Ioseph Schröffer, ep. Eystettensem, Arturum Tabera, ep. Albasitensem, Paternum Geise, ep. Bogorensem, Ioseph Vairo, ep. Gravinensem, Paulum Barrachina, ep. Oriolensem.

Hora 11,20 disceptatio interrupta est, et secretarius generalis legit suffragationis exitum circa integrum cap. III *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.217; maioritas requisita 1.478; *placet* 1.130; *non placet* 30; *placet iuxta modum* 1.054; vota nulla 3.

Deinde communicavit die sequenti, hora 17, in Auditorio (Via della Conciliazione) executioni datum iri concertum symphonicum chorale pro omnibus Patribus.

Disceptatio de cap. III schematis *de Ecclesia* prosecuta est et ad loquendum ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Leo Stephanus Duval, arch. Algeriensis, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Aemilius De Smedt, ep. Brugensis, Aegidius Barthe, ep. Foroiuliensis-Tolonensis.

Interim distributus est fasciculus cui titulus: *Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae,* cap. IV: *De officio divino,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,09 moderator invitavit omnes Patres ad solemnem actionem liturgicam, qua Summus Pontifex dominica sequenti, hora 8, in Basilica S. Petri quattuordecim episcopos consecraret. Dein proximam congregationem indixit feria II, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,13 finita est.

LII

Congregatio generalis quinquagesima secunda habita est die 21 octobris, feria II, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.205 Patres, nempe: 63 cardinales, 6 patriarchae, 11 primates, 376 archiepiscopi, 1.582 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 59 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu byzantino-romeno, ab exc.mo P. D. Basilio Cristea, ep. tit. Lebediensi, vis. ap. Romenorum. Chorus romenus ex Urbe exsecutus est cantus in lingua propria.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*. S. Evangelii codex super paratum thronum exc.mus P. D. Basilius Cristea statuit.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina eorum, qui circa cap. III schematis *de Ecclesia* loqui petierant.

Exc.mus P. D. Albertus Martin, ep. Nicoletanus, legit relationem super emendationes circa cap. IV schematis *de sacra Liturgia*.

Lecta a secretario generali prima emendatione, ad loquendum de cap. III *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Alfredus Ottaviani; exc.mus P. D. Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis.

Dein secretarius generalis legit emendationem secundam ad cap. IV *de sacra Liturgia*.

Ad loquendum de cap. III *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. Thomas Cooray, arch. Colombensis, Carolus Wojtyla, vic. cap. Cracoviensis, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus.

Tandem secretarius generalis legit tertiam emendationem ad cap. IV *de sacra Liturgia*.

De cap. III *de Ecclesia* adhuc locuti sunt exc.mi PP. DD. Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis et Ioannes Hervás, prael. null. Cluniensis.

Hora 12,06 secretarius generalis communicavit exitum duarum priorum suffragationum. Emendatio I: praesentes votantes 2.163; *placet* 2.151; *non placet* 8; vota nulla 4 (quorum 2 *iuxta modum*). Emendatio II: praesentes votantes 2.022; *placet* 2.009; *non placet* 12; votum nullum 1. Ergo utraque emendatio approbata est.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti feria III, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,10 finita est.

LIII

Congregatio generalis quinquagesima tertia habita est die 22 octobris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.236 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 371 archiepiscopi, 1.620 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 88 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Emmanuele Sanchez Beguiristain, arch. Ss. Conceptionis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Adoramus te, Christe* (Palestrina), *Ave verum Corpus* (Viadana), *Domine, non sum dignus* (Victoria).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*. S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Georgius Pearce, vic. ap. Insularum Samoa et Tokelau, dum Patres canunt *Credo*.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Aganianian, et communicavit exitum ultimae suffragationis pridie peractae. Emendatio III ad cap. IV schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.141; *placet* 2.130; *non placet* 9; vota nulla 2. Emendatio proinde approbata est.

Dein annuntiavit distributum iri emendationes circa cap. V schematis *de sacra Liturgia*, de quibus suffragium inceptum iri inde a feria V sequenti.

Item admonuit distributum iri, de permissione em.mi praesidis, libellum confectum a commissione permanenti conventuum internationalium apostolatui laicorum provehendo (COPECIAL), cui titulus *De laicorum apostolatu organizato hodie toto in orbe terrarum diffuso*: documentatio collecta et systematice exposita pro Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant de cap. III schematis *de Ecclesia*, et emendationem quartam circa cap. IV *de sacra Liturgia*.

Inde disceptatio de cap. III schematis *de Ecclesia* prosecuta est et locuti sunt em.mi PP. DD. Antonius Caggiano, arch. Bonaërensis, et Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Lecta a secretario generali quinta emendatione ad cap. IV *de sacra Liturgia*, ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* vocati sunt

exc.mi PP. DD. Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis et Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucadensis.

Lecta a secretario generali sexta emendatione ad cap. IV *de sacra Liturgia,* locuti sunt de cap. III schematis *de Ecclesia* exc.mi Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus et Iulius Daem, ep. Antverpiensis.

Post lectam a secretario generali emendationem septimam ad cap. IV *de sacra Liturgia,* locuti sunt de cap. III schematis *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis et Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis.

Lecta vero a secretario generali emendatione octava ad cap. IV *de sacra Liturgia,* adhuc de cap. III schematis *de Ecclesia* locuti sunt ex ordine: rev.mus P. D. Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D.; exc.mi PP. DD. Marius Maziers, aux. Lugdunensis, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis, Marcus McGrath, aux. Panamensis, Iacobus Ménager, ep. Meldensis, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Alfonsus Uribe, aux. Carthaginensis in Columbia.

Interim distributi sunt libelli: *Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae,* cap. V: *De anno liturgico,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Commissio permanens conventuum internationalium apostolatui laicorum provehendo. De laicorum apostolatu organizato hodie toto in orbe terrarum diffuso: documentatio collecta et systematice exposita pro Patribus Concilii Oecumenici Vaticani II,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Tunc moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam, et secretarius generalis legit exitum suffragationum circa emendationes ad cap. IV *de sacra Liturgia.* Emendatio IV: praesentes votantes 2.234; *placet* 2.113; *non placet* 118; vota nulla 3 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio V: praesentes votantes 2.231; *placet* 1.722; *non placet* 509. Emendatio VI: praesentes votantes 2.216; *placet* 1.840; *non placet* 371; vota nulla 5 (quorum 4 *iuxta modum*). Emendatio VII: praesentes votantes 2.123; *placet* 2.111; *non placet* 12. Emendatio VIII: praesentes votantes 2.110; *placet* 2.088; *non placet* 20; vota nulla 2 (quorum 1 *iuxta modum*). Omnes emendationes approbatae sunt.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio clausa est hora 12,10.

LIV

Congregatio generalis quinquagesima quarta habita est die 23 octobris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.234 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 373 archiepiscopi, 1.622 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Laurentio Shehan, arch. Baltimorensi. Chorus Pontificii Seminarii Romani exsecutus est cantus: *Ave Maria* (gregoriano), *Ecce panis angelorum* (Lotti), *O sacrum convivium* (gregoriano).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Extra omnes*. Inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Ioanne Wolff, arch. de Diego Suarez, dum chorus canit *Christus vincit* (Franco) et, alternatim cum Patribus, Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et communicavit mortem exc.morum PP. DD. Ranulfi da Silva Farias, arch. Maceiensis, et Ioseph Meysing, arch. tit. Dercensis, olim arch. Bloemfonteinensis. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, alternatim cum Patribus, *De profundis* recitavit cum versiculis et oratione.

Dein secretarius generalis communicavit diebus 1 et 2 novembris congregationes generales vacare, die autem 3 novembris haberi beatificationem Ioseph Murialdo, et die 4 novembris commemorationem instaurationis seminariorum factae a Patribus Concilii Tridentini.

Item annuntiavit illa die prosequi suffragationem de emendationibus ad cap. IV *de sacra Liturgia,* die vero sequenti suffragationem integri capitis factum iri.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant de cap. III schematis *de Ecclesia* et emendationem nonam ad cap. IV schematis *de sacra Liturgia.*

Ad loquendum de cap. III *de Ecclesia* a moderatore ex ordine vocati sunt em.mus card. P. D. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis; beat.mus P. D. Paulus II Cheikho, patr. Babylonensis Chaldaeorum; exc.mus P. D. Emmanuel Larraín, ep. Talcensis.

Lecta a secretario generali decima emendatione circa cap. IV *de sacra Liturgia,* de cap. III schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Healy, ep. Gibraltarensis, Ioannes Przyklenk, ep. Ianuariensis,

Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania, Raphael González Moralejo, aux. Valentinus.

Tunc secretarius generalis legit emendationem undecimam super cap. IV *de sacra Liturgia.* Inde de cap. III schematis *de Ecclesia* locutus est exc.mus P. D. Villelmus Van Zuylen, ep. Leodiensis.

Post lectam a secretario generali emendationem duodecimam super cap. IV *de sacra Liturgia,* locuti sunt de cap. III schematis *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis, Ioseph Da Silva, aux. Lisbonensis, Ioseph Arnerić, ep. Sebenicensis, Emmanuel Fernandez Conde, ep. Cordubensis.

Tandem secretarius generalis legit decimam tertiam et ultimam emendationem super cap. IV *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. III *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Ernestus Primeau, ep. Manchesteriensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus.

Postea secretarius generalis legit exitum suffragationum, quae peractae fuerant. Emendatio IX: praesentes votantes 2.230; *placet* 2.111; *non placet* 118; votum nullum 1. Emendatio X: praesentes votantes 2.225; *placet* 2.200; *non placet* 24; votum nullum 1. Emendatio XI: praesentes votantes 2.160; *placet* 2.125; *non placet* 34; votum nullum 1. Emendatio XII: praesentes votantes 2.040; *placet* 1.904; *non placet* 131; vota nulla 5 (quorum 4 *iuxta modum*). Emendatio XIII: praesentes votantes 2.181; *placet* 1.960; *non placet* 219; vota nulla 2. Ergo hae omnes emendationes approbatae sunt.

Moderator annuntiavit eos, qui loqui desiderarent circa cap. IV schematis *de Ecclesia,* iam posse nomen dare secretariae generali; et indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,10 finita est.

LV

Congregatio generalis quinquagesima quinta habita est die 24 octobris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.245 Patres, nempe: 59 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 374 archiepiscopi, 1.629 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missa de festo S. Raphaelis Archangeli celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Paulo Bertoli, arch. tit. Nicomediensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Laudate Dominum de caelis* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ave verum Corpus* (Renzi).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et exc.mus P. D. Antonius Lopez Aviña, arch. Durangensis S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim canunt *Magnificat.*

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et communicavit pie obiisse exc.mum P. D. Aurelium Guerrero, arch. tit. Gabulensem, olim arch. Truxillensem. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, alternatim cum Patribus, recitavit *De profundis* cum versiculis et oratione.

Tunc secretarius generalis communicavit primum fieri suffragationem de integro cap. IV schematis *de sacra Liturgia,* et legit nomina eorum, qui adhuc loqui petierant circa cap. III schematis *de Ecclesia.* Item legit initium et finem cap. IV schematis *de sacra Liturgia*: « De Officio divino » de quo suffragatio facienda erat per *placet, non placet, placet iuxta modum*; et, nomine commissionis, rogavit Patres ut modos diversos in diversis foliis scriberent.

Exc.mus P. D. Franciscus Salesius Zauner, ep. Linciensis, relationem legit de cap. V *de sacra Liturgia.*

Post relationem, moderator monuit Patres ut in suis orationibus superflua omitterent et ne loquerentur de apostolatu laicorum sensu stricto, de quo erat schema proprium.

Dein ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* vocatus est em.mus card. P. D. Ioseph Siri, arch. Ianuensis.

Post lectam a secretario generali emendationem primam super cap. V *de sacra Liturgia,* locuti sunt de cap. III schematis *de Ecclesia*; rev. P. D. Anicetus Fernandez, magister generalis O.P., exc.mus P. D. Petrus Cantero, ep. Huelvensis.

Postea secretarius generalis legit secundam emendationem super cap. V schematis *de sacra Liturgia,* et de cap. III schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mi PP. DD. Thomas Muldoon, aux. Sydneyensis et Robertus Tracy, ep. Rubribaculensis.

Lecta emendatione tertia super cap. V *de sacra Liturgia,* secretarius generalis communicavit exitum suffragationis super integrum cap. IV schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.236; maioritas requisita 1.491; *placet* 1.638; *non placet* 43; *placet iuxta modum* 552; vota nulla 3.

Ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* vocatus est P. D. Alfredus Ancel, aux. Lugdunensis.

Secretarius generalis legit emendationem quartam super cap. V *de sacra Liturgia.*

Ultimus de cap. III schematis *de Ecclesia* locutus est exc.mus P. D. Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis.

Secretarius generalis legit emendationem quintam super cap. V *de sacra Liturgia.*

Tunc moderator proposuit ut disceptatio circa cap. III schematis *de Ecclesia* concluderetur. Patres quasi unanimiter surgendo consenserunt, ideoque moderator admonuit sequenti die inceptum iri disceptationem super cap. IV schematis *de Ecclesia,* scilicet « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ».

Em.mus card. P. D. Michael Browne, relator, disceptationem super cap. III schematis *de Ecclesia* conclusit.

Postea moderator communicavit propositum exquirendi a Patribus votum utrum schema *de Beata Maria Virgine* proponendum esset uti schema distinctum an ut caput schematis *de Ecclesia.*

De hac re duae habitae sunt relationes ab em.mis cardd. PP. DD. Rufino Santos, arch. Manilensi, et Francisco König, arch. Vindobonensi.

Suffragatio circa illud propositum indicta est pro sequenti hebdomade.

Tandem secretarius generalis exitum communicavit suffragationum, quae illa die peractae fuerant circa emendationes super cap. V *de sacra Liturgia.* Emendatio I: praesentes votantes 2.232; *placet* 2.217; *non placet* 15. Emendatio II: praesentes votantes 2.158; *placet* 2.148; *non placet* 9; votum nullum 1. Emendatio III: praesentes votantes 2.085; *placet* 2.071; *non placet* 11; vota nulla 3. Emendatio IV: praesentes votantes 2.060; *placet* 2.049; *non placet* 10; votum nullum 1 (*iuxta modum*). Emendatio V: praesentes votantes 2.151; *placet* 2.146; *non placet* 4; votum nullum 1 (*iuxta modum*). Ergo omnes quinque emendationes approbatae sunt.

Intimata a moderatore proxima congregatione sequenti die, hora 9, habenda, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,06 finita est.

LVI

Congregatio generalis quinquagesima sexta habita est die 25 octobris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.191 Patres, nempe: 60 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 366 archiepiscopi, 1.586 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Daniele Gomes Junqueira, ep. Novae Lisbonae. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Crux fidelis* (Bartolucci), *O memoriale* (Bartolucci), *Ecce panis angelorum* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* S. Evangelii codicem super paratum thronum exc.mus P. D. Adam Kozlowiecki, arch. Lusakensis, posuit, dum chorus et Patres alternatim canunt *Christus vincit* cum Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et admonuit sequenti feria II, in anniversario electionis Summi Pontificis Ioannis XXIII, in Basilica S. Petri factum iri solemnem eius commemorationem. Dein communicavit illa die peragendas esse quinque suffragationes circa emendationes ad cap. V *de sacra Liturgia,* sequenti autem feria III suffragationem super integrum cap. V. Insuper annuntiavit, durante congregatione, distributum iri relationes circa schema de B. M. V., quae pridie factae fuerant ab em.mis PP. DD. cardd. Rufino Santos et Francisco König; et emendationes circa cap. VII *de sacra Liturgia*: « De Musica sacra ».

Tandem legit nomina eorum, qui adhuc loqui petierant super cap. III schematis *de Ecclesia,* nomine quidem plurium quam quinque Patrum, et nomina eorum qui loqui petierant circa cap. IV eiusdem schematis.

Ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* a moderatore vocatus est exc.mus P. D. Petrus Boillon, ep. Virodunensis.

Tunc secretarius generalis legit emendationem sextam super cap. V schematis *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. III schematis *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Sergius Méndez Arceo, ep. Cuernavacensis, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis.

Lecta a secretario generali emendatione septima super cap. V *de sacra Liturgia,* de cap. III schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mi PP. DD. Michael Darmancier, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna, Raphael Calabria, arch. Beneventanus.

Postea secretarius generalis legit emendationem octavam super cap. V schematis *de sacra Liturgia,* et ultimi locuti sunt de cap. III *de Ecclesia* exc.mi PP. DD. Fortunatus da Veiga Coutinho, coad. Belgaumensis, et Ioseph Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis.

Hora 10,55 fit transitus ad disceptandum de cap. IV schematis *de Ecclesia,* et ex ordine locuti sunt em.mi cardd. PP. DD. Paulus Ri-

chaud, arch. Burdigalensis, Randulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile.

Dein secretarius generalis legit nonam emendationem super cap. V schematis *de sacra Liturgia.* Inde prosecuta est disceptatio de cap. IV schematis *de Ecclesia,* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Aloisius Morstabilini, ep. Verulanus-Frusinatensis, Andreas Charue, ep. Namurcensis, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Stephanus Bäuerlein, ep. Bosniensis.

Interim distributa sunt opuscula: *Relationes circa schema constitutionis de Beata Maria Virgine, Matre Ecclesiae,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae,* cap. VII: *De Musica sacra,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; Secretariatus pro rebus oeconomicis Concilii Vaticani II, *Avviso per i Padri conciliari.*

Secretarius generalis annuntiavit caeremoniam die 28 octobris inceptum iri hora 9; die vero 29, feria III, factum iri suffragationes super integrum cap. V schematis *de sacra Liturgia* per *placet, non placet, placet iuxta modum,* et super emendationes ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia.*

Tandem legit exitum suffragationum, quae peractae fuerant super cap. V *de sacra Liturgia.* Emendatio VI: praesentes votantes 2.192; *placet* 2.181; *non placet* 10; votum nullum 1 (*iuxta modum*). Emendatio VII: praesentes votantes 2.180; *placet* 2.171; *non placet* 8; votum nullum 1. Emendatio VIII: praesentes votantes 2.071; *placet* 2.057; *non placet* 13; votum nullum 1. Emendatio IX: praesentes votantes 2.062; *placet* 2.057; *non placet* 4; votum nullum 1. Emendatio X et ultima: praesentes votantes 2.068; *placet* 2.058; *non placet* 9; votum nullum 1.

Dein moderator indixit congregationes sequenti hebdomada habendas feria II et feria III. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,14 clausa est.

LVII

Congregatio generalis quinquagesima septima habita est die 29 octobris, feria III, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.204 Patres, nempe: 64 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 364 archiepiscopi, 1.590 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 61 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa iuxta ritum byzantinum-ucrainum celebrata est ab exc.mo

P. D. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitano in Ucraina, concelebrantibus exc.mis PP. DD. Isidoro Borecky, ep. Torontino Ucrainorum, Iaroslav Gabro, ep. S. Nicolai Chicagiensis Ucrainorum. Exc.mus P. D. Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus in Thracia ritum illustravit. Chorus Pontificii Collegii S. Iosaphat Ucrainorum exsecutus est cantus. Ordo Missae, typis impressus, Patribus antea distributus fuerat.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et inthronizatio S. Evangelii Codicis facta est ab exc.mo P. D. Gabriele Bukatko, coad. Belogradensi.

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et annuntiavit, durante congregatione, factum iri suffragationes circa integrum cap. V schematis *de sacra Liturgia* per *placet, non placet, placet iuxta modum;* circa quaesitum quoad schema *de B. M. V. Matre Ecclesiae*; et, post relationem exc.mi P. D. Caesarii D'Amato, circa emendationes ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia.*

Item communicavit distributum iri emendationes ad schema *de B. M. V. Matre Ecclesiae,* necnon propositiones quoad cap. II schematis *de Ecclesia,* sequenti die suffragationi subiciendas.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui petierant de cap. IV schematis *de Ecclesia,* et legit cap. V (initium et finem) *de sacra Liturgia,* de quo suffragium ferendum erat.

Tunc exc.mus P. D. Caesarius D'Amato, ep. tit. Sebastenus in Cilicia, legit relationem de cap. VII schematis *de sacra Liturgia*: « De musica sacra ».

Postea secretarius generalis legit quaesitum circa schema *de B. M. V. Matre Ecclesiae,* et moderator illustravit significationem suffragationis, pro qua requisita est maioritas absoluta.

Hora 11,02 ad loquendum de cap. IV schematis *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Emmanuel Gonçalves Cerejeira, patr. Lisbonensis, Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Januarii, Normannus Gilroy, arch. Sydneyensis.

Lecta a secretario generali prima emendatione ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia,* em.mus P. D. card. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, locutus est de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Post lectam emendationem secundam ad cap. VII *de sacra Liturgia,* adhuc ad loquendum de cap. IV *de Ecclesia* vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Deinde secretarius generalis legit tertiam emendationem ad cap. VII *de sacra Liturgia,* et exc.mus P. D. Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, locutus est de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Durante congregatione, Patribus distributa sunt opuscula typis edita: *Propositiones congregationis generalis suffragiis subiciendae quoad cap. II schematis de Ecclesia*; Secretariatus pro rebus oeconomicis Concilii Vaticani II: *Avviso per i Padri Conciliari* (distributio altera); *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema constitutionis dogmaticae de Beata Maria Virgine Matre Ecclesiae,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Secretarius generalis legit exitum suffragationum, quae peractae fuerant. Super integrum cap. V schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.193; maioritas requisita 1.462; *placet* 2.154; *non placet* 21; *placet iuxta modum* 16; vota nulla 2.

Circa quaesitum de schemate *de B. M. V. Matre Ecclesiae*: praesentes votantes 2.193; *placet* 1.114; *non placet* 1.074; vota nulla 5 (quorum 2 *iuxta modum*).

Super emendationes ad cap. VII *de sacra Liturgia*: emendatio I: praesentes votantes 2.093; *placet* 2.087; *non placet* 5; votum nullum 1. Emendatio II: praesentes votantes 2.120; *placet* 2.106; *non placet* 13; votum nullum 1. Ergo utraque emandatio probata est.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam, et em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,15 finita est.

LVIII

Congregatio generalis quinquagesima octava habita est die 30 octobris, feria IV, hora 9 ante meridiem. Interfuerunt 2.159 Patres, nempe: 63 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 352 archiepiscopi, 1.557 episcopi, 9 abbates nullius, 14 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Mario de Miranda Vilas-Bôas, arch. Parahybensi, XXV anniversario suae consecrationis episcopalis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Da pacem, Domine* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Oremus pro antistite nostro Mario* (Bartolucci).

Post Missam, recitata prece *Adsumus...,* exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, annuntiavit illo mane, improviso morbo obiisse exc.mum P. D. Franciscum Beck-

mann, arch. Panamensem. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus *De profundis* recitavit cum versiculis et oratione.

Secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Fortino Gómez León, arch. Antequerensi, qui illa die celebrat 50um anniversarium suae ordinationis sacerdotalis, dum chorus et Patres alternatim canunt *Christus vincit* cum Ps. 116.

Deinde secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et annuntiavit illa die distributum iri emendationes super capp. VI et VIII schematis *de sacra Liturgia*: « De arte sacra deque sacra supellectile ». Item illustravit modum, quo facienda erat suffragatio super quinque puncta, quae pridie distributa fuerant, et legit nomina Patrum, qui loqui petierant circa cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Inde legit primi quaesiti textum, suffragationi subiciendum.

Postea prosecuta est disceptatio de cap. IV *de Ecclesia* et locuti sunt em.mi cardd. PP. DD. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus et Ioannes Urbani, patr. Venetiarum.

Post lectum quaesitum secundum, locutus est de cap. IV *de Ecclesia* em.mus card. P. D. Ferdinandus Cento.

Secretarius generalis legit quaesitum tertium et em.mus card. P. D. Augustinus Bea locutus est de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Dein secretarius generalis legit quaesitum quartum et exc.mus P. D. Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis, locutus est de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Tandem secretarius generalis legit quaesitum quintum et ad loquendum de cap. IV *de Ecclesia* vocati sunt exc.mi PP. DD. Renatus Fourrey, ep. Bellicensis et Villelmus Conway, arch. Armachanus.

Postea secretarius generalis legit emendationem quartam super cap. VII schematis *de sacra Liturgia,* et exc.mus P. D. Ioannes Russell, ep. Richmondiensis, locutus est de cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Secretarius generalis legit emendationem quintam ad cap. VII *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. IV *de Ecclesia* vocatus est exc.mus P. D. Angelus Fernandes, coad. Delhiensis.

Inde secretarius generalis legit emendationem sextam ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia,* et ad loquendum de cap. IV *de Ecclesia* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, et Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.

Hora 11,38 moderator annuntiavit suffragationem super integrum cap. VII schematis *de sacra Liturgia,* et secretarius generalis legit initium et finem capitis.

Ultimo de cap. IV schematis *de Ecclesia* locuti sunt exc.mus P. D. Hoang-van-Doan, ep. Quinhonensis, et rev.mus P. D. Benedictus Reetz, praeses congregationis Beuronensis O.S.B.

Durante congregatione, Patribus distributum est opusculum, cui titulus: *Emendationes a Patribus conciliaribus postulatae, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatae et propositae, capp. VI et VIII: de arte sacra deque sacra supellectile,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,01 moderator monuit illos, qui ad cap. VII *de sacra Liturgia* votum dederunt: *placet iuxta modum,* sequenti die modos secretariae generali tradere posse. Item proposuit ut finis imponeretur disceptationi circa cap. IV *de Ecclesia,* servata facultate loquendi Patribus qui, nomine saltem 5 aliorum Patrum, loqui vellent. Omnes Patres stantes consenserunt.

Idem moderator communicavit post schema *de Ecclesia* disceptatum iri circa schema *de episcopis ac dioecesium regimine.*

Tandem secretarius generalis legit exitum suffragationum circa quinque quaesita super cap. II *de Ecclesia.* Quaesitum I: praesentes votantes 2.157; *placet* 2.123; *non placet* 34. Quaesitum II: praesentes votantes 2.154; *placet* 2.049; *non placet* 104; votum nullum 1. Quaesitum III: praesentes votantes 2.148; *placet* 1.808; *non placet* 336; vota nulla 4 (*iuxta modum*). Quaesitum IV: praesentes votantes 2.138; *placet* 1.717; *non placet* 408; vota nulla 13 (quorum 1 *iuxta modum*). Quaesitum V: praesentes votantes 2.120; *placet* 1.588; *non placet* 525; vota nulla 7 (quorum 4 *iuxta modum*).

Dein legit exitum suffragationum circa emendationes ad cap. VII schematis *de sacra Liturgia.* Emendatio III (pridie peracta): praesentes votantes 2.157; *placet* 2.147; *non placet* 9; votum nullum 1. Emendatio IV: praesentes votantes 1.922; *placet* 1.882; *non placet* 39; votum nullum 1. Emendatio V: praesentes votantes 1.941; *placet* 1.897; *non placet* 41; vota nulla 3 (quorum 1 *iuxta modum*). Emendatio VI: praesentes votantes 1.999; *placet* 1.990; *non placet* 7; vota nulla 2 (quorum 1 *iuxta modum*).

Insuper legit exitum suffragationis super integrum cap. VII: praesentes votantes 2.096; maioritas requisita 1.397; *placet* 2.080; *non placet* 6; *placet iuxta modum* 9; votum nullum 1.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam, et em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, precem *Agimus...* recitavit.

Secretarius generalis communicavit corpus exc.mi archiepiscopi, qui illo mane mortuus erat, expositum esse in Ecclesia S. Annae ad Vaticanum, ubi sequenti die, hora 8, exsequiae celebratae essent.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant recitavit precem *Angelus...*, et congregatio clausa est hora 12,14.

LIX

Congregatio generalis quinquagesima nona habita est die 31 octobris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 1.961 Patres, nempe: 60 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 314 archiepiscopi, 1.413 episcopi, 9 abbates nullius, 13 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Canisio van Lierde, ep. tit. Porphyriensi, vicario generali Summi Pontificis pro Civitate Vaticana. Chorus Pontificii Collegii Germanici exsecutus est cantus gregorianos: *Spiritus Domini, Confirma hoc Deus, Sanctus* (VIII), *Agnus Dei* (VIII), *Factus est repente.*

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Villelmo Patricio O'Connor, ep. Madisonensi, dum chorus et Patres alternatim canunt *Christus vincit* cum Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et annuntiavit sabbato sequenti, die 2 novembris, hora 17, Summum Pontificem Missam celebraturum esse pro fidelibus defunctis, ad quam omnes Patres invitari; die vero dominica 3 novembris, hora 16,30 eundem Summum Pontificem, in Basilica Vaticana, veneraturum esse novum Beatum Leonardum Murialdo.

Item communicavit eadem die 3 novembris, hora 12,30 em.mum card. Ioseph Pizzardo Missam celebraturum esse, in Basilica Vaticana, pro sacrorum alumnis, qui Romam convenerant ad celebrandam seminariorum instaurationem; die autem 4 novembris, in anniversario quarti centenarii institutionis seminariorum, habitum iri in Basilica Vaticana Cappellam Papalem et commemorationem sollemnem illius centenarii.

Dein legit nomina eorum, qui nomine quinque saltem aliorum Patrum de cap. IV schematis *de Ecclesia* adhuc loqui postulaverant.

Exc.mus P. D. Carolus Rossi, ep. Bugellensis, legit relationem circa emendationes ad capp. VI et VIII schematis *de sacra Liturgia.*

Relatione expleta, moderator proposuit ut de iis omnibus unica haberetur suffragatio, per *placet, non placet, placet iuxta modum.* Patres surgendo consenserunt, et secretarius generalis legit septem emendationes ad capp. VI et VIII schematis *de sacra Liturgia,* necnon initium et finem cap. VII: « De arte sacra deque sacra supellectile », de quo

suffragatio peragenda erat. Moderator significavit modos afferri posse etiam sequenti hebdomade. Idem monuit ut oratores stricte sese continerent intra fines temporis (octo momenta) et materiae capitis, et omitterent repetitiones. Insuper in memoriam revocavit textus, qui scripto commissionibus exhiberentur, eodem iure gaudere ac orationes prolatas.

Deinde prosecuta est disceptatio circa cap. IV schematis *de Ecclesia* et locuti sunt: em.mus card. P. D. Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis; exc.mi PP. DD. Isidorus Emanuel, ep. Spirensis, Ioannes González, arch. tit. Oxyrynchitanus, Ioseph Martin, arch. Rothomagensis, Petrus Canisius van Lierde, ep. tit. Porphyriensis, Carolus Leiprecht, ep. Rottenburgensis, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Hildefonsus Sansierra, ep. aux. S. Ioannis de Cuyo, Ioseph Parekattill, arch. Ernakulamensis, Andreas Sapelak, visitator ap. pro Ucrainis in Argentina, Augustinus Lopez de Moura, ep. Portalegrensis, Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis, rev.mus Leo Volker, sup. gen. Miss. Africae, exc.mus Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis, rev.mus Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Gallicae O.S.B., exc.mi Iucundus Grotti, prael. ord. Acrensis, Ioseph Gopu, arch. Hyderabadensis, Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis, rev.mi Augustinus Sépinski, min. gen. O.F.M., Christophorus Butler, praeses Congr. Anglicae O.S.B.

Durante congregatione distributae sunt: *Relatio supra schema decreti de Episcopis ac de dioecesium regimine,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; Imago S. Isidori Hispalensis cum oratione *Adsumus...*

Moderator monuit sequenti feria III inceptum iri disceptationem circa schema *de episcopis...*

Tandem secretarius generalis legit exitum suffragationis circa integrum cap. VII schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 1.941; maioritas requisita 1.294; *placet* 1.838; *non placet* 9; *placet iuxta modum* 94.

Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,07 finita est.

LX

Congregatio generalis sexagesima habita est die 5 novembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.107 Patres, nempe: 62 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 346 archiepiscopi, 1.523 episcopi, 11 abbates nullius, 11 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 82 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu caldaeo, a beat.mo P. D. Paulo II Cheickho, patr. Babylonensi Chaldaeorum, ad intentionem Summi Pon-

tificis omniumque Patrum Conciliarium, pro fideli exitu Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II et praesertim pro auspicata unione omnium christianorum. Ordo Missae, typis impressus, omnibus antea distributus fuerat. Cantus exsecutus est chorus Pontificii Collegii Urbaniani de Propaganda Fide.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et exc.mus P. D. Raphael Rabban, arch. Cherchensis, Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus cantat hymnum.

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et annuntiavit distributum iri fasciculum, continentem emendationes schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et librum orationum S. Caroli.

Tandem legit nomina eorum, qui circa prooemium et cap. I schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* loqui petierant.

Dein em.mus card. P. D. Paulus Marella, praeses commissionis, et exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus, relationem habuerunt super schema *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Hora 10,35 ad loquendum de schemate in genere ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis, Ioannes McIntyre, arch. Angelorum in California, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Paulus Richaud, arch. Burdigalensis; exc.mi PP. DD. Ioseph Gargitter, ep. Brixiensis, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Narcisius Jubany, ep. aux. Barcinonensis, Ludovicus M. de Bazelaire, arch. Chamberiensis, Paulus Correa, ep. Cucutensis, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Franciscus Marty, arch. Remensis, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii.

Durante congregatione, Patribus distributa sunt: *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema decreti de episcopis ac de dioecesium regimine,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; liber, cui titulus: *S. Caroli Borromaei orationes XII,* Romae 1963.

Hora 12,04 moderator indixit proximam congregationem sequenti feria IV, hora 9, habendam, et em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,07 finita est.

LXI

Congregatio generalis sexagesima prima habita est die 6 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.136 Patres, nempe: 61 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 363 archiepiscopi, 1.538 episcopi,

11 abbates nullius, 10 praelati nullius, 60 praefecti apostolici, 77 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Natali Mosconi, arch. Ferrariensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Adoramus te, Christe* (Agostino), *O salutaris hostia* (Viadana), *O sacrum convivium* (Viadana).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* S. Evangelii codex super paratum thonum positus est ab exc.mo P. D. Avelar Brandâo Vilela, arch. Teresiano, dum omnes canunt *Credo* (III).

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et communicavit mortem exc.morum PP. DD. Danielis Mannix, arch. Melburnensis, et Ferdinandi Piontek, ep. tit. Barcaei. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus recitavit *De profundis* cum versiculis et oratione.

Tunc secretarius generalis legit nomina eorum, qui circa schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* in genere loqui petierant.

Ex ordine ad loquendum vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis, Augustinus Bea, Michael Browne; exc.mi PP. DD. Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis, Ferdinandus Gomez dos Santos, arch. Goianensis, Petrus Dib, ep. Cahirensis, Carolus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis, Hermannus Schäufele, arch. Friburgensis, Alexander Olalia, ep. Lipensis, Franciscus Simons, ep. Indorensis, Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus, Ioseph Hedges, ep. Vhelingensis.

Hora 11,28 moderator a Patribus quaesivit utrum ipsis placeret finem imponere discussioni de schemate in genere. Patres surgendo consenserunt. Tunc moderator indixit suffragationem schedulis utrum schema in genere placeret ut basis pro ulteriore disceptatione quoad singula capita.

Deinde prosecuta est disceptatio circa schema *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Locuti sunt exc.mus P. D. Raphael Gonzalez Moralejo, aux. Valentinus, rev.mus P. D. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P., exc.mi PP. DD. Thomas Cooray, arch. Colombensis et Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis.

Dum exspectatur exitus suffragationis peractae, incepta est disceptatio circa cap. I schematis *de episcopis...,* et locutus est beat.mus P. D. Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum.

Dein secretarius generalis proclamavit suffragationis exitum: prae-

sentes votantes 2.100; *placet* 1.610; *non placet* 477; vota nulla 13 (quorum 2 *iuxta modum*). Ergo disceptatio circa schema *de episcopis...* prosequi poterat.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,19 finita est.

LXII

Congregatio generalis sexagesima secunda habita est die 7 novembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.150 Patres, nempe: 48 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 363 archiepiscopi, 1.562 episcopi, 11 abbates nullius, 12 praelati nullius, 58 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

S. Missa votiva de Christo summo et aeterno sacerdote celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Petro Nierman, ep. Groningensi. Chorus Pontificii Collegii Urbaniani de Propaganda Fide exsecutus est cantus: *O salutaris hostia* (Perosi), *Sanctus* (Virgili), *Benedictus* (Virgili), *Domine non sum dignus* (T. L. de Victoria).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et super paratum thronum statutus est S. Evangelii codex ab exc.mo P. D. Hippolyto Berlier, ep. Niameyensi, dum chorus canit *Confitemini Domino* (Bucci).

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et communicavit exc.mum P. D. Alfonsum Carinci sequenti sabbato 101 annos vitae completurum, ideoque, de mandato consilii praesidentiae, nomine omnium Patrum, ad exc.mum Carinci missum iri nuntium telegraphicum. Patres plausu consenserunt.

Dein legit nomina eorum, qui circa cap. I schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* loqui postulaverant.

Tunc em.mus P. D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, legit relationem conclusivam disceptationis circa cap. IV schematis *de Ecclesia.*

Postea locutus est em.mus card. P. D. Michael Browne, vice-praeses commissionis conciliaris doctrinalis et schematis relator.

Deinde prosecuta est disceptatio circa cap. I schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et ex ordine locuti sunt: em.mus card. P. D. Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici; beat.mus P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi PP. DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Ioseph Souto, ep. Palentinus, Paulus Gouyon,

arch. coad. Redonensis, Petrus Kalwa, ep. Lublinensis, Fidelis Garcia, ep. tit. Sululitanus, Audenus McCann, arch. Capetownensis, Michael Browne, ep. Galviensis, Antonius Ferreira, ep. Portugallensis, Sergius Mendez, ep. Cuernavacensis, Herculanus van der Burgt, arch. Pontianakensis, Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Aurelius del Pino, arch. Illerdensis, Franciscus Mazzieri, ep. Ndolaensis, Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus, Paulus Barrachina, ep. Oriolensis, Eduardus Mason, vic. ap. de El Obeid.

Indicta a moderatore proxima congregatione sequenti die, hora 9, habenda, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,16 finita est.

LXIII

Congregatio generalis sexagesima tertia habita est die 8 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.148 Patres, nempe: 59 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 356 archiepiscopi, 1.555 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Hadriano Ddungu, ep. Masakaensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Crux fidelis* (Bartolucci), *O memoriale* (Bartolucci), *Cor Iesu flagrans* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et S. Evangelii codex ab ex.mo P. D. Ioanne B. Llosa, arch. Adiacensi, qui sequenti die XXV anniversarium suae consecrationis episcopalis celebraturus erat, super paratum thronum statutus est, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, pro disceptatione cap. I schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et communicavit mortem exc.mi P. D. Eduardi Tonna, arch. tit. Milesiensis.

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus recitavit *De profundis* cum versiculis et oratione.

Dein secretarius generalis annuntiavit praesentem esse in aula exc.mum P. D. Alfonsum Carinci, qui omnibus gratias agebat et longam vitam auspicabatur.

Item recoluit intimationem factam ab exc.mo praefecto caeremo-

niarum quoad sollemnem caeremoniam ingressus Summi Pontificis, sequenti die dominica, in Basilicam Lateranensem.

Dein annuntiavit distributionem fasciculi, continentis cap. IV schematis *de Oecumenismo* (de Iudaeis).

De mandato consilii praesidentiae, rogavit Patres ne conventus facerent praesertim in extrema parte Basilicae.

Tandem legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. I schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt em.mi PP. DD. cardd. Iacobus de Barros Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Ioseph Frings, arch. Coloniensis, Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaensis, Alfredus Ottaviani, Michael Browne; exc.mi PP. DD. Antonius Khoreiche, arch. Sidoniensis Maronitarum, Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus, Antonius de Castro, ep. Camposinus, Victorius Costantini, ep. Suessanus, Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis, Ioseph Schoiswohl, ep. Secoviensis, Eduardus Martinez, ep. Zamorensis, Marcellus Lefebvre, arch. tit. Sinnadensis in Phrygia, Carolus Rodriguez, arch. S. Ioseph in Costarica.

Durante congregatione, distributus est fasciculus: *Schema decreti de Oecumenismo,* cap. IV, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 11,42 secretarius generalis annuntiavit transitum ad disceptationem circa cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, pro disceptatione illius capitis. Deinde legit nomina Patrum, qui loqui petierant de cap. II.

Exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus, relationem legit de cap. II: « De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus ».

Ad loquendum vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, et Ioseph Gariby y Rivera, arch. Guadalajarensis.

Tandem moderator indixit proximam congregationem die 11 novembris, hora 9, habendam, et em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus..., Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,14 finem habuit.

LXIV

Congregatio generalis sexagesima quarta habita est die 11 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.141 Patres, nempe: 61 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 364 archiepiscopi, 1.546 episcopi,

9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 78 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Ioseph Khiamsum Nittayo, coad. vic. ap. Bangkokensis. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Aurora lucem provehit* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Domine Iesu* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et S. Evangelii codicem exc.mus P. D. Lambertus Hoch, ep. Siouxormensis, super paratum thronum statuit, dum Patres canunt *Credo* (III).

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis, ex ambone, mortem annuntiavit exc.morum PP. DD. Antonii Farage, arch. tit. Damiettensis, et Ioannis Reesinck, ep. tit. Tinitani. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus recitavit *De profundis* cum versibus et oratione.

Dein secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et annuntiavit distributionem numismatis commemorativi secundae periodi Concilii, necnon schematis decreti *de instrumentis communicationis socialis* et relationis generalis de eodem schemate emendato. Item monuit de illo schemate duas suffragationes peractum iri, sequenti feria V: primam de prooemio et cap. I; alteram de cap. II.

Tunc legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Carolus Confalonieri, Ferdinandus Cento, Iulius Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis; exc.mi PP. DD. Conradus Mingo, arch. Montis Regalis, Michael Gonzi, arch. Melitensis, Emmanuel de Carvalho, ep. Angrensis, Conradus De Vito, ep. Lucknovensis, Antonius Añoveros, ep. coad. Gadicensis, Edmundus Nowicki, ep. coad. Gedanensis, Ioannes Pohlschneider, ep. Aquisgranensis, Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis; rev.mus P. D. Benedictus Reetz, praeses Congr. Beuronensis O.S.B.; exc.mi PP. DD. Antonius Caillot, ep. coad. Eboracensis, Peregrinus de la Fuente, ep. tit. Milasensis, Carolus Saboia Bandeira de Mello, ep. Palmensis; rev.mus P. D. Aloisius Gavazzi, abb. null. coad. Sublacensis; exc.mus P. D. Romanus Arrieta, ep. Pluviensis.

Durante congregatione, Patribus distributa sunt: *Numismata commemorativa secundae periodi Concilii; Schema emendatum decreti de instrumentis communicationis socialis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Relatio generalis de iis quae a commissione conciliari de fidelium apo-*

stolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis peracta sunt ad textum decreti emendandum, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,08 moderator annuntiavit quaestionem crastina die suffragationi proponendam circa cap. V schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et rogavit ut qui loqui vellent de cap. III eiusdem schematis nomina sua cum summa sermonis traderent secretariae generali. Tandem indixit congregationem proximam sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,12 finita est.

LXV

Congregatio generalis sexagesima quinta habita est die 12 novembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.163 Patres, nempe: 57 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 365 archiepiscopi, 1.565 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 58 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. D. Benno Gut, abb. primate Benedictinorum confoederatorum. Chorus alumnorum Pontificii Collegii S. Anselmi in Urbe exsecutus est cantus modo gregoriano: *Spiritus Domini replevit, Domine Deus in simplicitate, Sanctus* (IX), *Veni Sancte Spiritus* (post *Alleluia*), *Agnus Dei* (IX), *Veni Sancte Spiritus* (sequentia).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes.* S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Emmanuel Serrano Abad, arch. Conchensis, dum chorus et Patres alternatim cantant ant. *Cantate Domino canticum novum* et canticum *Magnificat.*

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, pro disceptatione cap. II schematis *de episcopis ac dioecesium regimine,* et annuntiavit distributionem libelli continentis commissiones conciliares. Dein legit nomina Patrum, qui circa cap. II praefati schematis adhuc loqui petierant.

Tunc moderator suffragationem proposuit quaestionis: utrum placeret omitti disceptationem circa cap. V schematis *de episcopis ac dioecesium regimine* eiusque materiam remitti ad Codicis Iuris Canonici recognitionem. In casu responsionis affirmativae, Patres poterant ad secretariam generalem mittere animadversiones, quas circa illud argumentum iam paraverant.

Ad loquendum de cap. II *de episcopis ac dioecesium regimine* ex

ordine vocati sunt em.mus card. P. D. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi PP. DD. Vincentius Zazpe, ep. Raphaelensis, Ioannes Hervás, ep. tit. Doritanus, Franciscus Zak, ep. S. Hyppolyti, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis, Iacobus Le Cordier, ep. aux. Parisiensis, Thomas Cahill, ep. Cairnensis.

Interim Patribus distributus est libellus, cui titulus: *Commissioni Conciliari,* 2 ed., Tipografia Poliglotta Vaticana 1963.

Hora 10,42 moderator Patres monuit ut locis suis manerent vel ad ea redirent.

Dein ad loquendum adhuc vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum, Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus.

Hora 11,06 moderator proposuit ut disceptatio de cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* concluderetur. Patres surgendo consenserunt et moderator monuit illos, de quibus in art. 57 § 6 *Ordinis Concilii celebrandi,* adhuc iure loquendi gaudere.

Dein secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis, peractae circa cap. V schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine*: praesentes votantes 2.166, *placet* 2.025; *non placet* 141. Ergo propositio Patribus placuit.

Idem secretarius generalis annuntiavit transitum ad disceptationem super cap. III schematis *de episcopis ac dioecesium regimine*: « De nationali episcoporum coetu seu conferentia », et proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, pro illo capite.

Exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus, relationem de praefato capite habuit.

Tunc secretarius generalis legit nomina Patrum, qui super cap. III loqui petierant.

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioseph McIntyre, arch. Angelorum in California, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus; exc.mus P. D. Michael Klepacz, ep. Lodzensis.

Tandem moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,15 finita est.

LXVI

Congregatio generalis sexagesima sexta habita est die 13 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.167 Patres, nempe: 59 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 362 archiepiscopi, 1.568 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Sacra Liturgia S. Ioannis Chrysostomi iuxta ritum byzantinum-russicum, cuius *Ordo* typis impressus Patribus distributus fuerat, in festo S. Ioannis Chrysostomi celebrata est ab exc.mo P. D. Andrea Katkoff, ep. tit. Naupliensi, concelebrantibus aliquibus patribus Pontificii Collegii Russici in Urbe. Chorus Pontificii Collegii Russici cantus exsecutus est.

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et inthronizatio S. Evangelii codicis ab ipso celebrante P. D. Andrea Katkoff facta est, dum chorus cantat.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, et legit nomina eorum, qui circa cap. II — nomine plus quam quinque membrorum — et circa cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* loqui postulaverant. Item recolit sequenti die factum iri suffragationem circa schema *de instrumentis communicationis socialis.*

Dein ad loquendum de cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* a moderatore ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis, Ioseph Busimba, ep. Gomaensis, Ioseph Melas, ep. Nuorensis.

Hora 10,33 transitus factus est ad disceptandum circa cap. III eiusdem schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Ex ordine locuti sunt em.mi cardd. PP. DD. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis; exc.mi PP. DD. Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus, Geraldus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis, Aloisius Carli, ep. Signinus, Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis, Antonius Pildáin, ep. Canariensis, Aemilius Guerry, arch. Cameracensis, Ioseph Dammert, ep. Cajamarcensis, Garabed Amadouni, exarcha ap. pro Armenis in Gallia, Aloisius Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis, Guido Riobé, ep. Aurelianensis, Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis.

Tandem moderator annuntiavit post schema *de episcopis ac de dioe-*

cesium regimine disceptatum iri circa schema *de Oecumenismo,* et indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam.

Tunc em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,15 finita est.

LXVII

Congregatio sexagesima septima habita est die 14 novembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.176 Patres, nempe: 59 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 365 archiepiscopi, 1.574 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 56 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

Missa de festo S. Iosaphat, ep. et mart., celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Raimundo M. Tchidimbo, arch. Konakriensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Ave verum Corpus* (Bartolucci), *Pange lingua* (Bartolucci), *Verbum caro* (Bartolucci), *Ecce panis* (Bartolucci).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et exc.mus P. D. Petrus Kalwa, ep. Lublinensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Dein secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, pro disceptatione circa cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* et communicavit mortem rev.mi P. D. Gabrielis Sortais, abb. gen. O.C.R. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant alternatim cum Patribus recitavit *De profundis* cum versiculis et oratione.

Dein secretarius generalis significavit a die 28 novembris ad diem 6 decembris sequentis anni (1964) celebratum iri Congressum Eucharisticum Internationalem in civitate Bombayensi in India; ideoque Concilium Oecumenicum ita dispositum iri ut Patres eidem Congressui interesse possent.

Item annuntiavit distributionem libelli continentis Epistulam Apostolicam *Summi Dei Verbum,* diei 4 novembris 1963, quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Tridentino sacra Seminaria.

Tandem legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant circa cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Lecta relatione ab exc.mo P. D. Renato Stourm, arch. Senonensi, secretarius generalis legit initium et finem prooemii et cap. I schematis

de instrumentis communicationis socialis, de quo suffragatio peragenda erat.

Tunc ad loquendum de cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi card. PP. DD. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis; exc.mus P. D. Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis.

Dein secretarius generalis legit initium et finem cap. II schematis *de instrumentis communicationis socialis,* de quo suffragatio agenda erat. Postea prosecuta est disceptatio circa cap. III *de episcopis ac de dioecesium regimine* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Edmundus Peiris, ep. Chilawensis, Ioannes Garner, arch. Praetoriensis, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis; rev.mus P. D. Benedictus Reetz, praeses Congregationis Beuronensis O.S.B.; exc.mi PP. DD. Antonius Santin, arch. Tergestinus, Ludovicus Cabrera, ep. S. Ludovici Potosiensis.

Interim Patribus distributus est libellus, cui titulus: *Epistula Apostolica « Summi Dei Verbum »*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 11,16 moderator conclusionem disceptationis de cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* proposuit. Patres surgendo consenserunt, et moderator monuit ut qui iuxta art. 57 § 6 *Ordinis Concilii Celebrandi* adhuc loqui vellent de cap. III, quam primum nomen darent secretariae generali.

Secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, pro disceptatione circa cap. IV schematis *de episcopis ac dioecesium regimine.*

Lecta relatione ab exc.mo P. D. Aloisio Carli, ep. Signino, ad loquendum de cap. IV ex ordine a moderatore vocati sunt em.mus P. D. card. Mauritius Feltin, arch. Parisiensis; exc.mi PP. DD. Alexander Renard, ep. Versaliensis, Franciscus Peralta, ep. Victoriensis, Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis, Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis.

Hora 12,13 secretarius generalis legit exitum suffragationum, quae peractae fuerant. Suffragatio I (circa prooemium et cap. I): praesentes votantes 2.168; maioritas requisita 1.445; *placet* 1.832; *non placet* 92; *placet iuxta modum* 243; votum nullum 1. Suffragatio II (circa cap. II et clausulas): praesentes votantes 2.126; maioritas requisita 1.418; *placet* 1.893; *non placet* 103; *placet iuxta modum* 125; vota nulla 5.

Secretarius generalis addidit moderatores statuisse sequenti hebdomade factum iri suffragationem circa integrum schema *de instrumentis communicationis socialis,* adhibita formula *placet, non placet.*

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9,

habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant recitavit preces *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,19 finita est.

LXVIII

Congregatio generalis sexagesima octava habita est die 15 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.123 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 362 archiepiscopi, 1.531 episcopi, 9 abbates nullius, 12 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 79 superiores generales.

Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Tullio Botero Salazar, arch. Medellensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Adoramus te Christe* (Ruffo), *Sanctus* (Victoria), *Benedictus* (Asola), *Domine non sum dignus* (Victoria).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et S. Evangelii codex ab exc.mo P. D. Paulo Dalmais, arch. Arcis Lamy, super paratum thronum statutus est, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* cum Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...*, secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et legit nomina Patrum, qui adhuc super cap. III et super cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* loqui petierant.

Ex ordine ad loquendum de cap. III a moderatore vocati sunt: em.mus card. P. D. Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis; exc.mi PP. DD. Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae, Elias Zoghby, arch. tit. Nubiae, Michael Ntuyahaga, ep. Usumburaensis.

De cap. IV ex ordine locuti sunt exc.mi PP. DD. Stephanus László, ep. Sideropolitanus et Ioannes Velasco, ep. Hsiamenensis.

Hora 10,28 secretarius generalis annuntiavit sequenti dominica Summum Pontificem translaturum esse reliquias Ss. Cyrilli et Methodii in Ecclesiam S. Clementis; vespere autem eundem Pontificem, in Basilica S. Petri, veneraturum esse novum Beatum Vincentium Romano.

Item communicavit distributum iri fasciculum modorum ad prooemium et cap. I *de S. Liturgia,* de quo suffragationem sequenti feria II agendam esse.

Prosecuta est disceptatio de cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Bernardus Stein, ep. tit. Dagnensis, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis, Dominicus Athaide, arch. Agraensis, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Marcel-

lus Gonzalez, ep. Asturicensis, Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus, Radulfus Zambrano, ep. Facatativensis, Ferdinandus Romo Gutierrez, ep. Torreonensis, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus, Antonius Khoreiche, arch. Sidoniensis Maronitarum.

Interim Patribus distributus est fasciculus, cui titulus: *Schema de sacra Liturgia: Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinati: Prooemium - Caput I,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora vero 11,45, cum omnes oratores quoad cap. IV schematis *de episcopis ac dioecesium regimine* locuti essent, em.mus card. P. D. Paulus Marella, praeses commissionis de episcopis et dioecesium regimine, verba conclusiva pronuntiavit.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti feria II, hora 9, habendam, in qua disceptatum iri circa schema *de Oecumenismo* in genere. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 11,48 finita est.

LXIX

Congregatio generalis sexagesima nona habita est die 18 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.171 Patres, nempe: 63 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 367 archiepiscopi, 1.560 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 57 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

Missa de dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Pericle Felici, arch. tit. Samosatensi, Concilii secretario generali et S. Petri Basilicae vicario. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Caelestis urbs Ierusalem* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Perosi), *Panis angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Emmanuele Mabathoana, arch. Maserueno, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Recitata prece *Adsumus...,* secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et annuntiavit distributum iri relationem super schema decreti *de Oecumenismo*; emendationes super idem schema; libellum de traditione Petri in Vaticano iuxta historiam et archeologiam.

Dein legit nomina Patrum, qui loqui postulaverant. Tunc em.mus card. Lercaro, arch. Bononiensis, legit relationem generalem de iis quae

a commissione de sacra Liturgia peracta fuerant ad expendendos modos quoad prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

Exc.mus P. D. Sebastianus Valloppilly, ep. Tellicherriensis, locutus est de cap. IV schematis *de episcopis et dioecesium regimine.*

Hora 10,30 em.mus card. P. D. Hamletus Ioannes Cicognani, praeses commissionis de ecclesiis orientalibus, legit relationem generalem circa decretum *de Oecumenismo,* et exc.mus Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis, relationem legit de capp. I, II, III eiusdem schematis.

Tunc secretarius generalis annuntiavit suffragationem super modos respicientes prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia.* Exc.mus P. D. Albertus Martin, ep. Nicoletanus, relationem legit, qua expleta, suffragatio facta est.

Hora 11,12 incepta est disceptatio circa schema *de Oecumenismo* in genere et locuti sunt em.mi cardd. PP. DD. Ignatius Gabriel Tappouni, patr. Antiochenus Syrorum, Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus, Beniaminus de Arriba y Castro, arch. Tarraconensis, Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Ioseph Humbertus Quintero, arch. Caracensis, Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokyensis; beat.mi Stephanus Sidarous, patr. Alexandriae, Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum.

Durante congregatione Patribus distributa sunt: *Relatio super schema decreti de Oecumenismo,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema decreti de Oecumenismo,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; M. GUARDUCCI, *La tradizione di Pietro in Vaticano alla luce della storia e dell'archeologia,* Tipografia Poliglotta Vaticana 1963.

Hora 12,18 secretarius generalis legit exitum suffragationis circa modos respicientes prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.090; *placet* 2.066; *non placet* 20; vota nulla 4 (quorum 1 *iuxta modum*).

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...,* *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,22 finita est.

LXX

Congregatio generalis septuagesima habita est die 19 novembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.182 Patres, nempe: 58 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 367 archiepiscopi, 1.580 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 83 superiores generales.

Missa iuxta ritum Ecclesiae Malankarensis (cuius textus typis impressus antea Patribus distributus erat) celebrata est ab exc.mo P. D. Gregorio Thangalathil, arch. Trivandrensi Syrorum Malankarensium, pro felici exitu Concilii et praesertim pro optata unione christianorum. Ritus commentarium factum est a rev. P. Ioseph Gnayalloor e Collegio Damasceno.

Post Missam, S. Evangelii codicis inthronizatio ab exc.mo P. D. Athanasio Polachirakal, ep. Tiruvallensi, facta est.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Adsumus*... recitata, ex ambone proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian. Item annuntiavit distributum iri fasciculum modorum circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* et cap. V schematis *de Oecumenismo.*

Dein legit nomina Patrum, qui de schemate *de Oecumenismo* in genere loqui postulaverant.

Antequam autem disceptatio de schemate *de Oecumenismo* in genere prosequeretur, lectae sunt relationes de ceteris capitibus eiusdem schematis: exc.mus P. D. Gabriel Bukatko, arch. tit. Mocissenus, coad. Belogradensis, de parte prima cap. III; em.mus card. P. D. Augustinus Bea de cap. IV; exc.mus P. D. Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis, de cap. V.

Dein ad loquendum de schemate *de Oecumenismo* in genere ex ordine vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Paulus Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus, Franciscus König, arch. Vindobonensis, Laureanus Rugambwa, arch. Bukobaensis; beat.mi PP. DD. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum, Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi PP. DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus, Arturus Elchinger, ep. coad. Argentinensis, Ioannes McQuaid, arch. Dublinensis, Carolus de Provenchères, arch. Aquensis.

Interim Patribus distributi sunt fasciculi: *Schema decreti de Oecumenismo,* cap. V, Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinati,* cap. II: *De sacrosancto Eucharistico mysterio,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Moderator indixit proximam congregationem, sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus*... recitavit, et congregatio hora 12,17 finita est.

LXXI

Congregatio generalis septuagesima prima habita est die 20 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.186 Patres, nempe: 60 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 364 archiepiscopi, 1.583 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto, ritu romano, celebrata est ab exc.mo P. D. Dominico Vendargon, ep. Kuala Lampurensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *Beati eritis* (Croce), *O sacrum convivium* (Viadana), *Miserere mei* (Victoria).

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo P. D. Marcello Maradan, ep. Portus Victoriae, dum omnes cantant *Credo* modo gregoriano.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*. Ex ambone proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Gregorii Petri Agagianian, et annuntiavit suffragationes et fasciculi distributionem illa die faciendas. Deinde legit nomina Patrum, qui circa schema *de Oecumenismo* in genere loqui petierant.

Tunc exc.mus P. D. Iesus Enciso, ep. Maioricensis, relationem legit de modis ad cap. II schematis *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis annuntiavit suffragationem, per *placet* et *non placet,* super integrum schema *de instrumentis communicationis socialis* factum iri sequenti feria II. Et legit primum modum ad cap. II *de sacra Liturgia*.

Ad loquendum super schema *de Oecumenismo* in genere, ex ordine, a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, et Antonius Bacci.

Tunc secretarius generalis legit secundum modum ad cap. II *de sacra Liturgia,* et circa schema *de Oecumenismo* in genere locutus est exc.mus P. D. Angelus Jelmini, ep. tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis.

Dein secretarius generalis legit tertium modum ad cap. II *de sacra Liturgia,* et circa schema *de Oecumenismo* in genere locutus est exc.mus P. D. Andreas Sapelak, ep. tit. Sebastopolitanus.

Secretarius generalis tandem legit quaesitum generale de expensione reliquorum modorum ad cap. II *de sacra Liturgia,* et circa schema *de Oecumenismo* locuti sunt exc.mi PP. DD. Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis, Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis;

Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis, Robertus Chopard-Lallier, praef. ap. Parakonensis.

Secretarius generalis Patres, qui de cap. I *de Oecumenismo* loqui desiderabant, invitavit ut nomen darent secretariae generali, et legit exitum suffragationum, quae peractae fuerant circa cap. II *de sacra Liturgia.* Modus I: praesentes votantes 2.182; *placet* 2.057; *non placet* 123; vota nulla 2. Modus II: praesentes votantes 2.182; *placet* 2.047; *non placet* 131; vota nulla 4. Modus III: praesentes votantes 2.143; *placet* 2.014; *non placet* 128; votum nullum 1. Responsum ad quaesitum generale circa expensionem reliquorum modorum ad cap. II: praesentes votantes 2.091; *placet* 2.056; *non placet* 31; vota nulla 4 (quorum 1 *iuxta modum*).

Dein secretarius generalis proposuit quaesitum: utrum placeret integrum cap. II.

Tunc moderator illustravit quae em.mus card. Bacci dixerat, et ad loquendum circa schema *de Oecumenismo* in genere ex ordine vocavit exc.mos PP. DD. Andream Jacq, ep. tit. Cerasenum, Antonium Ferreira, ep. Portugallensem, Bonaventuram de Uriarte, vic. ap. S. Raymundi.

Interim Patribus distributi sunt libelli: *Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinati,* cap. III: *De ceteris sacramentis et de sacramentalibus,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; cap. IV: *De officio divino,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Tandem secretarius generalis legit exitum suffragationis de integro cap. II *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.152; *placet* 2.112; *non placet* 40. Ergo cap. II probatum est.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,20 finita est.

LXXII

Congregatio generalis septuagesima secunda habita est die 21 novembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.188 Patres, nempe: 57 cardinales, 6 patriarchae, 10 primates, 369 archiepiscopi, 1.580 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu romano, in lingua paleo-slavica, cuius textus omnibus antea distributus fuerat, ab exc.mo P. D. Andrea G. Grutka, ep. Gariensi. Chorus Cappellae Sixtinae una cum cantoribus slovachis exsecutus est cantus.

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo

P. D. Michaele Bernard, arch. Brazzapolitano, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit,* cum Ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Agimus...* recitata, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis. Item Patres monuit electionem novorum membrorum pro singulis commissionibus factum iri, et annuntiavit distributionem libelli, continentis modos circa capp. V-VII schematis *de sacra Liturgia.*

Dein legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa schema *de Oecumenismo* in genere.

Tunc exc.mus P. D. Otto Spülbeck, ep. Misnensis, legit relationem circa modos ad cap. III schematis *de sacra Liturgia.* Postea secretarius generalis legit primum modum super idem caput.

Ad loquendum de schemate *de Oecumenismo* in genere vocatus est exc.mus P. D. Iacobus Flores, ep. Barbastrensis.

Lecto dein a secretario generali secundo modo ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* ad loquendum de schemate *de Oecumenismo* in genere vocati sunt exc.mi PP. DD. Hermenegildus Florit, arch. Florentinus, Ioannes Aramburu, arch. Tucumanensis.

Secretarius generalis legit tertium modum ad cap. III schematis *de sacra Liturgia,* et de schemate de *Oecumenismo* in genere locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis, et Ioannes Hervás, ep. prael. Cluniensis.

Secretarius generalis legit quaesitum generale circa expensionem reliquorum modorum ad cap. III *de sacra Liturgia,* et de schemate *de Oecumenismo* in genere locuti sunt exc.mi PP. DD. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, et Andreas Hamvas, ep. Csanadiensis.

Interim Patribus distributus est libellus: *Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de sacra Liturgia examinati,* capp. V, VI, VII: *De anno liturgico; De musica sacra; De arte sacra deque sacra supellectile,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 11,12 moderator proposuit conclusionem disceptationis circa schema *de Oecumenismo* in genere. Fere omnes Patres, surgendo, consenserunt. Dein moderator Patres rogavit ut suffragium darent quaesito: utrum tria priora capitula schematis *de Oecumenismo* fundamentum praebere possint ulterioris disceptationis. Exc.mus P. D. Ioseph Martin, arch. Rothomagensis, suffragationis momentum illustravit.

Dein secretarius generalis nomina legit eorum, qui circa cap. I schematis *de Oecumenismo* loqui postulaverant, et ad loquendum vocatus est exc.mus P. D. Henricus Nicodemo, arch. Barensis.

Postea secretarius generalis legit exitum suffragationum circa modos ad cap. III schematis *de sacra Liturgia*. Modus I: praesentes votantes 2.185; *placet* 1.848; *non placet* 335; vota nulla 2 (*iuxta modum*). Modus II: praesentes votantes: 2.182; *placet* 2.084; *non placet* 96; vota nulla 2 (quorum 1 *iuxta modum*). Modus III: praesentes votantes 2.106; *placet* 1.972; *non placet* 132; vota nulla 2. Quaesitum generale: praesentes votantes 2.031; *placet* 1.999; *non placet* 29; vota nulla 3.

Post orationem exc.mi P. D. Hermanni Volk, ep. Moguntini, de cap. I *de Oecumenismo,* secretarius generalis legit exitum suffragationis super quaesitum circa tria priora capita schematis *de Oecumenismo*: praesentes votantes 2.052; *placet* 1.966; *non placet* 86.

Item proposuit suffragationem super integrum cap. III *de sacra Liturgia.*

Prosecuta est disceptatio circa cap. I *de Oecumenismo* et locuti sunt exc.mi PP. DD. Emmanuel Talamás, ep. Civitatis Juarezensis, Aloisius Carli, ep. Signinus, Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum.

Secretarius generalis legit exitum suffragationis super integrum cap. III *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.143; *placet* 2.107; *non placet* 35; votum nullum 1. Ergo cap. III probatum est.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,18 finita est.

LXXIII

Congregatio generalis septuagesima tertia habita est die 22 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.181 Patres, nempe: 62 cardinales, 4 patriarchae, 10 primates, 377 archiepiscopi, 1.566 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missa celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Leone Stephano Duval, arch. Algeriensi, in festivitate S. Caeciliae V. M., patronae Pontificiae Cappellae Musicalis Sixtinae, cuius chorus exsecutus est cantus: *Dum aurora finem daret* (Palestrina), *Sanctus* (Bartolucci), *Panis angelicus* (Bartolucci).

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis ab exc.mo P. D. Vincentio González y Robleto, arch. Managuensi, facta est, dum chorus et Patres alternatim cantant *Magnificat* modo gregoriano (8 G).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secre-

tarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Agimus...* recitata, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis.

Deinde communicavit distributum iri notificationem circa novos commissionum sodales eligendos, et conferentiarum episcopalium praesides rogavit ut quamprimum elenchos exhiberent. Item annuntiavit distributum iri relationem generalem, quam card. Iacobus Lercaro de schemate *de sacra Liturgia* legerat; conspectum redactum a commissione de doctrina fidei et morum circa laborem peractum; modos super schema *de instrumentis communicationis socialis.*

Tandem annuntiavit suffragationem super integrum schema *de sacra Liturgia* per *placet, non placet,* et legit nomina eorum, qui loqui petierant circa schema *de Oecumenismo* in genere et dein circa cap. I eiusdem schematis.

Relationes legerunt: exc.mus P. D. Albertus Martin, ep. Nicoletanus, circa modos in cap. IV schematis *de sacra Liturgia*; exc.mus P. D. Franciscus Zauner, ep. Linciensis, circa modos in cap. V; exc.mus P. D. Caesarius D'Amato, abbas S. Pauli extra moenia, circa modos in cap. VI; exc.mus P. D. Carolus Rossi, ep. Bugellensis, circa modos in cap. VII.

Secretarius generalis legit quaesitum generale quoad expensionem modorum ad tria capita V-VII simul eiusdem schematis *de sacra Liturgia.*

Tunc ad loquendum circa schema *de Oecumenismo* in genere ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Fortunatus da Veiga Coutinho, coad. Belgaumensis, Ioseph Pont y Gol, ep. Segobricensis, Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis.

Dein circa cap. I eiusdem schematis *de Oecumenismo* locuti sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Mazur, aux. Lublinensis, et Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis.

Hora 11,16 secretarius generalis communicavit sequenti die, in Basilica S. Petri, hora 10, celebratum iri Missam *de Requiem* pro cardinalibus ceterisque Patribus conciliaribus, qui elapso anno mortui erant; hora autem 17, in eadem Basilica, solemnem caeremoniam celebratum iri in honorem martyris unitatis S. Iosaphat Kurcewycz, occasione depositionis eius reliquiarum sub altari S. Basilii M.

Deinde secretarius generalis proclamavit exitum suffragationum, quae factae fuerant circa cap. IV schematis *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.183; *placet* 2.131; *non placet* 50; vota nulla 2 (quorum 1 *iuxta modum*).

Ad reliqua capita eiusdem schematis: praesentes votantes 2.156; *placet* 2.149; *non placet* 5; vota nulla 2.

Tandem invitavit Patres ad suffragium dandum per *placet, non pla-*

cet, circa integrum schema *de sacra Liturgia,* cuius legit priora et ultima verba uniuscuiusque capitis.

Postea prosecuta est disceptatio, et circa cap. I schematis *de Oecumenismo* locuti sunt exc.mi PP. DD. Felix Romero, ep. Giennensis, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis, Claudius Flusin, ep. S. Claudii, Vitus Chang Tso-Huan, ep. tit. Cyanitanus.

Interim Patribus distributa sunt opuscula: *Notificatio; Modi a Patribus Conciliaribus propositi, a commissione conciliari de fidelium apostolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis examinati,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; Commissio de doctrina fidei et morum: *De labore commissionis doctrinalis hucusque peracto,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Relatio generalis de iis quae a commissione conciliari de sacra Liturgia peracta sunt ad expendendos modos a Patribus propositos,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora autem 12,04 secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis circa integrum schema *de sacra Liturgia*: praesentes votantes 2.178; *placet* 2.158; *non placet* 19; votum nullum 1 (*iuxta modum*).

Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant gratias egit sodalibus et peritis commissionis *de sacra Liturgia.* Moderator indixit proximam congregationem generalem feria II proxima, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. Tisserant preces recitavit *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,10 finita est.

LXXIV

Congregatio generalis septuagesima quarta habita est die 25 novembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.145 Patres, nempe: 57 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 359 archiepiscopi, 1.551 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 86 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Abele Isidoro Antezana y Rojas, arch. Pacensi in Bolivia. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus: *O sacrum convivium* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *Ecce panis angelorum* (Bartolucci).

Post Missam, S. Evangelii codex ab exc.mo P. D. Petro Martin, ep. tit. Selinusiensi, vic. ap. Novae Caledoniae, super paratum thronum statutus est, dum omnes cantant *Credo* modo gregoriano (III).

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, recitata prece *Adsumus...*, ex ambone communicavit feria IV, die 4 decembris, hora 9, celebratum iri tertiam sessionem pu-

blicam Concilii. Item annuntiavit die 3 decembris, hora 9, in Basilica Vaticana, post Missae celebrationem coram Summo Pontifice, factum iri commemorationem quarti centenarii Ss. Tridentinae Synodi.

Tandem proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, et rogavit exc.mos conferentiarum episcopalium praesides ut nominum candidatorum elenchos pro electione, proxima feria V facienda, ad secretarium generalem deferrent. Insuper legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. I schematis *de Oecumenismo.*

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Paulus Aemilius Léger, arch. Mariopolitanus, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Augustinus Bea.

Hora 10,21 em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, primus e consilio praesidentiae, deploravit foliorum distributionem, quibus invitabantur Patres ad suffragia ferenda contra schema *de instrumentis communicationis socialis,* quia S. Concilii libertas atque tranquillitas perturbabatur.

Tunc exc.mus P. D. Renatus Stourm, arch. Senonensis, relationem legit circa modos expensos in schema *de instrumentis communicationis socialis,* et secretarius generalis indixit suffragationem circa quaesitum generale: an placeat expensio facta a commissione.

Dein ad loquendum circa cap. I schematis *de Oecumenismo* vocati sunt exc.mi PP. DD. Aemilius Guano, ep. Liburnensis, Ioseph Tawil, vic. patr. Melchitarum in Syria, rev.mus P. D. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P.; exc.mi PP. DD. Ioannes B. Ganamanyi, ep. Butarensis, Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis, Ioannes Canestri, aux. em.mi card. vic. in Urbe.

Secretarius generalis annuntiavit vespere, hora 5, in patriarchali archibasilica Lateranensi celebratum iri solemnes exsequias in suffragium honorati viri Ioannis Gerardi Kennedy, praesidis Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.

Dein proclamavit exitum suffragationis peractae: praesentes votantes 2.132; *placet* 1.788; *non placet* 331; vota nulla 13 (quorum 1 *iuxta modum*). Praeterea indixit suffragationem circa integrum schema *de instrumentis communicationis socialis.*

Prosecuta est disceptatio circa cap. I schematis *de Oecumenismo,* et locutus est exc.mus P. D. Anastasius Granados, aux. Toletanus.

Moderator proposuit concludi disceptationem circa cap. I schematis *de Oecumenismo.* Patres surgendo consenserunt.

Hora 11,36 secretarius generalis proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, pro

cap. II *de Oecumenismo,* et legit nomina Patrum, qui de illo capite loqui postulaverant.

Ex ordine ad loquendum vocati sunt: em.mus card. P. D. Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis; exc.mi PP. DD. Michael Darmancier, vic. ap. Insularum Vallis et Futuna, Nicolaus Margiotta, arch. Brundusinus, Stephanus Desmazières, aux. Burdigalensis, Petrus Martin, vic. ap. Novae Caledoniae.

Postea secretarius generalis communicavit exitum suffragationis circa integrum schema *de instrumentis communicationis socialis*: praesentes votantes: 2.112; maioritas requisita 1.408; *placet* 1.598; *non placet* 503; vota nulla 11. Ergo schema a Patribus probatum est.

Secretarius generalis in memoriam revocavit vespere, in Basilica Vaticana, solemnem caeremoniam celebratum iri in honorem S. Iosaphat, et illustravit monitum de conficiendis elenchis candidatorum ad commissionum sodales eligendos.

Moderator indixit proximam congregationem generalem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus...*, *Angelus...*, et congregatio hora 12,22 finita est.

LXXV

Congregatio generalis septuagesima quinta habita est die 26 novembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.131 Patres, nempe: 57 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 348 archiepiscopi, 1.548 episcopi, 10 abbates nullius, 13 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missa celebrata est iuxta ritum Ecclesiae Antiochenae Maronitarum ab exc.mo P. D. Ioseph Torbay, sup. gen. Ordinis Libanensis Maronitarum, et Maroun Harika, sup. gen. Ord. Antoniani S. Isaiae Maronitarum. Textus ritus antea Patribus distributus fuerat. Exc.mus P. D. Michael Doumith, ep. Sarbensis, ritum illustravit dum cantus exsequuntur Monachi S. Antonii et S. Isaiae et aliqui seminaristae libanenses.

Post Missam, S. Evangelii codex ab exc.mo P. D. Francisco Ayoub, arch. Aleppensi Maronitarum, super paratum thronum statutus est.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Adsumus...* recitata, ex ambone proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis.

Idem, nomine em.morum et exc.morum Patrum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis, vivos gratitudinis sensus manife-

stavit erga Patres ob eorum consortium luctus propter mortem praesidis Statuum Foederatorum. Dein annuntiavit sequenti die distributum iri elenchos Patrum propositorum ad eligendos sodales commissionum. In illa electione, statuente summo Pontifice, sufficiebat, inde a prima vice, maioritas relativa.

Dein legit nomina eorum, qui ad normam art. 57 § 6 *Ordinis* loqui adhuc petierant de cap. I schematis *de Oecumenismo;* necnon nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. II eiusdem schematis.

Moderator Patres monuit ut intra materiae et temporis limites manerent atque ad loquendum de cap. I schematis *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Gabriel Manek, arch. Endehensis, Raphael Gonzalez Moralejo, ep. tit. Dardanensis; rev.mus P. D. Sighardus Kleiner, abb. gen. Ordinis Cisterciensis; exc.mi PP. DD. Henricus Compagnone, ep. Anagninus, Stephanus Leven, aux. S. Antonii, Ioannes Zoa, arch. Yaundensis.

Dein ad loquendum de cap. II schematis *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt em.mi card. PP. DD. Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Radulfus Silva Henriquez, arch. S. Iacobi in Chile; beat.mus P. D. Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus latinorum; exc.mi PP. DD. Villelmus Conway, arch. Armachanus, Michael Klepacz, ep. Lodzensis, Antonius Cardoso Cunha, aux. Beiensis, Ioannes Gay, ep. Imae Telluris, Augustinus Farah, ep. Tripolitanus Melchitarum, Alfonsus M. Sanchez, ep. Papantlensis, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, Carolus Himmer, ep. Tornacensis.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus..., Angelus...,* et congregatio hora 12,21 finita est.

LXXVI

Congregatio generalis septuagesima sexta habita est die 27 novembris, feria IV, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.122 Patres, nempe: 54 cardinales, 7 patriarchae, 8 primates, 351 archiepiscopi, 1.541 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 55 praefecti apostolici, 84 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Gordon Gray, arch. S. Andreae et Edimburgensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus *Confitemini Domino* (Palestrina), *Ave verum Corpus* (Viadana), *Confirma hoc Deus* (Gallus).

Post Missam, inthronizatio S. Evangelii codicis facta est ab exc.mo

P. D. Francisco Minerva, ep. Lyciensi, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Adsumus...* recitata, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis. Item communicavit illa die distributum iri elenchos Patrum ad commissionum sodales eligendos, et fasciculum cum schedis electionis, sequenti die peragendae.

Dein legit nomina eorum, qui loqui petierant circa cap. II schematis *de Oecumenismo.*

Ad loquendum ex ordine vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioannes Nuer, aux. Thebanus, Vincentius Enrique y Tarancón, ep. Celsonensis, Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis, Conradus Mingo, arch. Montis Regalis, Eduardus Nécsey, adm. ap. Nitriensis, Paulus Schmitt, ep. Metensis, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis.

Hora 10,47 moderator conclusionem disceptationis circa cap. II schematis *de Oecumenismo* Patribus proposuit. Patres surgendo consenserunt.

Tunc secretarius generalis legit nomina eorum, qui circa cap. III schematis *de Oecumenismo* loqui petierant, et, proclamato nomine em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, monuit Patres ut in schedulis electionis, si casus ferret, ad distinguendas personas, nomen et cognomen, imo et dioecesim et munus electi inscriberent.

Dein ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mus card. P. D. Antonius Bacci; beat.mus Maximus IV Saigh, patr. Antiochenus Melchitarum, exc.mi PP. DD. Bernardinus Collin, ep. Diniensis, Georgius Dwyer, ep. Loidensis, Henricus Jenny, aux. Cameracensis, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis, Eduardus Mason, vic. ap. El Obeid, Antonius Baraniak, arch. Posnaniensis, Isaac Ghattas, ep. Thebanus, Narcissus Jubany Arnau, aux. Barcinonensis.

Durante congregatione, Patribus fasciculus distributus est, cui titulus: *Patrum Conciliarium indices sicut a Conferentiis Episcopalibus exhibiti sunt ad sodalium commissionum conciliarium numerum augendum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces recitavit *Agimus..., Angelus...,* et congregatio hora 12,18 finita est.

LXXVII

Congregatio generalis septuagesima septima habita est die 28 novembris, feria V, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.191 Patres, nempe: 59 cardinales, 7 patriarchae, 8 primates, 371 archiepiscopi, 1.581 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 87 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. D. Augustino Sépinski, min. gen. O.F.M. Cantus exsecutus est chorus Pontificii Seminarii Gallici: *Spiritus Domini replevit, Dicamus omnes* (una cum Patribus Conciliaribus), *Agnus Dei* (una cum Patribus Conciliaribus), *Ultimo festivitatis die.*

Post Missam, exc.mus P. D. Bernardus Yago, arch. Abidjanensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus, una cum Patribus, cantat *Gloria laus et honor.*

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, recitata prece *Adsumus...,* ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis. Deinde legit nomina eorum, qui adhuc circa cap. II schematis *de Oecumenismo* loqui petierant, necnon nomina eorum, qui circa cap. III eiusdem schematis loqui postulaverant.

Praeterea communicavit circa horam 10,30 factum iri electionem novorum sodalium commissionum.

Ad loquendum de cap. II schematis *de Oecumenismo* vocati sunt: em.mus card. P. D. Ioseph Frings, arch. Coloniensis; exc.mi PP. DD. Eugenius D'Souza, arch. Bhopalensis (qui iuri loquendi renuntiavit), Hyacintus Thiandoum, arch. Dakarensis, Vincentius Reyes, ep. Boronganensis, Aemilius Blanchet, arch. tit. rector Inst. Cath. Parisiensis; rev.mi PP. DD. Benedictus Reetz, sup. gen. Congr. Beuronensis O.S.B., Hilarion Capucci, sup. gen. Ord. Basiliani Aleppensis Melchitarum; exc.mi PP. DD. Antonius Pildáin, ep. Canariensis, Armandus Fares, arch. Catacensis-ep. Squillacensis, Villelmus Schoemaker, ep. Purvokertensis, Garabed Amadouni, exarcha ap. Armenorum in Gallia, Hannibal Muñoz Duque, arch. Neopamplonensis, Bernardinus Piñera Carvallo, ep. Temucensis, Lucianus Lebrun, ep. Augustodunensis, Henricus Golland Trindade, arch. Botucatuensis.

Hora 11,36 ad loquendum de cap. III *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt: beat.mus P. D. Paulus Petrus Meouchi, patr. Antiochenus Maronitarum; exc.mi PP. DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis,

Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus, Vladimirus Malanczuk, exarcha ap. Ucrainorum in Gallia.

Hora 12,11 secretarius generalis annuntiavit Summum Pontificem coram se admissurum Concilii peritos die 30 novembris, hora 19,15; secretarios autem Patrum die 3 decembris hora 19, eorumque autocinetos eadem die, hora 19,15. Dein legit intimationem praefecti Caeremoniarum Apostolicarum pro sessione publica diei 4 decembris.

Moderator indixit proximam congregationem generalem die 29 novembris, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,20 finita est.

LXXVIII

Congregatio generalis septuagesima octava habita est die 29 novembris, feria VI, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.094 Patres, nempe: 58 cardinales, 7 patriarchae, 9 primates, 351 archiepiscopi, 1.510 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 54 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

S. Missa (divina liturgia S. Patris Ioannis Chrysostomi) celebrata est, iuxta ritum byzantinum-graecum, ab exc.mo P. D. Hyacintho Gad, ep. tit. Gratianopolitano. Textus ritus omnibus antea distributus fuerat. Liturgia celebrata est iuxta intentionem omnium Patrum, praesertim Summi Pontificis Pauli VI, et potissimum ad unionem omnium christianorum. Chorus alumnorum Pontificii Collegii Graecorum de Urbe executus est cantus.

Post Missam, exc.mus P. D. Ioseph Perniciaro, ep. tit. Arbanensis, aux. Planensis Albanensium, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes,* et, recitata prece *Adsumus...,* communicavit summum Pontificem statuisse ut in sessione publica tertia diei 4 decembris ageretur de constitutione *de sacra Liturgia* et de decreto *de instrumentis communicationis socialis.* Item significavit temporis fines tertiae Concilii periodi, nempe a die 14 septembris ad diem 20 novembris 1964.

Deinde proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Leonis Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et annuntiavit distributionem textus definitivi constitutionis *de sacra Liturgia* necnon, sequenti feria II, decreti *de instrumentis communicationis socialis.*

Praeterea communicavit distributionem *Nuntii* ad universos Eccle-

siae catholicae sacerdotes, ad quem Patres, qui vellent, intra sequentis diei horam 14 animadversiones *scripto* tradere possent, ita ut sequenti feria II de eo suffragium ferri posset.

Tandem communicavit exitum electionum, quae pridie factae fuerant, de novis commissionum sodalibus; legit nomina eorum, qui loqui postulaverant circa cap. III *de Oecumenismo*; et annuntiavit Summum Pontificem, sequenti die, hora 19, coram se admissurum esse superiores generales, Patres Concilii.

Hora 10,36 ad loquendum de cap. III schematis *de Oecumenismo* ex ordine vocati sunt: em.mus card. P. D. Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus; exc.mi PP. DD. Lancellottus Goody, ep. Bumburiensis, Carolus Helmsing, ep. Kansanopolitanus-S. Ioseph, Ioseph Souto, ep. Palentinus, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis, Henricus Nicodemo, arch. Barensis, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis, Petrus Dib, ep. Cahirensis, Elias Zoghby, arch. tit. vic. patr. Melchitarum, Athanasius Hage, sup. gen. Ord. Basiliani S. Ioannis B., Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus.

Interim Patribus distributa sunt: *Nuntius Patrum Concilii Oecumenici Vaticani II ad universos catholicae Ecclesiae sacerdotes,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Constitutio de sacra Liturgia, de qua agetur in sessione publica diei 4 decembris 1963,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,08 secretarius generalis communicavit beatificationem venerabilis S. D. Nuntii Sulpitii, iuvenis operarii, die dominica 1 decembris habendam.

Inde moderator indixit proximam congregationem sequenti feria II, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus..., Angelus...* recitavit, et congregatio finita est hora 12,11.

LXXIX

Congregatio generalis septuagesima nona habita est die 2 decembris, feria II, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.110 Patres, nempe: 56 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 349 archiepiscopi, 1.528 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 53 praefecti apostolici, 85 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, ab exc.mo P. D. Petro Ngo-Dinh-Thuc, arch. Hueensi. Chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est cantus *Da pacem* (Bartolucci), *O salutaris hostia* (Bartolucci), *O memoriale* (Bartolucci).

Ante Missae celebrationem, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis annuntiaverat Missam celebratum iri in suffragium duorum fratrum celebrantis, quos omnium precibus commendavit.

Post Missam, exc.mus P. D. Amadeus Lefèvre, arch. Rabatensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus et Patres alternatim cantant *Christus vincit* et Ps. 116.

Deinde secretarius generalis intimavit: *Exeant omnes,* et, prece *Adsumus...* recitata, ex ambone, communicavit illam ultimam esse congregationem generalem secundae periodi Sacrosancti Concilii; sequenti vero die, coram Summo Pontifice, celebratum iri IV centenarium S. Tridentinae Synodi, et, celebratione expleta, Patribus communicatum iri speciale documentum Summi Pontificis *Pastorale munus,* de peculiaribus episcoporum facultatibus.

Monuit praeterea Patres novas adhuc animadversiones ad materiam iam discussam necnon ad alia schemata nondum discussa, ad secretariam generalem scripto mittere posse, non tamen post diem 31 ianuarii.

Proclamato nomine em.mi card. moderatoris P. D. Petri Gregorii Agagianian, annuntiavit, durante congregatione, distributum iri libellum continentem epistolas scriptas durante prima Concilii periodo ab em.mo card. P. D. Ioanne Montini, nunc Paulo Papa VI; textum decreti *de instrumentis communicationis socialis*; necnon relationem card. Iacobi Lercaro coram Summo Pontifice habitam die 15 novembris de laboribus illuc usque peractis.

Tandem communicavit, propter numerosas animadversiones a Patribus missas, *Nuntium ad universos sacerdotes* ad aliud tempus remittendum esse, et legit nomina eorum, qui in illa ultima congregatione generali loqui petierant.

Tunc ad loquendum ex ordine vocati sunt: em.mus card. P. D. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus; exc.mi PP. DD. Ernestus Green, ep. Portus Elisabethensis, Thomas Muldoon, aux. Sydneyensis, Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrensis, Victorius M. Costantini, ep. Suessanus, Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum; Franciscus Tomašek, ep. tit. Butiensis, Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum; rev.mus P. D. Christophorus Butler, sup. gen. Congreg. Anglicae O.S.B.; exc.mi PP. DD. Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum, Leo D'Mello, ep. Ajmer-Jaipurensis, Andreas Roborecki, ep. Saskatoonensis Ucrainorum.

Interim Patribus distributa sunt: G. B. card. MONTINI, *Roma e il Concilio*: *Lettere dal Concilio,* Milano 1963; *Decretum de instrumentis communicationis socialis de quo agetur in sessione publica diei*

4 decembris 1963, Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Relatio* card. Iacobi Lercaro coram Summo Pontifice die 15 novembris habita de laboribus peractis, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Em.mus card. P. D. Augustinus Bea verba conclusiva de universo schemate *de Oecumenismo* dixit, et exc.mus P. D. Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis, relationem legit circa schema *de apostolatu laicorum.*

Hora 11,49 secretarius generalis communicavit Summum Pontificem coram se admissurum adsignatores locorum simul cum secretariis Patrum Conciliarium sequenti die, hora 19.

Moderator Patres allocutus est gratias illis agens. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio generalis hora 11,56 finita est.

SESSIO PUBLICA II

QUA CONCILII VATICANI SECUNDI PERIODUS ALTERA INCHOATUR

29 septembris 1963

SESSIO PUBLICA II

QUA CONCILII VATICANI SECUNDI PERIODUS ALTERA INCHOATUR

die 29 septembris 1963

1. Processio et Missa

Dominica 29 septembris 1963, in festo S. Michaëlis Archangeli, hora 9, *Concilii Oecumenici Vaticani II periodus altera* sollemniter inchoata est.

Summus Pontifex, in Aula Paramentorum sacris vestibus assumptis, comitantibus cardinalibus tantum, dum ceteri Patres sua quaeque loca in Aula Conciliari occupant, ingressum fecit in Basilicam Vaticanam, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat hymnum *Ave maris stella* (Perosi), Patribus alternantibus modo gregoriano. Finito hoc hymno, idem chorus cantat antiphonam *Tu es Petrus* (Bartolucci).

Summus Pontifex, Basilicam ingressus, e sede descensus, accessit ad altare et, super faldistorium procumbens, hymnum *Veni Creator Spiritus* incepit, cantoribus prosequentibus polyphonico modo, auctore Bartolucci, alternatim cum populo, modo gregoriano canente.

Post hymni cantum, Pontifex recitavit versiculos et orationes:

Summus Pontifex: Protector noster aspice Deus.
℟ Et respice in faciem Christi tui.

Emitte Spiritum tuum et creabuntur.
℟ Et renovabis faciem terrae.

Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.
℟ Et de Sion tuere nos.

Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.
℟ Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Domine, exaudi orationem meam.
℟ Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.
℟ Et cum spiritu tuo.

Oremus: Deus, qui corda fidelium ...
Deus, refugium nostrum et virtus ...
Actiones nostras ... Per Christum Dominum nostrum.
℟ Amen.

Cantores: Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.
℟ Et custodiat nos semper. Amen.

Deinde, consueto ritu, Missa Pontificalis celebrata est de *Dedicatione S. Michaëlis Archangeli* a P. D. Eugenio card. Tisserant, ep. Ostiensi, Portuensi et Sanctae Rufinae ac sacri cardinalium collegii decano, ministrantibus Plinio Pascoli, presbytero assistente, Petro Altabella Gracia, diacono, et Ioseph Aluffi Pentini, subdiacono. Durante Missa, chorus Cappellae Sixtinae exsecutus est *Kyrie, Agnus Dei Missae Papae Marcelli,* auctore Palestrina, et motetum *Exaudi nos, Domine* atque antiphonam *O sacrum convivium,* auctore Bartolucci.

Missa expleta, benedictio a Summo Pontifice impertita est.

2. **Secundae sessionis inchoatio et fidei professio**

Post Missam, *secundae periodi Concilii prima sessio* inchoata est. Secretarius generalis, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit, dum chorus Cappellae Sixtinae cantat *Bonum est confiteri Domino,* auctore Palestrina.

Interfuerunt 2.271 Patres, nempe 68 cardinales, 7 patriarchae, 10 primates, 395 archiepiscopi, 1.630 episcopi, 10 abbates nullius, 14 praelati nullius, 61 praefecti apostolici, 76 superiores generales.

Summus Pontifex, genuflexus ad faldistorium, sollemnem fidei professionem pronuntiavit:

« Ego, Paulus, Catholicae Ecclesiae Episcopus, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia

die, secundum Scripturas: Et ascendit in caelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam, et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum sollemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catho-

licam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano I tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit curaturum, ego idem Paulus VI, Episcopus Ecclesiae Sanctae, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia ».

Dein Summus Pontifex ad thronum reversus est et illi praestita est oboedientia a PP. DD. cardinalibus, a patriarchis, a duobus tantum, nomine ceterorum, ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus et generalibus Ordinum, et a secretario generali Concilii.

Durante oboedientia, chorus Cappellae Sixtinae cantavit *Oremus pro Pontifice nostro Paulo...*

Finita oboedientia, exc.mus P. D. Pericles Felici, Concilii secretarius generalis, e suggestu monuit: Venerabiles Patres qui nondum emiserunt professionem fidei velint nunc mecum emittere. Quando pronuntiabo ultima verba, nempe: « Spondeo, voveo ac iuro... », mecum omnes eadem verba repetent, elata parumper voce. Deinde, in folio quod crastina tradetur, subscriptionem suam apponent et tradent idem folium assignatoribus loci.

« Ego, Pericles, archiepiscopus tit. Samosatensis, firma fide credo et profiteor omnia et singula quae continentur in Symbolo fidei quo S. R. Ecclesia utitur... ». (*Et sic prosequitur usque ad ultima verba*:) « ... Ego, idem Pericles Felici, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia ».

Postea Summus Pontifex Patres allocutus est.

3. Summi Pontificis allocutio *

Salvete, Fratres in Christo dilectissimi, quos undecumque gentium vocavimus, quo sancta et catholica Ecclesia suae protulit Hierarchiae ordines. Salvete vos, qui a Nobis invitati libentes huc confluxistis, ut una Nobiscum in altera interessetis Concilii Oecumenici Vaticani Secundi sessione, quam hodie Nos, auspice Michaële Archangelo, christiani populi Defensore, laeto animo inchoamus.

O, ut in hunc dignissimum Fratrum consessum, in quem ab orientis et occidentis regionibus, ab australibus et septemtrionalibus plagis viri lectissimi convenerunt, apte cadit fatale et nobile nomen *Ecclesiae,* hoc est congregationis et convocationis! O, ut nova quadam ratione nunc verbum illud impleri videtur, quod, dum in hoc intendimus spectaculum, Nostro occurrit animo: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum!* [1] O, ut mirabiliter coniunctae elucent arcanae illae Ecclesiae notae, quibus ipsam unam et catholicam praedicamus! Atque ex hoc spectaculo, quo Ecclesia universalis demonstratur, eo adducimur, ut non modo de eius origine apostolica cogitemus, quam hic veluti depictam et celebratam videmus, sed de fine etiam sanctos efficiendi homines, ad quem dilectissima Nobis Ecclesia Dei contendit. Quae sunt propriae Ecclesiae notae, eae refulgent; Christi Sponsae vultus renidet; omniumque nostrum animi eo sensu inflammantur, comperto quidem, sed semper arcano, quo percipimus nos mysticum Christi Corpus esse, eamque simul capimus sine exemplo maximam laetitiam, adhuc profanis hominibus incognitam, quae ex illa sententia oritur: *quam iucundum habitare fratres in unum.* [2] Nonnihil igitur iuvare putamus nos, a primo initio, ea perspicere et in animum nostrum admittere, quae ex humano divinoque eventu manant, qui nunc agitur. Hic enim iterum sumus, quasi in altero cenaculo, quod, non amplissima moles, sed congregatorum hominum multitudo facit angustum; hic caelitus Maria Virgo, Christi Mater, profecto nobis assidet; huc, circa Nos, qui, licet postremi tempore et meritis in Petri Apostoli successimus locum, cum eo tamen eamdem auctoritatem et munus obtinemus, vos, Venerabiles Fratres, convenistis, qui et ipsi apostoli estis, et a Collegio Apo-

---

* *A.A.S.,* 55 (1963), pp. 841-859. Summi Pontificis allocutio, Typis Polyglottis Vaticanis edita, Patribus distributa est in quadragesima sexta congregatione generali, die 11 octobris 1963.

[1] *Rom.* 10, 18; *Ps.* 18, 5.

[2] *Ps.* 132, 1.

stolico originem ducitis eiusque veri estis heredes; hic eadem fide eademque caritate coniuncti una preces fundemus; hic nos sine dubio superno dono fruemur Spiritus Sancti, praesentis, inflammantis, docentis, corroborantis; hic omnes omnium gentium linguae secum consonabunt, eritque univocus nuntius ad universitatem populorum mittendus; huc securo gressu pervenit Ecclesia, viginti iam saecula in hisce terris peregrinata; hic quasi ad fontem, omnem sitim restinguentem, novamque quamlibet sitim accendentem, reficitur agmen apostolicum, ab universo terrarum orbe congregatum; atque hinc, iterum per mundum perque tempus itinere suscepto, ad propositum contendet, quod ultra has terras est et ultra hoc aevum.

Salvete, Venerabiles Fratres: ita vos accipit vestrum minimus, servus servorum Dei, etsi summis clavibus onustus, a Christo Iesu Petro traditis; ita vobis ille gratias agit de testimoniis oboedientiae et fiduciae, quae vos eidem defertis; ita vobis ille re ipsa ostendit se velle vobiscum et precari, et loqui, et deliberare, et operari. A primo initio alterius sessionis magnae huius Synodi, Deum immortalem testamur, in Nostro animo neque ullum inesse humani dominii consilium, neque Nostrae solius potestatis studium; inesse vero votum et voluntatem divini obeundi mandati, quod Nos, Fratres, vestrum omnium constituit interque vos Summum Pastorem. Quod mandatum a vobis id petit, quod Nostrum efficit *gaudium et coronam,*[3] hoc est *sanctorum communionem,* vestram erga Nos fidelitatem, animum vestrum Nobiscum coniunctum, operam vestram Nobiscum sociatam. Nos autem in vicem ea vobis deferimus, quae deferre laetamur admodum: Nostram nempe venerationem, existimationem Nostram, Nostram fiduciam, caritatem Nostram.

Erat propositum Nobis ut, quemadmodum traditus mos suadebat, ad vos primas daremus Nostras Litteras Encyclicas; sed cur — ita Nobiscum ipsi quaesivimus — ea scripto communicemus, quae per faustissimam quandam singularemque opportunitatem — per hoc dicimus Concilium Oecumenicum — liceat voce cum praesentibus communicare? Omnino non possumus nunc cuncta exponere, quae mente agitamus, quaeque scriptis facilius tractantur. Sed tamen in praesentia hanc allocutionem sive Concilio huic, sive pontificali muneri Nostro proludere posse putamus. In praesens igitur vox Nostra in vicem reponatur Litterarum Encyclicarum, quas, Deo bene iuvante, ad vos speramus Nos esse daturos, operosis hisce diebus transactis.

---

[3] Cf. *Philip.* 4, 1.

Obsequium memoriae Ioannis XXIII delatum

Nunc autem, postquam vobis salutem diximus, oportere existimamus Nosmetipsos vobis proferre. Etenim recentes in pontificali munere sumus, quod obimus, vel potius inimus. Compertum enim habetis, die vicesimo primo superioris mensis Iunii — in quem nimirum diem Sacratissimi Cordis Iesu festum feliciter incidebat — Purpuratorum Patrum Collegium — cui praesenti gaudemus iterum obsequium et venerationem Nostram praebere — Nostra debilitate et humanitate neglecta, ad Romanam episcopalem Sedem, atque adeo ad Summum universae Ecclesiae Pontificatum eligere voluisse.

Qua de re dum Nobiscum recogitamus, facere non possumus, quin simul Nobis repraesentemus Decessorem Nostrum felicis et immortalis recordationis, Ioannem XXIII, quem valde dileximus. Cuius nomen Nobis, iisque omnibus quibus licuit eum contemplari in hac sede, quam Ipsi modo tenemus, memoriam affert eius imaginis dulcis et sacerdotalis; cum, die undecimo mensis Octobris superioris anni, primam inchoavit sessionem huius Concilii Oecumenici Vaticani Secundi, eamque habuit orationem, quae non tantum Ecclesiae, sed universae etiam hominum societati visa est praesagientis animi divinatio, ad nostram hanc aetatem quod attinet. Quae quidem oratio in memoria Nostra, in Nostraque conscientia adhuc personat, dum iter ostendit, quod Concilium instet; eademque profecto valebit ad animos nostros ab omni dubitatione, ab omnique lassitudine liberandos, si quae nos in difficili hoc itinere occupaverint. O carum et venerandum Ioannem Pontificem! Grates tibi agantur, tibi tribuantur laudes, quod Concilium hoc, divino quasi instinctus consilio, cogi iussisti, ut simul Ecclesiae novas aperires vias, simul a Christo Dei gratia novas easque bellefluentes aquas, adhuc occultas, in terras derivares. Tu, nullo terrenae rei stimulo incitante, nullis cogentibus singularibus adiunctis, quasi caelestis Numinis divinans consilia, atque in nostrae huius aetatis introspiciens obscuras acerbasque necessitates, comminutum filum Concilii Vaticani Primi resarciendum esse existimasti. Quod faciens, id etiam es consecutus, ut sponte eam diffidentiam discuteres, quam ex illo Concilio quidam immerito collegerant, quasi scilicet ad regendam Ecclesiam satis esset summa potestas Romano Pontifici a Christo Iesu collata atque ab eodem Concilio agnita, praetermisso Conciliorum Oecumenicorum auxilio.

Tu praeterea Fratres, Apostolorum successores, non solum coëgisti, ut intermissa studia et in suspenso relictae leges revocarentur, verum etiam ut iidem se cum Summo Pontifice veluti in unum corpus redactos sentirent, ab eoque robur acciperent et moderationem: *ut sacrum chri-*

stianae doctrinae depositum efficaciore ratione custodiatur atque proponatur.[4] Attamen cum nobiliore hoc Concilii proposito illud quoque coniunxisti, quod pastorale appellant, quodque in praesentia magis instans videtur et salubre quam primum. Etenim admonuisti: *Neque opus Nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur,* sed potius ut: *ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra.*[5] Insuper in iis, ex quibus magisterium ecclesiasticum constituitur, opinionem confirmasti, doctrinam christianam non esse solummodo veritatem ratione, quam fides illustraverit, investigandam, sed etiam verbum, vitam et operationem gignens; neque tantum Ecclesiae auctoritatem eo spectare debere, ut errores coargueret, qui eam polluissent, sed documenta etiam pronuntiare debere directa et vitalia, quorum eadem est ferax. Cum igitur magisterii ecclesiastici munus neque dumtaxat spectativum sit neque solum negans, necesse idcirco est, ut illud in hoc Concilio magis magisque vim virtutemque demonstret doctrinae Christi, qui dixit: *Verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*[6]

Nos igitur neutiquam obliviscemur normas, quae a Te, primo huius Concilii Patre, sapientissimo consilio impertitae sunt, et quas iuvat hic in mentem revocare: ... *nostrum non est pretiosum hunc thesaurum — doctrinae scilicet catholicae — solum custodire, quasi uni antiquitati studeamus; sed alacres sine timore operi, quod nostra exigit aetas, nunc insistamus, iter pergentes, quod Ecclesia a viginti fere saeculis fecit.* Quapropter: ... *eae inducendae erunt rationes res exponendi, quae cum magisterio, cuius indoles praesertim pastoralis est, magis congruant.*[7]

Neque a nobis illa magni momenti quaestio neglegetur, quae omnium unitatem spectat, quotquot in Christo credunt et ad Ipsius volunt pertinere Ecclesiam, quam Tu, Ioannes, indicasti tamquam paternam domum omnibus patentem; ita quidem ut altera celebranda sessio Concilii Oecumenici, a Te statuti et inchoati, viam fideliter terat a Te patefactam, ac proposita, quae flagrantissimis optasti votis, iuvante Deo, assequi possit.

Quaenam sint initi Concilii principium, via et finis

Quamobrem, Venerabiles Fratres, susceptum pergamus iter. Hoc autem manifestum consilium ad aliud considerandum Nostrum movet

---

[4] *A.A.S.*, v. LIV, 1962, p. 790.
[5] *Ibid.*, pp. 791-792.
[6] *Io.* 6, 64.
[7] *A.A.S.*, v. LIV, 1962, pp. 791-792.

animum: idque tam gravis momenti est tamque praeclarum, ut Nos impellat ad illud vobiscum communicandum, quamvis totus hic consessus de eo certior sit factus, eiusque quasi lumine perfundatur.

Undenam, Venerabiles Fratres, iter Nostrum initium sumet? Praeterea quaenam via terenda est, si magis quam ad rationes modo expositas, ad leges divinas attendamus, quibus obsequi oportet? Denique itineri nostro quinam est praestituendus finis? Qui quidem finis, dum his in terris degimus, quamquam ad mortalis huius vitae tempora et adiuncta accommodandus est, nihilominus semper spectare debet ad supremum hominis finem, ad quem post terrestrem hanc peregrinationem perveniamus oportet.

Hae tres quaestiones, quae quamquam intellectu facillimae sunt, maximae tamen sunt gravitatis, nonnisi unam habent responsionem, quam hac ipsa sollemni hora et in hoc consessu, repetendam esse nobismetipsis putamus et universo mundo nuntiandam: scilicet Christum, Christum dicimus, principium nostrum esse, Christum ducem et viam esse nostram, Christum esse spem nostram nostrumque finem.

Utinam hoc Concilium Oecumenicum vinculum illud plane perspectum habeat, unum et multiplex, firmum et incitans, arcanum et manifestum, arctum et suavissimum, quo nos cum Iesu Christo coniungimur, quo haec vivens ac sancta Ecclesia, hoc est nos, copulatur cum Christo, a quo procedimus, per quem vivimus, ad quem tendimus. Non alio lumine praesens hic consessus noster fulgeat, nisi Christo, qui est lux mundi; non aliam veritatem quaerant animi nostri, nisi verba Domini, qui unus est magister noster; nihil aliud studeamus nisi Eius praeceptis prorsus fideli obsequio obtemperare; non alia fiducia nos suffulciat, nisi ea quae flebilem roborat infirmitatem nostram, cum Ipsius verbis innitatur: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*[8]

Utinam hac grandi hora ad Dominum Nostrum Iesum Christum vocem Ipso dignam Nobis liceret extollere! Hic usurpamus Sacrae Liturgiae verba: *Te Christe, solum novimus - te mente pura et simplici - flendo et canendo quaesumus - intende nostris sensibus!*[9] Dum haec verba proferimus, ante oculos nostros, mirabundos ac trepidos, Iesus ipse obversari videtur, et quidem tanta insignis maiestate, quanta in vestris Basilicis, Venerabiles Ecclesiarum Orientalium Fratres, atque etiam in occidentalibus, Pantocrator refulget. Nosmetipsi quodammodo videmur

---

[8] *Matth.* 28, 20.

[9] *Hymnus ad Laudes,* feria IV.

personam gerere Decessoris Nostri Honorii III, qualis in abside Basilicae Sancti Pauli extra moenia splendido musivo opere effingitur, Christum adorans. Ille Pontifex statura pusillus et corpus quasi exinanitum humi prosternens, Christi pedes osculatur, qui immensa magnitudine praestans, instar magistri regali praediti maiestate, multitudini in Basilica congregatae, hoc est Ecclesiae, praesidet atque bene precatur. Iamvero spectaculum huiusmodi Nobis repraesentari videtur, non iam per imaginem in pariete lineis et coloribus descriptam, sed re ipsa, hoc nempe consessu nostro, qui Christum agnoscit ut principium et fontem, unde humanae redemptionis opus et Ecclesia manant; qui pariter Ecclesiam agnoscit tamquam eiusdem Christi terrestre idemque arcanum spiramentum et continuationem; ita quidem ut mentis nostrae oculi quasi ea Apocalypsis visione percellantur, quam Ioannes Apostolus his verbis describit: *Et ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni.*[10]

Nobis prorsus opportunum esse videtur, ut hoc Concilium ex huiusmodi imagine, immo vero ex mystica hac celebratione initium capiat. Haec enim celebratio Dominum Nostrum Iesum Christum esse Verbum incarnatum proclamat, Filium Dei et Filium hominis, mundi Redemptorem, hoc est humani generis spem eiusque unum ac summum Magistrum, Pastorem, Panem vitae, Pontificem nostrum nostramque Hostiam, unicum Mediatorem inter Deum et homines, Servatorem terrae, Regem venturum aeterni saeculi; ac praeterea eadem celebratio declarat nos esse a Christo divinitus vocatos, eiusque esse discipulos, apostolos, testes, administros, legatos; itemque una cum ceteris fidelibus vita ipsius membra, quae in immensum illud atque unum mysticum Corpus coalescunt, quod Ipse, fidei et sacramentorum ope, per humanas, continuas aetates sibi format; ipsius Ecclesiam dicimus, quae spiritualis et aspectabilis societas est, fraterna et hierarchica, nunc temporalis, aliquando autem perpetuo mansura.

Venerabiles Fratres, si id attento animo perpendimus, quod summi momenti est, scilicet Christum esse Conditorem nostrum nostrumque Caput, non oculis cernendum sed verum, ac nos ab Ipso omnia recipere, ita ut cum Eo efficiamur: *Christus totus*, de quo apud Sanctum Augustinum legimus, et quo tota doctrina de Ecclesia perfunditur, tunc sine dubitatione clarius patebunt praecipui huius Concilii fines; quos fines, brevitatis et claritatis causa, ad quattuor redigimus capita, quae sunt:

---

[10] *Apoc.* 22, 1.

notio vel, si magis id placet, conscientia Ecclesiae, eius renovatio, unitatis redintegratio inter christianos universos, et Ecclesiae collocutio cum nostrae aetatis hominibus.

Notio Ecclesiae plenius definienda

In primis dubium non est, quin id Ecclesia exoptet, immo necessitate et officio cogatur, ad dandam tandem de se ipsa plenam notionem. Ac nobis omnibus plane compertae sunt pulcherrimae imagines, quibus in Sacris Litteris natura Ecclesiae describitur; ea enim variis in locis appellatur aedificatio Christi, domus Dei, templum et tabernaculum Dei, eiusque populus, grex, vinea, campus, civitas, ac tandem Sponsa Christi eiusque mysticum Corpus. Quarum pulcherrimarum imaginum ubertas causa fuit cur Ecclesia, earum consideratione permota, se ipsam agnosceret ut societatem hisce in terris constitutam, aspectabilem, sacra praeditam hierarchia, pariterque arcana virtute intus animatam. Per praeclaras Encyclicas Litteras Decessoris Nostri Pii Papae XII, quibus initium *Mystici Corporis,* factum est, ut partim implerentur Ecclesiae optata, tradendi plenam de se ipsa doctrinam; partim vero eadem acrius impelleretur ad sui ipsius definitionem dandam propriam atque satis plenam. Concilium Oecumenicum Vaticanum primum iam sibi huiusmodi argumentum proposuerat, ad quod pertractandum docti viri, sive intra sive extra Catholicae Ecclesiae saepta, pluribus externis causis movebantur, cuiusmodi erant: socialis vitae incrementa, quibus huius temporis civilis cultus distinguebatur; aucta commercia inter homines; necessitas varias christianas professiones iudicandi iuxta veram univocamque notionem, in divina revelatione contentam; et id genus alia.

Mirum non est, si fere exactis viginti saeculis, postquam Christi religio condita est, ac post tot incrementa ab Ecclesia catholica ubique suscepta, a ceterisque religiosis communitatibus, quae a Christo nomen ducunt et Ecclesiae appellantur, mirum non est, inquimus, si vera, suprema ac plena notio Ecclesiae, quam Christus condidit et Apostoli aedificare coeperunt, adhuc accuratiore enuntiatione indiget. Nam Ecclesia mysterium est, scilicet arcana res, quae Dei praesentia penitus perfunditur, ac propterea talis est naturae, quae novas semper altioresque suipsius explorationes admittat.

Mens hominis cogitando et inveniendo natura sua progreditur. Ex veritatibus enim, quas experimentis percepit, ad concipiendas cognitiones ascendit ratione et via magis conspicuas et elatas. Ex aliis veritatibus alias dialectice infert; et cum in conspiciendo consistit, rem quandam multiplicem et prima praeditam certitudine, unum aliumve eius prospec-

tum considerat; ita ut illa investigantis animi industria explicetur, de qua humani generis historia enarrat.

Nobis prorsus videtur advenisse nunc tempus, quo circa Ecclesiam Christi veritas magis magisque explorari, digeri, exprimi debeat, fortasse non sollemnibus illis enuntiationibus, quas definitiones dogmaticas vocant, sed potius declarationibus adhibitis, quibus Ecclesia clariore et graviore magisterio sibi declarat quid de seipsa sentiat.

Conscientia Ecclesiae sibimetipsi clarescit, dum firmissimo obsequio verbis et sententiis Christi adhaeret, dum reverenti memoria sacrae Traditionis probata praecepta complectitur, dum interiori lumini Spiritus Sancti obsecundat, qui videtur hoc ab Ecclesia nunc exquirere, ut omnibus viribus nitatur, ut qualis ipsa sit ab hominibus plane agnoscatur.

Putamus hoc auspicato fore, ut Spiritus veritatis in hoc Oecumenico Concilio sacris Ordinibus Ecclesiae docentis radiantiorem lucem afferat, et evidentiorem proponat doctrinam de eiusdem Ecclesiae natura; atque perinde contingat, ut quasi Sponsa Christi in Ipso imaginem suam inquirat, et in Ipso, flagrantissimo mota amore, studeat propriam detegere formam, pulchritudinem scilicet, quam Ipse vult in Ecclesia sua elucentem.

Hanc ob rem argumentum princeps, quod in hac altera sessione Oecumenici Concilii proponetur, ad Ecclesiam ipsam spectabit. Cuius propterea intima natura penitus indagabitur, ut, pro humana fandi facultate, eius definitio idcirco exhibeatur, ut vera et primaria constitutio Ecclesiae altius ediscatur et eius multiplex salvificumque mandatum clarius patescat.

Potest inde theologica doctrina magnificas accipere explicationes plane dignas, quae etiam a seiunctis Fratribus attenta consideratione perpendantur; quae quidem explicationes, ut flagrantibus exoptamus votis, ipsis facilius usque iter demonstrent ad consensionum unitatem efficiendam.

Inter varias diversasque quaestiones, de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote Episcopos Ecclesiae Dei. Haud dubitamus asseverare Nos magna spe ac sincera fiducia huiusmodi disceptationem exspectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis Concilii Oecumenici Vaticani Primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de Episcopatu, de eius muneribus, deque eius cum Petro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus, ad doctrinam et usum vitae quod spectat, in apostolico munere Nostro obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores

vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in Episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam.

Postquam doctrina declarata erit, aliud caput eam enodationem subsequetur, quod ad compositionem pertinebit Corporis visibilis et mystici Christi, Ecclesiam scilicet militantem et peregrinantem in terris, hoc est sacerdotes, religiosos sodales, fideles, itemque seiunctos a nobis Fratres, qui et ipsi ad ei plene adhaerendum vocantur.

Neminem praeterit quodnam momentum et pondus habiturum sit hoc Concilii theologicum munus, ex quo Ecclesia conscientiam sui haurire potest, suae nempe virtutis, lucem, laetitiam et sanctimoniam gignentis. Utinam has spes Nostras impleat Deus!

Catholicae Ecclesiae renovatio

Quae spes ad aliam quoque primariam causam indicti Concilii pertinent; ad sanctae Ecclesiae videlicet renovationem, quam vocant.

Nostra quidem sententia, huiusmodi renovatio proficisci debet pariter e conscientia necessitudinis, qua Ecclesia cum Christo coniungitur. Vult, uti diximus, Ecclesia in Christo imaginem suam inquirere. Si quid umbrae, si quid vitii post hanc contemplationem in vultu suo, in sua veste nuptiali animadverterit, quid sponte et strenue ei est agendum? Uti liquet, nihil aliud spectet opus est, nisi ut se renovet, se corrigat, se ad eam congruentiam referat cum divino archetypo suo, quam sequi ex praecipuo officio suo tenetur.

Verba Iesu Christi memoriam repetimus, quae in prece sacerdotali protulit, cum eius supremi cruciatus et mors imminerent: *Et pro eis Ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate.*[11]

Oecumenicum Concilium Vaticanum Secundum — ut Nostra fert opinio — hanc certam vivendi disciplinam, quam Christus voluit, probare et amplecti debet. Tunc solum, cum interioris sanctimoniae tantum opus perfectum erit, Ecclesia vultum suum universo mundo ostendere poterit, talia fundens dicta: Qui videt me, videt Christum; quemadmodum divinus Redemptor de se dixit: *Qui videt me, videt et Patrem.*[12]

Ad hanc rationem, Oecumenicum Concilium veluti novum ver habendum est, quod immensas animorum vires et virtutes, in Ecclesiae sinu quasi occultas, excitet. Concilio enim, ut aperte patet, est propo-

---

[11] *Io.* 17, 19.
[12] *Io.* 14, 9.

situm, ut sive interiores Ecclesiae opes, sive normae, quibus eius canonica instituta et rituales formae ordinantur, in pristinum redeant vigorem. Scilicet universalis haec Synodus in id nititur, ut Ecclesiae augeat venustam illam perfectionem et sanctimoniam, quae nonnisi Iesu Christi imitatio atque mystica cum eo per Spiritum Sanctum coniunctio eidem tribuere possunt.

Sane quidem Concilium ad florentiorem spectat Ecclesiae renovationem. Attamen cavendum est ne, ex eo quod haec affirmamus atque optamus, quis putet Nos concedere Ecclesiam catholicam nostris his temporibus accusari posse, quod mentem Conditoris sui in re magni momenti violaverit. Quin immo ex explorata planius sua fidelitate erga Christum quoad summas res, eadem grata atque verecunda afficitur laetitia, atque alacritatem studiumque sumit emendandi labes, quae humanae sunt infirmitatis. Itaque renovatio, ad quam Concilium spectat, neque praesentem Ecclesiae vitam subvertere ducenda est, neque eius traditiones interscindere, in iis quae sunt potissima et venerabilia, sed potius his ipsis traditionibus honorem habere, caducis et mendosis formis exutis, atque easdem sinceras feracesque efficere velle.

Nonne ipse Iesus dixit discipulis suis: *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum, et omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat?* [13] Quae Evangelii verba satis superque sunt ad ostendenda praecipua capita perfectionis, quam nunc temporis appetit et persequitur Ecclesia. Cuius perfectionis caput eiusdem interiorem exterioremque vitalitatem attingit: Christo enim vivo Ecclesia viva respondere debet. Si vero fides atque caritas sunt principia eius vitae, plane liquet nihil omittendum esse, quod fidei laetam firmitatem novumque conferat alimentum, quodque christianam eruditionem et educationem efficaciorem reddat, ad eas res consequendas. Non esse omittenda dicimus neque studium impensius neque deditior divinae veritatis cultus, quae profecto uti fundamenta sunt habenda huius renovationis. Deinde caritatis disciplina nobilem obtinebit locum. *Ecclesiam caritatis* nempe appetere debemus, si volumus, ut ea potestatem habeat se penitus renovandi atque — quod perquam arduum et difficile est — mundum universum instaurandi. Praeterea caritas, ut omnibus notum est, regina est et veluti radix aliarum christianarum virtutum: hoc est humilitatis, paupertatis, pietatis, se devovendi voluntatis, fortitudinis in veritate profitenda, iustitiae exquirendae amoris, aliarumve virium, quas in agendo novus exserit homo.

---

[13] *Io.* 15, 1-2.

Qua super re Oecumenici Concilii munus ad latissimos spatiatur campos: quorum unum, praestantissimum sane et caritate florens, sacra Liturgia occupat. De qua cum in prima sessione longe fuseque actum sit, fore speramus, ut nunc ad felicissimos ea perducatur exitus. Ad alios quoque campos eodem certe studio eademque diligentia Patres animum intendent; quamvis timendum sit ne, ob temporis angustias, omnes quaestiones, prout res postulat, explorari queant, ita ut quarundam disquisitio ad aliam futuram sessionem sit differenda.

Unitatis redintegratio inter universos christianos

Tertia est causa Oecumenico huic Concilio a Decessore Nostro Ioanne XXIII praestituta, quae in spiritualium rerum ordine gravissima sane est existimanda: causam dicimus, quae ad « alios christianos » spectat, hoc est eos, quos, quamvis in Christo credant, nequimus — o abreptum Nobis gaudium! — inter eos numerare qui sunt Nobiscum vinculo perfectae unitatis Christi coniuncti. Haec unitas, quae per se vi Baptismatis ipsi participare deberent, ab una catholica Ecclesia illis offerri potest, et ab iis vi naturaque sua percupitur.

Etenim ea quae recens in sinu christianarum communitatum a Nobis seiunctarum contingunt, quaeque maiora in dies incrementa suscipiunt, duo perspicue demonstrant: Ecclesiam Christi unam esse et unam esse debere; et arcanam hanc et aspectabilem unitatem in rem deduci non posse nisi una fide, nisi participatione eorumdem Sacramentorum, nisi apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis, quamvis admitti possint alibi alii sermones, sacri ritus et a maioribus accepti mores, locorum propriae praerogativae, investigationes de rebus spiritualibus, legitima instituta, actionis vitae formae, quas quis praeoptet.

Quid sentiat, quidve agat Concilium, quod attinet ad haec ingentia agmina seiunctorum a Nobis Fratrum, et ad possibiles varietates in unitate? Res prorsus patet. Etiam hanc ob rationem singularis evadit huius convocatio Concilii. Contendit nempe hoc ad oecumenicitatem, ut aiunt, plenam nempe et universalem: saltem in votis, in precibus Deo admovendis, in praeparatione. Hodie affulget spes, cras fortasse res. Enimvero dum Concilium vocat, numerat, claudit in Christi ovili oves, quae illud iusto plenoque iure constituunt, aperit interea portas, vocem extollit, atque trepidanter praestolatur tot Christi oves, quae unici ovilis saeptis adhuc non continentur. Quocirca hoc est huius Concilii proprium, ut vocet, ut exspectet, ut confidat fore ut in posterum plures fraterno animo veram oecumenicitatem suam participent.

Omni cum reverentia nunc alloquium Nostrum convertimus ad de-

legatos christianarum communitatum ab Ecclesia catholica seiunctarum, ab his idcirco missos, ut personam gerentes Observatorum, quos appellant, sollemnibus hisce coetibus intersint.

Suave est Nobis iis salutem ex animo impertire.

Gratias iis agimus, quod huc advenerunt.

Per eos nuntium, amoris Nostri paterni et fraterni interpretem, mittimus ad venerabiles christianas communitates, quarum ipsi hic personam sustinent.

Tremit vox Nostra, cor Nostrum palpitat, propterea quod, quemadmodum praesens earum propinquitas Nobis inenarrabile solatium et spem dulcissimam affert, ita diuturna earum separatio animum Nostrum perquam acerbe afficit.

Si quae culpa ob huiusmodi separationem in nos admittenda sit, veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque Fratribus veniam petimus, si iniuriam a nobis se accepisse putent. Ad nos quod attinet, animo parati sumus ad condonandas iniurias catholicae Ecclesiae illatas, et ad relinquendum moerorem, quo confecta est, diuturnarum dissentionum et separationum causa.

Utinam caelestis Pater hanc nostram affirmationem benigne excipiat, nobisque universis pacem vere fraternam restituat.

Supersunt, ut probe novimus, quaestiones ex rei natura graves atque implicatae, quae perscrutandae, tractandae atque dissolvendae sunt. Velimus sane, ut id statim fiat ob caritatem Christi, quae urget nos; persuasum tamen habemus multas condiciones requiri, ut causae huiusmodi componi ac dirimi possint; quae quidem condiciones nondum eo pervenerunt, ut res possit expediri. Verum non piget aequo animo faustum exspectare tempus, quo perfecta reconciliatio tandem contingat.

Interea autem Observatoribus, qui hic adsunt, quasdam praecipuas rationes confirmare volumus, quibus innixi unitatem ecclesiasticam cum Fratribus seiunctis efficiendam esse putamus, ut eas ad suas quisque communitates christianas referant; itemque ut vox Nostra ad alias etiam venerabiles communitates christianas perveniat, a Nobis seiunctas, quae invitantibus Nobis ut huic Concilio, quamvis sine mutuo officii onere, adessent, renuerunt. Qui quamquam rationes illas, ut opinamur, iam compertas habent, eas tamen posse hic salutariter declarari opinamur.

Sermo, quo eos alloquimur, est pacificus et sincerus omnino. Nullae in eo insidiae, nulla utilitatis terrestris studia occulta latent. Nos, ut oportet, fidei nostrae, quam divinam esse plane credimus, apertissime ac firmissime adhaeremus. Attamen pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et Fratres a Nobis seiunctos deveniatur; agitur enim de divina veritate,

quae est principium unitatis, non discriminis et separationis. Ceterum nolumus fidem nostram esse causam ob quam cum illis concertemus.

Deinde debita, quae par est, reverentia religiosam hereditatem prosequimur antiquitus acceptam omnibusque communem, quam Fratres seiuncti servaverunt et ex parte etiam bene excoluerunt. Libenter sane eorum studia probamus, qui honeste in sua luce et honore ponere nituntur germanos veritatis vitaeque spiritualis thesauros eorundem Fratrum seiunctorum, ea mente, ut rationes, quae inter nos et illos intercedunt, in melius mutentur. Fore autem confidimus, ut et ipsi pari voluntate permoti nostram doctrinam altius cognoscere velint et perspicere, quam rationaliter e divinae Revelationis deposito ea proficiscatur, atque etiam nostrae historiae nostraeque vitae religiosae uberiorem notitiam sibi comparare conentur.

Praeterea, ad rem quod attinet, dicere libet Nobis, qui conscii sumus praegravium difficultatum, quae optatissimae unitati etiamnum officiunt, suppliciter Nos fiduciam Nostram in Deo collocare. Quapropter ei admovere preces pergemus, operamque omnibus viribus dare, ut luculentius praebeamus testimonium vitae vere christianae fraternaeque caritatis. Quodsi eventus spei et exspectationi Nostrae non responderit, haec verba Christi, solacii plena, meminerimus: *Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.*[14]

Ecclesiae collocutio cum nostrae aetatis hominibus

Denique Concilio propositum est, ut humanam consortionem nostrae aetatis, quodam quasi ponte instituto, attingat. Rem sane miram! Ecclesia enim, dum, internum vigorem suum Spiritus Sancti ope magis magisque animando, a societate profana, qua circumfunditur, distinguitur atque secernitur, interea apparet ut fermentum vivificum et instrumentum salutis eiusdem humanae consortionis; itemque munus missionale sibi praestitutum detegit et confirmat, quod est potissimum officium suum, eo pertinens, ut humano generi, quaecumque eius est condicio, Evangelium, pro accepto mandato, alacri studio annuntiet.

Ceterum vosmetipsi, Venerabiles Fratres, hoc prodigium experiendo novistis. Etenim, primae sessionis initium facientes et auspicali sermone Ioannis XXIII veluti inflammati, statim vestras esse partes duxistis fores aulae huius consessus, ut ita dicamus, patefacere et illico ad omnes homines nuntium salutis, fraternitatis, spei e valvis apertis magna

---

[14] *Luc.* 18, 27.

voce mittere. Singulare sane factum, sed admirabile! Prophetiae donum, ut ita dicamus, Ecclesiae datum, tunc de repente erumpere visum est; et quemadmodum Sanctus Petrus Pentecostes die impulsus est, ut sine mora verba faceret et orationem ad populum haberet, ita et vos confestim, non de rebus vestris agere voluistis, sed de iis quae ad humanam spectarent familiam, non inter vos colloqui voluistis, sed ad homines vos convertere.

Ex quo colligitur, Venerabiles Fratres, peculiarem notam huius Concilii esse caritatem, eamque amplissimam et vehementissimam, caritatem, quae potius de aliena quam de sua ipsius utilitate cogitat; caritatem dicimus universalem Christi!

Quae profecto caritas animum erigit nostrum. Nam, cum vita hominum, ut nunc est, oculis obversatur nostris, sponte fit ut metu magis afficiamur quam solacio, dolore magis quam laetitia, atque ad periculum arcendum et ad errores damnandos quam ad fiduciam et amicitiam moveamur.

Res ipsas spectare oportet, nullo modo vulnus celantes quod pluribus de causis huic ipsi universali Synodo illatum est. Num adeo caeci sumus, ut plura loca in hoc consessu vacua esse non videamus? Ubinam sunt nostri Fratres ex iis Nationibus, ubi Ecclesiae bellum indictum est? Atque in quanam condicione religio ibidem versatur? Quae dum consideramus, graviora eadem videntur, si mentem intendimus ad ea quae novimus, multo magis autem ad ea quae noscere non licet, de sacra Hierarchia, de religiosis viris et sacris virginibus, ac de ingenti filiorum Nostrorum multitudine, qui ob invictam suam erga Christum et Ecclesiam fidelitatem timoribus, vexationibus, aerumnis, oppressionibus sunt obnoxii. Ob huiusmodi dolores quanta afficimur tristitia, et quam vehementer dolemus, cum cernimus in quibusdam territoriis religiosam libertatem, sicut alia praecipua hominis iura, opprimi eorum principiis et artibus, qui opiniones a suis diversas de re politica, de hominum stirpibus, de cuiusvis generis religione non tolerant. Dolemus praeterea tot adhuc iniurias alicubi iis illatas, qui religionem suam honeste ac libere profiteri velint. Attamen in hisce malis deplorandis, potius quam acerba verba, sinceram humanamque adhortationem iis iterum adhibere placet, in quos tristis huius condicionis culpa recidit; ut tandem desinant animum gerere catholicae religionis sine causa infensum. Catholicae enim religionis asseclae non inimici vel infidi, sed potius honesti et operosi cives nationis, ad quam pertinent, sunt habendi. Catholicos vero, qui propter suam fidem doloribus premuntur, hanc etiam occasionem nacti, peramanter salutamus et pro ipsis peculiaria a Deo solacia precibus imploramus.

Nec satis hic tristitiae Nostrae. Dum hominum familiam aspicimus, summa aegritudine angimur ob plures alias calamitates quibus conflictatur; ob atheismum potissimum, qui ad humanae consortionis partem pervasit, ita rerum ordinem perturbans, qui ad mentis culturam, ad mores et ad socialem vitam pertinet, ut inter homines germana eiusdem ordinis recta notio pedetemptim deponatur. Etenim dum clarior fit lux, quae e naturalium rerum scientia oritur, passim — proh dolor! — obscurior evadit scientia Dei, ac propterea vera etiam hominis scientia. Quare dum progressae artes mirum in modum cuiusvis generis instrumenta perficiunt, quibus homo utatur, magis in dies ipsius occupant animum solitudo, tristitia, desperatio.

De implexis atque multas ob causas tristibus nostrae aetatis hominum condicionibus, plura a Nobis dicenda sunt; sed de iisdem hodie loqui non vacat Nobis. Nunc, ut modo diximus, caritate flagrat animus Noster, sicut flagrat Ecclesia in Concilium coacta. Aetatem hanc nostram eiusque varias et pugnantes significationes summa benevolentia prosequimur, itemque summo afficimur studio, ut amoris, salutis et spei nuntium, quod Christus attulit mundo, nostrorum temporum hominibus deferamus: *Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.*[15]

Probe noverit mundus se peramanter ab Ecclesia aspici, quae in ipsum sincera fertur admiratione sinceroque proposito movetur, non ei dominandi, sed serviendi, non eum contemnendi, sed dignitatem ipsius augendi, non eum damnandi, sed solacium et salutem ei afferendi.

Ex hoc Concilio, unde in universum terrarum orbem prospectus patet, peculiari animi sollicitudine ad quosdam hominum coetus Ecclesiae suae mentis oculos refert. Scilicet contuetur pauperes, egenos, maerentes, eos qui fame et dolore premuntur, qui in vincula sunt coniecti; hoc est eam humani generis partem peculiari modo aspicit, quae dolet et luget, cum sciat hos homines ad se iure evangelico pertinere; quare gaudet iisdem adhibere Dominica verba: *Venite ad me omnes.*[16]

Oculos praeterea Ecclesia conicit in viros doctrina excultos, qui litterarum studiis, rerum naturae investigationi, optimis artibus sunt addicti; hoc quoque Ecclesia summo in honore habet, incensissimoque ardore studet eorum excipere experimenta, confirmare ingenii nisus, libertatem tutari, eorumque animis perturbatis et commotis aditum patefacere ad supernas divini verbi divinaeque gratiae regiones.

---

[15] *Io.* 3, 17.
[16] *Matth.* 11, 28.

Respicit ad opifices, ad eorum personae et laboris dignitatem; ad eorum legitima optata; ad necessitatem, qua ipsi tantopere adhuc affictantur, ut in melius mutentur eorum rationes sociales, eorumque spiritualis vita proficiat; ad munus denique quod ipsis committi possit, recto tamen christianoque animo absolvendum: munus dicimus novum condendi rerum ordinem, in quo homines liberi sint seseque fratres agnoscant. Ecclesia, Mater et Magistra, ipsis praesens adest.

Respicit ad populorum rectores. Pro gravibus monitis, quibus eos saepe appellare debet, Ecclesia hodie haec verba hortationis et fiduciae plena iisdem adhibet: Bono estote animo, Nationum moderatores! Complura bona, quibus hominum vita indiget, hodie vestris gentibus suppeditare potestis, nempe panem, doctrinam, ordinem, dignitatem, liberorum et concordium civium propriam, dummodo tamen noscatis quid sit homo; quam rem vos sapientia christiana tantum plene valet edocere. Coniunctis consiliis agentes ad iustitiae et amoris normam, vos pacem donare potestis, bonum omnium praestantissimum, quod tam sitienter omnes exoptant et Ecclesia tam strenue tuetur ac promovet; atque adeo ex omni gentium familia potestis civitatem unam efficere. Deus vobiscum sit!

Catholica Ecclesia etiam longius respicit, ultra christianae familiae fines; quomodo enim certis terminis circumscribat amorem suum, cum imitari debeat amorem Dei Patris, qui omnibus bona sua dilargitur,[17] et sic dilexit mundum, ut pro eius salute unigenitum Filium suum daret? [18] Ultra igitur christiana castra oculos suos dirigit, et ad alias religiones respicit, quae servant sensum et notionem Dei, unius, creatoris, providentis, summi et rerum naturam transcendentis; quae Dei cultum exercent sincerae pietatis actibus; quae ex iis usibus et opinionibus morum et socialis vitae praecepta derivant.

In his quidem religionibus catholica Ecclesia cernit profecto, nec sine dolore, lacunas, defectus et errores; facere tamen non potest, quin ad eas quoque mentem suam convertat, ut easdem certiores faciat, catholicam religionem debita aestimatione iudicare quidquid veri, quidquid boni et humani apud ipsas reperiatur; itemque ut moneat, ad tuendum in hominibus huius temporis religionis sensum et Dei cultum — quod civilis cultus necessitas et officium postulant — se in prima acie stare, utpote quae Dei iura in homines validissime defendat.

Denique Ecclesia respicit ad alios eosque immensos humanae navi-

---

[17] Cf. *Matth.* 5, 45.
[18] Cf. *Io.* 3, 16.

tatis campos: ubi nempe novellae iuvenum aetates adolescunt, vivendi et excellendi studio incensae; ubi recentiores nationes conscientiam suorum iurium, libertatem ac civilia instituta sibi vindicant; ubi innumeri homines solitudine laborant, etsi inter tumultum humanae societatis vivant, quae ipsorum animis nullum salutare verbum proferre potest. Ad hos singulos universos Ecclesia vocem suam spei plenam dirigit, atque lucem veritatis, vitae et salutis omnibus optat et praebet, quia Deus *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.*[19]

Venerabiles Fratres!

Munus ministrandae salutis nobis commissum, grande et grave est. Quod ut dignius sustineamus, nunc in hoc sollemni consessu una congregati sumus. Nostrorum animorum concordia, firma atque fraterna, nos ducat et roboret. Communio cum Ecclesia caelesti sit nobis propitia; adsint Sancti caelites, qui in variis dioecesibus peculiari veneratione coluntur et in religiosis familiis; adsint Angeli Sanctique omnes, ac praesertim Sancti Petrus et Paulus, Sanctus Ioannes Baptista, ac peculiarissimo modo Sanctus Ioseph, qui huius Concilii Patronus declaratus est. Assideat nobis, maternam et validam ferens opem, beatissima Virgo Maria, quam incensissimis precibus invocamus; Christus praesideat; atque omnia cedant in Dei gloriam, in honorem Sanctissimae Trinitatis, cuius benedictionem vobis omnibus audemus impertire, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. [*Plausus*].

(*Summus Pontifex allocutionem prosequitur in lingua graeca, deinde lingua russica:*)

Ἀπευθύνομεν τὸν ἐγκάρδιον Ἡμῶν χαιρετισμὸν καὶ πρὸς χριστιανοὺς τῆς ἀνατολικῆς παραδόσεως εἰς τὴν ἑλληνικὴν γλῶσσαν ἥτις ὑπῆρξεν ἡ γλῶσσα τῶν πρώτων οἰκουμενικῶν συνόδων, τῶν μεγάλων Πατέρων καὶ Διδασκάλων τῆς Ἐκκλησίας: Βασιλείου τοῦ Μεγάλου, Γρηγορίου Νύσσης, Γρηγορίου τοῦ Θεολόγου, Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας, Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ καὶ τόσων ἄλλων, οἵτινες ἐφώτησαν ἅπασαν τὴν οἰκουμένην καὶ παραμένουν ἡ δόξα τῆς χριστιανικῆς σκέψεως.

Ἀδελφοὶ τῶν ἁγίων Ἐκκλησίων τῆς Ἀνατολῆς, προσευχηθῶμεν καὶ ἐργασθῶμεν διὰ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ καὶ τὴν ἐπέκτασιν τῆς βασιλείας Αὐτοῦ ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ.

---

[19] *1 Tim.* 2, 4.

Мы приветствуем также христиан славянскин народов и выражаем им наше желане молиться и трудиться иа славу бога и на расширение его царства в вере и любви.

4. Sessionis conclusio

Allocutione Summi Pontificis finita, secretarius generalis nuntiavit proximam congregationem generalem: De mandato Summi Pontificis, Sacrosancti Oecumenici Concilii praesidis: crastina, die 30 septembris, habebitur, hora 9, in hac Basilica, tricesima septima congregatio generalis, in qua, post praesentationem et illustrationem schematis *de Ecclesia,* incipiet disceptatio in universum de eodem schemate. Dixi.

Deinde Summus Pontifex sollemnem impertitus est Apostolicam Benedictionem:

Summus Pontifex: Sancti Apostoli Petrus et Paulus, de quorum potestate et auctoritate confidimus, ipsi intercedant pro nobis ad Dominum!

℟ Amen.

Precibus et meritis beatae Mariae semper Virginis, beati Michaëlis Archangeli, beati Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

℟ Amen.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, gratiam et consolationem Sancti Spiritus, et finalem perseverantiam in bonis operibus tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus!

℟ Amen.

Et benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper!

℟ Amen.

P. D. Alfredus card. Ottaviani, *primus diaconus adsistens*: Sanctissimus in Christo Pater et Dominus, Dominus Paulus divina Providentia Papa VI, dat et concedit omnibus hic praesentibus, et omnibus qui, ope radiophonica, vocem ipsius benedicentis pie perceperunt, indulgentiam plenariam in forma consueta Ecclesiae. Rogate igitur Dominum pro felici statu Sanctitatis Suae, et Sanctae Matris Ecclesiae.

P. D. Albertus card. Di Iorio, *secundus diaconus adsistens*: La Santità di Nostro Signore, Paolo per divina Provvidenza Papa VI, dà e concede a tutti i fedeli qui presenti, ed a quelli che avranno piamente ascoltato a mezzo della radio la sua voce elargiente la benedizione, l'indulgenza plenaria nella forma consueta della Chiesa. Pregate dunque Iddio per il felice stato della Santità Sua, e della Santa Madre Chiesa.

Deinde secretarius generalis reposuit S. Evangelii codicem, et Summus Pontifex discedit, dum chorus cantat *Tu es Petrus...,* auctore Bartolucci.

Durante sessione Patribus distributa sunt: opusculum cui titulus: *Deuxième Concile Œcuménique du Vatican,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Relatio super schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia,* Typis Polyglottis Vaticanis 1963; *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia,* Pars I, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XXXVII

30 septembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XXXVII

30 septembris 1963

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *arch. tit. Bosporanus, subsecretarius* (ante Missae celebrationem):

Humanissime rogantur Patres ut Sanctae Missae liturgiae choraliter seu lente et graviter, intervallis vel punctis mediis rite servatis, respondere faveant.

Incipit Missa de Spiritu Sancto, celebrata ritu ambrosiano ab exc.mo D. Ioanne Colombo, arch. Mediolanensi.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis S. Concilii*:

Venerabiles Patres, consilium praesidentiae proponit Patribus huius almi coetus mittere ad Summum Pontificem hunc nuntium:

« Beatissime Pater, initio huius congregationis generalis, liceat nobis sensus filialis devotionis promere erga Illum qui in hesterna huius Concilii sessione nobiscum in laboribus conciliaribus partem habuit et e nostro coetu a Spiritu Sancto electus est ut Ecclesiae Catholicae summum obeat ministerium.

« Beatissime Pater, sermo tuus anno elapso fraterne ad nos dirigebatur. Hesterna die, cor Patris ad nos patuit. Dignetur Sanctitas Tua gratias nostras accipere quam maximas ac laetabundas pro via nostris laboribus dilucide indicata, fervide commendata. Orationibus nostris, operibus nostris, tecum sperabimus, tecum ministrabimus ut Ecclesia sancta Catholica universo orbi appareat tamquam mysterium Christi, tamquam vita ipsius Christi in terra praesentis ».

Placetne ut mittatur hic nuntius? [*Plausus*].

Nunc, antequam initium habeat haec tricesima septima congregatio generalis, perutile visum est indicare Patribus, atque peritis atque iis qui in Concilio partem habent, praecipuas immutationes inductas in *Ordinem Concilii celebrandi*.[1] Indico praecipuas:

Pag. 18, art. 4. Quoad praesidentiam et moderamen Concilii, hae sunt

---

[1] Cf. supra p. 23.

immutationes: cardinales praesides sunt 12, quibus accedunt quatuor cardinales delegati seu moderatores.

Praesidum est « curare ut normae Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi rite observentur, resolutis dubiis ac remotis difficultatibus forte obstantibus ».

Moderatores delegati seu moderatores vero « Concilii labores dirigunt, sibi invicem succedentes in ordinandis disputationibus congregationum generalium ».

Videatis pariter pag. 20, art. 7 § 2. Commissio de rebus extraordinariis iam non exsistit, sed eius loco condita est *Commissio de negotiis Concilii componendis seu coordinandis,* cui praeest cardinalis a publicis Ecclesiae negotiis. Huius commissionis munus est idem, compositis componendis, ac habuit in periodo, quae interfuit inter primam periodum Concilii et secundam periodum.

Videatis pag. 23, art. 11. Admittuntur in coetus Concilii laici qui vocantur « Auditores ». Haec innovatio est tantummodo formalis, quia iam praevidebatur in priore *Ordine* interventus aliorum expertorum praeter theologos et canonistas. Nunc clarius res definitur, ita: « Praeclari nominis laici ad adsistendum sessionibus publicis et congregationibus generalibus et commissionibus admitti possunt ex benigna Summi Pontificis concessione, iidem autem loqui non possunt, nisi forte in peculiaribus adiunctis, qua periti, a moderatore congregationis vel a praeside commissionis ad exponendas suas opiniones invitentur ».

Pag. 24, art. 13: loco duorum subsecretariorum qui erant in priore *Ordine,* sunt quinque subsecretarii, qui iam in prima periodo egregiam suam operam navarunt.

Pag. 30, artt. 21 et 22. Iam praevidetur aliquid novum pro vestibus induendis, nempe Patres possunt induere mozzetam super mantelletam si iam in sua dioecesi mozzeta utebantur, quod privilegium extensum est ad episcopos quoque titulares, et ad alios aliquos Patres, ut constat ex decreto Sacrae Congregationis Rituum.

Pag. 35, art. 32: « Quodcumque argumentum disceptandum in congregatione generali proponitur ac breviter illustratur a relatore, quem designavit competentis commissionis praeses ».

Sed hic articulus componendus est cum alio art. 65, § 5, qui praescribit ut commissio relatorem designet. Itaque praeses eum relatorem designabit, quem commissio designaverit.

Pag. 36, art. 33, § 7: « Disceptatione generali alicuius schematis in congregatione generali iam inita, propositio generalis de eodem schemate vel emendationum conspectus organicus a quinquaginta saltem Patribus exhiberi potest moderatori, qui rem commissioni de Concilii

negotiis componendis seu coordinandis deferat ut eadem commissio procedendi rationem definiat ».

Hoc etiam in prima periodo fieri poterat et factum est de facto, sed nunc iam lex est et pressius definita.

Pag. 38, art. 38, § 3: « In commissionibus, cum de ferendis suffragiis agitur, suffragatio secreto facienda est si hoc a quinque saltem membris postuletur ».

Item art. 39, § 1: « In sessionibus publicis, in congregationibus generalibus et in commissionibus, ad adprobanda schemata vel schematum partes vel emendationes requiruntur duae tertiae partes suffragiorum Patrum praesentium ». Haec adprobatio refertur ad adprobationem vel interlocutoriam vel definitivam alicuius schematis. Si autem agitur de schemate admittendo ad ulteriorem disceptationem vel de eodem reiciendo vel differendo, sufficit maior suffragiorum pars. In hac secunda parte non expresse dicitur « ad eadem autem admittenda ad ulteriorem discussionem », sed subintelligitur ex contextu.

« Pro electionibus autem applicatur, etc. ».

Pag. 40, art. 43: « Omnes, qui Concilio interesse tenentur vel eidem operam quovis titulo legitime impendunt, haud exclusis peritis privatis ac patrum familiaribus (haec est innovatio: " haud exclusis peritis privatis ac patrum familiaribus "), Concilio perdurante et donec eidem adsistunt vel inserviunt, quoslibet suorum beneficiorum reditus, etc. » (iam hoc erat statutum).

Videatis pag. 45; et hic art. 57 maximi est momenti, et praesides idem ac moderatores valde commendant huius articuli observationem.

Videatis art. 57, § 3: « Expedit quam maxime ut Patres, qui similes rationes exponere intendunt, inter se conveniant ut unum vel paucos oratores eligant qui nomine omnium loquantur ». [*Plausus*].

Videatis § 4: « Patres, qui ab aliis Patribus audierunt rationes quas ipsi de eadem re erant expondituri, enixe rogantur ut suae interventioni renuntient ». [*Plausus*].

Item § 5: « Oratorum indice exhausto, moderator facultatem loquendi concedere potest Patribus, qui illam petierint perdurante ipsa congregatione, maxime vero relatoribus qui facultatem petierint argumentum clarius illustrandi vel oppositas obiectiones refellendi ».

Tandem § 6: « Disceptationi diutius protractae moderator finem imponere potest, probante maioris partis Patrum praesentium suffragio, servata autem semper loquendi facultate S. R. E. cardinalibus necnon Patribus, qui, nedum nomine proprio, sed nomine quoque aliorum saltem quinque Patrum eamdem facultatem petierint; fine vero disceptationis decreto, minor Patrum pars, quae maiori contradixit, potest adhuc

tres oratores etiam inter peritos conciliares designare, cum facultate decem quoque momenta excedendi ».

Art. 58, eadem pag., § 2 videatis: « Si quae emendationes duarum vel plurium commissionum intersint, moderator statuit quibus commissionibus emendationes sint mittendae ut ab ipsis commissionibus unum examen conficiatur; quo in casu eidem commissioni mixtae praesunt, iuxta praecedentiae normas, praeses et vicepraesides commissionum partem habentium, nisi Summus Pontifex commissioni mixtae peculiarem praesidem praeposuerit ». Quod in praxi iam observabatur in prima periodo.

Pag. 50, art. 65, § 3 videatis: « Tres saltem Patres petere possunt ut unus vel plures periti a praeside non designati disceptationi intersint ». Etiam alia periodo hoc in praxi statutum erat et observabatur.

§ 4: « Patres conciliares petere possunt ut ipsi audiantur a commissione quacumque ut de schemate, de quo disceptatur, exponere valeant suas animadversiones sive nomine proprio sive certi numeri Patrum, sive alicuius regionis; ad quos audiendos commissio sessionem designat et decernit nomen oratorum et condiciones admissionis ».

§ 5: « Commissio relatorem designat... » — iam feci mentionem huius paragraphi antea — « Commissio relatorem designat qui schema proponat atque declaret in congregatione generali iuxta mentem commissionis vel eiusdem maioris partis; si maiori parti pars minor contradicit, alter relator a minore parte designari potest », et audietur in congregatione generali.

Pag. 51, denique, art. 67, § 2: « Si loco emendationis certa forma propositae quinque saltem commissionis membra aliam substituendam putent, eiusmodi nova forma una cum alia vel eius loco a commissione examinanda est ».

Et nulla alia immutatio. Habentur aliquae parvulae immutationes praesertim quod spectat consilium praesidentiae et moderatores, sed hae possunt videri expedite in ipso textu legis.

Hanc congregationem generalem, quae est tricesima septima, moderabitur em.mus ac rev.mus P. D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

Haec sunt communicanda in hac congregatione generali. Quae communicatio, cum sit multi ponderis, repetetur variis linguis.

Rogantur vehementer Patres ut stent praescriptis art. 57 — pro quo etiam plausus dedistis — praesertim par. 2, 3, 4. Qui vero loqui desiderant, velint iuxta art. 33 suae orationis summam secretario generali saltem tres ante dies scripto exhibere. Haec summa non consistit tantum in quodam generali indice rerum dicendarum ita ut nihil possit deduci, sed continere debet, licet breviter, praecipua argumenta quae

exponentur. Valde optandum est ut ipsa integra oratio scripto tradatur antequam in aula pronuntietur.

Qui nomine quoque aliorum loquuntur, exhibeant indicem Patrum, quorum nomine loquuntur.

In commodum Patrum, qui loquuntur, telephonium, quod est prope microphonium, sonitus emittet octo post minuta, ita ut Pater possit commode vela solvere et ad portum properare.

Omnibus Patribus et iis, qui partem habent in Concilio, notum fit quod Sanctissimus Dominus de secreto servando praescripsit. Secretum servandum est ab omnibus circa schemata discutienda et de iis quae in commissionibus conciliaribus disseruntur et statuuntur. Circa disceptationes vero in congregationibus generalibus factas, Sanctissimus Dominus commendat maximam prudentiam et moderationem, semper et ubique.

Communicatur denique Patribus nullos alios peritos amodo electum iri, cum qui nominati fuerint iam satis sint Concilii necessitatibus.

Anticipo quae dicenda essent postea, ita ut versio in alias linguas expeditius fieri possit.

Incipit disceptatio circa schema *de Ecclesia* in universum seu circa schema globatim vel generatim sumptum. Qui ergo de hac re disserent, velint se abstinere ab argumentis vel rationibus singulis quae sub unoquoque capite, tempore suo, exponentur.

Post disceptationem generalem, si res ferat, fiet suffragatio iuxta art. 34 *Ordinis Concilii oecumenici celebrandi*. Dixi.

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Se ruega muy encarecidamente a los Padres que se atengan a lo prescrito por el art. 57 del Reglamento, especialmente en sus párr. 2, 3 y 4. Los que desearen intervenir en el aula presentarán, según el art. 33, párr. 1°, tres días antes, por lo menos, de su intervención un resumen escrito de lo que van a decir. Este resumen no consiste solamente en un índice general del voto que han de leer sino que ha de contener, siquiera sea brevemente, las ideas principales que se quieren exponer. Sería de desear que todos presentaran, antes de leerlo en el aula conciliar, el texto íntegro de su voto.

Se hace también saber a los Padres y a los demás que tienen parte en el Concilio lo que Su Santidad el Papa ha dispuesto en relación con el secreto del Concilio. Se ha de guardar este por todos acerca de los esquemas que se van a discutir y acerca de lo que se trate y acuerde en las comisiones conciliares. Sobre los debates habidos en las congregaciones generales el Padre

Santo recomienda la máxima prudencia y moderación, siempre y en todas partes.

Para comodidad de los Padres dos minutos antes de terminar el tiempo reglamentario el teléfono más cercano al lugar desde el que hablen avisará con un leve sonido para que el orador se prepare a arribar a buen puerto.

Finalmente se hace saber a los Padres que ningun otro perito conciliar será nombrado en adelante, puesto que los ya designados bastan para las necesidades del Concilio.

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Les Pères sont instamment priés de se conformer aux prescriptions de l'art. 57, notamment aux par. 2, 3, et 4.

Ceux qui désirent prendre la parole voudront bien, conformément à l'art. 33, remettre au moins trois jours à l'avance le résumé de leur intervention au Secrétariat général. Ce résumé ne doit pas consister seulement en un sommaire général de ce qui sera dit, sommaire qui ne permettrait pas de savoir quel sera le contenu de l'intervention; il doit présenter — au moins sous une forme brève — les principaux arguments que l'orateur se propose d'exposer. On ne peut que louer vivement ceux qui voudront bien remettre le texte intégral de leur intervention.

Quant aux orateurs qui parlent, non seulement en leur nom propre, mais au nom d'autres Pères, il leur est demandé de bien vouloir accompagner le texte qu'ils déposeront de la liste des Pères au nom desquels ils interviennent.

Pour l'utilité de ceux qui prennent la parole, un signal acoustique se fera entendre au bout de huit minutes dans le téléphone qui se trouve placé près du microphone, afin que l'orateur puisse atteindre le terme de son exposé dans le temps voulu.

Au sujet du secret á garder, il est donné connaissance à tous les Pères, et à tous ceux qui participent au Concile, de ce qui est prescrit par le Souverain Pontife: tous doivent tenir secrets les schémas à discuter ainsi que les débats et les décisions des Commissions conciliaires. En ce qui concerne les débats qui ont lieu en Congrégation générale, Sa Sainteté recommande que soient partout et toujours observées une prudence et une discrétion très grandes.

Les Pères sont également informés qu'il n'y aura plus de nomination d'experts conciliaires, ceux qui ont déjà été désignés étant en nombre suffisant pour les besoins du Concile.

Le débat va s'ouvrir aujourd'hui sur les principes généraux du schéma *de Ecclesia,* c'est-à-dire sur ce schéma considéré dans son ensemble. Les Pères qui vont intervenir à ce sujet voudront bien s'abstenir, par conséquent, de traiter les questions particulières, qui viendront en discussion à propos de chaque chapitre. Après la discussion générale, on procédera, s'il y a lieu, au vote sur l'ensemble qui est prévu à l'art. 34.

Versio anglica
(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention, please!

The Fathers are urgently requested to observe the previsions of the art. 57 of the Ordo, and particularly par. 2 which requires that the complete text, duly signed, be submitted at the conclusion of every speech; par. 3: that Fathers who have the same observations to make on a given subject arrange to have one or a few to speak on their behalf; and par. 4 which exhorts the Fathers to avoid needless repetition of views presented by others, if need be even by withdrawing their name from the list of the announced speakers.

Those who speak on behalf of others are requested to attach a list of the names, not necessarily the signatures, of those in whose behalf they speak.

Those who wish to speak should, in accordance with art. 33, submit to the Secretariate, three days beforehand, a full summary or preferably a full text of their speech. The summary, if submitted, should be more than just a general indication of their comments. It should contain, albeit briefly, the principal arguments to be presented. It is most desirable however that the complete text of the speech be submitted before it is delivered. For the convenience of the speakers the telephone near to the microphone will ring after the lapse of eight minutes giving a warning signal that there are two minutes left in which to conclude their remarks.

His Holiness has prescribed the following with reference to the observance of the rule of Council secrecy. The obligation of secrecy applies in full force to the contents of the schemas which are discussed and to all the discussions and conclusions reached in the sessions of the Council commissions. With reference to the discussions which take place in these general sessions in this hall His Holiness commends the observance at all times and in all places of maximum prudence and moderation.

The Fathers are advised that there will be no further appointments of Council experts, the " Periti ", in as much as the number of those appointed is more than adequate to meet all the needs of the Council.

We will shortly begin the discussions of the schema on *de Ecclesia*. This will be a discussion on the total schema in general and not a discussion of the particular chapters or the particular contents. Those who intend to speak on the schema in general should refrain from commenting on the particular contents contained in the various chapters. The purpose of this initial discussion is simply to determine whether the schema is acceptable for discussion of its particulars.

And in following this initial discussion a vote in accord with art. 34 will be taken by the simple vote *Placet* vel *Non placet* to determine whether or not the schema is acceptable and whether further discussion of its particular chapters should ensue.

Thank you!

Versio germanica
(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Die Konzilsväter werden dringend gebeten, den bereits vorhin erläuterten Art. 57 der neugefassten Konzilsordnung zu beachten, insbesondere die Par. 2, 3 und 4. Dieser Art. 57 ist von besonderer Wichtigkeit für die künftige Behandlung der Schemata.

Wer zu sprechen wünscht, muss gemäss Art. 33 wenigstens drei Tage zuvor eine Zusammenfassung seiner Darlegungen schriftlich dem Generalsekretariat einreichen. Diese Zusammenfassung bedeutet nicht nur eine allgemein gehaltene Inhaltsangabe, sondern soll, wenn auch in knapper Form, die wichtigsten Argumente enthalten. Wenn ein Redner zugleich im Namen andrer Konzilsväter spricht, muss er deren Namen mitangeben. Sehr wünschenswert ist es, den gesamten Wortlaut der Rede vorher schriftlich einzureichen.

Noch eine technische Einzelheit: Damit der jeweilige Redner die ihm zustehende Redezeit von zehn Minuten nicht überschreitet, wird dem Redner künftig etwa zwei Minuten vor Ablauf seiner Redezeit ein telephonisches Zeichen gegeben, das ihn darauf aufmerksam macht, es sei Zeit, seine Rede zu beschliessen.

Sodann wird hiermit bekannt gegeben, was der Hl. Vater bezüglich der Schweigepflicht angeordnet hat: Es besteht allgemein die Schweigepflicht für die noch nicht diskutierten Schemata, und über die Verhandlungen und Arbeitsergebnisse der Konzilkommissionen. Bezüglich der Aussprachen und Debatten in den Generalkongregationen empfiehlt der Hl. Vater ein hohes Mass an kluger Diskretion, immer und überall.

Schliesslich sei noch mitgeteilt, dass neue Periti nicht mehr ernannt werden, denn die bereits ernannten dürften durchaus hinreichen für die Notwendigkeiten des Konzils.

Es beginnt nunmehr die Behandlung des Schemas *de Ecclesia,* und zwar zunächst im ganzen. Wer sich also hierzu äussern will, möge sich nicht in Einzelheiten verlieren, die zu ihrer Zeit jeweils bei der Behandlung der sie betreffenden Kapitel zur Sprache kommen.

Nach der globalen Behandlung des Schemas erfolgt die im Art. 34 vorgesehene schriftliche Abstimmung, ob das Schema im Ganzen Zustimmung findet und man dann zur Diskussion der einzelnen Kapitel übergehen kann.

Versio arabica
(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

يطلب الى الآباء بالحاح ، التقيد بالمادة السابعة والخمسين من نظام المجمع ، لا
فى فقراتها الثانية والثالثة والرابعة .. وبالتالى ، فمن شاء الكلام فليتفضل ، وفقا للمادة الثالثة
والثلاثين ، وليودع الامانة العامة كتابة وقبل ثلاثة ايام على الاقل خلاصة ما سوف يقول . وهذه
الخلاصة لا تقوم على فهرس عام للموضوع الذى يطرق فحسب ، بل ينبغى ان تحوى ، ولو بطريقة
مختصرة ، النقاط الهامة التى تبحث . وانه لمن المحبّذ كثيرا ان يتقدّم بالنص الكامل مكتوبا قبل
القائه فى الجلسة . ومن يتكلم باسم غيره من الآباء فليقدم لائحة باسماء الآباء الذين انتدبوه لل
وان اشارة تلفونية تعطى للخطيب بعد ابتدائه بالكلام بثمانى دقائق لمساعدته على حسن ختام كا

وليعلم الآباء جميعا ان قداسة البابا يأمر بحفظ السر . وهذا السر يلزم جميع الآباء
وجميع الذين يشتركون فى اعمال المجمع والخبراء ، وهو يتناول مشاريع نصوص القضايا ، وبحوث اللجا
المجمعية وقراراتها . اما حيال النقاش فى الجلسات العامة ، فقداسة البابا يوصى الآباء ان يتمس
دوما وفى كل مكان ، بقواعد الفطنة والتحفظ على اوسع مدى .

وليأخذ الآباء علما انه لا يمكن منذ الآن تعيين خبراء جدد للمجمع . فقد عيّن خبراء با
بل فوق ما تقتضى حاجة المجمع .

Moderator card. AGAGIANIAN:

Venerabiles Patres conciliares, pergratum est delegatis seu moderatoribus Concilii ex imo pectore omnibus vobis, ad S. Petri Apostolorum Principis sepulcrum congregatis, salutem dicere, iis praesertim qui prima vice Concilio intersunt; inter quos dilecti praefecti apostolici, qui peculiari benevolentia Summi Pontificis ad Concilium vocati sunt.

Sensus nostros, filiorum amore nitentes, iterum ad Summum Pastorem amantissimum extollamus, Paulum divina Providentia Papam VI, qui Decessoris sui, immortalis recordationis, Ioannis Papae XXIII, magnum inceptum, scilicet Sacrosanctum oecumenicum Concilium Vaticanum II, hereditatem accepit, illudque, Deo favente, prosequi voluit ad Christi Ecclesiae bonum atque ad animarum salutem.

Preces igitur ex animo et perseveranter depromamus, ut Omnipotens Deus, auspice Beatissima Virgine Maria cum S. Ioseph eius Sponso, Concilii labores ita tueatur, ut ipsi ad exspectatum veritatis, unitatis et pacis exitum feliciter perveniant.

Huic amplissimo coetui praeclari nominis laici catholici adsistunt,

qui in peculiaribus adiunctis Concilii laboribus adiumento esse poterunt. Ipsos quoque ex animo salutamus.

Hic praesentes humanissimi Observatores, nobis in Christo fratres, quibus et ex corde salutem dicimus, nobis memorant non tantum Christifideles, sed et totum hominum genus ex Concilio Oecumenico Vaticano II veritatis, salutis et amoris verbum exspectare.

« Congregavit nos in unum amor Christi; ubi caritas et amor, ibi Deus est; ne nos mente dividamur, caveamus ».

Hoc animo veritatis studio atque animarum saluti intento, in nomine Domini iter aggrediamur, sub luce summae auctoritatis et programmaticae Summi Pontificis hesternae allocutionis.

Nunc mentes ad schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* convertamus, quam Christus Dominus instituit veluti caelestem navim ad homines salvandos, quos Ipse pretioso sanguine suo redemit.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Post relationem factam ab em.mis ac rev.mis DD. cardd. Alfredo Ottaviani, praeside commissionis de doctrina fidei et morum, et Michaële Browne, eiusdem commissionis vicepraeside, loqui postulaverunt: em.mi cardd. PP. DD. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania, Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia; beat.mus P. D. Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum in Libano; exc.mi PP. DD. Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Carolus Albertus Ferrero di Cavallerleone, arch. tit. Trapezuntinus in Italia, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Petrus Ngô-dinh-Thuc, arch. Hueensis in Vietnam, Ioseph Gargitter, ep. Brixinensis in Italia.

Rogantur Patres, qui velint circa cap. I verba facere, iam suam summam secretariae exhibere.

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ECCLESIA [7]

PARS I*

1. [*Introductio*]. Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta Synodus, in Spiritu Sancto congregata, omnes homines, in caligine huius saeculi viventes, claritate Eius, super faciem Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni creaturae Evangelium annuntiando (cf. Mc. 16, 15). Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum, seu veluti sacramentum intimae totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis, naturam missionemque suam universalem instantius fidelibus suis et mundo universo declarare intendit, praecedentium Conciliorum argumento instans, illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans. Condiciones enim huius temporis memorato Ecclesiae officio novam vehementioremque ad-

---

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

[7] dunt vim et instantiam, ut nempe homines cuncti, variis hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur.

Caput I

DE ECCLESIAE MYSTERIO

2. [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]. Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, homines ad participandam vitam suam divinam elevare decrevit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » (Col. 1, 15). Haec congregatio iustorum a Sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur, « quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum » colligitur.[1] Filium autem Pater suum ad hoc praedestinavit (cf. Rom. 1, 4), ut de populo electo secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, fratresque suos in filios Patris constitueret, eosque non tantum singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificaret, sed in Populum Dei, novum genus electum, regale sacerdotium, gentem
[8] sanctam (cf. 1 Pt. 2, 9) sub uno Capite constitueret. Haec sancta Ecclesia iam ab origine humani generis praefigurata, in electione veteris populi ac foedere antiquo mirabiliter praeparata,[2] in novissimis temporibus est manifestata.

3. [*De missione Filii*]. Misit igitur Pater Filium suum, ut peccatores salvos faceret (cf. 1 Tim. 1, 15) et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (cf. Io. 11, 52), totique humano generi firmissimum esset unitatis principium.[3] Christus autem novum foedus instituit et ex Iudaeis ac Gentibus plebem vocavit, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus Populus Dei.[4] Sicut vero Israël secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est (cf. Num. 20, 4; Dt. 23, 1 ss.), ita novus Israël qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. Hebr. 13, 14), Ecclesia Christi nuncupatur, quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. Act. 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit,

eam super Petrum et Apostolos aedificans. Congregatio eorum, [8]
qui in Iesu salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab Eo convocata et legitime constituta, ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis.[5] Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum exsistens.

4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]. Opere autem consummato, quod Pater Christo commisit in terra faciendum (cf. Io. 17, 4), misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (cf. Gal. 4, 6), in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem (cf. Eph. 2, 18). Ipse est Spiritus vitae seu aqua saliens in vitam aeternam (cf. Io. 4, 14), per quem Pater homines peccato mortuos in Christo resuscitat (cf Rom. 8, 10 ss.). In fidelibus et in Ecclesia tamquam in templo habitat (cf. 1 Cor. 3, 16; 6, 19; Eph. 2, 22; 1 Pt. 2, 5), Ecclesiam diversis donis et charismatibus suis dirigit et fructibus suis adornat (cf. 1 Cor. 12, 4; Gal. 5, 22). Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, qui per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat,[6] et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit. Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt « Veni » (cf. Apoc. 22, 17).

Sic apparet universa Ecclesia sicuti « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».[7]

5. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Christus Dei [9]
Filius, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, Populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic Populo aggregat, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac Sui coheredes (cf. Rom. 8, 15-17), in Se unit et tamquam corpus suum mystice constituit.

Vita enim Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum Eo et in Eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum. Omnes enim, qui fidem Eius profitemur, in unum corpus baptizati et in uno Spiritu potati sumus (cf. 1 Cor. 12, 13), et omnes de Eius corpore ut uno pane participamus (cf. 1 Cor. 10, 17). Ita cum Domino unimur, Spiritu Eius intus operante, non tantum ut corpora nostra per sensibilia sacramenta Corpori eius clarificato coniungantur,[8] sed etiam ut unum corpus fidelium, variis organis instructum, formemus, habentes donationes, secundum gratiam quae data est nobis, differentes (cf. Rom. 12, 6),

[9] et in tribulationibus invicem compatientes atque in gloria congaudentes (cf. 1 Cor. 12, 26). Huius corporis caput Christus est, quem dedit Pater « caput supra omnem Ecclesiam, quae est Corpus Ipsius et plenitudo Eius, qui omnia in omnibus adimpletur » (Eph. 1, 22-23), « ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (Col. 1, 18-19). Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis corporis praestat, quos tum dirigit tum vita sua replet.[9]

Ad aedificandum in terris corpus suum, Ecclesiam scilicet suam, Christus dona ministrationum disposuit, quibus in Ipso nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est caput nostrum (cf. Eph. 4, 11-16), « ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (Col. 2, 19). In diversis illis muneribus, praesertim quando ministeriis sacrae Hierarchiae exercentur, Ipse Dominus est qui, cum sit Magister, Sacerdos atque Rex noster,[10] habeatque nomen quod est super omne nomen (cf. Phil. 2, 9), principaliter et interius illa agit, quae fideles et imprimis praepositi Ei ministrando suscipiunt. Spiritus autem Christi est qui unus idemque in Capite et in membris exsistens, totum corpus vivificat, unit et movet, ita ut principium vitae seu anima Ecclesiae iure vocatus sit.[11] Dominus Iesus ut vitis vera, palmitibus
[10] vitam et fecunditatem tribuit, ita ut quidquid Ecclesia ad salutem operatur, a Christo per eam agente procedat, sine quo palmites nihil facere possunt (cf. Io. 15, 1-5). Interim, in terris peregrinantes, Eiusque vestigia saepe in tribulationibus et persecutionibus prementes, Eius passionibus tamquam corpus Capiti consociamur, Eique compatimur ut Cum Ipso conglorificemur (Rom. 8, 17).[12] Sicut in deserto Ipse turbas nutriebat, nunc per orbem terrarum pane doctrinae ac pane eucharistico populos reficit,[13] et ad Seipsum in gloriam suam caelestem suaviter attrahit, ut sic semper cum Eo sint (cf. 1 Thess. 4, 17). Quia vero Christus caput in caelis intima unione cum Ecclesia, corpore suo in terris, iunctus est, hoc corpus Christum in terris vere repraesentat Eiusque actione germen et initium constituit Regni caelorum, ad quod sperando perducitur. Sicut Christus est « pleroma » seu plenitudo Dei (cf. Col. 1, 19; 2, 9; Eph. 4, 13), ita Ecclesia est « pleroma » seu plenitudo Christi in Ea inhabitantis, tenditque ad omnem plenitudinem Dei (cf. Eph. 1, 23; 3, 19; Col. 2, 10).

6. [*De aliis Ecclesiae imaginibus*]. Variis insuper aliis et [10] profundis imaginibus nobis intima Ecclesiae natura innotescit, quarum praecipuas evocamus. Est enim Ecclesia grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit (cf. Is. 40, 41; Ez. 34, 11 ss.), et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae gubernantur, ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum (cf. Io. 10, 10; 1 Pt. 5, 4) indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet (cf. Is. 5, 1-4 et 7; Io. 15, 1 ss.), vel ager vel agricultura Dei.[14] Est Dei familia, eiusque templum et domus quae, in lapideis sanctuariis repraesentata, a sanctis Patribus laudatur,[15] in qua Deus in Spiritu et veritate adoretur (cf. Io. 4, 23). Est habitaculum Spiritus Sancti, qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat. Est Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus (cf. Apoc. 21, 1 ss.).[16] Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati (cf. Apoc. 20, 9), quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit, ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam (cf. Eph. 5, 22 ss.), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, [11] ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. Eph. 3, 19).

7. [*De Ecclesia in terris peregrinante*]. Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas, his in terris mediorum sanctificationis compage constat et sustentatur.[17] Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non duae res sunt sed una tantum quae humano et divino coalescit elemento, ideoque ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur.[18] Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum instrumentum salutis inservit, ita socialis organismus Ecclesiae Spiritui Christi in exaedificando Corpore inservit. Docet autem Sacra Synodus et sollemniter profitetur non esse nisi unicam Iesu Christi Ecclesiam, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus,[19] quam Salvator post resurrectionem suam Petro et Apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit,[20] et super illos in salutis sacramentum, « columnam et firmamentum veritatis » erexit (1 Tim. 3, 15). Haec igitur Ecclesia, vera om-

[11] nium Mater et Magistra, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, est Ecclesia catholica,[21] a Romano Pontifice et Episcopis in eius communione directa, licet extra totalem compaginem elementa plura sanctificationis inveniri possint, quae ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt.[22] Ut sacramentum Christi, Ecclesia est signum in nationibus levatum, quibus etiam in paupertate evangelica testimonium mitis et humilis Iesu praebet.[23] « Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando procurrit »,[24] sanctos et peccatores in se complectens, in mundo exsistens sed non de mundo (cf. Io. 17, 11-14), crucem et mortem Domini annuntians donec veniat (cf. 1 Cor. 11, 26). Sic per patientiam commissas sibi partes implet, ut omnes homines, quos ardentissima caritate ad se vocat, ad regnum caeleste in gloriam Patris perducat.

8. [*De fidelibus catholicis*]. Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et Traditione, Ecclesiam esse institutum necessarium ad salutem, ideoque illos homines salvari non posse, qui, Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, eam tamen renuant intrare vel in eadem perseverare. Quod enim Revelatio de necessitate baptismi affirmat (cf. Mc. 16, 16; Io. 3, 5), procul dubio eadem ratione [12] de Ecclesia valet, quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant.[25]

Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum, qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in Ea instituta agnoscunt, et in eiusdem compage visibili cum Christo, eam per Summum Pontificem et Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis.[26] Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in Ecclesiae sinu « corpore » quidem sed non « corde » remanet.[27] Memores autem sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur severius iudicabuntur.[28]

Voto autem cum Ecclesia coniunguntur Catechumeni, qui, Spiritu Sancto movente, cogitate et explicite ut ei incorporentur expetunt; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia.[29] Suo modo idem valet de illis, qui nescientes Ecclesiam Catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, sincere,

adiuvante gratia, voluntatem Christi vel, si distincta cognitione [12] Christi carent, voluntatem Dei Creatoris, qui vult omnes homines salvos fieri, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt.[30]

9. [*De nexibus Ecclesiae cum Christianis non catholicis*]. Cum omnibus illis qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia omnium Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam.[31] Amanter enim credunt in Christum, Filium Dei Salvatorem,[32] baptismo indelebili signantur, imo omnia aut saltem quaedam sacramenta agnoscunt et recipiunt, et plures eorum fidem erga Sanctissimam Eucharistiam necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent.[33] Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; imo quaedam in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis intra Ecclesiam Catholicam agat, sed sua virtute sanctificante etiam in illis operetur. Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur.[34] Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur, ut, purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae cla- [13] rius effulgens extollant.[35]

10. [*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*]. Ecclesia ad omnes homines missa est, pro quibus Dominus sanguinem suum fudit ut eos ad Regnum suum vocaret et dirigeret.[36] Quapropter Ecclesia a prece et praedicatione quiescere nequit, donec omnes in Eam in unum corpus adsciscantur, qui ad fidem christianam nondum pervenerunt, sive Domino iam prope fuerint (cf. Eph. 2, 11-13), ut pertinentes ad populum eius, fratres Eius secundum carnem, quibus data fuerunt testamenta et promissa (cf. Rom. 9, 4-5), sive longe ab Eo, sed non derelicti, Deum creatorem agnoscant, vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerant.[37] Quidquid enim boni apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica aestimatur et lumen a Deo datum, qui ab initio mundi salutem omnium hominum efficaciter intendit.[38] Qui, Christum Eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt Eiusque voluntatem, per conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem sperare possunt; [39] in ter-

[13] ris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris Eius non locupletantur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius sternatur.

Ita, dilatata caritate, Ecclesia cor suum universis hominibus totique mundo pandit, ut per Dominum suum, Redemptorem ac Regem universorum, feliciter sit lumen omnium gentium.

NOTAE

[1] S. GREGORIUS M., *Hom. in Evang.* 19: PL 76, 1154. Hoc thema, quod apud Patres frequenter occurrit, respondet quaestioni iam a S. IRENAEO propositae, cur tam tarde advenerit Christus: *Adv. Haer.* IV, 11: PG 7, 1001-1003; *ibid.* IV, 38: col. 1105-1109; *ibid.* V, 36: col. 1221-1224. ORIGENES docet, *In Cant.,* lib. 2: PG 13, 134: « Non enim tu mihi ex adventu Salvatoris in carne sponsam dici aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis, et ab ipsa constitutione mundi... ». Cf. *Comm. Ser. in Mt.* n. 51: PG 13, 1679 BC: ed. Klostermann, p. 113. Doctrina fuse a S. AUGUSTINO exponitur, *Serm.* 341, 9, 11: PL 39, 1499 s.: « Membra Christi et corpus sumus omnes simul; non qui hoc loco tantum sumus, sed et per universam terram; nec qui tantum hoc tempore, sed quid dicam? ex Abel iusto usque in finem saeculi, quamdiu generant et generantur homines, quisquis iustorum per hanc vitam transitum facit... totum hoc
[14] unum corpus Christi... Adiungitur ista Ecclesia, quae nunc peregrina est, illi caelesti Ecclesiae, ubi angelos cives habemus... Et fit una Ecclesia, civitas Regis magni ». Cf. *Enarr. in Ps.* 118, 29, n. 9: PL 37, 1589; *Enarr. in Ps.* 142, 3: col. 1846. Similiter S. LEO M., *Serm.* 30, 7: PL 54, 234: « Omnes sancti qui Salvatoris nostri tempora praecesserunt, per hanc fidem iustificati, et per hoc sacramentum Christi sunt corpus effecti ». Cf. *ibid. Serm.* 52, 1: col. 314.

Concordant Orientales, teste S. IOANNE DAMASCENO, *Adv. Iconocl.* 11: PG 96, 1358: « Est ergo sancta Dei catholica Ecclesia, coetus sanctorum Patrum qui a saeculo sunt, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, evangelistarum, martyrum, quibus adiectae sunt concorditer credentes gentes universae... ». Pro S. THOMA etiam, *Summa Theol.,* III, q. 8, a. 3, ad 3: « patres antiqui pertinebant ad idem corpus Ecclesiae ».

Pro illis omnibus, esse de corpore Christi vel Ecclesiae, inde ab Adam vel ab Abel, significat: per fidem a Christo, unico mediatore, cuius influxus efficax tempora et loca transcendit, salutem accipere. Ecclesia, sic concepta ut communio salutis et gratiae, per incarnationem Verbi pressius determinatur ut societas hierarchica et communitas mediorum salutis, sed semper in eadem perspectiva universali et eschatologica. Cf. Y. M. J. CONGAR, *Ecclesia ab Abel,* in: *Festschrift Karl Adam,* Düsseldorf, 1952, pp. 97-98.

[2] Etiam thema de praeparatione Evangelii in Vetere Testamento est

apud Patres classicum. Sint per modum exempli: S. CYPRIANUS, *Epist.* 64, 4, 3: ed. HARTEL, p. 720: « Praecessit in imagine. Quae imago cessavit, superveniente postmodum Veritate ». S. HILARIUS PICT. *In Mt.* 23, 6: PL 9, 1046: « (Lex) ad futurorum speciem praelata, imaginem consecuturae Veritatis continebat ». S. AUGUSTINUS passim hanc doctrinam evolvit. [14]

Pro Orientalibus cf. ORIGENES, *In Num.* 9, 4: PG 12, 628: ed. Baehrens, p. 59: « Sic ergo invenitur evangelii virtus in lege, et fundamento legis subnixa intelliguntur evangelia ». S. CYRILLUS ALEX., *Glaph. in Gen.* 2, 10: PG 69, 110 A: « Christus vero rursum in umbris descriptus... ».

3 Gal. 3, 28; Col. 1, 17. Haec doctrina sub titulo recapitulationis a S. IRENAEO exponitur, *Adv. Haer.* III, 16, 6; PG 7, 925: ed. Sagnard, p. 292: « In omnibus autem est et homo plasmatio Dei; et hominem ergo in semetipso recapitulatus est... Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans, uti sicut in supercaelestibus et spiritalibus et in invisibilibus princeps est Verbum Dei, sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum adsumens, et adponens semetipsum caput Ecclesiae, universa adtrahat ad semetipsum apto in tempore ». Cf. *ibid.* III, 22, 2: PG col. 956: ed. Sagnard, p. 378.

4 Ecclesia, a Christo fundata, est *Novus Populus Dei,* non tantum antiquo populo electo succedens, sed ab eo tamquam a typo praeparatus, eumque perficiens. Unde appellationes populi antiqui sensu profundiore Ecclesiae applicantur, v. g.: Ecclesia Dei: 1 Cor. 1, 2; cf. Deut. 23, 1-3; Israël Dei: Gal. 6, 16; genus electum, regale sacerdotium...: 1 Pt. 2, 9; cf. Ex. 19, 6; Apoc. 1, 6. Beneficia antiquis sub umbra tantum concessa, nunc per Spiritum Christi in Ecclesia tribuuntur: 1 Cor. 10, 6; praesertim [15]
adoptio filiorum: Rom. 9, 4; Gal. 4, 1-7; secundum promissiones patriarchis factas, et tamquam restitutio messianica a prophetis praenuntiata, v. g. Is. 40, 1-11; licet etiam nos beatam spem adhuc exspectemus: Rom. 5, 2; Tit. 2, 13, etc. Novus autem Populus tum Iudaeos tum « Graecos » sub Uno comprehendit: Rom. 10, 11-13; 1 Cor. 1, 24; 12, 13; Gal. 3, 28.

5 *Sacramentum,* sensu latiore, seu mysterium, seu signum efficax salutis, sollemniter dicitur de Christo, ut apud S. AUGUSTINUM, *Epist.* 187, 11, 34: PL 33, 845: « Non est enim aliud Dei mysterium (sacramentum) nisi Christus ». Cf. textus supra ex S. LEONE M. allatos, sub nota 1.

Pluries autem vox apud Patres designat totam salutiferam oeconomiam, quae variis ritibus cultualibus in Ecclesia coalescit. Inde Ecclesia ipsa a S. IRENAEO vocatur « arrha incorruptelae, et confirmatio fidei nostrae, et scala ascensionis ad Deum », *Adv. Haer.* III, 24, 1: PG 7, 966: ed. Sagnard, p. 400. De Ecclesia ut sacramento unitatis explicite loquitur S. CYPRIANUS, *Epist.* 69, 6: PL 3, 1142 B: CSEL 3 B, p. 754: « Denique quam sit inseparabile *unitatis sacramentum,* et quam sine spe sint, et perditionem sibi maximam de indignatione Dei adquirant qui schisma faciunt, et relicto episcopo alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt... ». Cf. *Epist.* 55, 21: col. 787 A. p. 638. S. AUGUSTINUS Ecclesiam baptiza-

[15] torum « huius arcae mysterium » vocat, *Bapt. c. Don.* V, 28, 39: PL 43, 196.

Stricto autem sensu, non sunt nisi septem sacramenta a Christo instituta, cf. CONC. TRID. Sess. VII, can. 1: DENZ. 844.

[6] S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 24, 1: PG 7, 966: ed. Sagnard, p. 398: « Quam (praedicationem) perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei quasi in vaso bono eximium quoddam dispositum (depositum) iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas in quo est... Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, et ubi Spiritus Dei, ibi Ecclesia et omnis gratia ».

[7] S. CYPRIANUS, *De Orat. Dom.* 23: PL 4, 553: CSEL 3 A, p. 285; cf. S. AUGUSTINUS, *Serm.* 71, 20, 33: PL 38, 463 s.: « Societas unitatis Ecclesiae Dei, extra quam non fit remissio peccatorum, tanquam proprium est opus Spiritus Sancti, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodammodo Patris et Filii ipse Spiritus Sanctus »; S. IOANNES DAMASCENUS, *Adv. Iconocl.* 12: PG 96, 1358 D: « Credimus igitur in unam sanctam catholicam et apostolicam Dei Ecclesiam, in qua per institutionem erudimur. Cognoscimus quoque Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti »; cf. FULGENTIUS RUSP., *Ad Monim.* 2, 11: PL 65, 190 s.; S. CYRILLUS HIER., *Catech.* 5 append.: PG 33, 535-536.

[8] Haec est doctrina Pauli de effectibus baptismi, quo scilicet Christo in carne passo et resuscitato unimur: Rom. 6, 3-13; Col. 2, 12. Vivendo in Christo resuscitato, portamus imaginem hominis caelestis: 1 Cor. 15, 49; et per Spiritum Eius et nos resuscitabimur: Rom. 8, 11.

Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, III, q. 62, a. 5, ad 1: « Verbum, prout erat in principio apud Deum, vivificat animas sicut agens princi-
[16] pale; caro tamen eius, et mysteria in ea perpetrata operantur instrumentaliter ad animae vitam; ad vitam autem corporis non solum instrumentaliter, sed etiam per quamdam exemplaritatem ».

[9] Cf. Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 208.

[10] Cf. Mt. 23, 8-10; Io. 13, 13-14; Hebr. 4, 14; 5, 10; 9, 11-14; Lc. 23, 3; Io. 18, 37. De triplici munere messianico cf. etiam EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* 1, 3: PG 20, 68-73 et *Demonstr. Evang.* IV, 15: PG 22, 290-291; Io. CHRYSOSTOMUS, *in 2 Cor.* hom. 3, 5: PG 61, 411; *Fastid. Britt. De Vita Christi,* 1: PL 50, 384; S. THOMAS, *Ad Rom.* lect. 1 et *Summa Theol.* III, q. 31, a. 2; *Catechismus Tridentinus* I, cap. 3, 7. Accedunt plura documenta pontificia Leonis XIII, S. Pii X et Pii XII.

[11] LEO XIII, Litt. Encycl. *Divinum illud,* 9 maii 1897: ASS 29 (1896-97) p. 650; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 219-220: DENZ. 2288; S. THOMAS, *in Col.* 1, lect. 5: « Sicut constituitur unum corpus ex unitate animae, ita ecclesia ex unitate Spiritus ».

Haec doctrina ita a Patribus proponitur: S. AUGUSTINUS, *Serm.* 268, 2: PL 38, 1232: « Quod est spiritus noster, id est anima nostra, ad membra nostra, hoc est Spiritus Sanctus ad membra Christi, ad corpus Christi, quod est Ecclesia »; cf. *Serm.* 267, 4: col. 1231; *In Io.* tr. 26, 13: PL 35, 1612 s.; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Eph.* Hom. 9, 3: PG 62, 72:

« Sicut in corpore est unus spiritus omnia continens, et unum quid efficiens quod consistit in diversis membris, eodem modo et hic. Hac de ratione enim datus est Spiritus, ut uniat genere moribusque disiunctos... »; DIDYMUS ALEX., *Trin.* 2, 1: PG 39, 449 s.: « Sanctificavit Spiritus Dei et sanctificatione sua perfecit, illuminavit, corroboravit, vivificavit; totus in omnibus et singulis exsistens, et totus ab omnibus participatus et contentus ob ipsius bonitatem, non tamen divisus... ». [16]

[12] Cf. etiam 2 Cor. 4, 17 et 1 Pt. 1, 6-9.

[13] Cf. Io. 6, 32-35, de pane fidei et eucharistiae.

[14] Cf. 1 Cor. 3, 6-9, et vineam Domini in Antiquo Testamento.

[15] Thema de Ecclesia ut aedificio-templo occurrit v. g. 1 Cor. 3, 10-16; *ibid.* 6, 19; 2 Cor. 6, 16-18; Eph. 2, 14 et 20-21; 1 Pt. 2, 4-10; S. IGNATIUS M., *Ad Eph.* 9, 1: FUNK, p. 220; ORIGENES, *In Mt.* 16, 21-22: PG 13, 1443 C: « Nunc autem conflatum ex vivis lapidibus templum Ecclesiae esse existimo »; TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 3, 7: ed. Kroymann in CSEL 47, 3, p. 386: « Lapis summus angularis post reprobationem adsumptus et sublimatus in consummationem templi, Ecclesiae scilicet... »; S. CYRILLUS ALEX., *In Io.* 1, 14: PG 73, 163 A.

Textus liturgici de dedicatione ecclesiarum characteristici sunt. Ita *Sacramentarium Gregorianum*: PL 78, 160 B: « Deus qui ex omni coaptatione sanctorum aeternum tibi condis habitaculum... ». Cf. Hymnus antiquus *Urbs Ierusalem beata,* in Breviario Monastico, in festo dedic. ecclesiae: « Tunsionibus, pressuris - Expoliti lapides - Suis coaptantur locis - Per manus artificis: - Disponuntur permansuri - Sacris aedificiis ». Similia in Breviario Romano, in hymno *Caelestis urbs Ierusalem.*

[16] Cf. Apoc. 21, 9; 22, 17; Eph. 5, 22-32. Praedicatio Christi descripta ut sponsalia: Mt. 9, 15; Mc. 2, 19; Lc. 5, 34; Io. 3, 29.

[17] LEO XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889-90) p. 392; ID., Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-96) pp. 710 et 724 s.; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 199-200. [17]

[18] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*: l. c. p. 712.

[19] Cf. *Symbolum Apostolicum*: DENZ. 6-9; *Symbolum Nic.-Const.*: DENZ. 86, coll. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 994 et 999.

[20] De identitate Ecclesiae Catholicae et Corporis Mystici cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 221 ss.; ID., Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: AAS 42 (1950) p. 571: DENZ. 2319 (in ultima editione textus est omissus). Sequitur Pius XII vestigia multorum praedecessorum.

[21] Ecclesia est Catholica Romana: cf. *Prof. Fidei Trid.*: DENZ. 999, et CONC. VAT. I, Sess. III, Const. dogm. *de fide cath.*: DENZ. 1782. Data opera in Conc. Vat. I dictum est « catholica apostolica Romana » et non Romano-catholica, quia ultimus dicendi modus sapit doctrinam trium ramorum.

[22] Omnis baptizatus vi baptismi est subiectus legibus Ecclesiae. Cf. BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Singulari nobis,* 9 febr. 1749, § 14; LEO XIII, Litt. Encycl. *Annum sacrum,* 25 maii 1899: ASS 31 (1898-

[17] 1899) p. 647; PIUS XI, Litt. Encycl. *Quas primas,* 11 dec. 1925: AAS 17 (1925) p. 601: DENZ. 2196; Can. 12.

Cf. § 9, de unione in Spiritu Sancto.

[23] Cf. Mt. 11, 29.

[24] S. AUGUSTINUS, *Civ. Dei,* XVIII, 51, 2: PL 41, 614.

[25] Doctrinam Patrum: IGNATII ANTIOCH., ORIGENIS, CYPRIANI, HIERONYMI, AUGUSTINI, FULGENTII vide apud TROMP, *De Spiritu Christi Anima,* pp. 210-213. Quoad doctrinam Ecclesiae, cf.: *Symbolum Athanasianum*: DENZ. 40; PELAGIUS II, Ep. *Dilectionis vestrae,* ann. 585: DENZ. 247; INNOCENTIUS III, *Prof. fidei Wald.*: DENZ. 423; BONIFATIUS VIII, Bulla *Unam Sanctam,* 18 nov. 1302: DENZ. 468; CLEMENS VI, Epist. *Super quibusdam,* 29 sept. 1351: DENZ. 570 *b*; CONC. FLORENT., Decr. *Pro Iacobitis*: DENZ. 714; *Prof. fidei Trid.*: DENZ. 1000; BENEDICTUS XIV, *Prof. fidei Maronitarum*: DENZ. 1473; GREGORIUS XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* 15 aug. 1832: DENZ. 1613; PIUS IX, Litt. Encycl. *Quanto conficiamur moerore,* 10 aug. 1863: DENZ. 1677; *Syllabus,* n. 16-17: DENZ. 1716-1717; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: AAS 35 (1943) pp. 242-243; Litt. Encycl. *Humani generis,* 12 aug. 1950: DENZ. 2319; *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.,* 8 aug. 1949: DENZ. 3869-72. De baptismo ut ianua, cf. *Decretum pro Armenis*: DENZ. 696: « baptisma quod vitae spiritualis ianua est »; S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 69, a. 7.

[26] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 199-200; 223-224. BONIFATIUS VIII, Bulla *Unam Sanctam*: DENZ. 468; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211; cf. CLEMENS VIII, Instr. *Magnus Dominus,* 23 dec. 1595: § 1; BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Singulari Nobis,* nn. 13 et 14; PIUS IX, *In suprema,* 6 ian. 1852: Acta, P. I, vol. I, 89 s.

[18] [27] S. AUGUSTINUS, *Bapt. c. Don.* V, 28, 39: PL 43, 197: « Certe manifestum est, id quod dicitur, in Ecclesia intus et foris, in corde, non in corpore cogitandum »; cf. *ibid.* III, 19, 26: col. 152; V, 18, 24: col. 189; *In Io.* tr. 61, 2: PL 35, 1799, et alibi saepe.

[28] Lc. 12, 48: « Omni autem, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo », cf. etiam Mt. 5, 19-20; 7, 21-22; 25, 41-46; Iac. 2, 14.

[29] De catechumenis, cf. S. AMBROSIUS, *De obitu Valentiniani* 51: PL 16, 1374; S. AUGUSTINUS, *De Bapt.* IV, 21, 28: PL 43, 172; INNOCENTIUS II, Epist. *ad Episc. Cremon.*: PL 179, 624 s., coll. DENZ. 388; INNOCENTIUS III, Epist. *ad Episc. Meten.,* 28 aug. 1206: PL 215, 986 s., coll. DENZ. 413.

[30] PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. pp. 242-243; *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.*: DENZ. 3866 ss.

[31] LEO XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: ASS 26 (1893-94) p. 707: « Eo vel magis quod non ingenti discrimine seiunguntur; imo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus ».

[32] LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-96) p. 738: « Iesum Christum Filium Dei eumdemque Servatorem

generis humani agnoscunt et fatentur »; ID., Litt. Encycl. *Caritatis studium,* 25 iul. 1898: ASS 31 (1898-99) p. 11: « Scotorum nobiscum de fide dissidentium complures quidem Christi nomen ex animo diligunt, eiusque et disciplinam assequi et exempla sanctissima persequi imitando nituntur »; PIUS XII, Nuntius radioph. *Nell'alba,* 24 dec. 1941: AAS 34 (1942) p. 21: « ... sono a Noi vicini per la fede in Dio e in Gesù Cristo ». [18]

[33] PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum orientalium,* 8 sept. 1928: AAS 20 (1928) p. 287: « Praesertim cum apud illos populos tanta divinae Revelationis pars religiosissime asservata sit, et sincerum Christi Domini obsequium et in eius Matrem intemeratam amor pietasque singularis, et ipsorum Sacramentorum usus vigeat »; PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae,* 9 apr. 1944: AAS 36 (1944) p. 137: « Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita: simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent ».

[34] Nota distinctionem S. AUGUSTINI: « *Ducere in via* et *ad viam; ducere in Christo* et *ad Christum* ». Cf. *In Ps.* 85, 15: PL 37, 1092; CLEMENS VIII, Instr. *Magnus Dominus*: « § 1. ... Divina Spiritus Sancti luce eorum corda collustrante, coeperunt ipsi secum cogitare... se et greges quos pascerent non esse membra Corporis Christi, quod est Ecclesia ».

Cf. Instr. S. C. S. OFFICII, 20 dec. 1949: AAS 42 (1950) p. 142: « Iam vero in pluribus Orbis partibus, quum ex variis externis eventibus et animorum mutationibus, tum maxime ex communibus fidelium orationibus, afflante quidem Spiritus Sancti gratia, in multorum animis ab Ecclesia Catholica dissidentium desiderium in dies excrevit, ut ad unitatem omnium redeatur, qui in Christum Dominum credunt. Quod profecto [19] filiis Ecclesiae verae est causa sanctae in Domino laetitiae simulque invitamentum ad praestandum omnibus sincere veritatem quaerentibus auxilium, ipsis lucem et fortitudinem effusa prece a Deo sollicitando ».

[35] Cf. IOANNES XXIII in pluribus allocutionibus, v. g.: ad peregrinos e Vietnam: AAS 51 (1959) p. 380; In festo SS. Cordis 5 iun. 1959: *L'Oss. Rom.* 7 iun. 1959; Ad Act. Cath. Ital.: *L'Oss. Rom.* 10-11 aug. 1959; In caeremonia Purificationis: *L'Oss. Rom.* 3 febr. 1960; Ad Patres SS. Sacramenti: *L'Oss. Rom.* 30 iun. 1961.

[36] Doctrina in hoc fundatur quod Christus pro omnibus hominibus mortuus est, sicque eos obiective redemit, et missione Spiritus sui omnes ad Regnum suum vocat et dirigit. Omnis autem gratia, ubicumque concedatur, indolem quamdam communitariam induit et ad Ecclesiam respicit. Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 8, a. 3, ad 1: « Illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen in potentia. Quae quidem potentia in duobus fundatur: primo quidem et principaliter in virtute Christi quae est sufficiens ad salutem totius humani generis; secundario, in arbitrii libertate ».

[37] Eph. 2, 11-13, Paulus distinguit inter Gentiles, quos *longe* a Christo fuisse dicit, et Iudaeos, qui *prope* Ei fuerunt, ut illustrat Rom. 9,

[19] 4-5. Nunc autem in Christi sanguine utrique unum facta sunt. Non-christiani Deum agnoscere eiusque legem in conscientia sua audire possunt (Rom. 1, 19-20 et 2, 14-15). Paulus in Areopago alloquitur Athenienses qui ignoto Deo simulacrum aedificaverunt: « Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis » (Act. 17, 23).

[38] *Praeparatio evangelica* est titulus libri quem EUSEBIUS CAES. operi suo de « Demonstratione evangelica » praemisit, tamquam introductionem ad captum gentium accommodatam, 1, 1: PG 21, 27 AB. Secundum antiquos Patres, « vera religio », aut saltem quaedam eius elementa primordialia revelationi evangelicae praeexistunt. Quae idea sub variis formis proponitur:

1) *de seminibus veritatis,* v. g. de notionibus Dei et animae, quae ut « rationes universales » ubique disperguntur. Ita S. IUSTINUS, *1 Apol.* 44: PG 6, 395: « Atque omnia quaecumque de immortalitate animae, vel poenis post mortem, vel caelestium rerum contemplationem, vel similibus sententiis, tum philosophi tum poëtae dixerunt, sumpto ex prophetis argumento, et intelligere res illas potuerunt et exposuerunt. Hinc omnibus videntur inesse veritatis semina ». Concludit autem *2 Apol.* 13: col. 466: « Quaecumque igitur apud alios omnes praeclare dicta, ea nostra sunt christianorum ». Cf. celebre testimonium TERTULLIANI, *Apol.* 17: PL 1, 376 s.: « Vultis ex animae ipsius testimonio comprobemus? Quae, licet... falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit... Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio veri Dei. Deus magnus, Deus bonus, quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum: Deus videt, et Deo commendo, et Deus mihi reddet. O testimonium animae naturaliter christianae! ». ORIGENES, *C. Celsum,* 1, 4-5: PG 11, 661 sq.: Koetschau, 1, p. 58 s.;

2) *de affinitate* (συγγενεία) inter Creatorem et creaturam. Ita
[20] LACTANTIUS, *Div. Inst.* 7, 9: PL 6, 765 sq.: « Ex ipsa ratione ac prudentia intellegitur esse quaedam in homine ac Deo similitudo... Cum (religio) in hominem solum cadit, profecto testatur id affectare nos, id desiderare, id colere quod nobis familiare, quod proximum sit futurum... Cum autem sapientia, quae soli homini data est, ... apparet animam non interire neque dissolvi, sed manere in sempiternum, quia Deum, qui sempiternus est, et quaerit et diligit, ipsa cogente natura, sentiens vel unde orta sit, vel quo reversura ». Cf. celebre effatum S. AUGUSTINI, *Conf.* 1, 1: PL 32, 661: « Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te! ». *Ibid.* 13, 8: col. 848;

3) *de paedagogia divina,* qua misericordia Dei sese debilitati hominis accommodans, eum sine violentia, per dogmata quaedam iam cognita, ad Evangelium praeparat, praevalenter quidem per revelationem Veteris Testamenti, ut explicat S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat.* 31, 25: PG 36, 160 s. Idea iam apud S. IRENAEUM occurrit, qui ad ipsam originem humanitatis considerationem reducit, *Adv. Haer.* III, 20, 2: PG 7, 943: ed. Refoulé, p. 342.

[39] Cf. *Epist. S. C. S. Officii ad Archiep. Boston.*: DENZ. 3869-72.

COMMENTARIUS [20]

Brevis hic commentarius praesertim structuram Constitutionis patefacere intendit, et indolem ac intentionem eius manifestare.

1. *Introductio.* – Suscipit Sacra Synodus expositionem de Ecclesia sub titulo « Lumen Gentium », quem titulum a Christo ad communitatem ab Eo fundatam transfert, ut appareat missionem Ecclesiae pro hominum salute esse absolute universalem. Unificatio progressiva mundi hodierni explanationem huiusmodi de fundamentali omnium unitate in Christo urgentiorem facit.

Expositio quattuor capitibus constat. *Primum* agit de mysterio Ecclesiae huiusque relationibus cum variis hominum categoriis. *Secundum* tractat de eius constitutione hierarchica et in specie de Episcopis. *Tertium* de Populo fideli et signatim de Laicis tractat. *Quartum* de via consiliorum evangelicorum occupatur.

Caput I

DE ECCLESIAE MYSTERIO

Iam ex inscriptione patet Ecclesiam ut obiectum fidei proponi et non tantum in sua extrinseca manifestatione describi. Caput istud in tres sectiones dividitur. *Prima sectio,* n. 2-4, ostendit Ecclesiam ex Deo Uno et Trino oriri, nempe ex aeterni Patris consilio, missione Filii exsecutioni mandato, et sanctificatione Spiritus Sancti completo; sicque ostenditur doctrinam de Ecclesia in dogmate primario christianismi fundari. *Secunda sectio,* n. 5-6, in testimonio Scripturae et Traditionis similiter nitens, proponit varias imagines quibus mysterium Ecclesiae revelatur, quae quidem non tantum est Populus Dei, sed ipsum Corpus Christi, necnon grex Pastoris supremi, Civitas caelestis, Sponsa novi Adami, etc. In *tertia* [21]
sectione, n. 7-10, pressius consideratur Ecclesia sub Romano Pontifice et Episcopis ei coniunctis in terris peregrinans. Ad quam variis modis pertinent vel referuntur sive catholici, sive christiani non-catholici, sive in genere non-christiani seu omnes omnino homines.

Sectio I

2. [*De aeterni Patris consilio*]. Pater omnes homines a se creatos, sed in peccatum lapsos, ad salutem destinavit per Filium suum incarnatum. Redemptor autem non tantum singulos salvat, sed eos constituit in communitatem salutis, quae totam historiam humanitatis complectitur.

3. [*De missione Filii*]. Filius Dei, homo factus, peccatores homines redemit et ex omnibus gentibus « novum Populum Dei » convocavit. Haec est « Ecclesia Christi », visibilis societatis mediis instructa, ut sit sacramentum seu sacrum signum universalis et salutaris unitatis.

4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]. Spiritus Filii mittitur ut opus Eius compleat, intrinsecus vivificando Ecclesiam, eamque diversis mini-

[21] steriis et donis dirigendo et renovando, donec eam ad beatum finem perducat.

In Conclusione huius partis, connexio Ecclesiae cum SS. Trinitate verbis S. Cypriani exprimitur.

SECTIO II

5. [*De Ecclesia ut mystico Corpore Christi*]. In prima paragrapho ostenditur quomodo Ecclesia, Populus Dei, ad sublimiorem condicionem, tamquam Corpus Christi, evehitur.

Deinde evolvitur haec de Corpore Christi doctrina, secundum aspectum internum vitae et secundum solidaritatem diversorum membrorum, memoratis etiam sacramentis incorporationis. In specie describitur eminentia Christi ut Capitis huius Corporis.

Ulterius docetur Christum in Corpore suo varias ministrationes, praesertim hierarchicas instituisse. Per eas autem Ipse triplicem suam potestatem salutiferam exercet; Ipse per Spiritum suum Ecclesiam vivificat et unit, atque Ipse credentes passionibus suis consociat et ad gloriam perducit. Ita Ecclesia est praelibatio Regni caelorum, et sicut Christus est plenitudo Dei, sic Ecclesia est plenitudo Christi.

6. [*De aliis Ecclesiae imaginibus*]. Imago Corporis Christi aliis figuris scripturisticis complenda est, inter quas afferuntur comparationes de Pastore et grege, de templo Spiritus Sancti, de Civitate caelesti, et praesertim de Sponso et sponsa, qua imagine clare exprimitur Ecclesiam cum Christo non simpliciter identificari, sed permanenter ab Eo distingui, quippe qui eam, coram Se positam et subditam, ex amore Sibi unit.

SECTIO III

7. [*De Ecclesia peregrinante*]. Consideratur nunc pressius Ecclesia in suo statu terrestri, et asseritur Corpus Christi et Societatem visibilem
[22] in unum coalescere; quae doctrina per analogiam cum incarnato Verbo illustratur: elementum scilicet sociale Corpori aedificando inservit. Docet sollemniter Sacra Synodus hanc Ecclesiam, quam in Symbolo confitemur, esse Ecclesiam catholicam, a Romano Pontifice et Episcopis in eius communione gubernatam. Quae etiam in paupertate et tribulationibus Christo testimonium reddit, et pro omnibus est instrumentum salutis.

Deinde describuntur huius Ecclesiae relationes tum cum propriis fidelibus, tum cum christianis seiunctis, tum cum aliis quibuscumque hominibus.

8. [*De fidelibus catholicis*]. Imprimis statuitur necessitas Ecclesiae ad salutem, comparatione facta cum baptismate.

Deinde docetur quod illi tantum reapse et sine restrictione ad Ecclesiam pertinent, qui triplex vinculum sociale cum ea observant. Qui tamen sine interna sanctificatione non salvantur. Ad Ecclesiam explicite adspirant catechumeni, quos iam ut suos amplectitur Ecclesia. Etiam alii, Ecclesiam invincibiliter ignorantes, Dei gratia internaque iustitia salvari possunt, non sine obiectiva relatione ad Christum et Ecclesiam.

Patet ita proponi quod absolute certum est, et non dirimi quaestiones

inter theologos controversas, puta de valore et extensione vocabuli « membri ». [22]

9. [*De nexibus Ecclesiae cum christianis non-catholicis*]. Paragraphus exponit connexiones Ecclesiae cum baptizatis, qui bona fide in alia confessione christiana vivunt. Quae vincula ordinis sacramentalis et spiritualis merito aestimantur. Agnoscit Sacra Synodus actionem Spiritus Sancti etiam in alios, omnesque ut unitatem secundum Christi voluntatem promoveant, exhortatur.

Sic indicatur fundamentum theologicum Oecumenismi, ex eo resultantis, quod christiani illi sub diversis aspectibus a Catholica separati et cum ea coniuncti inveniuntur: utrumque serio coram Domino considerandum est.

10. [*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*]. Quia missio Ecclesiae universalis est, etiam de non-christianis ad Christum adducendis curat, sive Iudaei sint, sive credentes in Deum, sive Deum ignorantes; pro quibus omnibus Christus est mortuus. Bona religiosa, ubicumque inveniantur, considerat ut praeparationem evangelicam, quam perficiendam et complendam totis viribus suscipit, missionariis animum addendo.

Completur vero expositio, rursus proposita missione universali Ecclesiae ad gentes illuminandas.

CAPUT II [23]

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE: DE EPISCOPATU

11. [*Prooemium*]. Christus Dominus, ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, in Ecclesia sua varias ministrationes, praesertim stabiles, instituit (cf. 1 Cor. 12, 5; Eph. 4, 11 ss.); quae munera et ministeria ad bonum totius corporis tendunt. Quicumque e populo Dei sunt, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent; qui vero ut ministri potestate pollent, fratribus suis inserviunt; cuncti autem in eumdem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perducuntur. Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam, variis charismatibus ditatam, super Petrum rupem ac super Apostolos fundavit.

Haec Sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani Primi vestigia premens, sollemniter cum eo docet Iesum Christum Pastorem aeternum sanctam aedificasse Ecclesiam, missis Apostolis sicut Ipse missus erat a Patre (Io. 20, 21), quorum successores in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit per-

[23] petuum unitatis fidei et communionis principium ac visibile fundamentum.[1] Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili magisterio, suam facit eamque cunctis fidelibus credendam rursus proponit, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis, successoribus Apostolorum, qui cum successore Petri, Christi Vicario,[2] coryphaeo [3] et capite suo, ac totius Ecclesiae capite, domum Dei viventis regunt, coram omnibus profiteri et declarari constituit.

12. [*De Institutione duodecim Apostolorum*]. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans ad Se quos voluit, Duodecim elegit, ut essent cum Illo et ut mitteret eos praedicare nuntium evangelicum (cf. Mc. 3, 13-19; Mt. 10); quos et apostolos nominavit (cf. Lc. 6, 13), et ad instar instituit cuiusdam [24] collegii, cui ex iisdem electum Petrum praefecit. Eos imprimis ad filios Israël, deinde ad omnes gentes misit, ut suae potestatis summi Prophetae, Sacerdotis et Pastoris participes facti, omnes populos Christi discipulos constituerent, eosque sanctificarent et regerent (cf. Mt. 28, 16-20; Mc. 16, 15; Lc. 24, 45-48; Io. 20-21), sicque Ecclesiam diffunderent, eamque sub tutela ipsius Domini ministrando gubernarent, omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Mt. 28, 20).[4]

Apostoli praedicando fidem, resurrectione Christi firmatam et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatam, Ecclesiam exstruunt universalem, aedificatam super Petrum (cf. Mt. 16, 18), fidelibus omnibus « superaedificatis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (Eph. 2, 20; cf. Apoc. 21, 14).[5]

13. [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]. Quia ministerium illud sanctissimum a Domino Iesu Apostolis concreditum est pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, morte eorum temporali non erat terminandum. Quapropter, Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed sustentandi et pascendi praeditos.[6] Ministerium enim Apostolorum fidem salutarem praedicandi supponit missionem divinam (cf. Rom. 10, 13-18; Io. 20, 21) annuntiandi laetum nuntium et manifestandi mysterium Christi eis pro omnibus gentibus revelatum (cfr. Eph. 3, 5; Col. 1, 26), ut Evangelium continenter et in omne tempus sit in Ecclesia totius vitae principium.

Quapropter Apostoli de instituendis successoribus curam [24]
egerunt, eisque commendarunt ut attenderent seipsis et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. Act. 20, 28).[7] Qui docere, sanctificare et regere plebem Dei debent cum gratia eis divinitus collata (cf. 1 Tim. 4, 14; 2 Tim. 1, 6), ut fidelium patres et pastores gregum suorum, memores semper moniti sancti Petri: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » (1 Pt. 5, 2-4). Apostoli igitur ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis, constituerunt Episcopos eorum qui credituri erant, et ordinem successionis eorum, pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis ministerio.[8]

Sicut autem permanet potestas a Domino singulariter Petro
ut primo Apostolorum et duci collegii concessa et successoribus [25]
eius transmissa, ita servatur potestas totius Collegii Apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore sacrato Episcoporum exercenda. Proinde declaramus et docemus Episcopos ex divina institutione fideles edocere et pascere, quos qui audit Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit (cf. Lc. 10, 16-17).[9]

14. [*De Episcopatu ut sacramento*]. Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum (1 Pt. 2, 25), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit, ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in sacramento ordinis confertur.[10] Ita episcopalis consecratio, procul dubio, ad sacramentum ordinis pertinet, atque praecellentem gradum confert sacerdotii, qui nimirum et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur.[11] Imo, quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus [12] et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur,[13] perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet Episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis.[14] Praeterea Episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit. Proinde Sacra Synodus declarat Episcopos, etiam vi sacramenti superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant.

In Episcopis quibus presbyteri assistunt Christus Dominus

[25] singulariter Ecclesiae suae vivificandae praesens est, ut imprimis per eorum eximium servitium verbum fidei et sacramenta fidei continuo Ecclesiae administret, eorum paterno munere [15] nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporet, eorum denique sapientia et prudentia populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigat et ordinet. Hi pastores, ad pascendum dominicum gregem electi, non sunt nisi ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei (1 Cor. 4, 1), quibus concreditum est ministerium sacerdotale verbi et testificatio Evangelii gratiae Dei (cf. Rom. 15, 16; Act. 20, 24), atque ministratio Spiritus in iustitia et gloria (cf. 2 Cor. 3, 8-9).

15. [*De Presbyteris et Diaconis*]. Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris.[16]
[26] Episcopi autem *presbyteros* in suae societatis operis adiumentum ordinant, in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt,[17] ut, illis adiutricem operam navantibus veritatem et gratiam super omnes fideles dispergant. Hi, licet pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes [18] secundae dignitatis,[19] providi cooperatores ordinis episcopalis.[20] In sacrificio Missae offerendo et sacramentis administrandis et ipsi in persona Christi agunt, fideles ad iugem orationem exhortantur et dirigunt, eosque multiformi praedicatione verbi Dei instruunt et ad communicandum sacrificium Christi et Ecclesiae in perfecta oboedientia fidei et amoris perducunt. Cura autem animorum actu exercenda eis a Romano Pontifice vel ab Episcopo competente assignatur, cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt.

Circa Episcopum, coetum coaptatum et concordem constituentes,[21] agnoscant presbyteri cuncti, etiam religiosi, quot et quanta bona sibi ex hac intima coniunctione obveniant. Per Episcopum enim missionem ab ipso Christo accipiunt, fidenti et magno animo adimplendam, secundum quamdam impulsionem apostolicam, se ad salutem totius mundi protendentem. Episcopi denique munus participantes, exigentiam simul et promissionem perfectae caritatis erga gregem commissum, et incitamentum ad omnimodam adipiscendam sanctitatem recipiunt.[22] In mysterii Domini celebratione, agnoscendo quod agunt et imitando quod tractant,[23] per Christum seipsos discunt offerre; et confratribus suis, in vita spirituali, pastorali, vel in ipsis quotidianis curis, fraternum scientiae et operis praebere auxilium.

Gradu inferiore in ministerio hierarchico, Episcopo et Presbyteris adsistunt *Diaconi*[24] qui sacrificii celebrationi inserviunt, ministri extraordinarii sollemnis baptismi et sacrae communionis exsistunt, et varia officia publicae caritatis, praedicationis et administrationis exercere possunt, prout eis a competenti auctoritate assignata fuerint.[25] Licet hodie in Ecclesia diaconatus ut plurimum habeatur solummodo tamquam gradus, quo ad sacerdotium ascenditur, haec disciplina tamen non semper viguit nec hodie ubique viget. Imo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit. Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne.[56] [26]

16. [*De Collegio Episcopali eiusque Capite*]. Sicut in Evangelio, statuente Domino, sanctus Petrus et alii Apostoli unum collegium apostolicum constituunt, eadem ratione successor Petri, Romanus Pontifex, et Episcopi, successores Apostolorum, inter se coniunguntur. Iam perantiquus usus indolem collegialem sacri Episcopatus innuit ubi novum electum a tribus saltem Episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum esse statuit,[27] et communionem inter Ecclesias ope Episcoporum enixe commendat. Collegium autem seu corpus Episcoporum auctoritatem non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur.[28] [27]

Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem; collegium Episcoporum autem, quod collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, imo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur.[29] Dominus enim Petrum ut petram seu rupem Ecclesiae posuit (cf. Mt. 16, 18), eumque Pastorem totius sui gregis constituit (cf. Io. 21, 16 ss.); tum Petro autem tum Duodecim simul Apostolis ligandi atque solvendi potestatem tribuit (cf. Mt. 16, 18 et 18, 18).[30] Collegium hoc ex multis compositum varietatem Populi Dei, collegium vero sub uno capite collectum unitatem gregis Christi repraesentat. In Collegio illo, Episcopi primatum et principatum Capitis sui fideliter observantes, sub eius suprema auctoritate propria potestate in bonum fidelium suorum, imo

[27] totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roborante.[31] Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico exercetur.[32] Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare; [33] nec Concilium Oecumenicum umquam datur, quod a successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum.[34] Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo Caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel saltem Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur.

17. [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]. Collegialis
[28] unio etiam in mutuis rationibus singulorum Episcoporum cum particularibus Ecclesiis Ecclesiaque universali apparet. Sicut Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis tum Episcoporum tum multitudinis principium ac visibile fundamentum,[35] ita Episcopi singuli principium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus,[36] ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit.[37] Qua de causa singuli Episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis (cf. Eph. 4, 3) et amoris.[38]

Quando Episcopus particulari Ecclesiae praeficitur, regimen suum pastorale proprie dictum nonnisi super portionem populi sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem extendit. Sed ut membrum collegii, pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum.[39] Debent enim omnes Episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinae cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. Mt. 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, effi-

caciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod, ut [28]
dicit S. Basilius,[40] etiam est corpus Ecclesiarum.[41]

Cura Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium,[42] ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit.[43] Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen Episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere.[44] Missionibus auxilia spiritualia, humana et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent.

Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis et praesertim tum egentioribus tum finitimis Ecclesiis, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant. Ut collegialis ille affectus ad concretam applicationem
perducatur, Coetus Episcopales multiplicem atque fecundam [29]
opem conferre possunt.

18. [*De Episcoporum ministeriis*]. Episcopi, mediantibus Apostolis, a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, missionem accipiunt docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae, ut homines universi, per fidem, baptismum et impletionem mandatorum salutem consequantur (cf. Mt. 28, 18-20; Mc. 16, 15-16). Quam missionem Spiritus, qui replevit orbem terrarum et misit Apostolos ut prophetarent gentibus et populis et regibus (cf. Act. 1, 8; Apoc. 10, 11), die Pentecostes dispertitis linguis igneis significavit. Munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit, verum est servitium seu diakonia apostolica (cf. Act. 1, 25) quae in sacris Litteris significanter « ministerium » nuncupatur (cf. Rom. 11, 13; Act. 1, 17; 21, 19; 1 Tim. 1, 12). Episcoporum autem missio fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directo per ipsum successorem Petri; quo renuente, Episcopi in officium assumi nequeunt.[45]

19. [*De Episcoporum munere docendi*]. Episcopi sunt praedicatores fidei, qui novos discipulos ad Christum adducunt, et doctores authentici [46] seu vera auctoritate nomine Christi praediti, qui, commisso populo fidem credendam et moribus appli-

[29] candam praedicant, sub lumine Spiritus Sancti illustrant, ex thesauro Revelationis nova et vetera proferentes (cf. Mt. 13, 52), eam fructificare faciunt erroresque gregi suo impendentes vigilanter arcent. Fideles in Episcopi sententiam ex ore Christi prolatam concurrere, eique ut chordae citharae cohaerere debent.[47] Imo, licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen, etiam per orbem dispersi, sed collegialem nexum servantes, authentice docentes una cum Romano Pontifice ut testes fidei in revelata fide tradenda in unam sententiam conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enunciant.[48] Quod adhuc manifestius habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati, una cum Romano Pontifice, sunt pro universa Ecclesia fidei et morum doctores et iudices, quorum definitiones ab omnibus sincero animo accipi debent.[49] In definitionibus suis Concilium ea infallibilitate pollet qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo doctrinam de fide et moribus instructam esse voluit.[50] Qua ipse quoque per se gaudet Romanus
[30] Pontifex, Collegii Episcoporum caput, quando, ut supremus pastor et doctor, qui fratres suos in fide confirmat (cf. Lc. 22, 32), doctrinam de fide vel moribus definitivo actu proclamat.[51] Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat. Quando enim Romanus Pontifex aliquam veritatem de fide definit, non ut persona privata sententiam proponit, sed doctrinam fidei catholicae, divinitus Ecclesiae commissam, tamquam Doctor et Pastor Ecclesiae universalis exponit vel tuetur.[52] Idem facit corpus Episcoporum quando supremum magisterium cum eo exercet. Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam Revelationem, cui omnes conformari tenentur et quae scripta vel tradita per legitimam Episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servatur et fideliter exponitur.[53] Ad quam rite indagandam et apte enunciandam, Episcopi et Romanus Pontifex, pro officio suo et rei gravitate, per media apta, adhibito etiam consilio theologorum et exegetarum sedulo applicant; [54] novam vero revelationem publicam tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt.[55]

Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum voluntatis et intellectus obsequium

praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione doctrinae, vel ex dicendi ratione. [30]

20. [*De Episcoporum munere sanctificandi*]. Episcopus est summus sacerdos et « oeconomus gratiae supremi sacerdotii »,[56] praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerre facit, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia.[57] Episcopis officium competit cultum christianae religionis Divinae Maiestati celebrandi et administrandi secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, eorum particulari iudicio ulterius legitime determinatas. Ipsi sunt ministri sacrae ordinationis et ministri ordinarii Confirmationis. Populos suos, ut in liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio, partes suas fide et reverentia impleant, exhortantur et instruunt. Eis, praeter sanctificans ministerium verbi sacramenta praebent, quorum omnium distributionem regularem [31] et fructuosam sua auctoritate ordinant et confirmant.[58]

21. [*De Episcoporum munere regendi*]. Etiam regimen Episcoporum ad fideles sanctificandos inservit. Ipsi Ecclesias sibi commissas ut vicarii et legati Christi regunt,[59] non tantum consiliis, suasionibus, exemplis, sed vera sacra potestate, qua tamen nonnisi ad gregem suum aedificandum uti debent, memores quod qui maior est fiat sicut minor et qui praecessor est sicut ministrator (cf. Lc. 22, 26). Haec potestas qua, nomine Christi, personaliter funguntur, est propria, ordinaria et immediata, licet a supremo Ecclesiae regimine exercitium eiusdem ultimatim regatur et certis limitibus, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, circumscribi possit. Ipsis munus pastorale et habitualis et cotidiana cura ovium suarum plene committitur, « neque vicarii Romanorum Pontificum putandi sunt, quia potestatem gerunt sibi propriam verissimeque populorum quos regunt, antistites dicuntur ».[60] Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non eliditur, sed e contra, ut docuit Concilium Vaticanum I, asseritur, roboratur et vindicatur,[61] dum Spiritus Sanctus constitutionem Ecclesiae a Deo determinatam tam pro primatu quam pro episcopatu, secundum doctrinam Revelationis servandam indefectibiliter sustinebit.[62]

Episcopus qui sacrum ius et coram Domino officium habet

[31] praescribendi et administrandi, imo, ubi opus est, ex amore coercendi, ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris, qui venit non ministrari sed ministrare (cf. Mt. 20, 23) et animam suam pro animis ponere (cf. Io. 10, 11). Assumptus ex hominibus et circumdatus infirmitate, condolere potest iis qui ignorant et errant (cf. Hebr. 5, 1) et subditos, qui vere eius filii sunt, audire non abnuat, quos ad alacriter secum cooperandum exhortatur. Pro animabus eorum rationem redditurus Deo (cf. Hebr. 13, 17) oratione, praedicatione et caritate curam habeat tum eorumdem, tum etiam illorum qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat.[63] Ut Paulus Apostolus sapientibus et insipientibus debitor est, et promptus sit omnibus evangelizare (cf. Rom. 1, 14), fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem universalem exhortari. Fideles autem Episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Iesu Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant.[64]

[32] NOTAE

[1] Cf. CONC. VAT. I, Sessio IV, Const. dogm. *Pastor Aeternus*: DENZ. 1821.

[2] Titulus *Christi Vicarius* inde ab initio saeculi III apud Patres latinos praesertim de Episcopis adhibetur; inde autem a S. Ambrosio, vel saltem inde a Synodo Romana, anno 495, de Romano Pontifice, qui tamen usque ad saeculum XI praevalenter *Vicarius Petri* appellatur. Titulus *Christi Vicarius* pro Romano Pontifice praecipue inde a S. Bernardo divulgatur et officialiter adhibetur in CONC. FLOR., Decr. pro Graecis: DENZ. 694, et CONC. VAT. I: DENZ. 1826: « verus Christi Vicarius ». Perseverat tamen etiam applicatio tituli ad Episcopos: cf. infra sub nota 59; cf. M. MACCARRONE, *Vicarius Christi. Storia del titolo papale,* Lateranum, N. S. 18, Romae, 1952.

[3] Titulus *Coryphaeus* in liturgia byzantina, Menologio 29 iunii, adhibetur de Petro et Paulo, quos etiam liturgia occidentalis arcte coniungit. Cr. N. EDELBY, *Liturgicon. Missel byzantin à l'usage des fidèles,* Beyrouth, 1960, p. 889. Titulus aliquando etiam S. Ioanni tribuitur. « O Coryphaeus » sine addito passim de Petro intelligitur.

[4] Electio Apostolorum maxima sollemnitate induitur: Iesus in monte, postquam pernoctavit in oratione Dei (Lc. 6, 12), vocavit ad se quos voluit Ipse (Mc. 3, 13). Electio illa est institutio et quidem collegialis, ut patet ex Mc. 3, 14 et 16: *ἐποίησεν δώδεκα ... καὶ ἐποίησεν τοὺς δώδεκα*. Titulus « Apostolorum » quem recipiunt (Lc. 6, 13) missionem specialem et stabilem indicat. Mt. distinguit eorum primam missionem in tota Galilaea, et missionem ad omnes gentes (28, 18-20). Apparent ut

ab aliis discipulis distincti et auctoritate praesertim docendi praediti (Act. 2, 42), « doctrina Apostolorum »; cf. *ibid.* 15, 23; quorum auctoritas a Paulo ut regula fidei proponitur (1 Cor. 15, 11). [32]

[5] Petrus et Duodecim eamdem habent fidem et missionem auctoritativam, qua Ecclesia fundatur. Apoc. 21, 14 ostendit nomina Duodecim Apostolorum inscripta in fundamentis Ecclesiae, quae simul est terrestris et descendens de caelo, eschatologica et messianica, omnibus gentibus aperta. Eph. 2, 20, « Apostoli » sunt magni Apostoli, ut patet ex comparatione cum Apoc. 21, 14 et cum munere Duodecim in maioribus epistulis Pauli, qui se pleno iure cum eis connumerat, 1 Cor. 15, 11; Gal. 1, 17; Rom. 10, 14-15. « Prophetae » vero sunt vel prophetae Veteris aut Novi Testamenti, vel ipsi Apostoli in quantum mysterium Dei revelant. Fundamentum autem ultimum est ipse Christus.

[6] CONC. TRID., Sess. XXIII, Doctr. *De sacramento Ordinis,* c. 4: DENZ. 960: « Episcoporum, qui in Apostolorum locum successerunt... ».

CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. Dogm. I *De Ecclesia Christi,* c. 3: DENZ. 1828: « Episcopi, qui, positi a Spiritu Sancto, in Apostolorum locum successerunt ».

LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896. ASS 28 (1895-1896) p. 732: « Quo modo Petri auctoritatem in Romano Pontifice perpetuam permanere necesse est, sic Episcopi, quod succedunt Apostolis, [33]
horum potestatem ordinariam hereditate capiunt... »;

PIUS XII, Litt Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 209: « Ac praeterea triplicem potestatem Apostolis eorumque successoribus impertiit... », et p. 212: « Quapropter ut Apostolorum ex divina institutione successores, a populo venerandi sunt... »;

Can. 329, § 1;

CONC. PROV. COLONIEN., 1860: MANSI 48, 106: « Itaque inde a suo primordio Ecclesia universa Episcopos " Apostolis vicaria ordinatione succedere " [S. CYPR., *Epist. 69,* ed. BALUZ., p. 122], " habere successionem ab Apostolis, et cum Episcopatus successione charisma veritatis certum " [S. IREN., *Adv. haer.,* lib. IV, cap. 26, al. 43, ed. MIGNE 1053 c], Dei loco praesidere [S. IGN., *Epist. ad Magn.,* n. 6: PG 5, 667 A] credidit »;

CONC. PROV. QUEBECEN. III, 1863: MANSI 48, 411: « Episcopos enim esse principes Ecclesiae, Apostolorum successores, ipsiusmet Christi legatos, passim et aperte docent [Sancti Patres Doctoresque] »;

CONC. PROV. COLOCEN., 1863: MANSI 48, 519: « Episcopos Apostolorum successores esse legitimos non ambigit, qui eorum in Ecclesia seriem ab Ascensione Christi Spiritu Sancto duce continuam novit... Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt... »;

CONC. PLEN. BALTIMOREN. II, 1866: MANSI 48, 912: « Episcopi igitur, qui sunt successores Apostolorum... ».

[7] Textus, de quo exegetice disputari potest, sumitur quia in documentis Ecclesiae saepe saepius adhibetur, cf.:

CONC. TRID., Sess. XXIII, Doctr. *De Sacramento Ordinis,* c. 4: DENZ. 960;

[33] CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: DENZ. 1828;

CONC. PROV. COLONIEN., 1860: MANSI 48, 106;

CONC. PROV. COLOCEN., 1863: MANSI 48, 519;

CONC. PLEN. BALTIMOREN. II, 1866: MANSI 48, 912;

CONC. PROV. RAVENNATEN., 1855: MANSI 47, 201;

CONC. PROV. VIENNEN., 1858: MANSI 47, 782.

[8] Idea de transmittendo munere docendi apparet 2 Tim. 2, 2: « Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere ». Verba in Constitutione adhibita alludunt ad celebres textus CLEM. ROM. *Ad Cor.* 42, 2-4: FUNK, *Patres Apost.* I, p. 152: « Christus igitur a Deo, et Apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes Regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt Episcopos et diaconos eorum qui credituri erant »; *ibid.* 44, 1-2: FUNK, I, p. 154: « Apostoli quoque nostri per Iesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordi-
[34] nationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent ». Notum est S. Clementem titulis « episcopi » et « presbyteri » fere indifferenter uti, ut facit etiam Novum Testamentum. Clare tamen loquitur de successoribus Apostolorum, quibus attribuit munus praedicandi, 42, 3-4, liturgiam et donorum oblationem, 44, 3-4, et in genere potestatem regendi 57, 1-2: FUNK, p. 172.

S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 1, 1: PG 7, 844 B; *Ibid.* III, 3, 1: col. 848 A: « Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos ». Cf. TERT., *Praescr. Haer.* 20, 2-4: CSEL 70, p. 23 lin. 9-24, lin. 20.

EUSEBIUS CAES., *Hist. Eccl.* I, 1, 1: PG 20, 47 B: « Cum sanctorum Apostolorum successiones, ac temporum seriem quae a Servatore nostro ad nos usque effluxerunt scribere instituerim... ». Cf. AUGUSTINUS, *Civ. Dei,* XVIII, 50: PL 41, 612: CSEL 40, 2, pp. 350-351.

[9] Cf. LEO XIII, Epist. *Et sane,* 17 dec. 1888: ASS 21 (1888) p. 321 s.

[10] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-1896) p. 723; PIUS XII, Alloc. *iis qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro Laicorum Apostolatu,* 5 oct. 1957: AAS 49 (1957) p. 924.

Quod consecratio episcopalis, cum munere sanctificationis, munera quoque magisterii et regiminis tribuere intendit, patet i. a. ex sequentibus documentis:

Ex *Sacramentario Leoniano*: C. MOHLBERG, *Sacramentarium Veronense,* Romae, 1956, pp. 119-120: « Comple in sacerdotibus tuis mysterii

tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructos caelestis unguenti fluore sanctifica... Tribuas eis cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam. Sis eis auctoritas, sis eis potestas, sis eis firmitas »; [34]

Ex *ritu Coptico*: J. M. HANSSENS, « Les Oraisons sacramentelles des ordinations orientales », in: *Or. Christ. Per.* 18 (1952) pp. 314-316: « Da igitur hanc eandem gratiam super servum tuum N., quem elegisti in episcopum, ut pasceret gregem tuum sanctum »;

Ex *ritu Chaldaico*: J. L. ASSEMANI, *Cod. Lit. Ecclesiae Universae,* VI, Romae, 1766 (Parisiis, 1902), pp. 66-68: « Tu, Domine, etiam nunc illumina faciem tuam super hunc servum tuum et elige eum electione sancta per Spiritus Sancti unctionem, ut sit tibi sacerdos perfectus... Da illi... ut sit lumen iis qui in tenebris sedent, et correptor insipientium et doctor puerorum »;

Ex *ritu Antiocheno*: *Pontificale iuxta ritum Eccl. Syr. Occid., i. e. Antioch.* Trad J. VOSTÉ, Romae, 1941: « Tu mitte super servum tuum hunc Spiritum Sanctum et spiritualem, ad hoc ut pascat et visitet Ecclesiam suam quae concredita est ei; ut ordinet sacerdotes, ut ungat diaconos, et sanctificet altaria et ecclesias, et benedicat domus... sanet, iudicet, salvet... et omnem potestatem sanctorum tuorum da ei, quam dedisti Apostolis unigeniti Filii tui, ut sit princeps sacerdotum laudabilis... ».

In *Codice* pro Ecclesiis Orientalibus, connexio inter consecrationem et potestatem Episcoporum arctior est quam in iure latino: cf. A. WUYTS, « Le droit des personnes dans l'Eglise orientale », in: *Nouv. Rev. Théol.* 80 (1958) p. 379. Intima connexio etiam in antiquitate latina usque ad saec. XI, valde manifesta est: cf. W. BERTRAMS, « De relatione inter officium episcopale et primatiale », in: *Per. Re Mor. Can.* 1962, pp. 3-29. [35]

[11] LEO XIII, Ep. *Apostolicae curae,* 13 sept. 1896: ASS 29 (1896-1897) p. 200.

[12] In omnibus documentis liturgicis, iam a primis saeculis Ecclesiae, consecratio episcopalis describitur ita ut clare appareat eius sacramentalitas; per eam enim confertur aliqua gratia Spiritus Sancti.

[13] Certum est saepe datam esse consecrationem episcopalem subiecto qui nondum erat sacerdos: cf. GREGOR. NAZ., *Orat.* 18, 33: PG 35, 1027-1030; IO. CHRYSOST., *De Beato Philogonio, Hom.* 6, 2: PG 48, 751; AUGUSTINUS, *Epist. 209*: PL 33, 953 s.; *Liber Pontificalis,* ed. Duchesne, I, 209; *Ordines Romani*: cf. M. ANDRIEU, *Les Ordines Romani du Haut Moyen-Age,* III, Louvain, 1951, p. 572 s., p. 608 et 610.

[14] Hoc etiam apparet ex modo loquendi Romanorum Pontificum: v. g. LEO XIII, Ep. *Apostolicae curae*: l. c. pp. 199-200; PIUS XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947: AAS 40 (1948) pp. 5-7; IOANNES XXIII, *Allocutio,* 8 maii 1960: AAS 52 (1960) p. 466: consecratio episcopalis transmittit et characterem episcopalem et gratiam.

[15] « *Patres* » sunt Episcopi secundum CONC. PROV. REMEN., 1857: MANSI 47, 562; CONC. PROV. COLONIEN., 1860: MANSI 48, 107; CONC. PROV. COLOCEN., 1863: MANSI 48, 520; CONC. PROV. ULTRAIECTEN., 1865: MANSI 48, 675. Dicuntur « fidelium patres », ut indicetur in Ecclesia esse potestatem paternam, et potestatem iuridicam spiritu pietatis mode-

[35] rari, qui inter fideles et Episcopos intercedere debet. Quod Episcopus sit imago Patris aeterni, pluries v. g. a S. IGNATIO M. docetur: Episcopus est « typus Patris »: *Trall.* 3, 1: FUNK, p. 244; Pater Iesu Christi est omnium episcopus: *Magn.* 3, 1: FUNK, p. 232; seu invisibilis episcopus qui per visibilem praesens est: *ibid.* 3, 2; cf. *ibid.* 6, 1: FUNK, p. 234; cf. T. STROTMANN, « L'Evêque dans la tradition orientale », in: *L'Episcopat et l'Eglise universelle* (Unam Sanctam, 39), Parisiis, 1962, p. 311.

« *Pastores* »: CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. Dogm. I *de Ecclesia Christi,* c. 3: DENZ. 1828; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211; can. 334, § 1; can. 2214, § 2.

[16] CONC. TRID., Sess. XXIII, Can. 6: DENZ. 966.

[17] *Pontificale Romanum,* De Ordinatione Presbyteri. Imago desumitur ex Aaron et filiis eius, quae imago invenitur etiam in multis textibus liturgicis et in Patribus. Item verba *in adiumentum* habentur in *Pontificali Romano,* De Ordinatione Presbyteri: imago sumitur ex Septuaginta viris qui in adiutorium Moysis assumpti sunt, et invenitur in omnibus documentis liturgicis, iam a Traditione Apostolica Hippolyti Romani.

[18] INNOCENTIUS I, Epist. *ad Decentium*: PL 20, 554 s., cf. MANSI 3, 1029; DENZ. 98: « Presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent ».

[19] *Ordo consecrationis sacerdot.* Praefatio: « ... ut cum Pontifices
[36] summos regendis populis praefecisses, ad eorum societatis et operis adiumentum sequentis ordinis viros et secundae dignitatis eligeres ».

[20] *Ibid.*: « Sint providi cooperatores ordinis nostri ».

[21] De « presbyterio », cf. S. IGNATIUS M., *Philad.* 4: FUNK, p. 266: « ... unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyterio et diaconis »; *Canones Apostolorum*: can. 39: FUNK, *Didascalia,* p. 576: « Presbyteri et diaconi absque sententia Episcopi nihil peragant; ipse est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur »; CORNELIUS Papa, *ad Cypr.,* « Omni actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium », apud CYPR., ep. 48, 2: ed. HARTEL, p. 610; S. CYPRIANUS, *Epist.* 61, 3: *ibid.,* pp. 696-697: « Cum Episcopo presbyteri sacerdotali honore coniuncti... ». Ipse loquitur de « compresbyteris » suis, *Epist.* 14, 4: *ibid.,* p. 512; *Statuta Ecclesiae antiqua*: PL 56, 880: « Ut Episcopus in ecclesia in consessu presbyterorum sublimior sedeat ».

Episcopus igitur in collegio presbyterali princeps est, presbyteris cum eo concelebrantibus; cf. S. LEO M., *Epist.* 9, 2: PL 54, 926-927. Sine Episcopo non possunt baptizare: TERTULLIANUS, *Bapt.* 17, 1: PL 1, 1218; ed. REFOULÉ, Parisiis, 1952, pp. 89-90, et certis diebus missae Episcopi participare debent: Concil. Avern. et Matisc. I: MANSI 8, 862 et 9, 933.

[22] Presbyter, participando de munere Episcopi, est *sacerdos.* Vox « sacerdos » antiquitus Episcopo reservatur, licet titulus aliquando etiam presbytero in actu suo cultuali tribuatur; epocha autem carolina, appellatio Episcopis, saepius tamen presbyteris datur. Cf. P.-M. GY, « Vocabulaire antique du sacerdoce », in: *Etudes sur le Sacrement de l'Ordre* (Lex Orandi, 22), Parisiis, 1957, pp. 125-147. In oriente, ministeria sacerdotalia, in cultu, missione et regimine exercita, ad dispensationem mysteriorum Dei (cf. 1 Cor. 4, 1) seu ad opus deificationis pertinere dicuntur, in quo

opere sacerdos « synergos » dicitur. Cf. S. GREG. NAZ. *Apol.* II, 22: PG 35, 432 B: « Huic (sacerdotio) scopus est, animae pennas addere, ac mundo eam eripere Deoque dare, divinamque imaginem, aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum Sanctum in pectoris domicilium admittere; atque, ut summatim dicam, eum, qui superni agminis sit, Deum efficere, ac supernam beatitudinem ipsi comparare ». [36]

Ps-DIONYSIUS, *Eccl. Hier.* 1, 2: PG 3, 372 C-D: « Omnis qui... depraedicatur ordo sacer, unam habeat eamdemque in omni sacra sua functione virtutem, ut et ipsemet sacri ordinis antistes, pro sui status, dignitatis, ordinis ratione, divinis initietur ac Deo uniatur, subditosque suos, pro cuiusque dignitate, afflatae sibi divinitus sacrae deificationis particeps reddat ». Cf. illa quae idem auctor de ordinibus angelorum habet: *Cael. hier.* 3, 2: PG 3, 166 AC.

[23] *Consecratio presbyteralis.* Exhortatio: « Agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes... ». Cf. S. IOANNES CHRYSOST. *In 2 Tim.* 2, 4: PG 62, 610 et 612.

[24] Cf. CONC. TRID.: DENZ. 966; PIUS XII, Const. Apost. *Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947: DENZ. 2301.

[25] Cf. CIC, can. 741; 845, 2; 1342, 1.

[26] CLEM. ROM., *Ad Cor.* 15, 1: FUNK, p. 32: « Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos; vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum »; S. IGNATIUS M. *Ad Trall.* 2, 3: FUNK, p. 242: « Oportet autem et diaconos, qui sunt ministri mysteriorum Iesu Christi, omni modo omnibus placere; non enim ciborum et potuum diaconi sunt, sed Ecclesiae Dei ministri »; cf. *Constit. Apost.* 8, 28, 4: FUNK, 1, p. 530. [37]

Durantibus prioribus saeculis, diaconi arcte cum ministerio sacerdotali Episcopi coniunguntur. Dum presbyteri circa Episcopum « senatum Dei » constituunt, diaconi « ad ministerium Episcopi » ordinantur: Cf. K. RAHNER et H. VORGRIMLER, *Diaconia in Christo, Über die Erneuerung des Diakonates* (Quaest. Disp. 15-16). Friburgi Brisg., 1962.

Iuvat etiam textum Constitutionis considerare, in Tridentino Concilio, sessione 6 iulii 1563, propositae circa diaconorum officium. Decretum illorum ministrorum officia in divinis mysteriis et in Ecclesiae procuratione enumerat: baptizant et praedicant, et opera caritativa regunt. Proponitur Patribus tridentinis, ut haec omnia omni studio et pietate restituant: Cf. S. EHSES, *Conc. Trid. Acta,* VI, Friburgi Brisg., 1924, p. 601, lin. 9-34.

[27] Cf. *Trad. Apost. Hippolyti,* n. 2: ed. BOTTE, Paris 1946, p. 26; CONC. NICAEN. can. 4 (*Conc. Oec. Decreta,* ed. HERDER 1962, p. 6).

[28] *Corpus* seu *Collegium Episcoporum* omnes Episcopos comprehendit, etiam Episcopum Romanum, qui in Collegio iisdem praerogativis ac Petrus in Collegio apostolico pollet. Nomen antiquissimum est *Ordo Episcoporum,* in sensu determinati coetus illorum, qui summum gradum in hierarchia obtinent atque Collegio apostolico succedunt. Cf. TERTULLIANUS, *Adv. Marc.* 4, 5: ed. KROYMANN, CSEL 47, p. 430, lin. 20-21: « Ordo tamen episcoporum ad originem recensus in Ioannem stabit aucto-

[37] rem »; cf. *Praescr. Haer.* 32: PL 2, 44: ed. KROYMANN, CSEL 70, p. 39, lin. 3-5: « Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem ».

S. CYPRIANUS terminos *corpus* et *collegium* introducit, v. g. *Epist.* 68, 3-4: ed. HARTEL, pp. 746-747: « Copiosum corpus est sacerdotum concordiae mutuae glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro haeresim facere et gregem Christi lacerare et vastare temptaverit, subveniant ceteri, qua pastores utiles et misericordes oves dominicas in gregem colligant... Nam et si pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit colligere et fovere debemus ».

OPTATUS MILEV. terminum « episcopale collegium » tamquam technicum adhibet, *Contra Parmen. Donat.* 1, 4: ed. C. ZIWSA, CSEL 26, p. 5, lin. 8-13: « Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegae, si nolunt; tamen, ut supra diximus, fratres sunt... Est quidem nobis et illis spiritalis una nativitas; ... hoc nomen fraternitatis nec interveniente peccato deponitur »; cf. *ibid.* 7, 6: pp. 179-180: « episcopale collegium »; et 3, 12: pp. 99 et 100: « in vestro collegio... qui de collegio vestro... ».

In CONC. VAT. I adhibetur terminus « corpus Episcoporum » in de-
claratione GASSER, ante votum 18 iulii 1870: MANSI 52, 1213 B: « To-
[38] tum corpus Ecclesiae docentis iunctum cum suo Capite »; *ibid.* 1214 A:
« Cum fieri non possit quod corpus Episcoporum separaretur a suo Capite ».

Doctrina habetur in theologia De Conciliis Oecumenicis et in doctrina de successione Apostolorum eorumque Collegii. Episcopi in Concilio adunati una cum Papa unum tribunal constituunt, veri iudices fidei et legislatores sunt, ius sedendi in Concilio omnibus Episcopis residentialibus competit.

[29] Relatio officialis relatoris ZINELLI: MANSI 52, 1109 C: « Concedimus libenter et nos in concilio oecumenico sive episcopis coniunctim cum suo capite supremam inesse et plenam ecclesiasticam potestatem in fideles omnes: utique Ecclesiae cum suo capite coniunctae optime haec congruit. Igitur episcopi congregati cum capite in concilio oecumenico, quo in casu totam Ecclesiam repraesentant, aut dispersi, sed cum suo capite, quo casu sunt ipsa Ecclesia, vere plenam potestatem habent ».

[30] CONC. VAT. I, *Schema Const. dogm. secundae de Eccl. Christi,* c. 4: MANSI 53, 310, praesertim: « Verum etiam supremi muneris docendi et gubernandi universam Ecclesiam Episcopi expertes non sunt. Illud enim ligandi et solvendi pontificium, quod Petro soli datum est, collegio quoque Apostolorum, suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo " (Mt. 18, 18). Quapropter inde ab Ecclesiae primordiis oecumenicorum conciliorum decreta et statuta iure merito tamquam Dei sententiae et Spiritus Sancti placita summa veneratione et pari obsequio a fidelibus suscepta sunt ».

[31] Cf. relatio KLEUTGEN de schemate reformato: MANSI 53, 321 B -

322 B: « Cum enim episcopi a Summo Pontifice in partem sollicitudinis [38]
vocati, non sint mere consiliarii, sed una cum Papa decreta tanquam veri iudices et definitores edant, haec vero decreta supremae sint auctoritatis, totamque ligent Ecclesiam, dubitari non potest, quin episcopi in docenda et gubernanda universa Ecclesia partem aliquam habeant... Verum... suprema auctoritas non attribuitur corpori episcoporum simpliciter, sed corpori episcoporum Papae coniuncto; inter Papam vero et Papam cum concilio pugna et discordia nulla esse potest. Quod si episcopi soli in concilio, etsi legitimo, decretum edant, quod Summus Pontifex non probat, hoc ipso decretum huiusmodi non est sententia summae potestatis; et si Summus Pontifex non probat, sed contrarium statuit, ut accidit in Ephesino II et Constantinopolitano sub Hadriano I celebrato, episcopi se submittere tenentur. Sed praeterea animadvertendum est, si per corpus episcoporum non intelligantur episcopi in concilio congregati, sed omnes per orbem terrarum dispersi, accidere nunquam posse, in iis quidem rebus, in quibus Ecclesia errare et deficere nequit, ut corpus episcoporum, hoc est omnes aut fere omnes a Papa dissentiant... Itaque fieri non potest, ut universi episcopi sive in docendo a veritate, sive in gubernando a iustitia et sanctitate aberrent ».

[32] Cf. Relatio ZINELLI: MANSI 52, 1110 A: « Nos admittimus vere plenam et supremam potestatem existere in Summo Pontifice *veluti capite,*
et eamdem vere plenam et supremam potestatem esse etiam in capite [39]
cum membris coniuncto, scilicet in Pontifice cum episcopis, salvo semper et inconcusso quod prius admonuimus ».

[33] Cf. CIC, can. 227.

[34] Res historice patet: Concilium Constantinopolitanum II, quod a Romano Pontifice non fuit convocatum, postea etiam Romae ut Oecumenicum agnitum est: saeculo XV Romanus Pontifex concilia sive ex toto sive quoad partem approbavit.

[35] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor Aeternus*: DENZ. 1821.

[36] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 66, 8: ed. HARTEL, p. 733: « Et illi sunt Ecclesia, plebs sacerdoti unita et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes episcopum in ecclesia esse, et ecclesiam in episcopo; et si qui cum episcopo non sit, in ecclesia non esse ».

[37] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 55, 24, 2: ed. HARTEL, p. 642, lin. 13: « Una ecclesia per totum mundum in multa membra divisa »; *Epist.* 36, 4, 1: ed. HARTEL, p. 575, lin. 20-21: « Omnes enim nos decet pro corpore totius ecclesiae, cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare ».

[38] S. IGNATIUS, *Epist. ad Philad.,* 3, 2; 8, 1: PG 5, 700, 704 [*Rouët de Journel*: 56, 59]; *Epist. ad Smyrn.,* 8, 1: PG 5, 713 [*RJ* 65];

S. CYPRIANUS, *Epist. 69*: PL 4, 406 [*RJ* 587]; *Epist. 27*: PL 4, 298 [*RJ* 571]; *Epist. 76*: PL 3, 1140 [*RJ* 589]; *De cath. Eccl. unit.,* 4-6: PL 4, 498-501 [*RJ* 555-557];

S. LEO MAGNUS, *Sermo 4*: PL 54, 149 s.;

CONC. VAT. I, Sess. IV, Const. dogm. I *de Eccl. Christi,* c. 1: *Coll. Lac.* VII ,482: DENZ. 1821; *Ibid.,* c. 3: *Coll. Lac.* VII, 484: DENZ. 1827; *Ibid.,* c. 4: *Coll. Lac.* VII, 486-487: DENZ. 1837;

[39] Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 733 s.: Denz. 1960; Epist. *Testem benevolentiae,* 22 ian. 1899: ASS 31 (1898-1899) p. 479: Denz. 1976;

Epist. S. C. S. Officii ad Episc. Angliae, 16 sept. 1864: ASS 2 (1866) p. 685 s.: Denz. 1686;

Martinus V, Bull. *Inter cunctas,* 22 febr. 1418, prop. 5-6: Mansi 27, 1211: Denz. 657-658;

Pius VI, Brev. *Super soliditate,* § 1, § 5, § 20, § 22: A. A. Barbieri, *Bullarii Romani Continuatio,* t. VII, Romae, 1845, 671, 673, 676: § 20: « Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium doctorum sententiae, sic et constanti maiorum suorum traditioni plane consentaneum de Romani Pontificis primatu testimonium edidere Gallicani praesules in comitiis anno 1681: " Caput est, inquiunt, Ecclesiae, *centrum unitatis*: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, et iurisdictionis sibi a Christo Iesu in persona sancti Petri collatum: qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, immo et haereticus esset " ».

[39] S. Gregorius, Epist. *ad Eulogium episc. Alexandrinum,* l. 8, c. 30: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor »: PL 77, 933; Pius IX, Litt. Encycl. *Quanta cura,* 8 dec. 1864: ASS 3 (1867) pp. 161 s.: Denz. 1688;

Pius XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae,* 28 febr. 1926: AAS 18
[40] (1926) p. 69: « ... unde liquet, propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere, ut in laborum *societatem* Nobiscum venire Nobisque hac in re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis »;

Pius XII, Litt. Encycl. *Fidei donum,* 21 apr. 1957: AAS 49 (1957) p. 237 sq.: « Quodsi unusquisque Episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris Episcopis sponsor fit (in versione italica officiali: lo rende solidamente responsabile della Chiesa), secundum illa verba quae Christus ad Apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (Io. 20, 21). Haec quae " omnes gentes... usque ad consummationem saeculi " (Mt. 28, 19-20) amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in Episcopis communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat ».

[40] S. Basilius, *In Isaiam,* 15, 296: PG 30, 637; cf. S. Gregorius M., *Moral.* 4, 7, 12: PL 75, 643; S. Hilarius Pict., *In Ps.* 14, 3: PL 9, 206: ed. Zingerle, p. 86.

[41] Doctrina de Ecclesia sub duplici aspectu complementario elaborata est, sive ut « communio Ecclesiarum », quae suis Episcopis repraesentantur, sive ut « Ecclesia unica » et universalis, cuius caput et centrum est Episcopus Romanus. Primus aspectus apparet v. g. in Conc. Nic., can. 5: *Conc. Oec. Decr.* p. 7. Altera idea, de uno Populo Dei, effertur v. g. a S. Leone M., *Epist.* 14, 11: PL 54, 676. Conceptio de Ecclesia locali arcte connectitur cum celebratione Eucharistiae, de qua cf. infra sub nota 57.

[42] Benedictus XV, Litt. Encycl. *Maximum illud*: AAS 11 (1919)

p. 440; PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum Ecclesiae*: AAS 18 (1926) pp. 68-69; PIUS XII, Litt. Encycl. *Fidei donum*: l. c. pp. 236-237. [40]

[43] E. SCHWARZ, *Act. Conc. Oec.*, I, 1, 1. Cf. supra nota 39.

[44] LEO XIII, Litt. Encycl. *Grande munus*, 30 sept. 1880: ASS 13 (1880) p. 145: « Grande munus christiani nominis propagandi, beato Petro principi Apostolorum eiusque Successoribus singulari modo demandatum, Romanos Pontifices impulit ut sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes diversis temporibus mittendos curarent »;

CIC, cann. 1327, 1350, § 2;

S. BERNARDUS, *De Consideratione*, l. III, c. 1: PL 182, col. 757-760;

THOMAS A IESU (1564-1627), *De procuranda salute omnium gentium*, ed. Pammolli, Romae 1940, l. II, pp. 67-68: « Ad Romanum Pontificem tamquam ad Summum Ecclesiae pastorem, Petrique in apostolatu successorem, pertinere praedicatores pro fide propaganda mittere in universum orbem ».

[45] De iuribus Sedium patriarchalium, cf. CONC. NICAENUM, can. 6 (de Antiochia et Alexandria), et can. 7 (de Hierosolymis): *Conc. Oec. Decr.*, p. 8; CONC. LATER. IV, anno 1215, Constit. V: *De dignitate Patriarcharum*: *Conc. Oec. Decr.*, p. 212; CONC. FERR. FLOR.: *Conc. Oec. Decr.*, p. 504;

Cf. Cod. Iuris pro Eccl. Orient., can. 216-314: de Patriarchis; can. 324-339: de archiepiscopis maioribus; can. 362-391: de aliis dignitariis; in specie, can. 238, § 3; 216; 240; 251; 255: de Episcopis a Patriarcha nominandis; [41]

Cf. etiam S. GREGORIUS M., *Epist.* 43, ad Eulogium (Alexandrinum) et Anastasium (Antiochenum): PL 77, 774 AB: « Oportet ergo ut constanter ac sine praeiudicio servetis, sicut accepistis, Ecclesiam, et nihil sibi in vobis haec tentatio diabolicae usurpationis ascribat. Omnes Episcopos curae vestrae subiectos ab huius inquinatione prohibete, ut universa vos Ecclesia patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat »; cf. *Epist.* 40, ad Eulogium, quae tota digna est quae perlegatur: *ibid.* 898 C - 900 C.

[46] CIC, can. 1326.

[47] S. IGNATIUS M., *Ad Eph.* III, 2-IV: FUNK, p. 216.

[48] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Dei Filius*: DENZ. 1792.

Cf. notam primo schemati de Ecclesia adiecta, et ex Bellarmino desumptam: MANSI 51, 579 C: « Et cum dicimus Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de universitate fidelium, quam de universitate Episcoporum, ita ut sensus sit eius propositionis « *Ecclesia non potest errare* », id est, id quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessario est verum et de fide; et similiter id quod docent omnes Episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum et de fide ».

Commentarius KLEUTGEN: MANSI 53, 313 AB: « Iamvero praecelsum hoc donum, quo « *Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis* est » (1 Tim. 3, 15), in eo positum esse definimus, ut neque fideles universi credendo, nec ii qui potestate docendi totam Ecclesiam praediti sunt, cum hoc munere funguntur, in errorem labi possint. Quaecumque igitur in rebus fidei et morum ubique locorum sub Episcopis Apostolicae

[41] Sedi adhaerentibus tanquam indubitata tenentur vel traduntur, necnon quae sive ab iisdem Episcopis, accedente Romani Pontificis confirmatione, sive ab ipso Romano Pontifice ex cathedra loquente ab omnibus tenenda et tradenda definiuntur, ea pro infallibiliter veris habenda sunt ».

In Commentario ad Const. II de Ecclesia, clare distinguit duplex subiectum infallibilitatis: MANSI 53, 325 A: « Episcopatus scilicet una cum Romano Pontifice, et Romanus Pontifex solus e cathedra loquens »; cf. PIUS IX, *Tuas libenter*: DENZ. 1683; CIC, can. 1322-1323.

[49] CIC, can. 228, § 1. Patres in Conciliis oecumenicis certi erant de assistentia Spiritus Sancti, eis pro definienda fide concessa. Quod illustratur v. g. a LEONTIO HIEROS., *Contra Monophysitas* (sub nomine LEONTII BYZANT.): PG 86, 2, 1878 CD: « Quod autem Numine divino destituatur Concilium, damnum hoc non ad ipsum Concilium solum pertineret, sed ad universam totius christiani orbis sanctam Ecclesiam, omni populorum genere conflatam, manaret atque diffunderetur. Siquidem illius Concilii decreta non ad breve tempus aliquod, sed in perpetuum ad posteros transitura erant, ut hucusque Dei ope factum videmus. Annon ergo divinae Providentiae gravem faceret iniuriam, qui inficias iret, fidei nostrae de Christi dispensatione dogmata per sancta Concilia terrarum orbi tradi, atque posteritati solide consignari? ».

[50] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor aeternus*: DENZ. 1839.

[42] [51] Cf. explicatio GASSER: MANSI 52, 1213 A: « Hinc non loquimur de infallibilitate personali, quamvis personae Romani Pontificis eam vindicemus, sed non quatenus est persona singularis, sed quatenus est persona Romani Pontificis, seu persona publica, id est Caput Ecclesiae in sua relatione ad Ecclesiam universalem. Neque etiam dicendus est Pontifex infallibilis simpliciter ex auctoritate papatus, sed ut subest divinae assistentiae dirigenti in hoc certe et indubie. Nam auctoritate papatus Pontifex est semper supremus iudex in rebus fidei et morum, et omnium christianorum pater et doctor; sed assistentia divina ipsi promissa, qua fit ut errare non possit, solummodo tunc gaudet, quum munere supremi iudicis in controversiis fidei et universalis Ecclesiae doctoris *reipsa* et *actu* fungitur ».

[52] GASSER: *ibid.* 1213 BC, explicat Romanum Pontificem, ex cathedra docentem, totam Ecclesiam repraesentare. Addit autem: 1214 A: « Non possumus separare Papam a consensu Ecclesiae, quia hic consensus nunquam ipsi deesse potest. Cum enim credimus Papam per assistentiam divinam esse infallibilem, eo ipso etiam credimus iis definitionibus assensum Ecclesiae non esse defuturum; cum fieri non possit quod corpus Episcoporum separetur a suo Capite, et cum Ecclesia universa deficere non possit »;

Ibid. 1216 D: « Verum est quod Papa in suis definitionibus ex cathedra eosdem habet fontes quales habet Ecclesia, Scripturam et Traditionem ». De infallibilitate Ecclesiae, id est universorum fidelium in credendo, cf. relationem KLEUTGEN, citatam sub nota 48.

[53] Hoc etiam dilucide explicat GASSER: *ibid.* 1216 D - 1217 A: « Verum est quod consensio praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae unitate cum Capite sit regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis. Ast exinde nullo modo potest deduci stricta et absoluta necessitas

illam exquirendi a rectoribus Ecclesiarum seu ab Episcopis. Nam haec consensio potest saepissime deduci ex claris et manifestis testimoniis sacrae Scripturae, ex consensione antiquitatis, id est sanctorum Patrum, ex sententia doctorum vel aliis modis privatis, quae omnia ad plenam informationem sufficiunt ». Consilium et auxilium Episcoporum ergo non est expetendum de stricta et absoluta necessitate iuris, sed dicitur opportuna et relative necessaria: *ibid.* 1215 CD. [42]

[54] Cf. Rev.mum GASSER, relatorem finalem Deputationis De Fide in cap. 4 Const. dogm. *De Ecclesia Christi*: MANSI 52, 1213: « Cooperationem Ecclesiae tum ideo non excludimus, quia infallibilitas Pontificis Romani non per modum inspirationis vel revelationis, sed per modum divinae assistentiae ipsi obvenit. Hinc Papa, pro officio suo et rei gravitate, tenetur media apta adhibere ad veritatem rite indagandam et apte enuntiandam; et eiusmodi sunt concilia vel etiam consilia episcoporum, cardinalium, theologorum, etc. Haec media pro diversitate temporum utique sunt diversa, et pie debemus credere quod in divina assistentia Petro et successoribus eius a Christo Domino facta, simul etiam contineatur promissio mediorum, quae necessaria aptaque sunt ad affirmandum infallibile Pontificis iudicium ».

[55] CONC. VAT. I, Const. dogm. *Pastor aeternus,* cap. 4: DENZ. 1836: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo [43]
revelante novam doctrinam patefacerent... ».

[56] Oratio consecrationis episcopalis in ritu byzantino: *Euchologion to mega,* Romae, 1873, p. 139.

[57] S. IGNATIUS M., *Ad Smyrn.* 8, 1: FUNK, p. 282; *Ad Philad.* 4: *ibid.* p. 266.

Si sola Ecclesia facit eucharistiam, verum est etiam quod eucharistia facit Ecclesiam, ut explicat S. AUGUSTINUS, *Contra Faustum,* 12, 20: PL 42, 265: Eucharistia est sacramentum, « quo in hoc tempore consociatur Ecclesia »; *Civ. Dei,* 22, 17: PL 41, 779: « Ex latere Christi dormientis in cruce (cf. Io. 19, 34) sacramenta profluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur »; *Sermo* 57, 7: PL 38, 389: « Virtus enim ipsa, quae ibi intelligitur, unitas est, ut redacti in corpus Eius, effecti membra Eius, simus quod accipimus ».

Cf. *Sacramentarium Gregorianum*: ed. LIETZMANN, p. 36: « Ut inter membra Eius numeremur, cuius corpori communicamur et sanguini »; *Oratio mozarabica*: PL 96, 759 B: « Per escam et sanguinem dominici corporis fraternitas cuncta copuletur »; cf. *Liber sacram. mozarab.*: *ibid.,* col. 630; S. HIERONYMUS, *Ad Jovin.* 2, 29: PL 23, 326: « Vis scire quomodo cum Christo unum corpus efficiamur? Doceat te ipse, qui condidit: Qui comedit meam carnem... »; S. LEO M., *Serm.* 63, 7: PL 54, 357 C: « Non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transeamus »; S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 73, a. 3: « Res tantum huius sacramenti est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus »; Card. FRANZELIN, *Theses de Ecclesia Christi,* p. 317: « Sacramentaliter Ecclesia non solum significatur sed efficitur corpus mysticum, unum in se et intime unitum cum Christo capite, per unionem eucharisticam ». De nexu inter Ecclesiologiam et Eucharistiam, cf. etiam

[43] N. AFANASSIEF, « L'Eglise qui préside dans l'amour », in: *La primauté de Pierre dans l'Eglise Orthodoxe,* Neuchâtel, 1960, pp. 8-14.

[58] *Trad. Apost. Hipp.*: 2-3: FUNK II pp. 78-79: BOTTE pp. 26-30.

[59] CONC. PROV. COLONIEN., 1860: cf. supra nota 6;

CONC. PROV. QUEBECEN. III, 1863: cf. supra nota 6;

BENEDICTUS XIV, Br. *Romana Ecclesia,* 5 oct. 1752, § 1: *SS.mi D.ni Nostri Benedicti Papae XIV Bullarium,* t. IV, Romae, 1758, 21: « ut Episcopus, qui Christi typum gerit, eiusque munere fungitur »;

PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* l. c. p. 211: « Christi nomine pascunt et regunt »;

LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* l. c. p. 732: « non tamen vicarii Romanorum Pontificum putandi » (Ergo: in quantum potestas Episcoporum non est delegata a Papa, non vicarii Romani Pontificis nominari possunt Episcopi. Ergo haec potestas vicaria Christi esse debet);

ID., Epist. *Officio Sanctissimo,* 22 dec. 1887: ASS 20 (1887) p. 264;

IAC. LAINEZ, *Disputationes Tridentinae,* t. I, Oeniponte, 1886, p. 232 ss., explicat quod Episcopi sunt Vicarii Christi, non tamen generales super totam Ecclesiam, sicut Romanus Pontifex, sed in suis tantum dioecesibus.

Cf. supra, nota 2. De Episcopis ut vicariis Christi, cf. S. CYPR., *Epist.*
[44] 59, 5: ed. HARTEL, p. 671 s.; *Epist.* 63, 14: p. 713; *Epist.* 65, 4: p. 729; *Epist.* 68, 5: p. 748; *Epist.* 75, 16: p. 821.

Papa HORMISDAS hoc nomen Episcopis Hispaniae tribuit in Epist. anni 514: ed. THIEL, p. 789. Similiter S. BRAULIO, Episc. Caesaraug., in *2 Epist.* 2, 13: *Mon. Germ. Hist.,* Auct. Ant., 14, p. 286, lin. 4.

Tempore carolino, cf. CATULFO, Epist. ad Car. M., apud JAFFE, *Bibl. Rer. Germ.* 4, p. 337 s.; AMALARIUS MELD., *De Eccl. Officiis,* 2, 14: PL 105, 1092 C; ABBO S. Germani, *Serm. in Coena Dom.*: PL 132, 766 A, etc.

S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 64, a. 2, ad 3, Apostolos eorumque successores vocat « vicarios Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta ».

[60] LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*, 29 iun. 1896: ASS 28 (1895-96) p. 732; cf. PIUS IX, Litt. Apost. ad Episcopos Germaniae, 12 mart. 1875, et Alloc. Consist. 15 mart. 1875: DENZ. 3111-3117.

[61] CONC. VAT. I, Const. *Pastor aeternus,* cap. 3: DENZ. 1828.

[62] Cf. relatio ZINELLI: MANSI 52, 1114 D: « Nemo sanus dicere potest, aut Papam aut Concilium oecumenicum posse destruere episcopatum ceteraque iura divina in Ecclesia determinata ».

[63] CIC, can. 1350, § 1.

[64] S. IGNATIUS M., *Ad Eph.* 5, 1: FUNK, I, p. 216.

COMMENTARIUS [44]

Caput II

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE ET IN SPECIE DE EPISCOPIS

11. *Prooemium* connexionem indicat cum capite I de mysterio Ecclesiae, et procedit ad descriptionem eius constitutionis hierarchicae.

Sacra Synodus autem denuo profitetur doctrinam Concilii Vaticani I de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, et in eodem incepto pergens, doctrinam de Episcopis declarandam suscipit.

Etiam in hac expositione Sacra Synodus illa docet quae universaliter agnita sunt, relinquendo quaestiones subsidiarias ulteriori investigationi et theologorum studio. Expositio in quatuor sectiones dividi potest.

Prima sectio, n. 12-13, describit vocationem et missionem Apostolorum, quos Dominus ut « Duodecim » instituit, et quorum potestas in collegio Episcoporum, successorum eorum, perseverat.

Secunda sectio, n. 14-15, docet sacramentalitatem Episcopatus; qua occasione etiam de Presbyteris et Diaconis tractat.

Tertia sectio, n. 16-17, exponit doctrinam de corpore seu collegio Episcoporum, imprimis in relatione cum capite suo, Romano Pontifice, deinde in relationibus Episcoporum ad invicem et ad universam Ecclesiam.

Quarta sectio, n. 18-21, denique in genere describit Episcoporum ministeria, et singulatim de eorum munere docendi, sanctificandi et regendi tractat.

Sectio I [45]

12. [*De institutione Duodecim Apostolorum*]. Exponitur quomodo Dominus Apostolos vocavit, quos ut « Duodecim » (*οἱ δώδεκα*) sub duce Petro collegit, atque potestate divinitus data et officio universali ac permansuro instructos, ad Ecclesiam diffundendam et regendam misit.

13. [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]. Missio Apostolorum ad Ecclesiam pascendam cum eadem potestate continuatur in Ordine Episcoporum, quos de mandato Domini Apostoli ut successores suos constituerunt; quae doctrina hic verbis S. Clementis I exprimitur. Docet Sacra Synodus Episcopatum, non secus ac primatum, in Ecclesia esse divinae institutionis.

Sectio II

14. [*De Episcopatu ut sacramento*]. Quia, ut ex traditione praesertim liturgica patet, potestas docendi et gubernandi arcte connectitur cum potestate sanctificandi, sacramento Ordinis collata, docetur explicite, quaestione iam maturata, Episcopatum ad hoc sacramentum pertinere, tamquam gradum supremum sacerdotii. Describitur deinde verbis scripturi-

[45] sticis huius sacramentalis institutionis exercitium, in quo ipse Christus per ministros suos agit.

15. [*De Presbyteris et Diaconis*]. *Presbyteri,* secundum verba libri Pontificalis, sunt secundae dignitatis sacerdotes et cooperatores Ordinis episcopalis, quorum praecipua munera enumerantur. Ab Episcopo, vel si exempti sunt, a Romano Pontifice ad curam animarum mittuntur. Omnes autem, ex coniunctione cum Episcopo, vigorem spiritualem et apostolicum obtinent, ac solidariter inter se uniuntur. - *Diaconorum* deinde ministerium declaratur. Docet autem Sacra Synodus quod ad supremum Ecclesiae regimen pertinet statuere utrum Diaconatus, tamquam proprius et permanens gradus hierarchiae, in ritu latino sit restaurandus.

Sectio III

16. [*De collegio episcopali eiusque Capite*]. Ordo Episcoporum aliquod corpus seu collegium constituit, cuius imprimis relatio cum Capite suo exponitur. Quae relatio praerogativae Petri in collegio Apostolorum correspondet. Fundamentale est autem collegium illud sine Capite suo, Romano Pontifice, non esse authenticum.

Corpus illud, sic descriptum, cum Capite suo indivisum subiectum supremae potestatis in Ecclesia creditur, ut ex Evangelio patet. Spiritus Sanctus autem connexionem et concursum Primatus et Episcopatus indesinenter roborat. Potestas illa modo extraordinario a Concilio oecumenico exercetur; aliis vero modis ab Episcopis dispersis, sed nonnisi annuente Summo Pontifice, in actum deduci potest.

17. [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]. Episcopi, particulari Ecclesiae praepositi, sunt principium unitatis sui gregis, et omnes simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant. Super alias Ecclesias, praeter suam, potestatem proprie dictam non exercent; tenentur tamen ex officio
[46] ad sollicitudinem universalem, cuius Sacra Synodus praecipuas applicationes indicat, praesertim in favorem pauperum. Omnes similiter ad missiones fovendas sub suprema ordinatione Romani Pontificis obligantur. Commendatur denique efficax omnium cooperatio, etiam coetibus episcopalibus institutis.

Sectio IV

18. [*De Episcoporum ministeriis*]. Imprimis modo generali enuntiatur Episcoporum triplex sacra potestas, quae secundum Scripturam nonnisi ut « diaconia » seu ministerium exercenda est. Describitur deinde quomodo Episcopi, in diversis Ecclesiae partibus, ad officium suum adsumuntur.

19. [*De Episcoporum munere docendi*]. Singulatim deinde agitur de eorum tribus ministeriis, incipiendo a munere authentice docendi.

Indicantur condiciones sub quibus corpus Episcoporum, sive dispersum, sive in Concilio oecumenico congregatum, infallibilitate polleat, comparatione instituta cum Romano Pontifice ex cathedra docente. Definitiones autem huiusmodi declarantur ex sese irreformabiles. Sed supremum magisterium, munere suo, fideliter exprimit fidem catholicam, quam secundum

Scripturam et Traditionem exponit vel tuetur, adhibitis etiam aptis mediis investigationis. Sic praecaventur irreales interpretationes infallibilitatis. [46]

Ulterius determinatur quinam assensus Magisterio authentico citra gradum infallibilitatis docenti debeatur.

20. [*De Episcoporum munere sanctificandi*]. Praeter ministerium verbi, Episcopi praebent et regunt ministerium sacramentorum, praesertim Eucharistiae et sacrae ordinationis, fidelesque ad participationem liturgicam instruunt et adducunt.

21. [*De Episcoporum munere regendi*]. Episcopi, ut vicarii et legati Christi, etiam regimine suo plebem suam sanctificant. Ipsi habent gregis sui quotidianam curam pastoralem; quae dicitur potestas propria, ordinaria et immediata, licet a supremo regimine Ecclesiae dirigatur. Ideo Episcopi non sunt vicarii Romani Pontificis, sed veri populorum suorum antistites, quorum potestas a suprema potestate enixe roboratur.

In fine uberius describitur spiritus evangelicus, secundum quem Episcopi munus suum pastorale, pro omnium omnino salute, ex illimitata caritate nomine Christi adimplent.

[5]

PARS II *

CAPUT III

DE POPULO DEI ET SPECIATIM DE LAICIS **

22. [*Introductio*]. Sacrosancta Synodus, postquam in declaratione de mysterio Ecclesiae munera sacra Hierarchiae ante oculos posuit, nunc ad considerandam condicionem et missionem totius Populi Dei, et speciatim laicorum, cum gaudio animum convertit. Populus ille, beneficiis Divini Redemptoris cumulatus, ab Eoque in communitatem caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis sumitur et ad universum mundum mittitur. Pastores scilicet instituti sunt, non ut totum onus aedificandi Mystici Christi Corporis in se suscipiant, sed ut fideles

---

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIX mensis Iulii, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

** Commissio de Laboribus Concilii Coordinandis nuper censuit hoc caput dividendum esse in duas partes, quarum prior sit *De populo Dei in genere* et efformet caput secundum Schematis huius Constitutionis, altera vero sit *De laicis in specie* et caput constituat quartum, ita ut tota Constitutio quinque constet capitibus, nempe:

1. De Ecclesiae mysterio.
2. De Populo Dei in genere.
3. De constitutione hierarchica Ecclesiae.
4. De Laicis in specie.
5. De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.

ita pascant et regant, ut cuncti suo modo et in suo ordine ad commune opus explendum cooperentur. (Cf. Eph. 4, 11-16). [5]

23. [*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*]. Ecclesia sancta, ex divina institutione, mira varietate ornatur et regitur, quandoquidem « ex multis et alternae dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur ».[1]

Unus est enim Populus Dei electus, eadem nobilitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, eadem filiorum Dei gratia, eadem vocatio ad perfectionem, eadem salus, eadem spes, eadem caritas, eadem media salutis pro omnibus; « unus Dominus, una fides, unum baptisma » (Eph. 4, 5). Nulla igitur in Christo et in Ecclesia inaequalitas, spectata natione, condicione sociali, sexu, quia « non est Iudaeus, neque Graecus: non est ser- [6]
vus, neque liber: non est masculus, neque femina. Omnes enim vos " unus " estis in Christo Iesu » (Gal. 3, 28; cf. Col. 3, 11). Ad omnes pertinet regale illud sacerdotium, quo Christus « fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo » (Apoc. 1, 6); « idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum » (Rom. 10, 12). « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus » (1 Cor. 12, 13), viventes de verbo Dei et de corpore et sanguine Domini, usquedum caelestes nuptiae in regno Patris parentur.

Si igitur in Ecclesia non omnes eadem via procedunt, neque singuli eadem fidelitate et virtutis alacritate Deo invitanti respondent, omnes tamen ad eamdem vocantur sanctitatem. Et si quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas, quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem. Distinctio enim quam ipse Dominus inter Hierarchiam et Populum posuit, simul est coniunctio, cum Pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur, Ecclesiae praepositi populo inserviant, populus autem pastoribus et doctoribus suis oboediens, ad salutem communem cooperetur. Fideles autem sicut ex dignatione divina fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare, ita etiam fratres habent eos qui, in sacro ministerio positi, auctoritate Christi et docent et sanctificant et pascunt, ut mandatum novum caritatis ab omnibus impleatur. Quocirca pulcherrime dicit S. Augustinus: « Ubi me terret, quod vobis sum, ibi me consolatur quod vobiscum sum. Vobis enim sum episcopus,

[6] vobiscum sum christianus. Illud est nomen suscepti officii, hoc gratiae; illud periculi est, hoc salutis ».[2]

Iamvero sacrosancta Synodus nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate in Populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt, et pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, etiam per actionem religiosam, sed neque ad ordinem hierarchicum, neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent.[3] Animum scilicet convertit ad illos qui in laboribus huius mundi partes agunt, sed spiritu evangelico ducti, concupiscentiis saeculi valide opponuntur, immo vocatione sua christiana mundum velut ab intra sanctificant.[4] Omnes secundum operationem uniuscuiusque membri augmentum Corporis faciunt, donec perveniant ad aetatem ple-
[7] nitudinis Christi (cf. Eph. 4, 11-16). Una est ergo totius organici Corporis vocatio.

24. [*De sacerdotio universali, necnon de sensu fidei et de charismatibus christifidelium*]. In Christo novus Populus Dei ad templum spirituale et sacerdotium sanctum per regenerationem baptismi et Spiritus Sancti unctionem evehitur, ut spirituales offerat hostias per omnem actum hominis christiani, a Spiritu Sancto consecratum, et tamquam genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, virtutes annuntiet Eius qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum (cf. 1 Pt. 2, 4-10). Ideo universi discipuli Christi, quos ipse Dominus regnum et sacerdotes Deo et Patri suo fecit (cf. Apoc. 1, 6 et 5, 9-10), sive ad hierarchicum ordinem pertinent sive non, seipsos ut hostiam viventem ac Deo placentem exhibeant (cf. Rom. 12, 1), testimonium praebeant ubique terrarum de Christo eiusque virtutibus, atque poscentibus rationem reddant de ea, quae in eis est, spe salutis aeternae (cf. 1 Pt. 3, 15). Cum autem sacerdotium ministeriale seu hierarchicum essentialiter et non gradu tantum a sacerdotio universali christifidelium differat,[5] hoc et illud tamen suo peculiari modo a Summo Sacerdotio Christi profluunt, et ad invicem ordinantur.[6]

Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis in sacramentis innititur et per ea ad actum deducitur.[7] Fideles per *baptismum* in filios Dei regenerati, ad cultum religionis christianae charactere deputantur et fidem quam a Deo per Ecclesiam acceperunt profiteri tenentur. Sacramento *confirmationis* perficiuntur et roborantur ut fidem verbo et opere simul diffundant

et defendant. Sacrificium *eucharisticum* participantes, vota sua [7] cum votis ministri litantis iungentes, divinam Victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, per manus eius Deo offerunt atque seipsos cum Ea, et hac maxime oblatione ac sacra communione partes activas in liturgia agunt. *Coniuges christiani* ex virtute sacramenti, quo repraesentatur mysterium unitatis et amoris inter Christum et Ecclesiam (cf. Eph. 5, 32), se invicem in vita coniugali et prolis educatione sanctificant, atque adeo in suo vitae statu et ordine habent proprium suum in Ecclesia donum (cf. 1 Cor. 7, 7). Ex casto enim connubio procedit familia, ubi nascuntur novi societatis humanae cives, qui sub gratia Spiritus Sancti, ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi, in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica, parentes saepe sunt primi fidei praecones, quasi munus episco- [8] pale, ut ait Augustinus, exercent, et sacras etiam vocationes Deo dante fovent.[8]

Christifideles cum Christo, qui principem huius mundi devicit et cui servire regnare est, in libertate filiorum Dei regnant et sui abnegatione vitaque sancta regnum peccati in seipsis (cf. Rom. 6, 12) et in aliis impugnant.[9]

Munus Christi igitur sacerdotale, propheticum et regale quodammodo participantes, mandatum eius novum et maximum observant, caritatem videlicet, qua proximos amamus ea dilectione qua Ipse prius dilexit nos, praesertim minimos fratres, in quibus vult peculiari modo Se agnosci.[10]

Ecclesia tota, quae Deo offert fructum labiorum confitentium nomini Eius (cf. Hebr. 13, 15), et in credendo indefectibilis est, hanc suam peculiarem proprietatem etiam in supernaturali *sensu fidei* universi populi christiani manifestat.[11]

Hic sensus fidei, quo omnes sunt docibiles Dei (cf. Io. 6, 45), coalescit ipsorum consensu de rebus fidei et morum, « ab Episcopis usque ad extremos laicos fideles », ut dicit S. Augustinus.[12]

A Spiritu veritatis excitatus, idem sensus fidei verbo Dei scripto et tradito sub Eius assistentia inhaeret, et a Magisterio ducitur ac sustentatur, cui credentes active respondent, veritatem fidei profundius perspiciendo, et in vita fidelius applicando.[13]

Propterea, in Ecclesiae atque apostolatus incrementum, Spiritus dat fidelibus varia dona et munera ad servitium seu « diakonian », secundum illud: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei » (1 Pt. 4, 10).[14] Quae charismata sive claris-

[8] sima sive etiam simpliciora et latius diffusa, cum sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et proficua, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt. Dona autem extraordinaria non sunt temere exspectanda, neque praesumptorie ab eis sperandi sunt fructus operarum apostolicarum; sed iudicium de eorum genuinitate et ordinato exercitio rectoribus Ecclesiae humiliter submittendum est, monente Apostolo: « Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant » (1 Cor. 14, 40).

25. [*De vita salutifera et apostolica laicorum*]. Ad Populum Dei vocati et in uno Corpore Christi sub uno Capite constituti, quicumque sunt, ut viva membra ad Ecclesiae incrementum eiusque iugem sanctificationem vires suas omnes, beneficio Creatoris
[9] et gratia Redemptoris acceptas, conferre tenentur. Apostolatus autem laicorum est participatio ipsius missionis Ecclesiae salvificae, titulo omnibus christifidelibus communi, vel etiam a sacra Hierarchia addito, quin tamen propter hunc ultimum titulum laici ex suo statu exeant.[15] Omnibus igitur fidelibus onus honorificum incumbit adlaborandi ut divinum salutis propositum ad universos homines omnium temporum et ubique terrarum magis applicetur. Ius proinde iidem habent, ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae etiam operose suo modo participent.[16]

a) Christifidelium socius labor efficit ut fides annuntietur ipsique valores religiosi mundo communicentur, ut iam patet in primaeva communitate, in qua baptizati oratione, exemplo, verbo, eleemosynis, sacrificio Ecclesiam aedificabant (cf. Act. 2, 42; 4, 31; 8, 14; 11, 19-20). Proinde laici non exclusive curis temporalibus deputantur, sed pretiosissimam actionem ad evangelizationem mundi exercent.[17] Quod si quidam eorum, deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, officia sacra pro facultate supplent; et si plures quidem ex eis pro regno Dei omnibus renuntiantes, totas vires suas in opera apostolica impendunt: universos tamen oportet ad augmentum extensivum et intensivum totius Corporis Christi cooperari.[18]

b) Ad laicos spectat etiam ut condiciones diffusioni religionis idoneas promoveant *valoresque morales* diffundant, hac quidem ratione ut in ipso saeculo viventes, mundum evangelico nuntio illuminent; ut Ecclesiae spatium vitae et operositatis obtineant atque communiant; ut denique instituta et condiciones mundi, si qua mores ad peccatum conducant, ita sanent, ut haec omnia ad iustitiae normas conformentur et virtutum exercitio

potius faveant quam obsint. Ad quam apostolicam navitatem [9] Ecclesia suos filios instanter appellat, praesertim laicos, qui variis officiis in mundo addicti et experientia singulari praecellentes, opportunitatibus datis maiore cum efficacia uti possunt, praecipue per contactus suos personales.[19] Pro sua cuiusque intellectuali cultura, sollerter incumbant in profundiorem cognitionem veritatis revelatae atque catholicae doctrinae, tum pro sua cuiusque aedificatione, tum etiam pro enodandis sui temporis quaestionibus.

c) Denique ad omnes christifideles id etiam spectat, ut per *opera etiam saecularia* seipsos aliosque sanctificent, ita ut mundus Spiritu Christi imbuatur, atque in iustitia et pace finem suum efficacius attingat. In quo officio universaliter adimplendo laici principem locum tenent. Per activitatem suam gratia Christi intrinsecus elevatam valide conferant operam ut bona creata secundum Crea- [10] toris ordinationem eiusque Verbi illuminationem, humano labore, arte technica, civilique cultura ad utilitatem omnium prorsus hominum excolantur, aptiusque inter illos distribuantur, et suo modo ad universalem progressum in christiana et humana libertate conducant.[20] Ita Ecclesia reapse tamquam lumen pro tota societate apparebit. Fideles, memores verborum Domini: « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo » (Mt. 22, 21), ex altera parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitabunt; ex altera vero infaustae separationi earumdem vel immo oppositioni civitatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversabuntur, cum nulla humana activitas, ne in re quidem profana, Dei imperio subtrahi possit. Ita plurimi christifideles, imprimis laici, spiritu apostolico imbuti, conspicuam conferunt operam ut missio divina Ecclesiae hodiernis necessitatibus plenius respondere valeat. Sicut enim merito probari debet indoles laica terrenae civitatis, quae saecularibus curis iure addicta, propriis regitur principiis, ita pariter infensus « laicismus » seu « saecularismus », qui scilicet societatem extra omnem religionem extruere contendit et libertatem christianam impugnat et eruit, merito proscribitur.[21]

26. [*De christifidelium relatione ad Hierarchiam*]. Christifideles omnes, laicis non exceptis, ius habent a Pastoribus adiumenta ad salutem necessaria et utilia accipiendi,[22] eisque necessitates et optata sua patefaciendo, mentem generosam et liberam, filiis Ecclesiae dignam, ostendunt. Laici itaque pro scientia, com-

[10] petentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, immo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent.[23] Hoc tamen ut christiano modo adimpleatur, ante omnia per Ecclesiae instituta, si qua sint, est exercendum; semper vero cum caritate et prudentia, veracitate et humilitate, fortitudine et debita reverentia erga illos, qui ratione sacri sui muneris Christi personam gerunt. Pastores vero, sua facientes verba Scripturae: « Probate spiritus si ex Deo sint » (1 Io. 4, 1) et « Spiritum nolite extinguere » (1 Thess. 5, 19), coepta, vota et desideria a fidelibus proposita attente in Christo considerent.[24]

Iterum christifideles omnes, ideoque et laici, in Praepositis suis, in illis praesertim, quorum auctoritas nomine Christi exer-
[11] cetur, cum ab Eius institutione originem ducat, Christum oculis fidei semper inspicere tenentur, eisque oboedire in simplicitate cordis, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut facientes voluntatem Dei ex animo (cf. Eph. 6, 5-6).[25] Nedum censurae iniustae aut imprudenti aditum aperiant, prompta voluntate praecepta legitimae auctoritatis exsecutioni mandent, ad exemplum Eius qui per oboedientiam mundum redemit. Neque omittant precibus suis Praepositos Deo commendare, ut iidem quasi rationem pro animabus subditorum reddituri, munus suum adimplere queant cum gaudio et non gementes (cf. Hebr. 13, 17).

27. [*Adhortatio*]. Sacrosancta Synodus, quae magna cum gratitudine conscia est de ingentibus bonis ope omnium christifidelium, ad iugem Corporis Christi aedificationem obtentis, omnes utriusque sexus fideles amanter et instanter hortatur, ut collatis viribus una cum Hierarchia divinitus instituta, sub Christo capite eiusque Spiritu veritatis et amoris animati, missionem suam apostolicam ad gloriam Dei Patris per Filium in Spiritu Sancto indesinenter expleant.[26] Dignitatis et vocationis suae conscii, magno animo suscipiant suum, pro parte qua in mundo operantur, speciale officium, quod nempe eodem modo ab aliis neque praestatur neque praestari potest.[27] Etiam in difficilioribus adiunctis positi, ne erubescant Evangelium, sed officium suum ardenter impleant, ut fiat voluntas Dei, sanctificatio nostra, et Patris, qui in caelis est, regnum adveniat!

NOTAE [11]

[1] Verba desumuntur ex *Pontificali Romano, de ordinatione presbyteri.*

[2] S. AUGUSTINUS, *Sermo* 340, 1: PL 38, 1483.

[3] Praetermissis quaestionibus de accurata iuridica delimitatione diversarum categoriarum in Ecclesia, exprimitur intentio Concilii loquendi de illis qui sensu vulgato « laici » dicuntur. Determinantur autem imprimis *positive* per incorporationem baptismalem in Ecclesia, apposita *duplici restrictione*: ad sacerdotium ministeriale non pertinent et in statum religiosum non intrant. Ipsius autem Ecclesiae est statuere quibusnam hic status religiosus agnoscatur.

Quaestio igitur utrum membra *Institutorum Saecularium,* qui ad statum perfectionis pertinent, religiosis adnumerandi sint, necne, in textu non dirimitur. Pro quanto autem in saeculo vitam ducunt, illa quae de laicis dicuntur etiam iis applicantur. Cf. Decretum de Apostolatu laicorum, Prooemium, nota 2.

[4] Laici ulterius secundum suam *concretam condicionem* in societate describuntur. Etiam per opera saecularia sanctitatem prosequi debent, v. g. vitam familiarem et professionalem ad salutem adhibentes. In mundo [12]
sunt et in eo laborant, sed « malitiae mundi » adversantes, « mundum ipsum » ab intra sanctificant. Haec antithesis correspondet duplici significationi vocabuli « mundi » in textibus biblicis: Christus mundum sub signo peccati et Satanae odio habet, sed homines in mundo degentes diligit, et vult ut mundus per fidem salvetur; similiter agere debent christiani.

[5] PIUS XII, Alloc. *Magnificate Dominum,* 2 nov. 1954: AAS 46 (1954) p. 669. Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 555. Cf. etiam *Catechismus Concilii Tridentini,* Pars 2, cap. 7, n. 284, qui illud sacerdotium « interius », allatis textibus Scripturae, de offerendis spiritualibus hostiis explicat.

[6] Pro *sacerdotio universali* allegantur textus praecipui Novi Testamenti. Cf. in Antiquo Testamento: Exod. 19, 5-6 et Is. 61, 6. Haec dignitas omnibus baptizatis competit, etiam illis qui insuper per sacramentum Ordinis ad ministerium consecrantur et officium specificum super populum et pro populo exercent. Et ipsi spirituales hostias offerre et testimonium reddere debent.

In S. Scriptura et scriptis saeculi II, vox « sacerdos » (hiereus) nonnisi de Christo, de sacerdotibus Antiquae Legis et de Populo adhibetur; ministri vero appellantur episcopi, presbyteri, praesides, etc. De ulteriori usu vocabuli, cf. supra, cap. II, nota 22.

Testimonia Patrum de sacerdotio universali abundant. Cf. per modum exempli: ORIGENES, *Hom. Lev.* 9, 9: PG 12, 521 s. GCS VI (Bährens) p. 436: « Omnes enim, quicumque unguento sacri baptismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut et Petrus ad omnem dicit Ecclesiam: Vos autem genus electum... ». S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In 2 Cor. Hom.* 3, 7: PG 61, 417 s.: « In baptismo rex et sacerdos et propheta efficeris... Sacerdos, cum teipsum Deo obtulisti ac corpus mactasti atque

[12] ipse quoque mactatus es... ». S. AUGUSTINUS, *Quaest. Evang.* II, 40, 3: PL 35, 1355: « Sacerdotii regalis... quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi et veri principis sacerdotum. Nam nunc et omnes unguntur... ». *De Civ. Dei,* X, 6: PL 41, 283 s. *Ib.* XVII, 5; col. 536. *Ib.* XX, 10; col. 676: Christiani sunt « omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis ». Etc. Cf. etiam infra sub nota 9.

Definitio metaphysica sacerdotii non exstat: elementa quae in definitionem intrant, v. g. oblatio sacrificii spiritualis vel etiam ritualis, aliqua mediatio, instructio fidelium (cf. Malach. 2, 7), etc., nonnisi ex revelatione determinari possunt. Relationes autem principales inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium universale huc redeunt, quod sacerdotium ministeriale alterum diffundit et dirigit; sacerdotium autem universale ad oblationem sacrificii concurrit, et ulterius in variis actibus vitae hominis christiani applicatur. Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Miserentissimus Redemptor,* 8 maii 1928: AAS 20 (1928) p. 171 s. PIUS XII, Alloc. *Vous Nous avez,* 22 sept. 1956: AAS 48 (1956) p. 714.

[7] Sacerdotium universale in *tribus sacramentis christianae initiationis* nititur, cum obligationibus exinde decurrentibus. De effectibus baptismi, cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 63, a. 2. De confirmatione, cf. S. CYRILLUS HIEROS., *Cat.* 17; de Spiritu Sancto, II, 35-37: PG 33, 1009-1012.
[13] NIC. CABASLIAS, *De vita in Christo,* lib. III, de utilitate chrismatis: PG 150, 569-580. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65, a. 3; q. 72, a. 1 et a. 5. Participatio fidelium in sacrificio eucharistico enuntiatur secundum doctrinam PII XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) praesertim p. 552 s.

[8] S. AUGUSTINUS ita patresfamilias alloquitur, *Serm.* 94: PL 38, 580 s.: « Agite vicem nostram in domibus vestris. Episcopus inde appellatus est, quia superintendit, quia intendendo curat ». Ideo, ait, parentes debent suos in fide instruere. Cf. *In Io. tr.* 51, 13: PL 35, 1768. Secundum S. IO. CHRYSOSTOMUM, domum suam ecclesiam efficere debent, *In Gen. Hom.* 2, 4: PG 53, 31. *In Gen. serm.* 6, 2: PG 54, 607. Cf. *ib.* 7, 1; col. 607 s.: « Cum heri dixissem: unusquisque vestrum domum suam ecclesiam efficiat, magna voce acclamastis ac voluptatis qua vos illa verba profuderunt, significationem dedistis ». De educatione christiana, cf. S. GREGORIUS NYSS., *Vita S. Macrinae*: PG 46, 961-964. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Eph. Hom.* 21, 2: PG 62, 151. S. HIERONYMUS, *Epist.* 107 ad Laetam: PL 22, 867-878.

Status coniugatorum in Ecclesia apud S. AUGUSTINUM vocatur *vitae genus* vel *professio*: *Enarr. Ps.* 36, I, 2: PL 36, 356 s.; *Enarr. Ps.* 132, 4: PL 37, 1730. Vel *officium*: *Serm.* 96, 7, 9: PL 38, 588; ib., 267, 4; col. 1231. Vel *gradus*: *Serm.* 192, 2: PL 38, 1012. S. GREGORIUS M. in Ecclesia distinguit *ordines,* scilicet pastorum (praedicatorum), continentium et coniugatorum: *Mor.* I, 14, 20: PL 75, 535; *In Ezech.* I, 8, 10 et II, 7, 3: PL 76, 858 et 1014. De gradibus et ordinibus loquuntur etiam S. FULGENTIUS, *De Trin.* 12: PL 65, 507, et S. BEDA VEN., *In Io.,* cap. 2: PL 92, 661. THEODORETUS adhibet vocem « tagmata », *In 1 Tim.* 2, 15: PG 82, 803; S. IO. CHRYSOSTOMUS vocem « fratreias », *In 1 Cor.* 30, 4: PG 61, 254.

De matrimonio ut *dono Dei,* cf. *1 Cor.* 7, 7: « Unusquisque proprium donum (idion charisma) habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic ». Cf. THEODORETUS, *Haeret. fabul. compend.* V, 25: PG 83, 540, et *In 1 Cor.* 7, 7: PG 82, 273. S. HIERONYMUS, *Epist.* 48, 4: PL 22, 496. S. AUGUSTINUS, *De Dono Persev.* 14, 37: PL 45, 1015 s.: « Non tantum continentia Dei donum est, sed coniugatorum etiam castitas ». *Serm.* 354, 4: PL 39, 1564 s.: « Est enim coniugalis vita laudabilis, et habet in corpore Christi locum suum... Coniugalem agentes vitam, si tenent humilitatem, superbis castis meliores sunt ». [13]

[9] De *regali* sacerdotio fidelium, quo regnum peccati devincunt, cf. ORIGENES, *In Mt. hom.* 14, 7: PG 13, 1197. S. HILARIUS, *In Ps.* 67, 30: PL 9, 465; CSEL 22 (Zingerle) p. 306: « Ipse rex sit eius, cuius servus fuit ante, peccati, hostiam seipsum vivam... Deo offerens ». Cf. *ib.* 135, 6; col. 771; p. 717: « Reges sunt in quos non regnat peccatum, qui dominantur corporis sui, quibus est huius subditae et subiectae sibi carnis imperium. Hi ergo reges sunt, et horum Deus rex est ». *Ib.* 2, 42; col. 287; p. 69; *ib.* 137, 12; col. 789; p. 741.

S. AMBROSIUS, *In Ps.* 118, *serm.* 14, 30: PL 15, 1403. S. HIERONYMUS, *In Is.* 60, 1: PL 24, 588 s. S. LEO M., *Serm.* 4, 1: PL 54, 149: « Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? Et quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam [14]
puram, et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre? ».

[10] *Caritatem* Dominus mandatum « suum » et mandatum « novum » appellat, tum propter illimitatam eius applicationem, tum propter eius ad Christum assimilationem, tum propter Christi Spiritum qui eam influit. Cf. Io. 13, 34: « Ut diligatis invicem sicut dilexi vos ». 1 Io. 3, 16: « Et nos debemus pro fratribus animas ponere ». Io. 17, 21: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis (unum) sint ». Mt. 25, 40: « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis ». Rom. 5, 5: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ».

[11] Connexio materiae in eo est quod *diffusio fidei* in Scripturis proponitur ut actus quasi liturgicus, ideoque velut sacerdotalis. Cf. etiam Rom. 15, 16; 1 Pt. 2, 9, necnon Mt. 5, 14-15, de lumine mundi. De unctione Spiritus qui omnes docet, praeter Io. 6, 45, cf. etiam 1 Io. 2, 20 et 27; 1 Cor. 2 ,15.

De infallibilitate totius Ecclesiae in credendo, cf. Schema I de Ecclesia Christi, cap. 9, pro Concilio Vaticano I praeparatum: MANSI 51, 542, necnon notam adiectam, ex Bellarmino desumptam, quae allata est supra, capite II, sub nota 48. Advertatur insuper in Constit. II, cap. VII, canon 9: MANSI 53, 316 D.

[12] S. AUGUSTINUS, *De Praed. Sanct.* 14, 27: PL 44, 980.

Sensus fidei igitur non tantum apud laicos, sed in tota communitate invenitur, cointellecta hierarchia. Cf. celebrem textum TERTULLIANI, in *Praescr. Haer.* 28: PL 2, 40, de testimonio omnium Ecclesiarum sub ductu Spiritus veritatis. S. BASILIUS Eunomio exprobrat quod testimonium multitudinis de divinitate Spiritus Sancti despicit. *Adv. Eun.* III, 1: PG 29, 653: « ... non putat in simplici ac nuda multorum (tôn pollôn) fide perma-

[14] nere... Nam multorum (tôn pollôn) opinione contempta, qua Spiritum Sanctum glorificant... ». Similiter S. GREGORIUS NAZIANZ. testimonium martyrum et antistitum invocat, *Epist.* 102, 2, ad Cledon.: PG 37, 200.

S. AUGUSTINUS pro baptizandis pueris arguit ex « christianorum populorum concordissima fidei conspiratione », *Epist.* 194, 7: PL 33, 885. *C. Iulianum,* I, 7, 31: PL 44, 662: « ... non est talis quaestio, quae possit etiam cognitionem fugere popularem. Divites et pauperes, excelsi atque infimi, docti et indocti, mares et feminae noverunt quid cuique aetati in baptismo remittatur ». *Op. impf. c. Iul.* I, 19: PL 45, 1058: « multitudinem christianam in utroque sexu fidem catholicam non latere.... ». *Ib.* I, 33; col. 1062: « Plebecularum, quas irrides, catervae, noverunt catholicam fidem, qua a Salvatore salvari confitentur infantes ». Similiter S. Doctor argumentum desumit ex « episcoporum serie et tot populorum consensione », *C. Faustum,* 11, 2: PL 42, 246; et *De Don. Pers.* 23, 63: PL 45, 1031, invocat testimonium Ecclesiae orantis.

Cf. etiam VINCENTIUS LERIN., *Commonitorium,* 24: PL 50, 670, et CASSIANUS, *De Incarn.* I, 6: PL 50, 29.

[13] Inde est quod PIUS IX, pro Immaculata Conceptione, et PIUS XII, pro B. Mariae V. Assumptione, etiam de fide populi exquisiverunt.

[15] [14] *Charisma* est apud Paulum appellatio latissima, quae etiam, vel immo praecipue ministeria stabilia comprehendit; cf. Rom. 12, 6-13; 1 Cor. 12, 7-11 et 28-31; 14, 2 ss.; 16, 15-16; Eph. 4, 11-12. Vox intelligitur de donis variis, quae passim a Spiritu Sancto, cum quadam libera regularitate, sive ministris sive fidelibus tribuuntur. Charismata non semper indolem miram vel spectabilem induunt, ut in miraculis, linguis, apparitionibus, etc.; sed donum advertitur etiam in caritate et in quacumque donatione particulari, cuius influxus beneficus in communitatem redundat.

[15] Cf. PIUS XII, Alloc. *Six ans se sont écoulés,* 5 oct. 1957: AAS 49 (1957) p. 927. De « mandato », missione canonica, etc., cf. Decretum de Apostolatu laicorum, cap. II, nota 3.

[16] Quia laici praedictum *onus* et *officium* habent, ideo eis *ius* competit officium illud exsequendi.

[17] *De divisione materiae* in hac paragrapho notetur, quod non instituitur secundum varias formas apostolatus, sed secundum varia obiecta, quae ab activitate salutari et apostolica laicorum attinguntur. Sunt autem:

a) res et actiones proprie *religiosae,* ut oratio, cultus, diffusio fidei, etc. Laici enim non sunt homines profani, sed membra Ecclesiae in mundo profano; unde characterizantur imprimis, non per opera saecularia, sed per operosam participationem in activitate Ecclesiae.

b) actiones quibus religio indirecte promovetur, scilicet quibus ex una parte meliores condiciones pro diffusione fidei et activitate Ecclesiae, etiam in ordinatione civitatis terrenae, parantur; et ex altera parte, *valores morales* provehuntur.

c) activitates *mere profanae,* quae scilicet ratione obiecti sui neque religiosae sunt, neque sub ratione moralitatis et peccati, sed in specificis suis principiis considerantur, v. g. labor, oeconomia, cultura, politica, etc. Et istae activitates ad Deum tanquam ad ultimum finem respicere debent et hoc modo « consecrari », ratione personae agentis, quin ex suo tem-

porali ordine exeant. A. v. earum indoles propria, ad bonum temporale directa, integre servari debet, ut *confusio* inter res religiosas et res temporales praecaveatur, simul tamen etiam *separatio* vitetur, qua valores terrestres ut totaliter independentes et absoluti efferrentur. [15]

[18] Activitas igitur religiosa laicorum non est mere occasionalis et *suppletiva,* sed ordinaria et regularis. Quidam laudabiliter apostolatum pleni temporis cum dedicatione totali suscipiunt. Sed omnibus competit cooperatio ad diffundendam fidem et gratiam.

Munus *doctrinale* laicorum impletum invenimus a doctoribus laicis antiquis, v. g. S. Iustino, Aristide, Arnobio, Lactantio, Boetio, Cassiodoro, etc., necnon a modestioris condicionis christianis, de quibus Celsus apud ORIGENEM, *C. Celsum,* III, 55: PG 11, 994. Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 71, a. 4, ad 3: « Instructio conversiva ad fidem... potest competere cuilibet praedicatori, vel etiam cuilibet fideli ».

[19] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Quadragesimo Anno,* 15 maii 1931: AAS 23 (1931) p. 221 s. PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* 14 oct. 1951: AAS 43 (1951) p. 790 s.

[20] Laici, qui in saeculo ipso vivunt, *ad bonum communitatis temporalis* honesto et generoso animo cooperari debent, et simul per gratiam, qua personaliter gaudent, huiusmodi actionem intrinsecus sanctificare et [16] supernaturaliter efficacem reddere debent, quin eam ab immediata sua finalitate temporali abducant. Ita, ut scribit *Epist. ad Diognetum,* 6: « quod est in corpore anima, hoc sunt in mundo christiani », FUNK, *Patres Apostolici,* p. 400. S. IO. CHRYSOSTOMUS christianis applicat parabolam de fermento in farina abscondito, quo agglutinati et iuncti cum impugnantibus eos, ipsos superabunt, *In Mt. Hom.* 46 (47), 2: PG 58, 478.

[21] Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885: ASS 18 (1885) p. 166 ss. Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: ASS 22 (1889-90) p. 397 ss. PIUS XII, Alloc. *Alla vostra filiale,* 23 mart. 1958: AAS 50 (1958) p. 220. Ita statuitur differentia inter tendentiam servandi legitimam autonomiam societatis civilis, et completam saecularizationem, religioni adversam.

[22] CIC, can. 682.

[23] Cf. PIUS XII, Alloc. *De quelle consolation,* l. c. p. 789: « Dans les batailles décisives, c'est parfois du front que partent les plus heureuses initiatives ». IDEM, Alloc. *L'importance de la Presse catholique,* 17 febr. 1950: AAS 42 (1950) p. 256.

[24] Citationes S. Scripturae hic allatae, in contextu suo, ad omnes fideles diriguntur.

[25] *Ratio oboedientiae* non ex sanctitate personali neque ex scientia praepositi desumitur, sed ex motivo religioso, scilicet ex eo quod pastores munere suo sacro Christi auctoritatem repraesentant. Textus Eph. 6, 5-6, qui de servis et dominis agit, a fortiori de fidelibus erga praepositos religiosos valet.

[26] In sententia proposita adest indicatio SS. Trinitatis, de qua in capite I, de mysterio Ecclesiae, agitur.

[27] Licet ergo clerici et religiosi quamdam activitatem « laicalem »

[16] aliquando exerceant, praesertim ad certas deficientias complendas, a. v. per modum suppletivum, universaliter tamen loquendo pro huiusmodi activitate laicis substitui nequeunt.

COMMENTARIUS

Introductio, n. 22, nexum indicat cum cap. I et II, et statuit generale principium cooperationis totius Populi Dei in universali missione Ecclesiae.

Expositio 5 paragraphis constat, nempe de varietate membrorum in Ecclesia, de sacerdotio universali christifidelium, de vita et vario apostolatu laicorum, de eorum relatione ad hierarchiam; quibus subsequitur Adhortatio.

N. 23: *Consideratio generalis* de varietate membrorum in Populo Dei. Fundamentalis est aequalitas omnium in dignitate christiana, dum ipsa diversitas ad unam omnium salutem tendit. Speciatim autem Concilium illos considerat qui sensu vulgato « laici » dicuntur: describuntur concrete et quaestiones de determinatione canonica non dirimuntur.

N. 24: *De sacerdotio universali.* Dignitas illa, quae omnibus christifidelibus competit, secundum placita S. Scripturae exponitur. Nititur autem
[17] in sacramentis christianae initiationis, et pro laicis specialem applicationem in matrimonio et familia christiana inducit.

Cum sacerdotio universali connectuntur, tum *sensus fidei* totius communitatis sub assistentia Spiritus Sancti et ductu magisterii, tum varia *charismata,* quae ad mira et extraordinaria non restringuntur, sed omnia dona Spiritus Sancti ad aedificationem Ecclesiae comprehendunt.

N. 25: *De vita et apostolatu laicorum.* Laici officium et ius habent in opere salutifero Ecclesiae cooperandi, sive actionem religiosam exercendo, sive valores morales promovendo, sive opera saecularia sanctificando. De ordine temporali, Concilium relativam autonomiam civitatis terrenae tuendam, et infensum laicismum reprobandum esse docet.

N. 26: *De laicorum ad Hierarchiam relatione.* Imprimis describitur quomodo laici cum praepositis suis positive collaborare, et quomodo Pastores eorum coeptis et desideriis respondere oporteat. Deinde exponuntur necessitas et indoles religiosa oboedientiae laicorum erga Hierarchiam.

N. 27: *Adhortatio finalis.* Concilium denique omnes fideles ad praefata officia, pro aedificatione Ecclesiae et gloria SS. Trinitatis adimplenda, evocat et confortat.

Caput IV [18]

DE VOCATIONE AD SANCTITATEM IN ECCLESIA

28. [*Prooemium*]. In mysterio Ecclesiae, quod a Sancta Synodo sollemniter mundo annuntiatur, omnes, sive ad Hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur. Filius enim, qui secundum aeterni Patris consilium ad homines in terra venit, « ut vitam habeant et abundantius habeant » (Io. 10, 10), universos ad plenam perfectamque adoptionem filiorum elevat eosque benedictionibus caelestibus replet, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei, in laudem gloriae gratiae suae (cf. Eph. 1, 3-6); quosdam autem inter illos benigne eligit, ut per statum vitae, ab Ecclesia sancitum, huius universalis vocationis ad Regnum caelorum praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum.

29. [*De universali ad sanctitatem vocatione*]. Omnis perfectionis divinus Magister et Exemplar, Dominus Iesus, sanctitatem vitae, cuius Ipse et auctor et consummator exstat, omnibus et singulis hominibus cuiuscumque condicionis praedicavit dicens: « Estote ergo vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (Mt. 5, 48).[1] Sanctitatis autem viam omnibus Eum sincere sequentibus per Spiritum Sanctum aperire desiderans, unum universaleque mandatum dedit, ut Deum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente et ex tota virtute sua (cf. Mc. 12, 30), et proximum diligant sicut Ipse usque in finem suos dilexit (cf. Io. 13, 1, 34).[2] Cunctis proinde perspicuum est, Dominum omnes discipulos ad plenam vitae christianae et caritatis perfectionem, id est ad sanctitatem vocare.

Proinde pro omnibus et singulis, cuiusvis status vel ordinis, sive in saeculo sive in religione degentibus, una est christiana sanctitas,[3] quae in fide et baptismate incohata, gratuita excitante et adiuvante Dei gratia, in abundantes fructus excrescit, sicut Ecclesiae historia Sanctorumque vita luculenter commonstrant. Omnes ergo christifideles ad caritatem perfectam vires secundum mensuram donationis Christi acceptas extendant, ut Eius vestigia sequentes sese gloriae Dei et servitio proximi toto animo devoveant.

[19] 30. [*De multiformi unius sanctitatis exercitio*]. In variis vitae generibus et officiis una sanctitas excolitur. Sacra Synodus imprimis utriusque cleri sacerdotes enixe et peramanter hortatur, ut ad imaginem ordinis Episcoporum, qui in condicione vocationis ad perfectum caritatis pastoralis exercitium constituuntur,[4] et cum quibus Presbyteri omnes in uno eucharistico sacrificio coniunguntur, ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant ad totius populi sanctificationem. Sic enim, ut Sancti Patres docent, ad perfecte Deum amandum proximumque perfecte propter Ipsum, ascendere possunt,[5] aemuli illorum sacerdotum qui, saeculorum decursu, in humili saepe et abscondito servitio, praeclaram sanctitatis propaginem reliquerunt. Missionis autem et gratiae episcopalis participes sunt inferioris quoque ordinis ministri, immo latiore sensu etiam a Deo electi laici, qui, ut plene se dedant apostolatus operibus, ab Episcopo vocantur.[6]

Libenter etiam coniuges parentesque alloquitur Sacra Synodus, ut amore fideli se invicem in vita gratiae sustineant, et prolem amanter a Deo acceptam christiana mente et evangelicis virtutibus imbuant. Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant et fecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores exsistunt, in signum illius dilectionis qua Christus Sponsam suam dilexit Seque pro ea tradidit (cf. Eph. 5, 25).[7]

Denique pro omnibus christifidelibus supernas vires a Deo adprecatur, ut iidem in arduo sanctitatis itinere magno animo progrediantur; qua fervida fidelitate gratiam, vi cuius filii Patris, fratres Christi et templum Spiritus Sancti efficiuntur, fidelius servent eamque copiosioribus fructibus fecundam reddant ad Sanctissimae Trinitatis gloriam. Quo magis insuper crescit eorum sanctitas, eo clarius etiam Christi mysterium in Ecclesia revelabitur ut signum et medium sanctitatis pro mundo, necnon ut fermentum impensioris spiritualis vitae in mundo.

31. [*De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis*]. Sanctificationis forma et finis est amor Dei super omnia et operosa proximi dilectio. Unde mandatum dilectionis Dei et proximi ab ipso Domino pro omnibus proclamatur ut primum, maximum et necessarium, in cuius cotidiano opere perfectio usque ad plenitudinem exseritur. Caritas enim, quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur (cf. Rom. 5, 5), sacris et sacramentalibus actionibus et sedula, iuxta uniuscuiusque statum, mandatorum ob-

servantia et omnium virtutum exercitatione augetur et crescit.[8] [20]

Inter sanctificationis media, quae omnia a caritate procedunt et reguntur, praeclara exstant *consilia* quae *evangelica* inde ab antiquis temporibus appellari consueverunt, quae etsi perfectionem non constituunt, ad caritatis tamen fervorem maxime conferunt. Inter multa quae in Evangelio proponuntur, tria in Ecclesiae doctrina et usu peculiariter extolluntur.[9] *Paupertas* scilicet, quae in signum praestantiae bonorum Regni caelestis et actuosum fraternitatis christianae testimonium, in filiorum Dei libertate adsumitur.[10] Deinde virginitas propter Regnum caelorum seu *Deo dicata castitas,* quae quibusdam a Patre datur (cf. Mt. 19, 11), tamquam signum quo quis se Deo totum devovet, propter ipsum solum dilectum, et simul tamquam principium spiritualis fecunditatis in mundo.[11] Denique totalis subiectio Deo divinaeque ordinationi in *oboedientia* erga praepositum, nomine Christi animas dirigentem.[12] Tria praedicta consilia, ab Ecclesia enixe commendantur, propter eorum ad sanctificationem momentum atque pondus, praesertim quia christiani per eorum praxim ad Domini vitae terrestris formam et genus propinquius accedunt.

Quamobrem christifideles, qui omnes ad sanctitatem vitae invitantur et obligantur, non omnes tamen ad consiliorum evangelicorum praxim reapse vocantur, nisi secundum proprium charisma et prudentes caritatis normas. Sed omnes ad hoc tendere debent ut in usu mundanarum rerum sic eorum rectos affectus in rem deducant, ut a caritate perfecta prosequenda minime impediantur, monente Apostolo: « qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur » (1 Cor. 7, 31).[13] Gaudet autem Ecclesia plures in sinu suo inde ab antiquitate exstitisse ab ea laudatos anachoretas, continentes, virgines ac viduas.[14] Plures enim fuerunt omni tempore et adhuc sunt viri et mulieres qui haec consilia, vel quaedam vel omnia, excitante Dei gratia, privatim observant, etiam aliquando voto obstricti, sese toto corde Deo summe dilecto consecrantes et servitio diffusionis amoris dedicantes, sive contemplatione, sive apostolicis laboribus susceptis, sive spiritualibus exhortationibus sparsis.[15]

32. [*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*]. Ad consilia evangelica, in verbis et exemplis Domini fundata, ab Apostolis et Patribus, Ecclesiaeque doctoribus et pastoribus commendata, plures christiani vocati accedunt, immo praxim eorum instituunt in stabili vivendi forma, ab Ecclesia sancita, quae sta-

[21] tus perfectionis acquirendae vocatur. Quae institutio, velut arbor ex germine divinitus dato mirabiliter et multipliciter in agro Domini crescit et ramis diffunditur.

Status huiusmodi, ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis, non est intermedium quid inter clericalem et laicalem condicionem, sed ex utraque parte christifideles quidam a Deo vocantur, ut in Ecclesiae mysterio peculiari dono fruantur et servitio mancipentur.[16]

33. [*De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia*]. Cum Christus sua vivendi forma exemplar sit omnium virtutum, ideo in Ecclesia, in qua mysterium Eius indesinenter viget et operatur, numquam deerunt qui consilia evangelica expresse profitebuntur. In Ecclesia enim plenior illa abnegatio, quae in horum consiliorum professione continetur, dum Christi exinanitionem et crucem pressius imitatur, novam vitam redemptione Christi acquisitam manifestius per proprium statum significat et resurrectionem et gloriam regni caelestis clarius praenuntiat.

Consiliorum professio est in Ecclesia Spiritus Sancti fructus pretiosus, eiusque sanctitatis peculiare testimonium, cum via praeclara sit amoris indivisi erga Deum (cf. 1 Cor. 7, 32-34), quo christifideles non solum interius sed exteriore quoque vitae ratione soli Christo adhaerent.

Ideo cum evangelica consilia suos asseclas, per caritatem ad quam ducunt,[17] Ecclesiae eiusque mysterio speciali modo coniungant, spiritualis horum vita bono totius Ecclesiae devoveatur oportet. Propterea consiliorum professio illos, quos Deus vocavit, praecelse adiuvat, ut sive prece, sive etiam actuosa opera, vitam Salvatoris, perenniter in Ecclesia praesentis, in se clarius exprimant.

Cum enim a Dei dilectione defluat ipse proximi amor, a professione sanctitatem sectandi derivat officium, cum ea intime connexum, pro viribus scilicet prece actuosaque opera laborandi ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum.

34. [*Sub auctoritate Ecclesiae*]. Cum ecclesiasticae auctoritatis munus sit populum Dei pascere et ad pascua uberrima ducere (cf. Ez. 34, 14), ad ipsam pertinet evangelica consilia, quibus perfectio caritatis erga Deum et proximum singulariter fovetur, fideliter explicare, eorumque publicam professionem legibus suis

sapienter moderari, sicut inde ab antiquitate pro coenobiis et [22] monasteriis provide fecit.[18] Quare Ecclesia, Spiritus Sancti impulsus docilis sequens, Regulas a praeclaris viris et mulieribus propositas cum laude recepit, et ulterius ordinatas authentice adprobavit; necnon Institutis ad perfectionem prosequendam passim erectis, ut omni modo crescant atque floreant, auctoritate sua invigilante et protegente, semper et ubique adfuit.

Quo autem melius necessitatibus totius dominici gregis provideatur, Romanus Pontifex, ratione sui in universam Ecclesiam primatus, quodcumque perfectionis Institutum ac sodales singulos, intuitu utilitatis communis, sibi soli subiicere atque ab Ordinarii loci iurisdictione eximere potest.[19] Quod attinet ad ipsos sodales, iidem in officio erga Ecclesiam ex peculiari suae vitae forma adimplendo, reverentiam et oboedientiam, iuxta canonicas leges, praestare debent Episcopis, ob eorum in Ecclesiis particularibus auctoritatem pastoralem et ob necessariam in labore apostolico unitatem et concordiam.[20] Peculiari enim vocatione sua constituti sunt validi et propinqui Sacrae Hierarchiae ac ministrorum cooperatores necnon fidelium adiutores in Regno Christi provehendo et stabiliendo. Exemplis autem et laboribus suis omnia Ecclesiae membra ad legem caritatis impigre sectandam efficaciter attrahere possunt ac debent.

35. [*Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum*]. Eo pluris evangelicorum consiliorum professio per se aestimanda est, quo intimior atque firmior fit Deo consecratio. In singulis autem huius consecrationis meritum a caritate qua imperatur maxime pendet. Professio vero publica, in suis elementis constitutivis coram Deo et Ecclesia considerata, melior est cum ligamine perpetuo quam cum vinculo temporaneo suscepta.[21] Dispari enim illa firmitate diverso etiam gradu quis vivendi formam Christi et Sanctae Ecclesiae, cum Sponso suo indissolubiliter unitae, in oboedientia, paupertate et sacra virginitate imitatur.

Omnes tandem christifideles perspectum habeant, consiliorum evangelicorum praxim, quamvis renuntiationem secum ferat quorumdam bonorum certo laudabilium, vero profectui personae humanae tamen non obstare sed summopere prodesse.[22] Consilia enim, in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem suscepta, ad affectuum humanorum purificationem et spiritualem libertatem non parum conferunt, fervorem caritatis iugiter excitant, variis modis humanae societati promovendae prosunt, et

[23] praesertim ad vitae genus, quod pro se elegit Christus Dominus, quodque Mater Eius virgo subsecuta est, hominem christianum magis conformant.

36. [*Conclusio*]. Idcirco Sacra Synodus in nomine Domini confirmat ac laudat innumeros viros ac mulieres, Fratres ac Sorores, qui fideli et humili praxi praedictae consecrationis Sponsam Christi condecorant omnibusque hominibus generosa atque diversissima servitia praestant.

Meminerint ergo omnes peculiariter vocati, suum esse commune in caritate officium ut per ipsos Ecclesia revera Christum in dies melius commonstret, vel in monte contemplantem, vel ad turbas concionantem, vel aegrotos et saucios sanantem ac peccatores ad bonam frugem convertentem, vel pueris benedicentem, vel denique omnibus benefacientem.[23]

Quoniam vero omnes fideles ad sanctitatem spiritu evangelico prosequendam tenentur, unusquisque sedulo curet, ut in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat atque magis excellat, ad maiorem gloriam Christi, qui omnis sanctitatis est origo et exemplar, et ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem.

NOTAE

[1] *Perfectus* est ille cui nihil in ordine morali deest; cuius plenitudinis Deus ipse est exemplar. Cf. Iac. 1, 4: « ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes »; ib. 3, 2; *Didachè,* 1, 4 et 6, 2; Funk, *Patres Apostolici,* p. 4 et 16; S. Ignatius M., *Ad Eph.* 15, 2: Funk, p. 224.

Secundum Origenem, *Comm. Rom.* 7, 7: PG 14, 1122, perfectio est similitudo cum Christo, quando quis « se per omnia Verbo ac Sapientiae Dei ita coaptavit, ut in nullo prorsus ab eius similitudine decolor haberetur ». Secundum Ps.-Macarium, *De Oratione,* 11: PG 34, 861, perfectio, qua significatur plena et absoluta puritas a malis affectibus per participationem boni Spiritus, omnibus a Domino praecipitur. Pro S. Thoma, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3, perfectio per se et essentialiter consistit in caritate, quae secundum totam suam plenitudinem est de praecepto.

[2] *Amor Dei et proximi* iam in Antiquo Testamento praescribitur, Deut. 6, 4-5 et Lev. 19, 18, et denuo proclamatur Mt. 22, 37, 40, et Lc. 10, 27. Amor Dei alium dominum excludit, Mt. 6, 24; amor vero proximi in regula aurea positive proponitur, Mt. 7, 12, et ad ipsos inimicos extenditur, Mt. 5, 43; Lc. 6, 28. Est legis impletio, Rom. 13, 8; dummodo fiat opere et veritate, 1 Io. 3, 18. Cf. S. Clemens Rom., *Ad Cor.* 49: Funk, p. 162.

Mandatum novum, Io. 13, 34, quod veteri caduco substituitur, fundatur in amore *Christi,* qui omnia renovat, 2 Cor. 5, 17, in vera sanctitate et iustitia, Eph. 4, 24. De hac « novitate », cf. supra, cap. III, nota 10. [24]

[3] *De universali vocatione ad sanctitatem,* cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Rerum omnium* (de S. Francisco Salesio) 26 ian. 1923: AAS 15 (1923) p. 50: « Nec vero quisquam putet ad paucos quosdam lectissimos id pertinere, ceterisque in inferiore quodam virtutis gradu licere consistere. Tenentur enim hac lege, ut patet, omnino omnes, nullo excepto... ». Ib. pp. 59-60: « ... ut populus intelligat, vitae sanctimoniam haud esse singulare beneficium, quod aliquibus concedatur, ceteris posthabitis, sed communem omnium sortem et commune officium ». Notus est textus S. FRANCISCI SALESII, *Introduction à la vie dévote,* L. 1, c. 3: « une hérésie, de vouloir bannir la vie dévote de la compagnie des soldats, de la boutique des artisans, de la cour des princes, du ménage des gens mariés. Il est vrai, Philothée, que la dévotion purement contemplative, monastique et religieuse, ne peut être exercée en ces vocations-là. Mais aussi, outre ces trois sortes de dévotions, il y en a plusieurs autres, propres à perfectionner ceux qui vivent dans les états séculiers... Où que nous soyons, nous pouvons et devons aspirer à la vie parfaite ».

PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930: AAS 22 (1930) p. 548: « Omnes cuiuscumque sunt condicionis et quamcumque honestam vitae rationem inierunt, possunt ac debent imitari atque, Deo adiuvante, ad summum quoque christianae perfectionis fastigium, ut complurium Sanctorum exemplis comprobatur, pervenire ». PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: AAS 40 (1947) p. 117. IDEM, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: AAS 43 (1951) pp. 27-28. IDEM, Alloc. *Nel darvi,* 1 iul. 1956, ad sodales Tertii Ordinis S. Francisci: AAS 48 (1956) p. 574 s.

[4] Ad *statum perfectionis* solemniter et definitive consecratur *Episcopus* ex pastorali officio, « ad quod pertinet ut animam suam ponat pastor pro ovibus suis », S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 184, a. 5. Cf. ib. a. 6, et *De Perf. Vitae Spir.,* c. 18. « Qui vocatur ergo ad episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiae », ORIGENES, *In Is. Hom.* 6: PG 13, 239.

Comparatur Episcopus ad Religiosos sicut perfector ad perfectos, S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 184, a. 7; q. 186, a. 5, ad 3; q. 188, a. 1, ad 3. Cf. Ps. DIONYSIUS, *Eccl. Hier.,* cap. 5, n. 5 ss.: PG 3, 505.

[5] *Sacerdotes* per exercitium sui ministerii etiam seipsos sanctificant. Quomodo de missione et caritate Episcopi participant, dictum est supra, cap. II, num. 15, cum nota 22.

De obligatione peculiari sacerdotum ad sanctitatem, cf. S. PIUS X, Exhort. *Haerent animo,* 4 aug. 1908: ASS 41 (1908) p. 560 s. *Cod. Iur. Can.,* can. 124. PIUS XI, Litt. Encycl. *Ad Catholici Sacerdotii,* 20 dec. 1935: AAS 28 (1936) p. 22 s.

[6] Agitur hic praesertim de *diaconis* et deinde de illis *laicis,* qui ad apostolatum cum totali dedicatione adsumuntur. Hi ultimi, quamvis ad statum canonicum perfectionis non pertineant, nullo tamen elemento constitutivo perfectionis carent, ut dicit PIUS XII, Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957: AAS 50 (1958) p. 36.

[25] [7] *Coniuges et parentes* hic sub ratione sanctitatis considerantur. De eorum apostolatu, cf. supra, cap. III, nota 8. De coniugatis legatur S. Io. CHRYSOSTOMUS, *In Eph. Hom.* 20: PG 62, 136 ss. Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* l. c. p. 548 s.: Coniuges: « per mutuam vitae consortionem in virtutibus magis magisque in dies proficiant, et praecipue in vera erga Deum proximosque caritate crescant, in qua denique universa Lex pendet et prophetae... Haec mutua coniugum interior conformatio, hoc assiduum sese invicem perficiendi studium, verissima quadam ratione, ut docet Catechismus Romanus, etiam primaria matrimonii causa et ratio dici potest, si tamen matrimonium non pressius ut institutum ad prolem rite procreandam educandamque, sed latius ut totius vitae communio, consuetudo, societas accipiatur ».

[8] Primum et principale medium ad sanctitatem est *amor Dei et proximi,* qui amor est simul *forma* et *finis* sanctitatis, secundum 1 Tim. 1, 5: « Finis autem praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta ». Cf. S. AUGUSTINUS, *Enchir.* 32: PL 40, 288: « Quaecumque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, Non moechaberis (Exod. 20, 14; Mt. 5, 27); et quaecumque non iubentur, sed spirituali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere (1 Cor. 7, 1): tunc recte fiunt, cum referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum ». Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 44, a. 2; q. 184, a. 1.

Intelligitur mandatum caritatis ut complectens proprios actus et *omnes virtutes,* secundum Mt. 7, 12; 22, 40; Io. 14, 21; Rom. 13, 10; 1 Cor. 13, 4 ss., Col. 3, 15. Cf. PIUS XII, Adhort. Apost. *Menti nostrae,* 23 sept. 1950: AAS 42 (1950) p. 660: « Ex Divini Magistri sententia, christianae vitae perfectio caritate erga Deum, erga proximos potissimum innititur, quae tamen flagrans, studiosa, operosa sit. Ea enim, si ita conformatur, omnes quodammodo amplectitur virtutes; atque adeo iure meritoque " vinculum perfectionis " dici potest ».

[9] *De notione consilii* in genere, cf. ORIGENES, *Comm. in Mt.* X, 14: PG 14, 1275 B: « Praecepta donantur, ut debita persolvamus... Ea vero quae supra debitum facimus, non facimus ex praeceptis. Verbi causa, virginitas non ex debito solvitur, neque enim per praeceptum expetitur, sed supra debitum offertur ». S. AUGUSTINUS, *De S. Virginitate,* 15, 15: PL 40, 402: « Praeceptum est enim hoc, cui non oboedire peccatum est; non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis ». Consilia pertinent ad bene esse virtutis perfectae: S. THOMAS, *Summa Theol.* I-II, q. 100, a. 2. Ad perfectionem caritatis ordinantur: II-II, q. 44, a. 4, ad 3. Cf. expositionem generalem, ib. q. 184-189.

[10] *De paupertate,* cf. Mt. 5, 5 et 19, 21; Mc. 10, 21; Lc. 18, 22, de iuvene qui a Domino invitatur ut omnia bona temporalia derelinquat ad Christum sequendum. Quae vocatio quidem particularis est, sed simul valorem typicum pro aliis induit.

Libertas a thesauris mundi omnibus commendatur: Mt. 6, 19-21; 8, 20; Lc. 12, 33-34; Iac. 5, 2-3.

In laudem paupertatis abundant Patres. CLEMENS ALEX., *Quis dives,* 11 s.: PG 9, 615 s. ORIGENES, *In Mt. Hom.* 15, 16: PG 13, 1300 A.

S. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 11: PL 4, 449 s. S. ATHANASIUS, *Vita Antonii,* 2: PG 26, 841 s. S. HIERONYMUS, *Epist.* 108, 15: PL 22, 891: « Illa [nempe Paula] ardentior fide, toto Salvatori animo iungebatur, et pauperem Dominum pauper spiritu sequebatur, reddens ei quod acceperat, pro ipso pauper effecta ». IDEM, *Epist.* 125, 20; col. 1085: « Si perfecta desideras, exi cum Abraham de patria et de cognatione tua, et perge quo nescis. Si habes substantiam, vende et da pauperibus. Si non habes, grandi onere liberatus es; nudum Christum nudus sequere. Durum, grande, difficile; sed magna sunt praemia ». S. BASILIUS, *Serm. ascet.* 2, 1: PG 31, 881. S. NILUS, *De octo spir. malitiae,* 7: PG 79, 1152. [26]

[11] *De sacra virginitate,* propter regnum caelorum adsumpta, cf. Mt. 19, 11: « Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est », necnon 1 Cor. 7, 7 ss.

De praestantia virginitatis cf. TERTULLIANUS, *Exhort. Cast.* 10: PL 2, 925 C. ORIGENES, *In Lev. Hom.* 11, 1: PG 12, 529 D. S. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 3: PL 4, 443 A: « Nunc nobis ad virgines sermo est; quarum quo sublimior gloria est, maior et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa foecunditas ». IDEM, ib. 22; col. 461 A: « Quod futuri sumus, iam vos esse coepistis. Vos resurrectionis gloriam in isto saeculo iam tenetis, per saeculum sine saeculi contagione transitis ». Cf. tractatus S. ATHANASII et S. IO. CHRYSOSTOMI, *De Virginitate*: PG 28, 252 ss. et 48, 534 ss. BASILIUS ANCYR., *De Virg.* 2: PG 30, 672 B: « Magnum enim quiddam est revera virginitas, incorruptibili Deo, ut in summa dicam, similem efficiens hominem ».

[12] *De oboedientia.* Exemplum Christi effertur Io. 4, 34; 6, 38; Phil. 2, 8; Heb. 10, 5-7. Secundum Patres, « oboedientia quae maioribus exhibetur, Deo exhibetur », ut dicit S. BENEDICTUS, *Regula,* 5: PL 60, 349. Cf. ib. 63; col. 672: « Abbas autem, quia vices Christi creditur agere, dominus et abbas vocetur, non sua assumptione, sed honore et amore Christi ». CASSIANUS, *Instit.* 12, 32 et *Collat.* 24, 26: PL 49, 475 et 1327. In oboedientia caritas fulget: GREGORIUS M., Mor. XXXV, 14, 32: PL 76, 768.

[13] Praxis effectiva consiliorum *non omnibus imponitur*: S. IO. CHRYSOSTOMUS, *In Mt. Hom.* 7, 7: PG 57, 81: « Neque enim prohibeo nuptias, nec voluptatem prorsus interdico, sed cum castitate id fieri peropto, non cum probro, culpa et sexcentis reatibus. Non praecipio montes et solitudines adire, sed benignum esse, modestum et castum eum qui media in urbe habitat » S. AMBROSIUS, *De viduis,* 4, 23: PL 16, 241 s.: « Docemur itaque triplicem castitatis esse virtutem: unam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis; non enim aliam sic praedicamus, ut excludamus alias. Suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesiae est opulens disciplina, quod quos praeferat habet; quos reiciat non habet, atque utinam habere nunquam possit! Ita igitur virginitatem praedicavimus, ut viduas non reiceremus; ita viduas honoramus, ut suus honor coniugio reservetur. Non nostra hoc praecepta, sed divina testimo-

[27] nia docent ». S. FRANCISCUS SALES., *Traité de l'Amour de Dieu,* VIII, 6, ed. Annecy, t. 5, 1894, p. 75 s.: « Dieu ne veut pas qu'un chacun observe tous les conseils, mais seulement ceux qui sont convenables selon la diversité des personnes, des temps, des occasions et des formes, ainsi que la charité le requiert... Les conseils sont tous donnés pour la perfection du peuple chrétien, mais non pour celle de chaque chrétien en particulier ». Consilia non sunt pro omnibus « actu », bene vero « secundum praeparationem animi »: S. THOMAS, *Summa Theol.,* II-II, q. 184, a. 7, ad 1. Cf. ib. q. 44, a. 4, ad 3.

[14] *De antiquis ascetis.* Anachoretae, continentes, virgines, viduae consilia evangelica profitentur, quin proprie dictum institutum erigant; remanent tamen sub vigilantia et protectione Ecclesiae. De quibus cf. ROSWEYDUS, *Vitae Patrum, Antverpiae,* 1628. *Apophtegmata Patrum,* PG 65. PALLADIUS, *Historia Lausiaca,* PG 34, ed. C. BUTLER, Cambridge, 1898, 1904. Documenta reperiuntur apud R. DRAGUET, *Les Pères du Désert,* Paris, 1949; P. DE MEESTER, *De monachico statu iuxta disciplinam byzantinam,* Romae, 1942, pp. 70-76 et 312 s. Cf. ib. p. 70 s.: « Hesychasta est qui solus soli adloquitur Deo et continuo eum exorat ». CLEMENS ALEX., *Strom.,* III, 1: PG 8, 1103. ORIGENES, *In Ier.* Hom. 19, 7: PG 13, 517. CYPRIANUS, *Hab. Virg.* 4: PL 4, 455 s.

PIUS XII, Alloc. *Nous sommes heureux,* 11 apr. 1958: AAS 50 (1958) p. 283: « Même avant la paix constantinienne, des chrétiens fervents fuyaient déjà le monde et se livraient dans la vie privée aux pratiques de l'ascèse, tandis que d'autres recherchaient au désert le renoncement total aux délices d'une civilisation corrompue. L'exemple surnaturel de quelques grandes figures, comme saint Paul ermite et saint Antoine, entraîna dans les solitudes de la Thébaïde, ou dans les Laures de la Palestine et de la Syrie, des troupes toujours plus nombreuses d'imitateurs, qui devinrent les fils spirituels de ces premiers Pères du désert ». Cf. PIUS XI, Const. Apost. *Umbratilem,* 8 iul. 1924: AAS 16 (1924) pp. 386-387.

[15] Antiqui et recentes ascetae vel contemplatione « soli Deo vacant », ut dicit S. GREGORIUS M., *Dial.* I, 8: PL 77, 185; vel insuper opera apostolica et caritativa suscipiunt, vel tamquam consiliarii in rebus spiritualibus fideles instruunt. Huius ultimi typi sunt, praesertim in oriente, « Patres spirituales », de quibus cf. v. g. S. BASILIUS M., *Serm. de renunt. saeculi,* 2: PG 31, 632: « Magnopere cura et provide, ut virum tuae vitae tutissimum ducem reperias, probe edoctum conducere eos qui ad Deum pergunt ». Multum insistunt antiqui in oboedientiam erga hunc rectorem conscientiae, v. g. S. BASILIUS M., *Serm. asc.* 2, 2: col. 884 C. *Constit. monast.* 19: col. 1387-1390. S. IO. CLIMACUS, *Scala Parad.,* 4: PG 88, 706 C.

Pro vita activa, praesertim ad exhortationem, praeexigitur cognitio contemplativa, secundum S. THOMAM, 3 *Sent.* d. 35, q. 1, a. 3, sol. 2. Contemplatio enim vitam activam dirigere debet: *Summa Theol.* II-II, q. 182, a. 4, ad 2.

[16] *Sive clerici sive laici* in statum religiosum ingredi possunt: *Cod. Iur. Can.* can. 487 et 488, 4°. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: AAS 43 (1951) p. 27 s. Idem valet pro Institutis Saecularibus:

PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* 2 febr. 1947: AAS 39 (1947) p. 120: lex peculiaris, art. 1. [28]

[17] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 184, a. 3 et q. 188, a. 2. S. BONAVENTURA, Opusc. XI, *Apologia pauperum,* c. 3, 3, ad Claras Aquas, t. 8, 1898, p. 245 a.

[18] De transitu vitae anachoreticae ad *coenobiticam,* cf. PIUS XII, Alloc. *Nous sommes heureux,* l. c., p. 284 s. Regulae monasteriorum in oriente et occidente a magnis fundatoribus, v. g. Pachomio, Basilio, Augustino, Benedicto, propositae, ab Ecclesia approbatae et pedetentim ulterius determinatae sunt.

De laude vitae monasticae, praesertim coenobiticae, cf. S. GREGORIUS NAZIANZ., *Orat.* 6, 2: PG 35, 721 ss.; ib. 21, 19: col. 1101 s.; *Orat.* 43, 62: PG 36, 576. S. IO. CHRYSOSTOMUS, *Adv. oppugn. vitam monast.,* 3, 11: PG 47, 366. S. NILUS, *Epist.* 3, 40: PG 79, 388. S. HIERONYMUS, *Epist.* 125, 15: PL 22, 1080 s. THEODORETUS, *Religiosa Hist.* 5: PG 82, 1353. CASSIANUS, *Instit.* II, 5: PL 49, 84-88, et *Collat.* 18, 5: col. 1094 B - 1100 A, monachismum e communitate primitiva « apostolica » deducit, secundum EUSEBIUM CAES., *Eccl. Hist.* II, 17: PG 20, 173-184. Quae affirmatio, non secundum continuitatem historicam, sed secundum aliquam spiritualem filiationem admittitur.

De legislatione ecclesiastica, cf. CONC. VATIC. I, Schema *de Ecclesia Christi,* cap. XV, adnot. 48: MANSI 51, 549 s. et 619 s. LEO XIII, Epist. *Au milieu des consolations,* 23 dec. 1900: ASS 33 (1900-01) p. 361. PIUS XII, Const. Apost. *Provida Mater,* l. c., p. 114 s.

[19] De *exemptione,* cf. LEO XIII, Const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881: ASS 13 (1880-81) p. 483. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950: AAS 43 (1951) p. 28 s.

[20] *De concordi cooperatione religiosorum in apostolatu,* cf. PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* l. c., p. 28: « Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munera exercere debet sua, ut Episcopo auxiliator adsit et subsit... Etenim ad normam iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt ». PIUS XII, Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* 31 maii 1956: AAS 48 (1956) p. 355.

[21] De *vinculo perpetuo.* Vinculum temporaneum suscipitur saepe per modum probationis, cum intentione perpetuae dedicationis, supposita Dei vocatione. Cum votis temporaneis, sacrificium non est totale: iamvero: « holocaustum est cum aliquis totum quod habet offert Deo », S. THOMAS, *Summa Theol.* II-II, q. 186, a. 7; S. GREGORIUS M. *In Ezech.* II. 8, 16: PL 76, 1037.

[22] Status religiosus *excolendae personalitati* prodest. Religiosus pro se quidem bonis temporalibus, vitae familiali et propriae voluntati renuntiat, sed nonnisi propter Deum, summum valorem, et Deo ipso invitante et animum addente. Huiusmodi alacri abnegatione removet impedimenta quae caritatem retardant, triplicem nempe concupiscentiam (cf. 1 Io. 2, 16), et acquirit pretiosam libertatem ad servitium Dei et fratrum suorum.

Quam libertatem Patres exaltant, v. g. S. CYPRIANUS, *De Dom. Orat.* 20: PL 4, 551 B: « Eum dicit posse se sequi et gloriae dominicae

[29] passionis imitari, qui expeditus et succinctus, nullis laqueis rei familiaris involvitur, sed solutus ac liber facultates suas ad Dominum ante praemissas ipse quoque comitatur ». S. HIERONYMUS, loc. cit. supra sub nota 10. S. NILUS, *De octo spir. mal.* 17: PG 79, 1152 B: « Monachus, qui multa possidet, navigium est multis gravatum oneribus et in undarum tempestate facile submergitur; sicut enim navis, cuius exundat sentina, a quolibet perluitur fluctu, sic qui multa possidet, sollicitudinibus submergitur. Monachus absque possessione viator est expeditus inque omni loco diversorium invenit. Monachus qui nihil possidet, est aquila ad sublimia pervolans, qui tunc sese volatu ad alimentum demittit, quando necessitas coegerit ». Cf. S. THOMAS, *Contra Gentiles,* III, 130. *Summa Theol.,* I-II, q. 108, a. 4; II-II, q. 184, a. 3. *Contra retrah. a relig. ingressu,* cap. 6. *Quodl.* 4, a. 24. P. PHILIPPE, O. P., *Les fins de la vie religieuse selon S. Thomas,* Romae, 1962, praesertim p. 32 ss.

PIUS XII, Alloc. *Annus sacer,* 8 dec. 1950, l. c., p. 30, docet statum religiosum non esse salutis refugium timentibus et anxiis datum, sed magnum spiritum et se devovendi studium flagitare, ut historia luculenter demonstrat. Rursus, Alloc. *Sous la maternelle protection,* 9 dec. 1957; l. c., p. 39 s., docet vitam religiosam non infantilismum inculcare, sed hominis adulti perfectionem et dignitatem personalem exercitio caritatis augere.

[23] Cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mystici Corporis,* 29 iun. 1943: AAS 35 (1943) p. 214 s.

COMMENTARIUS

28. [*Prooemium*]. Indicata connexione cum capitibus praecedentibus, enuntiatur thema huius capitis IV, scilicet, in prima sectione, nn. 29-31, de universali vocatione ad sanctitatem pro omnibus membris Ecclesiae; et in altera sectione, nn. 32-36, de statibus perfectionis in Ecclesia.

SECTIO I

29. [*De universali vocatione ad sanctitatem*]. Perfectio sanctitatis, per mandatum caritatis prosequenda, omnibus patet, et eadem sanctitas quibuscumque statibus et ordinibus proponitur.

30. [*De multiformi unius sanctitatis exercitio*]. Non omnes sanctitatem eodem modo prosequuntur. Inter diversas categorias Concilium imprimis memorat utriusque cleri *sacerdotes,* ministros inferiores, necnon laicos qui servitio apostolatus plene mancipantur; qui omnes suo modo de missione et gratia Episcopi participant, seque etiam per exercitium sui muneris sanctificant. Deinde speciatim agit de sanctitate *coniugum et parentum* christianorum. Denique *universis* progressum in sanctitate commendat ad gloriam SS. Trinitatis et manifestationem mysterii Ecclesiae.

31. [*De mediis ad sanctitatem et consiliis evangelicis*]. Praeter mandatum caritatis, quae omnes virtutes continet, exstant in Evangelio consilia, quae ad perfectionem caritatis ordinantur. Inter quae paupertas, sacra virginitas et oboedientia ab Ecclesia extolluntur. Non omnes christiani ad

eorum praxim effectivam vocantur, sed omnes eo tendere debent, ut per usum temporalium rerum a caritate non retardentur. Gaudet autem Ecclesia, plures fuisse inde ab initio fideles, qui se praxi consiliorum dedicaverunt. [30]

Sectio II

32. [*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*]. Pro illis qui ad effectivam praxim consiliorum vocantur, institutus est in Ecclesia « status perfectionis acquirendae », sapientibus legibus sancitus; ad quem tum clerici tum laici ingredi possunt. In sequentibus ex professo de illis agitur.

33. [*De momento statuum perfectionis*]. Imprimis habent in Ecclesia valorem *signi,* scilicet caritatis transcendentis et eschatologicae atque expressioris imitationis Christi per ipsum statum vitae. In illo pretioso *fructu Spiritus Sancti* advertitur insigne *beneficium pro Ecclesia* et ex eo oritur *officium apostolicum* sedulo exercendum.

34. [*Sub auctoritate Ecclesiae*]. Ad auctoritatem Ecclesiae spectat regulas pro statibus perfectionis approbare et determinare. Si quando sodales ab auctoritate localis Ordinarii eximuntur, in opere tamen apostolico cum eo concorditer cooperari debent.

35. [*De aestimatione status religiosi*]. Magis aestimanda est consecratio perpetua quam temporanea. In omni casu professio religiosa de se non minuit, sed promovet christianam personalitatem.

36. [*Conclusio*]. In fine Concilium vitam religiosorum laudat, et omnes christifideles in quacumque vocatione sanctitatem prosequendam commendat.

2 – EMENDATIONES

A Concilii Patribus scripto exhibitae super schema Constitutionis dogmaticae De Ecclesia *

PARS I

Hic fasciculus Patribus distributus est die 29 septembris 1963, in secunda sessione publica.

1 – De titulo Constitutionis: dicatur « De Ecclesia *Christi* », de hac enim, non de aliis loquimur (Carli, Ep. Signin.).

N. 1. [*Introductio*]

2 – l. 1: Magis placeret citatio patristica: « Lux gentibus cum venerit Christus et sospitandis hominibus salutare lumen affulserit » [S. Cypr., *De unit. Eccl.*, c. 1] (Carli).

3 – l. 3: Omittenda verba: « in caligine huius saeculi viventes » (Carli).

4 – *ibid.*: Sufficit scribere: « in hoc saeculo viventes » (Card. Richaud, Archiep. Burdigalen.).

5 – *ibid.*: Loco: « in caligine », dicatur: « in umbra » (Welykyj, O.S.B.M., Protoarchim.).

6 – l. 6: Dicatur: « signum visibile et instrumentum » (Carli).

7 – l. 10: Dicatur: « illamque », loco: « illudque » (Patres Conciliares linguae germanicae et Conferentia Episcoporum Scandinava).

8 – l. 10-11: Omittatur: « sermone menti hodiernae accommodato » (Carli; Janssens, Praep. Gen. S. I.).

9 – l. 15: Dicatur: « plenam etiam unitatem supernaturalem in Christo » (Carli).

---

* Textus integri, a Patribus ad Concilii secretariam generalem missi, referuntur in *Appendice,* pp. 605 ss.

10 – *ibid.*: Addatur: « Et praesertim illi omnes, qui toto orbe terrarum dira paupertate premuntur, necnon illae laboriosae classes, quarum vitae condiciones hanc ipsam in Christo unitatem et religiosam praxim tam difficilem reddunt, se in caritate Christi et Ecclesiae eximiam partem habere sciant » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

CAP. I

DE ECCLESIAE MYSTERIO

11 – Titulus capitis: Magis placeret: « DE ECCLESIAE NATURA AC MISSIONE » (CARLI).

N. 2. [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]

12 – l. 16-21: Dicatur: « Deus, cum Amor sit aeternus, homines elegit omnes in Christo ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, eosque praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum [Eph. 1, 4 ss.]. Quapropter etiam in Adamo lapsos non dereliquit, semper eis auxilia praebens in Christo Redemptore, qui est imago ... » (WEBER, Archiep.-Ep. Argentinen.).

13 – *ibid.*: Dicatur: « Aeternus Pater, qui " elegit nos in Christo ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate " et " praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum " [Eph. 1, 4-5], liberrimo... » (ELCHINGER, Ep. tit. Antandrin.).

14 – l. 19: Dicatur: « elevavit », loco: « elevare decrevit » (CARLI).

15 – *ibid.*: Dicatur: « ... eosque miserrime lapsos et mortuos in Adamo... » (EVANGELISTI, Archiep.-Ep. Meeruten.).

16 – l. 20-21: Dicatur: « intuitu meritorum Christi, futuri Redemptoris » (CARLI).

17 – l. 22: Dicatur: « ... [Col. 1, 15]. Ita Deus in Christo familiam filiorum suorum iam ab initiis generis humani lapsi congregare coepit. Haec congregatio... » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

18 – *ibid.*: « Hinc semper exsistebat etiam arcana congregatio iustorum, quae a sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur quaeque ab Abel iusto usque ad ultimum electum colligitur » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

19 – *ibid.*: « Omnes homines in iustitia viventes a sanctis Patribus nomine " universalis Ecclesiae " appellantur, quae ab Adam iusto usque ad ultimum electum colligitur » (CARLI).

20 – *ibid.*: Dicatur: « redemptorum », loco: « iustorum » (WELYKYJ).

21 – l. 24: Addantur sequentia vel similia verba: « ... colligitur. Postea in Abraham Deus populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae [cf. Gen. 12, 3], et e longinquo via Evangelio praepararetur » (CONWAY, Ep. tit. Neven.).

22 – l. 25: Forsan melius: « misit », loco: « praedestinavit » (WELYKYJ).

23 – *ibid.*: Dicatur: « ut de populo a Deo peculiariter electo » (CARLI).

24 – l. 26: Dicatur: « sua morte et resurrectione redimeret » (BAUDOUX, Archiep. S. Bonifacii).

25 – *ibid.*: Dicatur: « ... secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, et secundum Spiritum sanctificationis a mortuis resuscitatus [Rom. 1, 4], fratres suos in filios Patris sui constitueret [cf. Io. 20, 17], eosque... » (WEBER).

26 – l. 27: Post « eosque », addatur: « redemptione sua reapse peracta » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

27 – l. 27-28: Nonne melius diceretur: « non tantum singulatim sanctificaret », omissis verbis: « quavis mutua connexione seclusa »? (JANSSENS).

28 – p. 8, l. 1: Dicatur: « ... sub Se tamquam sub uno Capite... » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

29 – *ibid.*: Dicatur: « sub se tamquam uno omnium Capite » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

30 – l. 2: Dicatur: « ... iam ab origine humani generis mirabiliter praefigurata ac iam inchoata » (Episcopi Provinciarum Aquensis et Avenionensis et dioec. Massiliensis).

31 – l. 1-4: Dicatur: « Haec sancta Ecclesia ab origine in toto humano genere ad salutem vocato praeparata, in electione veteris populi praeformata, in novissimis temporibus est manifestata » (WEBER).

32 – l. 2: Omittantur verba: « iam ab origine humani generis praefigurata » (WELYKYJ).

33 – l. 3-4: Proponitur: « ubi venit plenitudo temporis » [Gal. 4, 4], loco: « in novissimis temporibus » (CARLI).

34 – l. 4: Forsan melius: « constituta », loco: « manifestata » (KROL, Archiep. Philadelphien.).

N. 3. [*De missione Filii*]

35 – l. 6: Addatur: « ... faceret [cf. 1 Tim. 1, 15] et " adoptionem filiorum " eis praestaret [Gal. 4, 5], atque filios Dei, qui... » (ELCHINGER).

36 – l. 15: Addatur: « ... Ecclesia Dei nuncupatur, quam Pater benignus semper et efficaciter " vocat " [1 Thess. 2, 12], et Ecclesia Christi, quippe quam... » (ELCHINGER).

37 – l. 16: Post « Act. 20, 28 », addatur: « ac dextera Dei exaltatus [cf. Act. 2, 32-36] » (BAUDOUX).

38 – *ibid.*: Addatur: « ... acquisivit [cf. Act. 20, 28], eamque sibi in corpore suo glorificato uniens, suo replevit Spiritu, aptisque... » (WEBER).

39 – *ibid.*: Dicatur: « Sancto Spiritu », loco: « suo Spiritu » (WELYKYJ).

40 – l. 17: Proponitur: « .. aptisque mediis sanctificationis et visibilis seu socialis unionis... » (CARLI).

41 – l. 18: Proponitur: « ... super Petrum in primatu et etiam super Apostolos sub primatu aedificans » (Card. SIRI, Archiep. Ianuen.).

42 – *ibid.*: Dicatur: « super Apostolos Petro duce aedificans » (BAUDOUX).

43 – *ibid.*: Omittantur verba: « et Apostolos » (CARLI).

44 – *ibid.*: Dicatur: « societas », loco: « congregatio » (CARLI).

45 – l. 18-22: Dicatur: « Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principe*m* [sic! cf. Hebr. 2, 10]

credunt, ab eo convocata et legitime constituta, est eius Ecclesia ad hoc nata ut sit pro universis... » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

46 – *ibid.*: Post « unitatis », addatur: « per Spiritum Sanctum » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

47 – l. 19: Dicatur: « Congregatio eorum qui, sub ductu legitimorum pastorum, in Iesum Christum... » (EVANGELISTI).

48 – *ibid.*: Dicatur: « ... salutis auctorem et pacis ac unitatis per Spiritum sanctum principium credunt... » (JAEGER, Archiep. Paderbornen.).

49 – l. 20: Post verbum: « credunt », addatur: « vinculis professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis uniti, est Ecclesia... » (CONWAY).

50 – l. 23: Omittatur: « supra tempora » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

51 – *ibid.*: Dicatur: « ... supra temporum divisiones et fines diversorum populorum... » (CARLI).

N. 4. [*De Spiritu Ecclesiam sanctificante*]

52 – De titulo: « 4. [*De Spiritu Ecclesiam inspirante et sanctificante*] » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

53 – l. 25: Dicatur: « Pater Filio commisit », loco: « Pater Christo » (WELYKYJ).

54 – l. 26: Post: « Io. 17, 4 », addatur: « et Christo, per mortem et resurrectionem suam spiritu sanctificante effecto [Io. 7, 37-38; 1 Cor. 15, 45], misit Deus... » (WEBER).

55 – *ibid.*: Post « misit », addatur: « tamquam donum definitivum seu eschatologicum » [vel simile quid] (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

56 – *ibid.*: Dicatur: « ... Filii sui in Ecclesiam [cf. Act. 2, 4] et in corda nostra... » (CARLI).

57 – l. 27: Omittantur verba: « in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem » (EVANGELISTI).

58 – *ibid.*: Omittatur: « uno » [in quo uno Spiritu] (WELYKYJ).

59 – l. 30: Addatur: « Ipse replet orbem terrarum et ille qui continet omnia scientiam habet vocis [Sap. 1, 7]. A die Pentecostes, Ecclesiam replevit per vocem apostolorum qui ad evangelizandum mundum missi sunt. Et nunc omnes christianos, fideles atque ministros, per Spiritum Sanctum ad mundum missos, inspirat... » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

60 – l. 33: Dicatur: « ... et fructibus suis adornat et Ecclesiae unitatis est principium increatum et invisibile » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

61 – l. 34: Addatur: « ... et Ecclesiae unitatis est principium increatum et invisibile. Ubi Ecclesia... » (JAEGER).

62 – l. 35: Dicatur: « Ecclesiam semper iuvenem servat », loco: « iuvenescere facit Ecclesiam » (CONWAY).

63 – l. 36-37: Omittantur verba: « Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt " Veni " [cf. Apoc. 22, 17] » (WELYKYJ).

N. 5. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]

64 – Superscriptio alia inseratur; n. 6 ponatur ut n. 5, ita ut habeatur quasi illustratio ultimae sententiae n. 4 in fine positae:

« 5. [*De Ecclesia ut fructu actionis Dei Patris per Christum in Spiritu Sancto peractae*]. Sic apparet universa Ecclesia sicuti " de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ", populus acquisitionis... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei est [1 Pt. 2, 9-10]. Est enim Ecclesia grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit [cf. Is. 40, 11; Ez. 34, 11 ss.], et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae gubernantur, ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum [cf. Io. 10, 10; 1 Pt. 5, 4] indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet [cf. Is. 5, 1-4 et 7; Io. 15, 1 ss.], vel ager vel agricultura Dei. Ecclesia ergo actione Dei salutifera collecta est opus Dei et fructus caritatis ipsius simulque medium et instrumentum in Dei Spiritu activum ad unionem inter Deum et mundum in dies magis efficiendam. Crescere enim vocata est Ecclesia ut Dei familia eiusque templum et domus, in lapideis sanctuariis repraesentata, in qua Deus in Spiritu et veritate ado-

retur [cf. Io. 4, 23]. In ea ut in suo habitaculo inhabitans Spiritus Sanctus pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat usque dum omnes ad plenitudinem vitae Christi adducantur. Ita crescit in terris Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus [cf. Apoc. 21, 1 ss.]. Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati [cf. Apoc. 20, 9], quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit — simul coniunctum et distinctum — ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit in dilectione ac fidelitate subiectam [cf. Eph. 5, 22 ss.], quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus [cf. Eph. 3, 19].

6. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Christus Dei Filius vero, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, Populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic Populo aggregat vel templo suo inserit, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac Sui coheredes [cf. Rom. 8, 15-17], in Se unit et tamquam Corpus suum mystice constituit. Nam vita Christi glorificati verbo Eius et sacramentis in credentes diffunditur, ut cum Eo et in Eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

65 – Proponitur pro paragraphis 5 et 6 nova redactio:

« 5. [*De Ecclesiae imaginibus*]. Variis et profundis imaginibus nobis intima natura Ecclesiae innotescit, quarum praecipuas evocamus. Est enim Ecclesia grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit [cf. Is. 40, 11; Ez. 34, 11 ss.], et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae gubernantur, ab ipso Christo bono Pastore Principeque pastorum [cf. Io. 10, 10; 1 Pt. 5, 4] indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet [cf. Is. 5, 1-4 et 7; Io. 15, 1 ss.], vel ager vel agricultura Dei. Actione ergo Dei salutifera collecta Ecclesia est opus Dei et fructus caritatis eius simulque medium et instrumentum in Dei spiritu activum ad unionem inter Deum et mundum in dies

magis efficiendam. Crescere enim vocata est Ecclesia ut Dei familia eiusque templum et domus, in lapideis sanctuariis repraesentata, in qua Deus in spiritu et veritate adoretur [cf. Io. 4, 23]. In ea ut in suo habitaculo Spiritus Sanctus inhabitans pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat usquedum numerus fratrum compleatur [cf. Apoc. 6, 11]. Ita crescit in terris Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus [cf. Apoc. 21, 1 ss.]. Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati [cf. Apoc. 20, 9], quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit, ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam [cf. Eph. 5, 22 ss.], quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus [cf. Eph. 3, 19].

6. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Christus Dei Filius, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, Populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic Populo aggregat, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac Sui coheredes [cf. Rom. 8, 15-17], in Se unit et tamquam corpus suum mystice constituit. Nemo enim est Christi, quin pertineat ad corpus Christi. Sumus autem corpus et corpus Christi, quia in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati et omnes in uno Spiritu potati sumus [cf. 1 Cor. 12, 13; Eph. 4, 4-6]. Ideo vero imprimis coalescimus in corpus, quia Ecclesia in se ab ipso Domino ut pignus unionis concreditum habet verum corpus Christi, quod in Eucharistia omnibus fidelibus datur. Quoniam enim unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus [1 Cor. 10, 17]. Ita cum Domino unimur, ... [etc. inde a p. 9, l. 14 usque ad p. 10, l. 18] » (Patres Conciliares linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

66 – Proponitur nova redactio par. 5 et 6:

« 5. [*De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi*]. Variis et profundis imaginibus nobis intima Ecclesiae natura innotescit, quarum unam hic attendimus.

Vita Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur, ut

cum Eo et in Eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum. Omnes enim, qui fidem Eius profitemur, in unum corpus baptizati et in uno Spiritu potati sumus [cf. 1 Cor. 12, 13], et omnes de Eius corpore ut uno pane participamus [cf. 1 Cor. 10, 17]. Huius corporis caput Christus est, quem dedit Pater " caput supra omnem Ecclesiam, quae est Corpus Ipsius et plenitudo Eius, qui omnia in omnibus adimpletur " [Eph. 1, 22,23] " ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare " [Col. 1, 18, 19]. Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis corporis praestat, quae tum dirigit tum vita sua replet.

Ad aedificandum in terris Corpus suum, Ecclesiam scilicet suam, Christus dona ministrationum disposuit, quibus in Ipso nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia qui est caput nostrum [cf. Eph. 4, 11, 16], " ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei " [Col. 2, 19]. In diversis illis muneribus, Spiritus Christi est qui unus idemque in capite et in membris exsistens, totum corpus vivificat, unit et movet, ita ut principium vitae seu animae Ecclesiae iure vocatus sit.

6. [*De aliis Ecclesiae imaginibus*]. Ecclesia, ut Populus Dei, est insuper grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit [cf. Is. 40, 11; Ez. 34, 11 s.], et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae, gubernantur, ab ipso Christo, bono Pastore Principeque pastorum [cf. Io. 10, 10; 1 Pt. 5, 4] indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Ipse enim Dominus est qui, cum sit Magister, Sacerdos atque Rex noster, habeatque nomen quod est super omne nomen [cf. Phil. 2, 9], principaliter et interius illa agit, quae praepositi in Christifidelibus ministrandis suscipiunt.

Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet [cf. Is. 5, 1-4 et 7; Io. 15, 1 ss.]. Dominus Iesus ut vitis vera, palmitibus vitam et fecunditatem tribuit, ita ut quidquid Ecclesia ad salutem operatur, a Christo per eam agente procedat, sine quo palmites nihil facere possunt [cf. Io. 15, 1-5].

Est Dei templum et domus quae, in lapideis sanctuariis repraesentata, a sanctis Patribus laudatur, in qua Deus in Spiritu

et veritate adoretur [cf. Io. 4, 23]. Est habitaculum Spiritus Sancti, qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat. Est Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus [cf. Apoc. 21, 1 ss.].

Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati [cf. Apoc. 20, 9], suo Sponso foedere immutabili coniuncta, ab eo unice amata ex eoque charismatum plenitudine donata, quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium Sibi dedit, ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam [cf. Eph. 5, 22 ss.], quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus [cf. Eph. 3, 19] » (Card., Archiepiscopi et Episcopi regionis Parisiensis).

67 – l. 1-8: Ita corrigit: « Christus Dei Filius, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, Populum Dei novum in sublimiore condicione constituit. Mittens enim Spiritum suum per baptismum credentes non tantum in hunc Populum congregat, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac sui cohaeredes in Se unit et tamquam corpus suum mystice perfecit » (Lokuang, Episc. Tainanen.).

68 – l. 4: Dicatur: « Spiritum Sanctum », loco: « suum » (Welykyj).

69 – l. 6: Dicatur: « adoptionis », loco: « adoptivos » (Baudoux).

70 – l. 9: Dicatur: « Vita enim Christi crucifixi et glorificati... » (Card. Siri).

71 – l. 13: Dicatur: « de Eius carne et sanguine ut uno pane et calice participamus [cf. 1 Cor. 10, 16-17] » (Carli).

72 – l. 24: Corrigatur: « Col. » loco: « cl. ».

73 – l. 37: Proponitur: « ... illa agit, quae Ecclesiae praepositi Sibi ministrando agunt et fideles suscipiunt » (Carli).

74 – l. 38: Dicatur: « operantur », loco: « suscipiunt » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

75 – *ibid.*: Dicatur: « Spiritus autem Sanctus », vel: « Spiritus autem Dei » (WELYKYJ).

76 – p. 10, l. 4: Addatur: « ... peregrinantes, Christo et Ecclesiae per baptismum coniuncti, Eiusque vestigia... » (WEBER).

N. 6. [*De aliis Ecclesiae imaginibus*]

77 – cf. supra textus par. 6^{ae} propositi.

78 – l. 22: Corrigatur: « Is. 40, 11 », loco: « Io. 40, 41).

79 – l. 24: Dicatur: « ... gubernantur, per illos ab Ipso Christo... » (ELCHINGER).

80 – l. 32: Forsan melius: « ... qui pastores et fideles vivificat, confortat... » (BAGNOLI, Ep. Fesulan.).

81 – Dicatur: « Sponsa Christi seu Agni immolati [Apoc. 21, 9] » (CARLI).

82 – l. 39: Dicatur: « ... ut esset mater vere viventium, et quam, lavacro aquae in verbo vitae mundatam [cf. Eph. 5, 26], Sibi voluit... » (CARLI).

N. 7. [*De Ecclesia in terris peregrinante*]

83 – l. 5-13: Omittantur lineae 5-13 (NGUYEN VAN BINH, Archiep. Saigonen.).

84 – l. 7: Dicatur: « ... mediorum sanctificationis, magisterii ac regiminis compage constat et sustentatur. Societas enim visibilis... » (CARLI).

85 – *ibid.*: Post « sustentatur », proponunt addendum: « Ecclesia igitur indissolubili unitate simul et fructus redemptionis Christi exsistit et medium, quo Christus redemptionem suam exsequitur » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

86 – l. 10: Addatur: « ... assimilatur et in terris continuat » (WEBER).

87 – l. 12: Dicatur: « coniungitur », loco: « inservit » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

88 – l. 13-15: Dicatur: « Haec est unica Iesu Christi Ecclesia, quam... » (BAUDOUX).

89 – l. 17-19: Dicatur: « ... et per illos in salutis sacramentum, " columnam et firmamentum veritatis " esse voluit... » (CARLI).

90 – l. 19-24: Proponit: « Haec igitur Ecclesia, cui promissa fuit indefectibilis successio usque ad consummationem saeculorum et contra quam portae inferi non praevalebunt [Mt. 16, 16-18; 28, 20], vera omnium Mater et Magistra, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, est Ecclesia Catholica, a Romano Pontifice et Episcopis in eius communione, directa, quae effulgit tamquam signum in nationibus levatum, per suam visibilem unitatem perseverans unitatem a Domino inditam Collegio Apostolorum coniuncto cum ipsorum Coryphaeo seu Capite Petro. Licet extra totalem compaginem huius Ecclesiae Catholicae elementa plura sanctificationis inveniri possint, hae tamen ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt. Ut sacramentum, ... » (AMADOUNI, Episc. tit. Amathusii).

91 – l. 21: Dicatur: « a Romano Pontifice et ab Episcopis cum eo communionem habentibus directa » (CARLI).

92 – *ibid.*: Dicatur: « ... a Romano Pontifice et Episcoporum Collegio directa, licet... » (ELCHINGER).

93 – l. 22: Proponitur: « ... directa, atque unica Redemptionis custos atque administra divinitus constituta, licet extra eiusmet totalem compaginem elementa quaedam sanctificationis inveniri... » (CARLI).

94 – l. 22-24: Dicatur: « ... licet extra visibilem compaginem elementa plura sanctificationis necnon personae gratia Christi sanctificatae, quae ut Ecclesiae propria, ad unitatem catholicam visibilem et completam impellunt sive impelluntur » (SIMONS, Episc. Indoren.).

95 – l. 23: Dicatur: « ... elementa plura veritatis et sanctificationis » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

96 – *ibid.*: Dicatur « dona Ecclesiae », loco: « res Ecclesiae » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

97 – l. 24: Post « impellunt », addatur: « Ipsa etiam aliquo modo omnes homines bonae voluntatis, per fidem et baptismum uni-

tos, comprehendit: et sic vocantur ad unicae Christi Ecclesiae plene adhaerendum in visibili unitate » (WEBER).

98 – l. 24-26: Dicatur: « Ecclesia non est tantum instrumentum efficax gratiae, sed etiam signum in nationibus elevatum; unde in modo tractandi cum hominibus imbuta esse debet evangelico spiritu paupertatis, humilitatis et caritatis, ita ut homines, qui Iesum quaerunt, etiam in visibili suo aspectu spiritum Iesu dignoscant » (SEITZ, Episc. Kontumen.).

99 – l. 25: Dicatur potius: « signum levatum in nationes » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

100 – l. 25-27: Potius omittenda verba: « in paupertate evangelica ». Dicatur: « ... est signum in nationibus levatum, quibus imitatione et praedicatione testimonium Iesu praebere numquam desistit » (CARLI).

101 – *ibid.*: Dicatur: « ... in paupertate et caritate evangelica testimonium amantissimi, mitis et humilis Iesu... » (WEBER).

102 – l. 28: Post « procurrit », addatur: « Sancta simul ac semper purificanda, iustos et peccatores... » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

103 – *ibid.*: « ... sanctos et *etiam miseros* peccatores adhuc in Christo credentes in se complectens, in mundo revera exsistens, sed non de mundo, crucem... » (PONCET, Episc. tit. Basilinopolitan.).

104 – l. 30: « ... sed non de mundo, et testis Christi resurrectionis effecta [cf. Act. 1, 8] crucem et mortem Eius annuntiat donec veniat [1 Cor. 11, 26; 2 Cor. 4, 1-14] » (ELCHINGER).

105 – *ibid.*: Omittatur: « crucem et » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

106 – l. 31: Post « [cf. 1 Cor. 11, 26] » addatur: « eiusque resurrectionis testis effecta [Act. 1, 8. 22] » (WEBER).

N. 8. [*De fidelibus catholicis*]

107 – De titulo: Proponitur: « [*De adhaesione Ecclesiae*] » (BAUDOUX).

108 – l. 34, p. 12, l. 2: Proponitur: « Ecclesia, tamquam Christi dilecta sponsa atque eius vivum salutis instrumentum et univer-

sale sacramentum, divinam misericordiam actu et efficaciter, humanis condicionibus modo accommodato, applicat. Exinde, a traditione apostolica semper ut medium ad salutem necessarium proponitur, et est. In Ecclesia enim, fides quae per caritatem operatur [cf. Gal. 5, 6] et fidei sacramentorum praxis vim et virtutem a Christo sumunt exindeque Ecclesiam ipsam usque ad Christi staturam aedificant. Ideo, qui Ecclesiam Catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam ad salutem esse conditam agnoscunt Ei ipsi adhaerere debent. Evangelio Dei credentes, per baptismum, cuius ad Regnum Dei introitum et ad salutem necessitas ab ipso Christo declaratur [cf. Io. 3, 5; Mc. 16, 16], vitaliter inseruntur in Christo passo et resuscitato ac de corpore Ecclesiae efficiuntur [cf. Conc. Flor.: DENZ. 696] » (BAUDOUX).

109 – l. 34-35: Omittantur verba: « cum Sacra Scriptura et Traditione » (SMIT, Episc. tit. Paralien.).

110 – l. 34-38: Proponitur: « Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et Traditione, unice Ecclesiam Catholicam, a Deo per Iesum Christum conditam et super Petrum aedificatam, esse institutum necessarium ad salutem, ideoque illos homines salvari non posse qui illam, uti talem, agnoscentes, in eam tamen nolint intrare vel in eadem perseverare » (CARLI).

111 – l. 35: Dicatur: « ... Ecclesiam, arcam salutis pro omnibus constitutam [1 Pt. 3, 20-21], esse institutum... » (WEBER).

112 – p. 12, l. 3-11: Dicatur: « Quapropter Ecclesiae societati reapse, sicut Christo ipsi, incorporantur omnes valide baptizati qui ab Ecclesia non recesserunt per formale peccatum ab eius communione excludens, quamvis forsan ignorantia invincibili nesciunt Ecclesiam Catholicam Romanam solam esse veram Christi Ecclesiam, et alii Ecclesiae vel communitati, christiano nomine decoratae, sed ab Ecclesia Romana seiunctae, bona fide adhaereant.

Hos omnes Ecclesia, notos et ignotos, eodem materno amore prosequitur.

In praxi tamen, cum solus Dominus intuetur cor [1 Reg. 16, 7] ii soli inter adultos baptizatos externe haberi possunt ut Ecclesiae societati incorporati qui integram illius Ecclesiae ordinationem omniaque media salutis in Ea constituta agnoscunt, et in compagine visibili eiusdem Ecclesiae cum Christo, eam per Summum Pontificem et Episcopos regente, iunguntur, vinculis

nempe non tantum Baptismi, sed et externae et explicitae professionis fidei, et sacramenti ecclesiastici regiminis ac communionis.

Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam quoquo modo pertineat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in sinu Ecclesiae " corpore " quidem, sed non " corde " remanet... » (PONCET).

113 – l. 3: Forsitan melius: « omni ex parte », vel: « sub omni respectu », loco: « simpliciter loquendo » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

114 – *ibid.*: Dicatur: « In sensu pleno et perfecto Ecclesiae societati incorporantur ii tantum qui fide et gratia Christo uniti, integram Ecclesiae ordinationem agnoscunt, et in eiusdem compagine visibili... » (WEBER; ELCHINGER).

115 – *ibid.*: Verba: « Simpliciter loquendo »: aut tollantur, aut substituantur per verbum: « plene » (CARLI).

116 – *ibid.*: Dicatur: « Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati plene incorporantur... » (EVANGELISTI).

117 – l. 4: Omittatur vox: « tantum » [ne comprehendantur pueri, nondum usum rationis habentes, nec christiani rudiores] (BENEDETTI, Episc. tit. Tidditan.).

118 – l. 6: Dicatur: « per Romanum Pontificem », loco: « per Summum Pont. » (CARLI).

119 – l. 7: Dicatur: « sacramentorum », loco: « sacramenti » (CARLI).

120 – l. 8-14: Videntur potius omittendae, sed remanentibus, correctiones faciendae sunt [quae sequuntur] (CARLI).

121 – l. 9: Post « Ecclesiam », dicatur: « hoc modo » [aut simile quid] (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

122 – l. 9-11: Dicatur: « ... pertineat, qui gratia sanctificante destitutus ex hac vita discedit » (CARLI).

123 – l. 11: Post « omnes » addatur: « isti » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

124 – l. 13-14: Dicatur: « cui si non respondeant, in fide, spe et caritate vivendo, severius iudicabuntur » (CARLI).

125 – *ibid.*: Dicatur: « ... adscribendam; eosque genus electum, rega-

le sacerdotium et plebem sanctam devenisse, ut virtutes annuntient Eius Qui eos in admirabile lumen suum vocavit [1 Pt. 2, 9] » (WEBER).

126 – l. 15: Forsan melius: « Corde pleno », aut: « Voluntate », loco: « Voto » (WEBER).

127 – *ibid.*: Dicatur: « Voto tantum... » (Conferentia Episcoporum Neerlandica).

128 – l. 16: Dicatur: « conscia et explicata voluntate », loco: « cogitate et explicite » (CARLI).

129 – l. 18-22: Proponitur: « Simili quadam ratione idem dicendum est de illis qui, sine sua culpa, ignorant vel non agnoscunt Catholicam Ecclesiam esse unicam veram Christi Ecclesiam, ideoque unicum institutum ad salutem necessarium, tamen sincere voluntatem Christi, prout ipsi innotescit, vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris et Remuneratoris, naturaliter cognitam, adiuvante gratia, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt » (CARLI).

130 – *ibid.*: Dicatur: « Suo modo et firma semper veritate de necessitate Ecclesiae et fidei ad salutem consequendam, idem valet... » (Card. SIRI).

131 – l. 20: Omittatur: « voluntatem Christi vel » (Conferentia Episcoporum Neerlandica).

N. 9. [*De nexibus Ecclesiae cum Christianis non catholicis*]

132 – l. 24: Dicatur: « ... qui, valide baptizati... » (CARLI).

133 – l. 25-26: Dicatur: « integram vero fidem in unitate communionis cum Romano Pontifice, sine sua culpa, non profitentur... » (CARLI).

134 – l. 24-27: Dicatur: « Omnes illos qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem vel unitatem communionis in Beati Petri Cathedra non profitentur, Mater Ecclesia plures ob rationes fratres et filios iure appellat » (BAUDOUX).

135 – l. 27: Forsan melius: « unitam », loco: « coniunctam » (WEBER).

136 – *ibid.*: Proponunt: « ... coniunctam. Deum enim Patrem omni-

potentem fatentur, amanter credunt in Christum... » (Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

137 – l. 27-31: Proponit: « Ipsi enim confitentur se amanter credere in Christum, Filium Dei Salvatorem; qui vero vere sunt baptizati omnia vel quaedam sacramenta agnoscunt ac recipiunt; plures eorum fidem erga Iesum Christum in Sanctissima Eucharistia vere, realiter et substantialiter praesentem nutriunt et pietatem erga Deiparam Virginem fovent... » (STEWART, Episc. Sandhursten.).

138 – l. 30: Proponunt: « ... recipiunt, et plures eorum sacra hierarchia sunt instructi, fidem erga Sanctissimam... » (Card., Archiepiscopi et Episcopi Regionis Paris.).

139 – *ibid.*: Addantur: « plures eorum, aliqua communione in Apostolorum successione fundata, vinculum quoddam regiminis proinde retinent, ... » (BAUDOUX).

140 – *ibid.*: Addantur verba: « verbum Dei colunt », vel alia similia (WHEALON, Episc. tit. Andrapen.).

141 – l. 33: Omittatur verbum: « quaedam » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

142 – l. 33-34: « ... qui non solum intra Catholicam (ut visu ac specie secretam) donis et gratiis agat... » (ELCHINGER).

143 – l. 35: Addatur: « ... sanctificante, sive visibiliter per sacramenta, sive invisibiliter, etiam in illis... » (WEBER).

144 – *ibid.*: Dicatur: « ... etiam in illis operari valeat » (CARLI).

145 – l. 37: Dicatur: « in uno ovili et Pastore » (BAUDOUX).

146 – p. 13, l. 1: Omittantur verba: « purificati et » (Card. RICHAUD).

N. 10. [*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*]

147 – De titulo: Dicatur: « [*De vocatione non christianorum ad Ecclesiam*] » (Episcopi Provinciarum Aquensis et Avenionen. et Dioec. Massil.).

148 – l. 7: Post « unum corpus », addatur: « libere » (BAUDOUX).

149 – l. 10: Dicatur: « foedera », loco: « testamenta » (CARLI).

150 – l. 11: Dicatur: « ... sive longe ab Eo, sed non derelicti, vel Abraham patrem agnoscentes in Deum eius credant, vel saltem Deum creatorem agnoscant, vel in umbris... » (Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

151 – l. 13: Addatur: « ... quaerant, et omnes in suo Filio complectitur [Col. 1, 15-20] eosque ad Seipsum attrahit [1 Tim. 2, 3-6]. Quidquid... » (WEBER).

152 – *ibid.*: Dicatur: « Quidquid enim veri et boni... » (Episcopi Provinc. Aquen. et Avenionen. et Dioec. Massilien.).

153 – *ibid.*: Dicatur: « Quidquid enim boni ac veri apud illos » (CARLI).

154 – l. 15: Forsan melius: « ... qui ab initio mundi " omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire " [1 Tim. 2, 4] » (CARLI).

155 – l. 16: Dicatur: « Qui sine contumacia et in fide bona opus Christi aut doctrinam Ecclesiae non agnoscunt » (SHEHAN, Archiep. Baltimoren.).

156 – *ibid.*: Dicatur: « ... sine sua culpa ignorantes vel non agnoscentes » (CARLI).

157 – l. 19: Dicatur: « consequi possunt », loco: « sperare possunt » (CARLI).

158 – *ibid.*: Dicatur: « salutem sperare et obtinere possunt » (BAUDOUX).

159 – *ibid.*: Addatur: « ... conantur, — immo qui veritates ordinis naturalis propagant et sic aliquo modo operi divino inserviunt [cf. Sap. 13, 1-22; Act. 17, 24-28; Rom. 1, 19-21] quamvis fraus diaboli, per peccatum in mundum introducta, multas religiones errore inquinavit, — aeternam salutem sperare... » (WEBER).

160 – l. 20: Post « Patris eius », addatur: « et pluribus salutaribus auxiliis » (CARLI).

161 – l. 21: Addatur: « ... locupletantur. Singulari quadam sollicitudine eos denique curat Ecclesia qui, ignorantia invincibili, ne Deum quidem esse fatentes, rectam tamen vitae viam assequi nitantur. Quapropter... » (Card., Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

162 – *ibid.*: Post « non locupletantur », addatur: « nec thesauris gratiarum per sacramenta Christi dispertitarum frui possunt » [vel similia] (FUKAHORI, Episc. Fukuokaen.).

163 – l. 22-23: Dicatur: « ... ut sic via salutis pro eis ita sternatur non solum latior et securior, sed sola divinae voluntati plene conformis omnibusque gratiae locupletata mediis quibus ab omnibus " expedite, firma certitudine, nullo admixto errore " iter fieri possit ad Deum » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

164 – *ibid.*: Dicatur: « ut sic via salutis pro eis latius et securius sternatur » (LOKUANG).

165 – l. 26: Proponitur: « ... feliciter sit ipsa lumen omnium gentium » (CARLI).

166 – *ibid.*: Addatur: « Sancta Mater Ecclesia Deo Matrique Eius Beatae Mariae semper suas orationes effundet ut ad effectum felicem illud Domini Nostri Iesu Christi desiderium perveniatur: Ut sit unus Pastor et unicum ovile » (ROIG Y VILLALBA, Episc. tit. Araden.).

CAP. II

DE CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE et in specie: DE EPISCOPATU

167 – De titulo: Proponitur: « DE EPISCOPATU IN CONSTITUTIONE HIERARCHICA ECCLESIAE » (CARLI).

N. 11. [*Prooemium*]

168 – l. 1-10: Omittantur lineae 1-10 (SMIT).

169 – l. 2: Omittatur: « et nutriendum », et antea dicatur: « et Corpus suum mysticum » (CARLI).

170 – l. 4-5: Omittantur verba: « quae munera... tendunt » (CARLI).

171 – l. 5: Proponitur: « Quicumque e novo populo Dei sunt eo ipso... » (BAGNOLI).

172 – l. 6-7: Dicatur: « qui vero ut ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei [cf. 1 Cor. 4, 1] peculiaribus sunt ad id po-

testatibus instructi, iisdem “ in his quae sunt ad Deum ” [Hebr. 5, 1] et in servitium fratrum suorum utuntur » (CARLI).

173 – l. 10: Dicatur: « super fundamentum Apostolorum Petro duce aedificavit [cf. Eph. 2, 20; Mt. 16, 18] », loco: « super Petrum... fundavit » (BAUDOUX).

174 – *ibid.*: Dicatur: « ... super Petrum rupem fundavit eique et Apostolorum collegio pascendam concredidit » (CARLI).

175 – l. 14: Dicatur: « quorum successores, scilicet Episcopos » (CARLI).

176 – l. 16-17: Dicatur: « ... indivisus esset et per cohaerentes sibi invicem Episcopos credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum» (CARLI).

177 – l. 18: Dicatur: « principale ac visibile fundamentum » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

178 – l. 21: Dicatur: « ... infallibili magisterio, Sacra Synodus suam facit... » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

179 – *ibid.*: Post « infallibili magisterio », addatur: « universalique eius iurisdictione » (CONWAY).

180 – l. 24: Dicatur: « Petri Vicario », loco: « Christi Vicario » (SEITZ).

181 – *ibid.*: Omittantur verba: « et capite suo, ac totius Ecclesiae capite » (BAUDOUX).

182 – *ibid.*: Dicatur: « ac totius Ecclesiae visibilis capite » (D. G. PHILBIN, Episc. Dunen.).

183 – l. 25: Post « regunt », addatur: « et missionem Ipsius Christi in sinu Ecclesiae peragunt » (BAUDOUX).

N. 12. [*De Institutione duodecim Apostolorum*]

184 – De titulo: Dicatur: [*De institutione Collegii Duodecim Apostolorum*] (CARLI).

185 – l. 30: Omittatur referentia ad Mt. (Episcopi Provinc. Aquen. et Avenionen. et Dioec. Massilien.).

186 – *ibid.*: Dicatur: « Mt. 10, 1 ss. » (CARLI).

187 – l. 31: Dicatur: « sub forma », loco: « ad instar » (WEBER).

188 – p. 24, l. 1: Proponitur: « collegii, cui de eodem electum Petrum... » (CARLI).

189 – l. 3-4: Proponit: « omnes creaturas » (BAGNOLI).

190 – l. 4: Dicatur: « eosque sanctificarent, docerent et regerent » (CARLI).

191 – l. 5: Dicatur: « pascerent », loco: « regerent » (BAUDOUX).

192 – l. 9: Dicatur: « praedicando Evangelium », loco: « praedicando fidem » (BAUDOUX).

193 – l. 10-14: Proponit: « Ecclesiam exstruunt universalem fundatam super Petrum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (BAGNOLI).

194 – l. 11: Omittantur verba: « aedificatum super Petrum » (BAUDOUX).

195 – l. 12-14: Omittantur lineae 12-14. Si retinentur sic saltem dicatur: « ... super Petrum [cf. Mt. 16, 18], dum fideles singuli superaedificantur super fundamentum apostolorum et prophetarum, manente semper summo angulari lapide Christo Iesu [cf. Eph. 2, 20] » (CARLI).

N. 13. [*De Episcopis successoribus Apostolorum*]

196 – l. 15-20: Proponit: « Quia missio illa sanctissima a Domino Iesu Apostolis concredita fuit pro Ecclesia usque ad finem saeculorum duratura et in universum mundum dilatanda, morte eorum temporali non erat terminanda. Quapropter Apostoli, ex implicita voluntate Christi, Ecclesiae consuluerunt per successores, eadem divina potestate praeditos eam pascendi, sustentandi et per orbem universum dilatandi. Ministerium autem Apostolorum fidem salutarem praedicandi consequitur missionem illam divinam [cf. Rom. 10, 13-18; Io. 20, 21] annuntiandi laetum nuntium et manifestandi... » (CARLI).

197 – l. 15-21: Omittantur lineae 15-21: « Quia ministerium... et pascendi praeditos » (Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

198 – l. 18: Dicatur: « Quapropter, Apostoli Ecclesiae... » (Tredecim Episcopi Africae Centro-Orientalis; Patres Conc. linguae germ. et Conf. Episc. Scandin.).

199 – l. 19: Dicatur: « consuluerunt », loco: « consulere debuerunt » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

200 – l. 21-22: Dicatur: « Apostolorum enim ministerium verbi [Act. 6, 4] supponit... » (BAUDOUX).

201 – l. 22: Dicatur: « non est nisi missio divina », loco: « supponit missionem divinam » (SEITZ).

202 – l. 27-35: Omittantur lineae 27-35. Si retinentur, correctiones faciendae (CARLI).

203 – l. 28: Dicatur: « sibi ipsis », loco: « seipsis » (CARLI).

204 – l. 29: Dicatur: « in quo se », vel: « in quo ipsos », loco: « in quo eos » (CARLI).

205 – l. 30-31: Dicatur: « pascere plebem Dei », loco: « regere plebem Dei » (BAUDOUX).

206 – l. 31: Proponit: « per charisma sibi divinitus collatum », loco: « cum gratia eis divinitus collata » (CARLI).

207 – *ibid.*: Dicatur: « suffulti » loco: « cum » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

208 – l. 32: Dicatur: « tamquam fidelium patres » (CARLI).

209 – l. 36-39: Proponitur: « Apostoli igitur ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis, eorum qui credituri erant Episcopos eorumdemque successionis ordinem constituerunt pro... » (CARLI).

210 – l. 37: Error corrigatur: « accepti*s* mandatis ».

211 – l. 38: Omittatur: « et ordinem successionis eorum », vel dicatur: « et successores eorum » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

212 – l. 40: Dicatur: « ergo » loco: « autem » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

213 – p. 25, l. 1: Omittantur verba: « ut primo Apostolorum et duci collegii » (CARLI).

214 – l. 3: Omittatur: « Ecclesiam pascendi » (CARLI).

215 – *ibid.*: Dicatur: « Episcoporum collegio », vel: « corpore », loco: « corpore sacrato » (Episcopi Provinc. Aquen. et Avenionen. et Dioec. Massilien.).

216 – *ibid.*: Dicatur: « a corpore sacrato Episcoporum una cum suo Capite exercenda... » (BAGNOLI).

217 – l. 4: Addatur: « Docemus Episcopos in collegio unitos cum capite, Petri successore, ex mandato divino collegio Apostolorum succedere.

Docemus Episcopos solos ex institutione divina in fideles immediate et plene ministerium apostolicum doctrinae, sacri cultus, et gubernationis exercere, quod est fons omnis potestatis sanctificationis in Ecclesia » (KROL).

218 – l. 5: Dicatur: « fideles suos » (CARLI).

N. 14. [*De Episcopatu ut sacramento*]

219 – l. 8-9: Dicatur: « secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus », loco: « Pastor et Episcopus animarum nostrarum » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

220 – l. 8-12: Proponitur: « Cum Ecclesiae unius potestas ex uno eius fine sit ultimatim una, licet vario gradu et diverso modo singuli eiusdem participationem obtineant nec omnes totam sub quolibet respectu possideant, cumque constet potestatem sanctificandi, quam summo gradu obtinent episcopi, saltem in genere conferri in Ecclesia ritu vere sacramentali, praesertim illa potestas multiplex et simul una, qua pollent episcopi, ritu sacramentali administrari dicenda est » (Patres Conc. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

221 – *ibid.*: Lineae 8-12 omittantur (Card., Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

222 – l. 8-25: Proponitur: « [*De Episcopatu ut sacramentum*]. Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum [1 Pt. 2, 25], de plenitudine sua dedit Apostolis ipsis pro Ecclesia sua,

ita ut Sacerdotium ab eis in plenitudine acceptum similiter in plenitudine transmitteretur Episcopis, successoribus eorum. Hi exinde, induti sacra potestate authentice docendi, sanctificandi et gubernandi in Ecclesia, in apice sunt constituti sacerdotii christiani, Ordoque episcopalis exstat in Ecclesia ut fons perennis totius ministerialis sacerdotii.

Ad huius sacerdotii participationem solius est episcopatus per sacramentum Ordinis assumere alios, sive totaliter in Episcopatum, sive partialiter in presbyteratum in aliudque ministerium sacramentale.

Praecellens gradus sacerdotii, qui nimirum et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur, per consecrationem confertur, quae proinde ut ritus vere et proprie sacramentalis agnoscitur. Quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam specificam veluti paternae plenitudinis abundantiam in Spiritu Sancto conferri, dubitare nemo debet quin plenitudo ipsa Novae Legis sacerdotii eiusque propria charismata iugiter in Ecclesia sacramento Ordinis transmittantur. Proinde Sacra Synodus declarat Episcopos, vi sacramenti superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant » BAUDOUX).

223 – l. 9: Dicatur: « Episcoporum potestatem » (CARLI).

224 – l. 9-12: Melius redeundum est ad formulam prioris schematis: « sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis... tribuit » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

225 – l. 11-21: Dicatur: « ... coniungeretur potestati sanctificandi quae per consecrationem episcopalem confertur. Unde sequitur episcopalem consecrationem pertinere procul dubio ad sacramentum Ordinis, immo, iuxta vocem sanctorum Patrum et liturgicam Ecclesiae consuetudinem, plenitudinem sacerdotii et sacri ministerii summam conferre. Quoniam enim ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum Orientis tum Occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis episcopalis consecrationis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet Episcopatum esse verum et proprium Sacramentum a Christo Domino institutum » (CARLI).

226 – l. 12-13: Dicatur: « est ipsum sacramentum ordinis », vel: « est plenitudo sacramenti ordinis », loco: « ad sacramentum ordinis pertinet » (SEITZ).

227 – l. 13: Dicatur: « plenitudinem sacerdotii », loco: « praecellentem gradum » (WEBER).

228 – l. 16-23: Loco: « Imo, quia ex traditione... vel laicus rursus fieri possit », dicatur: « In hac enim consecratione, qua character sacramentalis in anima indelebiliter imprimitur atque gratia Spiritus Sancti communicatur, Episcopus vere et plene particeps efficitur sacerdotii Pontificis aeterni, qui in eo et per eum praesentiam et actionem suam sanctificantem Ecclesiae suae praestat » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

229 – l. 21: Melius diceretur: « exinde », loco: « praeterea » (Card., Archiepiscopi et Episcopi regionis Paris.).

230 – *ibid.*: Dicatur: « consecratus », loco: « ordinatus » (CARLI).

231 – l. 21 ss.: Proponunt: « Sacramentum Episcopatus est corporis episcoporum actio collegialis novum electum ordini Episcoporum aggregans atque faciens eum participem collegii.[1] In actu episcopalis ordinationis, novo electo episcopi ad eum consecrandum congregati, in personam totius Episcopatus agentes,[2] plenitudinem apostolici muneris tradunt, quod apostolico collegio a Domino Nostro Iesu Christo collatum,[3] et omnibus successoribus in depositi apostolici custodia[4] traditum est: ita apostolica successione depositi traditio plenissime ostensa et in veritate conservata est.[5]

Episcopus potestatem ordinis sui vi sacramenti accipit, sci-

---

[1] Cf. Dom. B. BOTTE, « L'Ordre d'après les prières d'ordination », in: *Etudes sur le sacrement et l'Ordre,* Paris 1957, p. 31; cf. pp. 109-113.

[2] Cf. S. CYPRIANUS, *Epist.* 67 [ed. HARTEL, p. 739]: « Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui praepositus ordinatur episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit ».

[3] Cf. Io. 20, 21; Mc. 16, 14-15; Mt. 28, 16-17.

[4] 2 Tim. 2, 2; CLEMENS Romanus, 42, 1-5; 44, 1-3.

[5] Cf. S. IRENAEUS, *Adv. Haer.,* III, 3, 1; III, 3, 3; IV, 26, 2.

licet spiritualem capacitatem ad munus apostolicum participandum, simul etiam [6] ius dicendi et exercendi activam potestatem, quae consequitur ordinem. Exsecutionem tamen iurisdictionis in Ecclesia particulari, sive a Romano Pontifice in nomine Christi expresse collatam, sive saltem numquam denuntiatam,[7] secundum diversos modos reapse perficere debet in communione Episcoporum collegii et Romani Pontificis cui competit plenitudo potestatis [8] » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

232 – l. 22: Dicatur: « Charactere sacramentali proprio ornatur » (CARLI).

233 – l. 22-23: Dicatur: « ... ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri aut potestate valide conferendi sacramenta Confirmationis et Ordinis privari possit » [ex priori Schemate] (CARLI).

234 – l. 24: Dicatur: « vi plenitudinis sacramenti », loco: « etiam vi sacramenti » (SEITZ).

235 – *ibid.*: Dicatur: « etiam vi sacramenti Episcopatus superiores » (CARLI).

236 – *ibid.*: Dicatur: « superioris ordinis », loco: « superiores » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

237 – l. 25: Dicatur: « ... participandum vocant atque ordinant » (CARLI).

---

[6] Hanc doctrinam memoravit *Votum G. Angelini,* in centrali commissione Concilii Vaticani I, die 17 maii 1868: « Ratione suae ordinationis [Episcopi] habent iure divino potestatem activam ius dicendi, praecipiendi, definiendi, excommunicandi, etc. ... » [ed. H. SCHAUF, *De Conciliis oecumenicis, Theses C. Passaglia,* Romae 1961, p. 90]. Cf. p. 89: « In casu quo Episcopi titulares vocarentur a Pontifice ad concilia, ipsi interessent uti veri Episcopi ordine et dignitate, ac praeterea interessent ut habentes subditos omnes Christifideles quos illis simul cum aliis congregatis tamquam coniudicibus subiiceret Pontifex ».

Cf. S. THOMAS, *in IV Sent.,* d. 19, q. 1, a. 3, ad 1: « Ubi Dominus, Io. 20, dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur ordinem; [...] Usus illius potestatis esse debet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem ».

[7] In latina Ecclesia, episcopus ecclesiae particularis munus a Romano Pontifice accipit, et sic manifestatur et iure signatur unio episcopi cum corpore episcopali sub Papa unito. In orientalibus ecclesiis, installationem muneri ecclesiae particularis episcopalis consecratio ipsa importat. In utroque casu munus episcopo per actum collegialem episcoporum confertur.

[8] Conc. Vat. I, Const. Dogm. *Pastor aeternus* [DENZ. 1827-1831].

238 – *ibid.*: Dicatur: « ... munus participandum ex divina institutione instituunt » (WELYKYJ).

239 – l. 26-37: Potius omittendae (CARLI).

240 – l. 27: Dicatur: « vivificandae et sanctificandae » (WELYKYJ).

241 – l. 28: Dicatur: « per eorum eximium servitium verbum Dei et sacramenta Christi » (LOKUANG).

242 – l. 33-34: Dicatur: « Hi pastores, ad pascendum dominicum gregem electi, sunt ministri Christi et... » (RENDEIRO, Episc. Pharaonen.).

N. 15. [*De Presbyteris et Diaconis*]

243 – l. 38-39: Dicatur: « Ex divina institutione sacra Hierarchia, ratione ordinis, constat Episcopis, Presbyteris et Ministris » [cf. CIC, c. 108, § 3] (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

244 – *ibid.*: Dicatur: « Sacra Hierarchia, ratione ordinis, ex divina institutione constat ex... » [cf. CIC, c. 108, § 3] (CARLI).

245 – p. 26, l. 1: Dicatur: « in sacri ministerii adiumentum », loco: « in suae societatis operis adiumentum » (WELYKYJ).

246 – l. 2-3: Lineae 2-3: « in quos gratiam... transfundunt » omittantur (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

247 – *ibid.*: Dicatur potius: « in quos sacerdotalis charismatis participationem de suae paternae plenitudinis... » (ELCHINGER).

248 – *ibid.*: Dicatur: « in quos gratiam Christi de suae paternae potestatis plenitudine transfundunt » (SIMONS).

249 – *ibid.*: Dicatur: « in quos gratiam Ordinis sacri transfundunt » (WELYKYJ).

250 – l. 4-5: Dicatur: « plenitudinem sacerdotii », loco: « pontificatus apicem » (WEBER).

251 – l. 5: Post « tamen » addatur: « per impositionem Episcopi manuum et consecratoria verba » (BAUDOUX).

252 – l. 7-8: Dicatur: « In Eucharistiam et sacramenta celebrando », loco: « In sacrificio... administrandis » (BAUDOUX).

253 – l. 12: Dicatur: « animarum », loco: « animorum » (JANSSENS).

254 – l. 14: Addatur: « Dignitatem suam tamquam ministri hominum sustinent, fidelibus et mundo evangelicam paupertatem exhibentes, ita ut in sancta societate Ecclesiae tituli absque munere correspondenti non conferantur » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

255 – l. 15-27: Potius dicatur in schemate De Cura Animarum (CARLI).

256 – l. 19: Dicatur: « ex quadam impulsione apostolica », loco: « secundum quamdam impulsionem apostolicam » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

257 – l. 21: Dicatur: « officium » aut: « obligationem », loco: « exigentiam » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

258 – l. 22: Corrigatur textus: omnimodam.

259 – l. 29: Post « adsistunt Diaconi » addatur: « qui per Episcopi manus impositionem et verba " Praefationis " sacramentum ordinis in partes ministeriales receperunt. Hi enim, qui sacrificii celebratione inserviunt, ministri praedicationis, sollemnis baptismi et sacrae communionis exsistunt, ... » (BAUDOUX).

260 – l. 30: Omittantur verba: « ministri extraordinarii sollemnis baptismi » (AMADOUNI).

261 – *ibid.*: Dicatur: « subordinati », loco: « extraordinarii » (Patres Conc. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

262 – l. 33: Dicatur: « in Ecclesia latina diaconatus » (SMIT).

263 – l. 38: Dicatur: « utilitate », loco: « necessitate » (BAUDOUX).

264 – l. 39: Dicatur: « ad Romanum Pontificem spectat decernere » (CONWAY).

265 – *ibid.*: Post « ad praepositos Ecclesiae », addatur: « ad normam iuris » (CARLI).

266 – *ibid.*: Dicatur: « Quo in casu, proponentibus locorum ordinariis, ad Romanum Pontificem spectat decernere » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

267 – *ibid.*: Dicatur: « Quo in casu ad Ecclesiae Supremam Auctoritatem spectat decernere utrum tales diaconi sacra coelibatus lege adstringantur necne » (NICODEMO, Archiep. Baren.).

268 – l. 39-41: Omittendae sunt lineae 39-41 (Card. SIRI).

269 – *ibid.*: Dicatur: « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere qua disciplina tales diaconi et quibus obligationibus ecclesiasticis obstringuntur » (WELYKYJ).

N. 16. [*De Collegio Episcopali eiusque Capite*]

270 – Pro paragraphis 16 et 17, nova redactio proponitur ab Archiepiscopis et Episcopis regionis Paris.:

DE COLLEGIO EPISCOPORUM CUM PETRI SUCCESSORE UNITO

I. [*De collegio Apostolorum*]. Apostoli collegialiter a Domino sunt electi, cum Petro Apostolo et sub eius auctoritate in ministerium missi aptaque potestate instructi, ut Evangelii praecones in universum orbem simul omnes fierent et, sollicitudinem omnium ecclesiarum [cf. 2 Cor. 11, 28] unanimiter communicantes, Salvatoris nostri missionem eiusdemque doctrinam et leges in solidum testarentur hominesque « lavacro aquae » [Eph. 5, 26] mundatos sanctitate ditarent.

Christus enim Dominus Salvator « fecit ut essent duodecim cum illo » [Mc. 3, 14]; durante vita sua publica, primam missionem salvificam inaugurans, « vocavit duodecim: et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum » [Mc. 6, 7]; tandem post resurrectionem, convocatis undecim in Galilaea, « locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » [Mt. 28, 18-20]. In his omnibus, Christus Dominus Ecclesiae suae regimen instituebat.

II. [*De collegio Episcoporum cum Petri successore unito*]. Collegium universorum Episcoporum collegio Apostolorum iure divino succedit; immo in eo collegium Apostolorum continuo perseverat. Quod collegium vere constituitur nonnisi cum capite suo Romano Pontifice et sub eius suprema auctoritate; sic constitutum, totius Ecclesiae curam in solidum gerit.

Ad hoc Episcoporum collegium aggregatio efficitur per sacram ordinationem summi gradus sacerdotii quae, cum verum sit sacramentum, tria munera confert sanctificationis, magisterii et

regiminis [cf. Praefatio in Consecratione Episcopi] ad utilitatem totius Ecclesiae.

Ecclesiam enim, secundum verba S. CYPRIANI, Sacrosancta Synodus fatetur connexam esse et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulatam [cf. *Epist.* LXVI, 8, 3 - cf. DENZ. 1821], « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa » [*Epist.* LV, 24, 2] itemque « episcopatus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus » [ibid.].

Quod collegium permanenter idem exstare Sacrosancta Synodus declarat: universis enim Episcopis constat una cum Romano Pontifice sive in Concilio Oecumenico coadunatis, sive per mundum dispersis.

Cum autem plures Episcopi in peculiaribus coetibus congregantur, ipsomet habitu collegiali, qui proprie episcopatui inhaeret, praediti esse dicuntur, dummodo coetus ipsi cum Romano Pontifice coniungantur et ab illo iuxta ordinem Ecclesiae sanciantur.

III. [*De potestate regiminis collegii Episcoporum*]. Secundum catholicam fidem, sicut in Romano Pontifice, sic et in collegio universorum Episcoporum cum Petri successore unito inest suprema et plena potestas regiminis in Ecclesiam universalem [cf. MANSI 52, 1109]. Exinde perspicuum est unumquemque Episcoporum, qua huius collegii membrum, eiusdem potestatis permanenter participem fieri.

Eamdem tamen potestatem collegialiter universi Episcopi una cum Summo Pontifice aliter atque aliter exercent, sive dispersi, sive in Concilio Oecumenico coadunati, ubi sollemniter iudicant atque determinant in regimine pro universa Ecclesia.

Plures autem Episcopi alicuius regionis, cum in peculiaribus coetibus, iuxta ordinem ab Ecclesia determinatum, congregantur [cf. II, in fine], in Christifideles eiusdem regionis modo collegiali potestatem exercere valent.

Periculum nullum est ne haec Episcoporum collegii potestas officiat illi potestati qua pollere Summus Pontifex creditur. « Nam cum vere plena et suprema potestas non sit in corpore separato a capite » [MANSI 52, 1110], nullo modo sine capite vere plenam et supremam potestatem collegialiter Episcopi exercere posse creduntur [cf. *Ibid.*]: immo potestas collegii episcopalis cum « a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur [DENZ. 1828], eiusdem potestatem fulcire neque usquam detrectare videtur.

IV. [*De doctrinali auctoritate collegii Episcoporum*]. Quae catholicae fidei sunt, secundum illud S. IRENAEI, « Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os » [*Adv. Haer.* I, 10, 2].

Collegium autem universorum Episcoporum cum Petri successore unitum eadem auctoritate gaudet qua ipse Romanus Pontifex, caput huius collegii, eodem iure divino donatur: quae auctoritas infallibilis esse creditur « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » [DENZ. 1839].

Quam auctoritatem doctrinalem, universae Ecclesiae affixam, Sacrosancta Synodus declarat collegio Episcoporum proprie inhaerere, cum ipsum « tamquam divinitus revelata credenda » [DENZ. 1792] proponere « quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur » [*ibid.*], aut quae cum eadem Revelatione necessario coniunguntur ad fidem pertinere docere valeat.

Exinde collegium Episcoporum, « sive sollemni iudicio » [*ibid.*] in fide definienda, « sive ordinario et universali magisterio » [*ibid.*] de rebus ad fidem pertinentibus, suprema et infallibili auctoritate in universam Ecclesiam vigere creditur.

271 – De tota paragrapho dicantur ea quae in vetere schemate de collegio Episcoporum scribebantur etiam sub n. 16, nempe:

« Collegium Episcoporum quod Collegio Apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo Collegium Apostolorum continue perseverat, quodque missionem Iesu Christi eiusdemque doctrinam et leges continuo testatur, una cum capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur. Potestas tamen huius collegii, etsi ordinaria, utpote officio inhaerens, nonnisi modo extraordinario et in devota subordinatione Iesu Christi Vicario in terris quando, quomodo et quousque eidem in Domino videtur expedire, legitime exercetur. Quod vero ad constitutionem augusti huius Collegii attinet, omnes Episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure eiusdem membra sunt, et nemo Episcoporum, sive residentialium, sive aliorum, ad hoc Collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel consensu tacito a

successore Petri, Christi Vicario et Capite Collegii, in idem assumptus sit » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

272 – l. 2: Potius omittenda: « statuente Domino ».
Vel forsitan: « Sicut, iuxta Evangelium, fecit Dominus Iesus ut Petrus ceterique Apostoli unum collegium apostolicum constituerent, ita successor Petri... » (CARLI).

273 – *ibid.*: Dicatur: « ceteri », loco: « alii » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

274 – l. 4: Post « successores apostolorum », dicatur: « unitatem eiusdem Collegii perseverant in Ecclesia » (AMADOUNI).

275 – l. 5: Dicatur: « idem constituunt unum collegium episcopale », loco: « inter se coniunguntur » (SEITZ).

276 – l. 5-8: Videntur omittendae (CARLI).

277 – l. 6: Forsitan melius: « qui [usus] » loco: « ubi » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali; Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

278 – l. 9-11: Dicatur: « Collegium autem seu Corpus Episcoporum non intelligitur sine suo Capite, scilicet Romano Pontifice, successore Petri; ideo auctoritatem non habet nisi cum eo » (AMADOUNI).

279 – *ibid.*: Dicatur: « Collegium autem seu corpus Episcoporum neque proprie, uti tale, exsistere potest neque auctoritatem habere ullam, nisi simul cum suo capite, Pontifice scilicet Romano, successore Petri, coniunctum intelligatur » (CARLI).

280 – *ibid.*: Dicatur: « Collegium autem seu Corpus Episcoporum auctoritatem non habet nisi cum suo Capite, Romano Pontifice, Successore Petri » (VALERII, Episc. Marsorum).

281 – l. 12-13: Dicatur: « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se et " independenter ab actione communi cum aliis Episcopis " [MANSI, 52, 1109 D], " supremam " [MANSI 52, 1203 D], plenam et universalem potestatem » (FUKAHORI).

282 – l. 12: Dicatur: « Summus Pontifex ut princeps Collegii », loco: « Romanus Pontifex » (BAUDOUX).

283 – *ibid.*: Dicatur: « vi sui muneris » loco: « per se » (BAGNOLI).

284 – *ibid.*: Dicerem, loco: « per se »: « plane sui iuris » [LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*], aut: « personaliter », aut: « singulariter » (CARLI).

285 – *ibid.*: Dicatur: « summam, plenam et universalem » (CARLI).

286 – l. 15-16: Verba: « una cum Capite... capite » omittantur (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

287 – l. 18: Dicatur: « exsistit » [aut quid simile] loco: « creditur » (CARLI).

288 – l. 22: Dicatur: « ex multis Episcopis compositum » (CARLI).

289 – *ibid.*: Dicatur: « varietatem et universalitatem » (CARLI).

290 – l. 24: Dicatur: « repraesentat et efficit » (CARLI).

291 – l. 24-25: Dicatur: « primatum iurisdictionis », loco: « primatum et principatum » (CARLI).

292 – l. 26: Dicatur: « ... sub eius suprema auctoritate et dependentia... » (FUKAHORI).

293 – l. 28: Post « roborante », addatur: « Talis enim est condicio permanens et ordinaria collegii episcoporum ita ut unusquisque episcopus (ex ipsa consecratione) permanenter evadat membrum et quasi pars supremae potestatis ecclesiasticae » (JACQ, Episc. tit. Cerasen.).

294 – l. 30: Forsitan addendum: « Quidquid in praeterito evenit, Romani Pontificis est... » (WEBER).

295 – l. 30-34: Potius omittendae lineae 30-34 (AMADOUNI).

296 – l. 30-31: Dicatur: « Romani Pontificis ius et officium est Concilia... » (MAZZOLDI, Episc. tit. Lamen.).

297 – l. 34-39: Dicatur: « Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab Episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel Episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, vel dummodo saltem Collegium Episcopale de facto in unitate cum Summo Pontifice agat vel doceat » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali).

298 – l. 35: Dicatur: « in orbe terrarum dispersis », loco: « degentibus » (CARLI).

299 – l. 38: Dicatur: « et ita » loco: « ita ut » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

N. 17. [*De relationibus Episcoporum in Collegio*]

300 – l. 2: Dicatur: « quodammodo manifestatur », loco: « apparet » (CARLI).

301 – l. 4: Dicatur: « fidelium », loco: « multitudinis » (WELYKYJ).

302 – *ibid.*: Dicatur: « tum credentium multitudinis » (CARLI).

303 – l. 12: Dicatur: « populi Dei » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

304 – l. 14-15: Dicatur: « Sed ut, vi missionis illi collatae, qua fit membrum collegii, pro Universa Ecclesia ea sollicitudine tenetur » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

305 – l. 14: Dicatur: « Sed inde a cooptatione in collegium Episcoporum », loco: « Sed ut membrum collegii » (BAUDOUX).

306 – l. 14-17: Dicatur: « Sed qua membrum collegii episcopalis et legitimus Apostolorum successor [sunt verba PII XII], una cum ceteris Episcopis [verba PII XII] ea sollicitudine, ex Dei institutione et praecepto [verba PII XII], tenetur quae summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum » (CARLI).

307 – l. 14: Post « membrum collegii », addatur: « unusquisque Episcopus » (JACQ).

308 – l. 16: Post « iurisdictionis », addatur: « stricte dictae » (JACQ).

309 – l. 17: Dicatur: « Debent enim omnes Episcopi, sub ductu Romani Pontificis et iuxta rationem ac viam ab Eodem praefiniendam, promovere et tueri... » (CARLI).

310 – l. 27: Addatur: « Quod magis adhuc valet, si in coetus episcopales congregati necessitatibus singularum regionum providere studeant » (WELYKYJ).

N. 18. [*De Episcoporum ministeriis*]

311 – De titulo: Proponitur: « *De Episcoporum missione* » (Carli).

312 – l. 3-4: Dicatur: « Episcopi, Apostolorum successores, a Domino... » (Carli).

313 – l. 8-11: Dicatur: « Spiritus qui replet orbem terrarum et missus est in Apostolos evangelicae veritatis testes reddituros coram populis, gentibus et regibus [cf. Act. 1, 8; 2, 33; 9, 15] plena potestate ditavit dispertitis linguis significata » (De La Chanonie, M. Lefebvre, Grimault, Morilleau, Prou).

314 – l. 11-13: Dicatur: « Munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit, in bonum ipsius populi est exercendum: unde significanter in sacris Litteris etiam servitium seu « ministerium » nuncupatur [cf. Act. 1, 17; 1, 25; Rom. 11, 13; 1 Tim. 1, 12] » (Carli).

315 – l. 15: Dicatur: « Uniuscuiusque Episcopi propria missio », loco: « Episcoporum autem missio » (De La Chanonie, M. Lefebvre, Grimault, Morilleau, Prou).

316 – *ibid.*: Dicatur: « Episcoporum autem missio, radicaliter legitima consecratione sacramentali expressa et collata, fieri potest... » (Weber).

317 – l. 15-19: Dicatur: « Singulorum vero Episcoporum particularis missio, eorumque in episcopale collegium cooptatio, fieri non potest nisi aut directe per ipsum successorem Petri, quo renuente Episcopi in officium assumi nequeunt, a quo etiam deponi, transferri vel restitui possunt; aut iuxta legitimas consuetudines a suprema et universali auctoritate Ecclesiae non revocatas; aut iuxta leges ab eadem auctoritate latas vel agnitas » (Carli).

318 – l. 16: Verbum « universali » omittatur (Lokuang).

319 – l. 17: Dicatur: « agnitas », loco: « non revocatas » (Welykyj).

320 – l. 18: Omittatur: « aut agnitas » (Welykyj).

N. 19. [*De Episcoporum munere docendi*]

321 – l. 30-37: Dicatur: « ... per orbem dispersi, Magisterio ordinario authentice docentes, ut testes fidei in revelatione tradenda in eamdem sententiam una cum Romano Pontifice conveniunt, doc-

trina sic edocta certo pertinet ad depositum fidei revelatum et proinde ab omnibus credenda est. Quod adhuc manifestius habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati, doctoris et iudicis munere fungentes una cum Romano Pontifice pro tota Ecclesia iudicium sollemne pronunciant quod ab omnibus sincero animo accipi debet. In istis definitionibus suis... » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

322 – l. 31-33: Dicatur: « ... nexum servantes, uti testes fidei authentici docentes, aliquam doctrinam tamquam divinitus revelatam proponentes credendam, in unam sententiam cum Romano Pontifice conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enuntiant » (CARLI).

323 – l. 33: Addatur: « si agitur de doctrinis quae spectant ad veritates vere centrales vel maximi momenti, et si agitur de aliis, si modo quodam sollemniore et animo obligandi totam Ecclesiam aliquid de fide vel moribus definiunt. Non tamen in omnibus et singulis quae et ipsi credunt et modo ordinario et communi fidelibus credenda proponunt. In his doctrinis tamen non potest subrepi error vere nocivus in materia fidei et morum » (SIMONS).

324 – *ibid.*: Addatur: « ... enunciant, sicut id quod tenent omnes fideles tamquam de fide, necessario est verum et de fide » (WEBER).

325 – l. 36: Dicatur: « fidei vel morum » (CARLI).

326 – l. 39: Dicatur: « de fide vel moribus » (CARLI).

327 – l. 40: Addatur: « ... instructam esse voluit. Obiectum autem huius revelatae infallibilitatis Ecclesiae haec sacrosancta Oecumenica Synodus profitetur et docet: tantum patere quantum revelationis patet depositum, et eiusdem custodiendi et explicandi seu enucleandi officium, unde tam in veritatibus in se aut expresse in ipso deposito contentis, quam in veritatibus cum his necessario connexis definiendis, et oppositis erroribus supremo iudicio damnandis, Magisterium Ecclesiae, ex assistentia Spiritus Sancti, infallibile esse declaramus » (GARCIA MARTINEZ, Episc. tit. Sululitan.).

328 – *ibid.*: Dicatur: « Qua infallibilitate ipse quoque personaliter [vel: singulariter] gaudet Romanus... » (CARLI).

329 – p. 30, l. 1: Dicatur: « Qua ipse quoque per se gaudet Romanus Pontifex quando, ut collegii Episcoporum caput, omnium christianorum pastoris atque doctoris munere fungens, doctrinam de fide vel moribus definitivo actu ex cathedra proclamat » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

330 – *ibid.*: Omittantur verba: « Collegii Episcoporum caput ».
Deinde dicatur: « ... quando, ut supremus ovium et agnorum pastor, ut supremus totius Ecclesiae doctor, qui fratres suos in fide confirmat ... proclamat » (CARLI).

331 – l. 3-7: Omittantur lineae 3-7: « Iamvero... liceat » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

332 – l. 5: Dicatur: « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut actus Romani Pontificis nulla validitione indigeant et ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat »;
vel: « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut Romanus Pontifex non teneatur ad obtinendum concursum actuosum omnium episcoporum ut eas definitive proferat, et ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

333 – *ibid.*: Dicatur: « Definitiones Romani Pontificis, quae propter Spiritus Sancti assistentiam numquam extra vel contra fidem communem Ecclesiae proferuntur, ex sese tamen et non ex Ecclesiae consensu irreformabiles esse... » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

334 – *ibid.*: Dicatur: « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese, scilicet ex speciali assistentia divina et non ex consensu Ecclesiae, ita ut ab eius iudicio dissidentes ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat » (DESCUFFI, Archiep. Smyrnen.).

335 – l. 8: Omittantur verba: « de fide » (GARCIA MARTINEZ).

336 – *ibid.*: Dicatur: « de fide vel moribus definit » (CARLI).

337 – l. 9: Dicatur: « ... doctrinam catholicam, ad divinae revelationis depositum, Ecclesiae commissum, pertinentem, tamquam Doctor, ... » (CARLI).

338 – l. 10: Dicatur: « tamquam Caput, Doctor et Pastor Ecclesiae Universalis exponit vel tuetur. Ideo non ex quodam actu colle-

giali Episcoporum vel Ecclesiae, irreformabiles sunt, sed simpliciter ex actu Capitis in quo charisma totius Ecclesiae recapitulari intelligitur » (AMADOUNI).

339 – *ibid.*: Dicatur: « ... tamquam Pastor et Doctor Ecclesiae universalis, qui fratres suos in fide confirmat [cf. Lc. 22, 32] exponit vel tuetur » (Episcopi regionis Galliae Occidentalis).

340 – *ibid.*: Dicatur: « ... tamquam Doctor et Pastor Ecclesiae universalis Caputque Collegii Episcoporum » (Card. DOI, Archiep. Tokien.).

341 – l. 13: Dicatur: « sententiam de fide vel moribus definiunt » (CARLI).

342 – l. 14-15: Dicatur: « cui omnes conformari tenentur quaeque scripta et tradita... » (SHEHAN).

343 – l. 18-19: Dicatur: « Romanus Pontifex et Patres Conciliares », loco: « Episcopi et Romanus Pontifex » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

344 – l. 18-21: Dicatur: « Ad bene ordinatum exercitium praerogativae infallibilitatis, minime vero ad eiusdem validitatem, sive Romanus Pontifex sive Collegium Episcopale, pro suo officio et rei gravitate, media apta adhibere tenentur quibus, assistente Spiritus Sancti gratia, rite divinam revelationem indagare et enuntiare possint: inter haec media eminent oratio et ieiunium, consilium fratrum in Episcopatu, studium fontium, consideratio sensus fidelium, theologorum et exegetarum auxilium » (CARLI).

345 – l. 20: Omittatur: « et exegetarum » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

346 – l. 21-22: Omittatur: « novam vero ... accipiunt » (CARLI).

347 – l. 23-29: Omittatur (BAUDOUX).

348 – *ibid.*: Proponit: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum obsequium iuxta regulas prudentiae praestandum est; sed nihil impedit quominus periti omni qua par est moderatione et temperantia, argumentis hinc inde accurate perpensis, rem plenius investigent, dummodo sincere profiteantur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae » (CLEARY, Episc. Nancemen.).

349 – *ibid.*: Dicatur: « Romani Pontificis... praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscitur et sententiae ab eo propositae sincera praebetur adhaesio, idque... manifestatam ipsius, quae se prodit... ex dicendi ratione » (PRZYKLENK, Episc. Januarien.).

350 – l. 29: Addatur: « Ubi tamen idem authenticum magisterium aliqua ut divinitus revelata proponit, talis actus, quamvis de se non sit oraculum infallibile, verum assensum fidei ab omnibus exigit, saltem in his duobus casibus:

1) Quotiescumque doctrinam recolit quae iam aliunde ad fidem catholicam pertinet.

2) Quotiescumque aliqua certa doctrina continue eodemque modo a tali magisterio proponitur [cf. GASSER: MANSI 52, 1217 A]. " Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re adhuc controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse " [Litt. Encycl. *Humani generis*: DENZ. 2313).

Similia proportionaliter dicenda sunt de magisterio authentico uniuscuiusque Episcopi relate ad proprios fideles » (DE LA CHANONIE, M. LEFEBVRE, GRIMAULT, MORILLEAU, PROU).

N. 20. [*De Episcoporum munere sanctificandi*]

351 – l. 30, p. 31, l. 2: Dicatur: « Episcopi, in quibus manuum impositione ab Episcopo consecratore Christi ministerii summa completa est [cf. *Pont. Rom.* et PIUS XII, Const. Apost. *Sacramentum ordinis*: AAS 40 (1948) pp. 5-7], multiplici sanctificationis ministerio populum Dei ad aeternam beatitudinem dirigunt et ordinant. Ipsi quippe sunt summi sacerdotes, praecellentes dispensatores mysteriorum Dei [cf. 1 Cor. 4, 1] ac " oeconomi gratiae supremi sacerdotii " qui de ipsa plenitudine Christi accepta multiformiter et abundanter effundunt.

Ea nempe plenitudine, Episcopi sunt apostoli Ecclesiarum particularium qua ratione veri perfectores christifidelium sunt, praesertim in quantum exsistunt fontes omnium sacramentorum quod valde perspicuum est in liturgicis ritibus consecrationis oleorum et impositionis manuum. Vi plenitudinis sacerdotalis quae ipsis est propria, Episcopi communicationem efficiunt sacerdotii ministerialis Christi in sacerdotes et diaconos, ut hi in

illorum nomine et dependentia Christum praedicent et sacramentorum celebrationem perficiant. Semper ergo ipso Episcopo praeside et duce missoque a Christo, ut fons sit vitae [cf. Io. 10, 10; 17, 18; 20-21], fit communicatio depositi fidei et gratiae, et producitur actio sanctificatrix Episcopi in eos qui ipsi peculiariter committuntur.

Episcopi, ordinatores sacrarum rerum et actionum Ecclesiae suae, participationem conferunt fidelibus omnibus suis in regale sacerdotium Christi per baptisma quod eos Christo aduniens simul Ecclesiae particulari aggregat, et per confirmationem quae septiformi Spiritu fideles roborat [cf. Act. 8, 14-17] ut ex fidei plenitudine repleantur, et Episcopo duce, lumen Christi sint et vitae testimonio mundum Deo et Christo lucrifaciant et consecrent.

Non tantum personas sed etiam res et loca Episcopi cultui et Dei servitio dicant.

Ipsi etenim ut Sacerdotes magni Ecclesiae Christi, munere sanctificandi principaliter funguntur dum una cum suis in sacerdotio cooperantibus et cum grege sibi concredito in oratione liturgica et speciatim in dominica Coena, summum Ecclesiae cultum exhibent. Praeterea, populos suos exhortantur et instruunt ut in Liturgia et praesertim in Eucharistiae celebratione, qua continuo vivit et crescit Ecclesia, partes suas fide ac reverentia actuose impleant. Eis praeter sanctificans ministerium verbi Dei, sacramenta praebent, quorum omnium collationem regularem et fructuosam secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, eorum particulari iudicio ulterius legitime determinatas, sua auctoritate ordinant et confirmant, ut oves suas in veritate perfecte sanctificent [cf. Io. 17, 19] » (BAUDOUX).

352 – l. 34-35: Dicatur: « exhibendi », loco: « celebrandi » et « administrandi » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

353 – l. 35: Dicatur: « ministrandi », loco: « administrandi » (BAUDOUX).

354 – l. 37: Post « determinatas », addatur: « in bonum sui gregis » (CARLI).

355 – *ibid.*: Dicatur: « Ipsi sunt ministri exclusivi sacrae ordinationis » (CARLI).

356 – l. 38-40: Proponit: « Populos suos exhortantur et instruunt, ut in liturgia et praesertim in Eucharistiae celebratione, partes suas fide et reverentia actuose impleant » (BAUDOUX).

357 – l. 40, p. 31, l. 1: Proponitur: « Eis, scilicet fidelibus, praeter sanctificans ministerium verbi et suae ipsius vitae exempla, sacramenta praebeant, quorum... » (EMMANUEL LLOPIS IVORRA, Episc. Caurien.-Castrorum).

358 – p. 31, l. 2: Addatur: « Munere docendi et pascendi gregem Dei, Episcopus, una cum cooperatoribus suis presbyteris, iisque praesertim quibus conceditur stabile pastorale munus, in primis fungitur cum in sacra synaxi eucharistica congregationi Ecclesiae localis fidelium praesidet. Hic enim Ecclesia apostolica verbi divini praedicatione congregatur, ita ut una fiat oratione fidei quae unum corpus efficitur incruenta divini sacrificii oblatione in sacra communione consummata. Hic igitur, uno Spiritu effuso in cordibus cunctis, apostolicum ministerium divina caritate in unum omnes filios Dei peccato dispersos congregans inter se simul ac cum Deo Patri in corpore Christi reconciliat. Hic ergo munus et functio episcopalis ut aedificandi totum populum sanctum Dei in amore divino, Verbo Dei sacramentisque Christi, maxime refulget, sicut in celebratione sanctae missae Ecclesia non modo visibiliter apparet in sua sancta catholica unitate sed etiam in re una efficitur in omnibus sacra coniunctione cum Capite suo caelesti » (ELCHINGER).

N. 21. [*De Episcoporum munere regendi*]

359 – De titulo: Forsitan melius: « [*De Episcoporum munere pascendi*] » (WEBER).

360 – l. 4-5: Dicatur: « Ipsi Ecclesiam universalem collegialiter et Ecclesias particulares sibi commissas singulariter ut vicarii et legati Christi regunt... » (BAUDOUX).

361 – l. 4: Dicatur: « ecclesias particulares », loco: « Ecclesias » (CARLI).

362 – l. 7: Dicatur: « nonnisi ut Ecclesiae servitium ad gregem... » (BAUDOUX).

363 – l. 10: Dicatur: « personaliter in suum gregem funguntur » (CARLI).

364 – *ibid.*: Dicatur: « est eis propria, est ordinaria et immediata » (Tredecim Episcopi ex Africa Centro-Orientali; Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

365 – *ibid.*: Dicatur: « ... licet a Romano Pontifice, Supremo Ecclesiae Capite, exercitium eiusdem... » (IGN. P. XVI BATANIAN, Patr. Ciliciae Armen.).

366 – l. 11: Dicatur: « a supremo Ecclesiae Pastore », loco: « regimine » (CARLI).

367 – l. 12: Dicatur: « et limitibus, iuxta temporum locorumve varietatem, circumscribi possit ac debeat, intuitu unitatis Ecclesiae vel utilitatis fidelium » (CARLI).

368 – l. 13: Post « possit », addatur: « quibus rationibus disciplina de reservationibus Sedi Apostolicae vel alii Auctoritati factis regitur » (WELYKYJ).

369 – l. 17-22: Omittatur: « Eorum itaque potestas... sustinebit » (BAUDOUX).

370 – l. 23-25: Dicatur: « Episcopus, in suo ministerio, in omnibus ante oculos teneat exemplum Boni Pastoris... » (BAUDOUX).

371 – l. 23: Dicatur: « officium et ius », loco: « ius et... officium » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

372 – l. 33-34: Dicatur: « aliorum inter populum suum degentium », loco: « illorum qui inter populum suum degentes ».

Omittatur: « de uno ovili nondum sunt » (BAUDOUX).

PARS II

Hic fasciculus Patribus distributus est die 9 octobris 1963, in congregatione generali quadragesima quarta.

1 – Nova ordinatio capitum ab E. Card. SUENENS proposita:

Praenota: « Commissio de laboribus Concilii coordinandis nuper censuit hoc caput (scilicet III) dividendum esse in duas partes, quarum prior sit *De Populo Dei in genere* et efformet caput II schematis huius Constitutionis, altera vero sit *De Laicis in specie* et caput constituat IV, ita ut tota Constitutio quinque constet capitibus, nempe:

1. De Ecclesiae mysterio.
2. De Populo Dei in genere.
3. De constitutione hierarchica Ecclesiae.
4. De Laicis in specie.
5. De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ».

Ut haec indicatio exsecutioni mandetur, proponitur sequens nova ordinatio. In Capite I auferuntur ea quae sub numero 2 et praesertim 3 ad thema de Populo Dei spectant, ut ad novum caput II transferantur. Ad servandam autem connexionem idearum, numeri 2 et 3 videntur componendi ut sequitur infra.

(1) [*Introductio*]: (Servatur ut iacet).

Caput I: *De Ecclesiae mysterio.*

(2) [*Aeterni Patris de universali salute consilium*]. Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, homines ad participandam vitam suam divinam elevare decrevit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, « qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae » (Col. 1, 15). Haec congregatio iustorum a Sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur, « quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum » colligitur. Omnes autem electos Pater ante saecula « praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit Ipse primogenitus in multis fratribus » (Rom. 8, 29). Haec sancta Ecclesia, iam ab origine mundi praefigurata, in electione

veteris populi ac foedere antiquo mirabiliter praeparata, in novissimis temporibus effuso Spiritu est manifestata, et in fine saeculorum gloriose consummabitur.

(3) [*De missione Filii*]. Misit igitur Pater Filium suum, ut regnum caelorum in terris fundaret nobisque eius mysteria revelaret (cf. Mt. 13, 11). Ecclesia nempe, seu regnum iam praesens nunc in mysterio, assimilatur grano sinapis, quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem ex virtute Dei creverit, fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius (cf. Mt. 13, 32). Ecclesiae dilatatio in mysterio crucis iterum praenuntiatur secundum verba Domini: « Et Ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad Meipsum » (Io. 12, 32), sicut et in mysterio sanguinis et aquae ex aperto latere Christi crucifixi exeuntium (cf. Io. 19, 34). Praesertim in sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas christianorum in Ecclesia viventium, qui unum corpus in Christo constituunt (cf. 1 Cor. 10, 17).

(Numeri sequentes, nempe 4, 5, 6 et 7 immutati servantur; sed numeri 8, 9 et 10 ad finem capitis novi II remittuntur).

Caput II: *De populo Dei in genere.*

(8) [*Introductio*]: (Ex introductione ad caput De Laicis, paulo immutata).

Sacra Synodus, postquam mysterium Ecclesiae in tota sua amplitudine ante oculos posuit, nunc ad considerandam condicionem Populi Dei in terra commorantis animum vertit. Populus hic, beneficiis Redemptoris ditatus, ab Eoque in communitatem caritatis et veritatis constitutus, ab Eo etiam ut instrumentum redemptionis ac salutis adsumitur, et tamquam lux mundi et sal terrae (cf. Mt. 5, 13) ad universum mundum mittitur.

(9) [*Novum foedus novusque populus*]: (Ex elementis ex numeris 2 et 3 capitis I desumptis).

Deus qui homines non tantum singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificare decrevit, sed eos ut Populum suum constituere voluit, iam in Vetere Testamento cum populo Israëlitico foedus instituit, in figuram foederis illius perfecti, spiritualis et universalis, quod cum genere electo sub Christo capite iniret. « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Iuda foedus novum... Dabo legem meam in visceribus

eorum, et in corde eorum scribam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum... Omnes enim cognoscent me, a minimo usque ad maximum, ait Dominus » (Ier. 31, 31-34). Quod foedus novum Christus instituit, novum scilicet testamentum in suo sanguine (cf. 1 Cor. 11, 25), ex Iudaeis ac Gentibus plebem vocans, quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret, essetque novus Populus Dei. Misit scilicet Pater Filium suum, ut peccatores salvos faceret (cf. 1 Tim. 1, 15) et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum (cf. Io. 11, 52), totique humano generi firmissimum esset unitatis principium. Sicut vero Israël secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est (cf. Num. 20, 4: Deut. 23, 1 ss.), ita novus Israël qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit (cf. Hebr. 13, 14), Ecclesia Christi nuncupatur, quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit (cf. Act. 20, 28), suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis intruxit, eam super Petrum et Apostolos aedificans. Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab Eo convocata et legitime constituta, ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum existens.

(10) [*De sacerdotio universali*]: (Textus desumitur ex antiquo capite de laicis, n. 24, § 1).

In Christo ... ordinantur.

(11) [*De exercitio illius sacerdotii in sacramentis*]: (Textus desumitur ex eodem n. 24, §§ 2, 3 et 4, interposita tamen sequente sententia, post verba de baptismo, confirmatione et eucharistia, p. 7, lin. 32).

Indoles sacra ... in liturgia agunt. Fideles ad sacramentum *poenitentiae* accedentes, reconciliationem cum communitate sacerdotali et veniam a misericordia Domini implorant, dum communitas ipsa ad eorum conversionem adlaborat. Sacra *infirmorum unctione* atque oratione presbyterorum, Ecclesia tota aegrotantes Domino patienti et glorificato commendat, ut eos alleviet et salvet (cf. Iac. 5, 14-17). Qui vero inter fideles *sacro ordine* insigniuntur, ad pascendum populum Christo consecratum instituuntur. *Coniuges christiani* ... Se agnosci.

(12) [*De sensu fidei et Charismatibus populi christiani*]: (Textus desumitur ex eodem n. 24, §§ 5-8).

Ecclesia tota ... ordinem fiant » (1 Cor. 14, 40).

(13) [*De populo uno et universali*]: (Textus novus hic interponitur, ut appareat indoles simul unitaria et universalis Populi Dei, sicque melius introducatur expositio nn. 14-15-16).

Novus Populus enascitur ex praedicatione apostolica per fidem accepta, ut docet Apostolus: « Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi ... Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum » (Rom. 10, 17-18). Ad mentem Christi, communitas discipulorum Eius, ex omnibus gentibus congregata, posita est ut usque ad extremum terrae clarescat, et ad unitatem cognitionis et laudis Dei provocet universum genus humanum, in quod tamquam fermentum, donec fermentatum sit totum, immittitur (cf. Mt. 13, 33; Lc. 13, 21).

Quae unitas, pacis fundamentum, non futura tantum in consummatione saeculorum promittitur, sed de praesenti reapse opera Christi crucifixi et resuscitati efficitur. Qui legem mosaicam evacuans, solvit medium parietem inter populum iudaicum aliasque gentes positum: « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum » (Eph. 2, 14). Itaque Ecclesia praesens in mundo, nedum homines iterum disiungat, unitatem nobiliorem, ad quam creaturae omnes intimo nisu tendunt (cf. Col. 1, 16-17), ipsis sine discrimine promittit, iugiter promovet, ac licet adhuc imperfecte, realiter tamen efficit, quoscumque attingens « qui secundum patientiam boni operis, gloriam, honorem et incorruptionem quaerunt » (Rom. 2, 7).

Inter credentes enim, licet gradibus valde diversis, viget communio sanctificationis, caritatis atque obsequii erga doctrinam et institutiones a Christo et Apostolis traditas. Virtute Christi resuscitati, a plenitudine Dei per Spiritum Sanctum descendente, omnes qui credunt transformari incipiunt ad imaginem Filii Dei (cf. Rom. 8, 29; 2 Cor. 3, 18, etc.). Quare nos omnes S. Paulus cohortatur, ut simus « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis » (Eph. 4, 3). Illa inter nos caritate coniungimur, quae a Deo datur (cf. Rom. 5, 5), et quae omnibus hominibus, quos ad Christum attrahit, propriam ac singularem religionis christianae indolem exprimit: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem » (Io. 13, 15).

Ad unitatem vero a Deo per doctrinam et institutionem Ec-

clesiae intentam atque manifestatam variis modis homines pertinent vel ordinantur, tum fideles catholici, tum alii credentes in Christum, tum denique universaliter omnes homines, gratia Dei ad salutem vocati.

(14) [*De fidelibus catholicis*]: (= antiquus n. 8, ut iacet).

(15) [*De nexibus Ecclesiae cum christianis non-catholicis*]: (= antiquus n. 9, ut iacet).

(16) [*De non-christianis ad Ecclesiam adducendis*]: (= antiquus n. 10, ut iacet).

Caput III: *De constitutione hierarchica Ecclesiae.*

(Remanet immutatum).
Nn. 17-27 = antiqui nn. 11-21.

Caput IV: *De laicis in specie.*

(28) [*Introductio*]: (textus novae structurae adaptatur).

Sancta Synodus, muneribus sacrae Hierarchiae declaratis, nunc ad conditionem et missionem illorum qui laici nuncupantur cum gaudio venit. Quodsi omnia quae de Populo Dei dicta sunt ad omnes et singulos laicos et clericos aequaliter diriguntur, laicis tamen, et ratione conditionis et ratione missionis, quaedam particularia pertinent, quorum fundamenta libenter amanterque exponimus. Pastores enim instituti non sunt, ut totum onus sanctificandi Corporis in se suscipiant, sed ut fideles ita pascant ac regant, ut cuncti suo modo ad commune opus explendum cooperentur (cf. Eph. 4, 11-16).

(29) [*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*]: (Servatur antiquus textus n. 23, addendo quaedam in fine paragraphi, ad condicionem laicorum melius describendam): ... Corporis vocatio.

Saecularis character laicis magis proprius ac peculiaris est, quatenus ipsi secundum formam, modum, locum, et rerum adiuncta saeculari condicioni respondentia vivunt. In saeculo degunt, scilicet in omnibus et singulis saecularibus officiis et operibus, in familia et labore, in rebus profanis et mundanis, quibus eorum existentia quasi contexitur. Ad ipsos peculiari modo pertinet res temporales omnes, quibuscum arcte coniunguntur, ita il-

luminare atque ordinare, ut secundum Christum et in Christo iugiter fiant ac crescant.

Sicut ipsa Ecclesia, ita unusquisque laicus a Deo instrumentum salutis et organon laudis in saeculo constituitur. Unusquisque est coram saeculo testis vitae et resurrectionis Domini Iesu et signum Dei vivi, cuius misericordia est « ab aeterno in aeternum super timentes Eum » (Ps. 112, 17). Unusquisque mundum fructibus spiritualibus alere debet, quibus augeantur in omnibus gaudium, pax, benignitas, mansuetudo, modestia, castitas (cf. Gal. 5, 22), et in cunctis negotiis terrestribus spiritus beatitudinum spargatur (cf. Mt. 5, 1-12). Laici insuper aptitudine gaudent, ut ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem exercenda, ab Hierarchia adsumantur. Uno verbo, « quod anima est in corpore, hoc sunt in mundo christiani » (Epist. ad Diogn. VI, 1).

(30) [*De vita salutifera et apostolica laicorum*]: (= antiquus n. 25).

(31) [*De christifidelium relatione ad Hierarchiam*]: (= antiquus n. 26).

(32) [*Adhortatio*]: (= antiquus n. 27).

* * *

2 – Optant ut introducatur Caput « De Missione Ecclesiae » (Episcopi regionis Burdigalensis).

Caput III

DE POPULO DEI ET SPECIATIM DE LAICIS

3 – De titulo capitis: Magis placeret: « De LAICIS IN POPULO DEI », seu adhuc melius: « DE LAICIS IN ECCLESIA CHRISTI » (Carli, Ep. Signin.).

N. 22. [*Introductio*]

4 – l. 2: Dicatur: « de natura et missione Ecclesiae », loco: « de mysterio Ecclesiae » (Carli).

5 – l. 3-4: Dicatur: « nunc ad condicionem et missionem Populi Dei, in suo complexu sumpti, et speciatim laicorum » (Carli).

6 – l. 5-8: Dicatur: « Laici ... cumulati ... constituti, ab Eo insuper veluti cooperatores in opere redemptionis perennando atque in

animarum salute procuranda assumuntur et ad universum mundum mittuntur » (CARLI).

7 – l. 8-11: Dicatur: « Pastores enim non sic sunt instituti ut totum onus ... suscipiant, sed fideles cunctos ita pascere et regere debent ut singuli, suo quisque modo et in suo quisque ordine ad commune opus explendum cooperentur » (CARLI).

N. 23. [*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*]

8 – l. 15-17: Dicatur: « efficitur, unus Populus Dei electus constituitur. Eadem igitur est membrorum Ecclesiae nobilitas ex eorum in Christo regeneratione promanans, eadem filiorum Dei... » (CARLI).

9 – l. 21: Post « spectata natione », addatur: « stirpe » (CARLI).

10 – p. 6, l. 8-9: Dicatur: « de uno Corpore et Sanguine Domini Iesu saginamur [cf. 1 Cor. 10, 18; 11, 28] et eodem Dei verbo pascimur, usquedum ... », loco: « viventes ... Domini » (CARLI).

11 – l. 11: Dicatur: « Quod si », loco: « Si igitur » [quae sequuntur non sunt conclusio praecedentium] (CARLI).

12 – l. 13: Omittatur vox « eamdem » [ne contradicatur asserto p. 11, l. 20, et vitetur quaestio, num revera idem « quantitative » gradus sanctitatis a Deo ipso omni offeratur (quod videtur omnino esse negandum)] (Patres Conciliares linguae germanicae et Conferentia Episcoporum Scandinava).

13 – *ibid.*: Dicatur « omnes tamen pariter ad sanctitatem vocantur » (CARLI).

14 – l. 14: Dicatur: « mysteriorum Dei » (CARLI).

15 – l. 16: Verba: « aequalitas, quoad dignitatem et actionem » explanationem aliquam postulant (Card. RICHAUD, Archiep. Burdigalen.).

16 – *ibid.*: Proponitur: « actuositatem », loco: « actionem » (CARLI).

17 – l. 18: Dicatur: « inter Hierarchiam et ceteros de Populo Dei » (CARLI).

18 – l. 18-19: Dicatur: « Pastores et oves », loco: « Pastores et alii fideles » (CARLI).

19 – l. 20-21: Dicatur: « ceteris fidelibus », loco: « populo »; in l. 21, dicatur: « hi autem », loco: « populus autem » (CARLI).

20 – l. 31: Dicatur: « nomine laicorum hic intelligit » (CARLI).

21 – l. 32: Praeter mentionem baptismi, verbum fiat de sacramento confirmationis (MEOUCHI, Patriarcha Antiochen. Maronitarum).

22 –l. 33-34: Dicatur: « et ratione sibi propria [non enim agitur de differentia quantitativa, sed qualitativa] missionem totius Populi Dei [repetatur locutio, ne videatur agi de alia re] in mundo explent [missio enim expletur, non exercetur] », loco: « et pro sua parte ... exercent » (CARLI).

23 – l. 34: Omittatur: « etiam per actionem religiosam » (CARLI).

24 – l. 35: Dicatur: « neque ad sacram Hierarchiam » (CARLI).

25 – l. 38: Non placet vox « opponuntur » (SEITZ, Ep. Kontumen.).

26 – l. 39: Dicatur: « vita sua christiana », loco: « vocatione sua christiana » (CARLI).

27 – l. 41: Dicatur: « augmentum mystici Corporis » (CARLI).

N. 24. [*De sacerdotio universali,*
necnon de sensu fidei et de charismatibus christifidelium]

28 – l. 17-21: Magis placet prima redactio huius. Proponitur: « Sacerdotium autem ministeriale seu hierarchicum, quod nempe delectis ad id viris per sacramentum Ordinis confertur, ut sint « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » [1 Cor. 4, 1], essentia et non gradu tantum a sacerdotio universali christifidelium differt. Hoc tamen et illud suo peculiari modo a Summo Christi Sacerdotio profluunt, et ita ad invicem respiciunt ut hierarchicum sacerdotium potestate sacra regnum sacerdotale diffundat et dirigat, universale vero sacerdotium modo suo ad oblationem eucharistici sacrificii concurrat et in oratione, testimonio, abnegatione et actuosa caritate exerceatur » (CARLI).

29 – l. 18: Omittatur vox « tantum » [Sacerdotium omnium fidelium regale et sacerdotium ministeriale simpliciter, non gradu differunt, i. e. simpliciter non possunt inter se comparari mensura aliqua *univoca*]. Praeterea: Optatur ut in textu inseratur id quod

in nota 6 [p. 12] dicitur: « Sacerdotium universale ad oblationem sacrificii concurrit » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

30 – l. 26-27: Proponitur: « Sacramento Confirmationis ita in sua christiana structura perficiuntur ac roborantur ut fidem plene vivere simulque verbo et opere diffundere et defendere valeant » (CARLI).

31 – l. 28-32: Proponitur: « Sacrificium eucharisticum participantes, vota sua cum votis ministri litantis iungunt, divinam Victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, atque seipsos cum Ea, per ipsius manus Deo offerunt et in Sacra Communione sibi sumunt: qua maxime ratione partes activas in liturgia agunt ». (CARLI).

32 – l. 38: Dicatur: « per gratiam », loco: « sub gratia » (CARLI).

33 – l. 39: Dicatur: « ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi mysticum illudque visibiliter dilatandum » (CARLI).

34 – p. 8, l. 1: Omittatur: « saepe » [est enim officium, quod non cessat, etsi aliquando parentes ei non obtemperent] (CARLI).

35 – *ibid.*: Dicatur: « quasi vicem episcopalem, ut ait Augustinus, agunt » (CARLI).

36 – l. 3: Addatur: « Fideles, cum sacrum paenitentiae sacramentum recipiunt, repraesentant Ecclesiam, semper ad Domini misericordiam confugientem; cum ex eis aliqui sacro ordine insigniuntur, Ecclesia recipit eos, qui Christi nomine pascant populos verbo et gratia Dei; cum ex eis sacra infirmorum unctione muniuntur, Ecclesia sese et adhuc peregrinantem ad Dominum ac cum Christo patientem et iam caelesti gloria in Domino exsultantem profitetur » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

37 – l. 11: Dicatur: « qua Ipse prior dilexit nos » (CARLI).

38 – l. 13-16: Dicatur: « Ecclesia tota, cuius filii veluti liturgicum suae fidei sacrificium semper Deo offerre [cf. Phil. 2, 17] tenentur Eiusque virtutes annuntiare, qui ipsos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum [cf. 1 Pt. 2, 9), in credendo circa fidem et mores indefectibilis est, et hanc suam peculiarem proprietatem etiam per supernaturalem sensum fidei universi populi christiani manifestat » (CARLI).

39 – l. 21-22: Dicatur: « et a Magisterio Ecclesiae (sive ordinario sive extraordinario) sustinetur ac dirigitur » (CARLI).

40 – *ibid.*: Dicatur: « a Magisterio ducitur ac comprobatur », loco: « a Magisterio ducitur ac sustinetur » (Card. RICHAUD).

41 – l. 22: Dicatur: « veritates fidei », loco: « veritatem fidei » (CARLI).

42 – l. 25: Dicatur: « dividit singulis fidelibus prout vult [cf. 1 Cor. 12, 11] », loco: « dat fidelibus » (CARLI).

43 – l. 32: « Temere exspectanda»? vel: « temere expetenda »? (CARLI).

44 – *ibid.*: Dicatur: « ex eis », loco: « ab eis » (CARLI).

N. 25. [*De vita salutifera et apostolica laicorum*]

45 – l. 40: Proponitur: « vires suas, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, iuxta uniuscuiusque vitae statum conferre tenentur » (CARLI).

46 – p. 9, l. 1-2: Dicatur: « Apostolatus autem laicorum est cooperatio quaedam missioni Ecclesiae salvificae » (CARLI).

47 – l. 3: Dicatur: « vel etiam peculiari a sacra Hierarchia » (CARLI).

48 – l. 6: Dicatur: « ut divinum Redemptionis beneficium », loco: « ut divinum salutis propositum » (CARLI).

49 – l. 11: Evitetur vox « valor ». Simpliciter dicatur: « bona » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

50 – l. 14: Dicatur, ut in prima redactione: « Proinde laici in Ecclesia non exclusive » (CARLI).

51 – l. 31: Dicatur: « experientia peculiari », loco: « experientia singulari » (CARLI).

52 – l. 38: Dicatur: « per opera etiam mere saecularia » (CARLI).

53 – p. 10, l. 6: Proponitur: « tamquam lumen et fermentum supernaturale pro tota societate erit » (CARLI).

54 – l. 19: Post verba: « propriis regitur principiis », addatur: « semper tamen ad aeternam legem ordine servato » (CARLI).

55 – l. 20: Post « saecularismus », addatur: « seu " separatismus totalis ", qui scilicet ... » (STEWART, Ep. Sandhursten.).

56 – l. 20: « omnem » manet obscurum [Vultne dicere simpliciter extra religionem christianam, an: extra omnes religiones, quaecumque illae sint?] (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

N. 26. [*De christifidelium relatione ad Hierarchiam*]

57 – l. 24: Omittatur: « laicis non exceptis » [evidens est] (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

58 – l. 39: Omittatur: « ideoque et laici » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

59 – l. 40: Omittatur: « in illis praesertim » [Nam hic simpliciter non est agendum nisi de praepositis Ecclesiae...] (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

60 – p. 11, l. 2-4: Non expedit hic citare Eph. 6, 5-6 (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

N. 27. [*Adhortatio*]

61 – l. 20: Dicatur: « quod nempe eodem titulo eademque ratione ab aliis... » (CARLI).

CAPUT IV

DE VOCATIONE AD SANCTITATEM IN ECCLESIA

N. 28. [*Prooemium*]

62 – l. 1-3: Proponitur: « Sacrosancta Synodus sollemniter affirmat id ad naturam missionemque Ecclesiae spectare quod omnes omnino christifideles, sive ad Hierarchiam pertinent sive non, ad sanctitatem consequendam vocentur » (CARLI).

63 – l. 6: Addatur, post « [Io. 10, 10] »: « cui fideles tam intime per baptismum iunguntur ut Christum induisse ab Apostolo dicantur [Rom. 13, 14], universos... » (WEBER, Arch.-Ep. Argentinen.).

64 – l. 11: Dicatur: « praeclarius », loco: « praeclarum ».

N. 29. [*De universali ad sanctitatem vocatione*]

65 – l. 28: Post verbum « inchoata », addatur: « per Eucharistiam nutrita, maternis Ecclesiae subsidiis confortata, gratuita... » (WEBER).

66 – *ibid.*: Omittatur: « gratuita » [« superfluum ante verbum: " gratia ", l. 29 »] (CARLI).

67 – l. 29-30: Dicatur: « excrescere potest », loco: « excrescit » (CARLI).

68 – l. 33-34: Omittatur: « toto animo » [Nam non omnibus convenit relate ad proximum, v. g. uxoratis] (CARLI).

N. 30. [*De multiformi unius sanctitatis exercitio*]

69 – Ante n. 30, praemittendum esset: primarium et essentiale hominis responsum in vocationem divinam ad sanctitatem consistere in actibus virtutum theologicarum (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

70 – l. 2: Post « officiis », addatur: « in diversitate spirituum et charismatum » (WEBER).

71 – l. 2 ss.: Exhortatio habeatur pariter de sanctitate consequenda ab Episcopis (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

72 – l. 4-5: Proponitur: « quoad condicionem vocationis », vel: « qui ad perfectum caritatis pastoralis exercitium vocantur », loco: « qui ... constituuntur » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

73 – l. 4: Proponitur: « ratione suae vocationis », loco: « in condicione vocationis » (CARLI).

74 – l. 14: Dicatur simpliciter: « etiam illi laici qui, ut ... » (CARLI).

75 – l. 24: Post « christifidelibus », addatur: « inclusis pueris cum senibus, morbo laborantibus aut aerumnis confectis, quasi naufragium vitae perpessis, ... » (WEBER).

76 – l. 29: Dicatur: « Quo magis enim », loco: « Quo magis insuper » (CARLI).

77 – l. 32: Addatur: « dum recusatio conatus ad sanctitatem Ecclesiam foedat et figuram Christi profanis velat » (WEBER).

N. 31. [*De mediis ad sanctitatem et de consiliis evangelicis*]

78 – l. 34 - p. 20, l. 1: Inutilis repetitio eorum quae habentur sub n. 29 (Episcopi regionis Burdigalen.).

79 – l. 10-11: Dicatur: « castitas Christo dicata », loco: « castitas Deo dicata » (Patres Concil. linguae germanicae et Confer. Episc. Scandin.).

80 – l. 22: Dicatur: « professionem », loco: « praxim » (WEBER).

81 – l. 22-23: Dicatur: « secundum propriam suam spiritualem tendentiam » [vel quid simile], loco: « charisma » (Card. RICHAUD).

82 – l. 34: Dicatur: « sive operibus caritatis et misericordiae institutis », loco: « sive spiritualibus... » (WEBER).

N. 32. [*De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito*]

Nihil notandum.

N. 33. [*De momento statuum perfectionis acquirendae in Ecclesia*]

83 – l. 13: Post « profitebuntur », addatur: « et sic finem Ecclesiae, qui est hominum sanctificatio, sua institutione manifestat » (WEBER).

84 – l. 22: Addatur: « Et sic haec professio, si non ad essentiam, tamen ad integritatem Ecclesiae pertinet » (WEBER).

N. 34. [*Sub auctoritate Ecclesiae*]

85 – l. 11: « sibi soli subiicere [potest] ». Vox « soli » omittenda, quia Romanus Pontifex Orientales Religiosos ordinarie Patriarchae subiicit (CARLI).

N. 35. [*Aestimanda est consecratio consiliorum evangelicorum*]

86 – N. 35 faciliter supprimi potest (Episcopi regionis Burdigalen.).

N. 36. [*Conclusio*]

Nihil notandum.

3 – RELATIO EM.MI P. D. ALFREDI OTTAVIANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

Dilectissimi Fratres,

Acturi de Ecclesia, lumine gentium, illud prae oculis nobis apprime esse debet quod Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, per Litteras *Horum temporum* nobis nuper episcopis datas, revocavit iuxta mentem ipsius decessoris Ioannis XXIII, felicis recordationis, qui Concilium auspicatus haec adnotabat:

« Catholica Ecclesia ut perenni vigore praedita salutis administra cunctis appareat oportet; ei enim a Christo Domino depositum fidei est traditum, ut fideliter servaretur et eius impigra opera omnibus hominibus innotesceret ».

Duo igitur ab Ecclesia praestanda sunt, quae nunc ab Oecumenico Concilio Vaticano II exhibentur: depositum servare et hominibus proponere. Quod quidem optime fit incipiendo a schemate *de Ecclesia,* ut appareat vultus istius Magistrae, istius Depositariae, sicut iam Summus Pontifex hesterna die nobis illustravit, illustrando primum caput seu primum finem istius Concilii.

Commissio doctrinalis multos conventus habuit ad concinnandum hoc schema; immo ad illud pressius efformandum, subcommissionem constituit septem Patrum, qui sunt tres cardinales: König, Léger, Browne, et quattuor episcopi, qui sunt Garrone, Parente, Charue et Schröffer. Ipsi exhibuerunt istud schema, adiuti a pluribus validissimis peritis.

Igitur vobis exhibetur, non quod non sit exspectanda crisis, iam enim venerunt multae animadversiones, eo vel magis quod tempus, nobis datum, erat limitatum, et usque ad diem 28 februarii poterant episcopi mittere suas observationes circa praecedens schema. Iamvero, decem dies postea debebamus exhibere commissioni de coordinandis laboribus Concilii schema confectum. Ceterum nullius est magis certus insuccessus quam illius qui putat se posse omnes contentos facere.

Igitur explicatur cur etiam iam distributae sunt vobis, dilectissimi Fratres, multae centenae observationum. Has dirimemus in nostris conventibus, illa caritate quam nunc nuper praeses hodiernus commendavit: « Congregavit nos Christi amor », et omnia bene procedent.

Faxit autem Deus, ut ex disceptationibus nostris illud faustum bonum veniat, quod sit ad gloriam Dei, ad salutem animarum et ad decorem Ecclesiae!

Textus typis impressus:

Cum acturi simus « De Ecclesia », quae est « Lumen gentium », illud apprime nobis prae oculis esse debet quod Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, per Litteras « Horum Temporum » nuper nobis Episcopis datas, revocavit iuxta mentem ipsius Decessoris f. r. Ioannis Pp. XXIII, qui Concilium auspicatus, haec significabat:

« Catholica Ecclesia ut perenni vigore praedita salutis administra cunctis appareat oportet; ei enim a Christo Domino depositum fidei est traditum, ut ab ea fideliter servaretur eiusque impigra opera omnibus hominibus modo congruenti et consentaneo innotesceret » (ex Litteris Pontificis *Horum Temporum,* die 14 septembris A. D. 1963).

Duplex igitur est munus Ecclesiae quod nunc per Concilium adimpletur: primo, depositum fidei custodire et, secundo, illud congruenter mundo proponere atque edocere.

Opportune igitur huic Sessioni ante omnia proponitur examinandum schema « De Ecclesia », quae est columna et firmamentum veritatis et mater filios diligens in viam salutis aeternae.

Schematis huius autem hoc fuit iter: Commissio de Doctrina fidei et morum quin penitus praetermitteret praecedens schema in prima Sessione oblatum, ita rem denuo confecit ut quatuor capitibus ageretur de Ecclesia ad intra, et aliis sex capitibus ageretur de Ecclesia ad extra, seu de praesentia et de eius actione in mundo.

Sane non omnia Episcoporum postulata perpendi potuerunt quandoquidem multa eorum Commissioni Doctrinali pervenerint postquam expiraverat terminus diei 28 februarii 1963 praefinitus a Commissione de coordinandis laboribus Concilii. Ceterum tot observationes, etiam post diffusum ultimum schema typis impressum, Romam pervenerunt, ut ingens moles earum vix contineri potuerit quadam sylloge quae typis impressa, vobis, dilectissimi Patres, distribuitur.

Commissio Doctrinalis ad laborem suum explendum plures habuit conventus, et ad rem citius perficiendam constituit quamdam sub-Commissionem septem Patrum, quae iterum a variis sub-Commissionibus — etiam mixtis — adiuta, schema definitivum proposuit. Membra autem huius Commissionis fuerunt: Em.mi Léger, König, Browne et Exc.mi Garrone, Parente, Charue et Schröffer.

Commentarium autem circa capita quae proponuntur qua relator instituet Em.mus Card. Browne, cui quidem id muneris commisi quia ipse vices gerens Praesidis Commissionis solerter et docte studia nostra est prosecutus.

Faxit Deus, intercedente Beatissima Virgine, Sede Sapientiae, ut ex nostra disceptatione id veniat quod bonum faustumque sit tum in Dei gloriam, tum in animarum salutem et in decorem Sanctae Matris Ecclesiae.

4 – RELATIO EM.MI P. D. MICHAËL BROWNE VICEPRAESIDIS COMMISS. DE DOCTRINA FIDEI ET MORUM

Eminentissimi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Ab Eminentissimo Praeside Commissionis Conciliaris *De Doctrina Fidei et Morum* mihi commissum est honorificum munus ut Schema Constitutionis dogmaticae « De Ecclesia » vobis succincte praesentarem.

Hoc munus, pro viribus meis, in vestrum fraternum servitium libenter et devote expleo.

Praemitto impraesentiarum me Schema nostrum praesentare ut iacet in fasciculis impressis quae prae manibus habetis.

Ibi dividitur in quatuor capitula, scilicet: *De Ecclesiae Mysterio, De Constitutione Hierarchica Ecclesiae,* in specie *De Episcopatu, De Populo Dei et speciatim De Laicis, De Vocatione ad Sanctitatem in Ecclesia.*

In Parte II, pagina 5, in calce paginae, ex directione data a Commissione *de Laboribus Concilii Coordinandis,* indicatur alia divisio Schematis, scilicet, in quinque capita per divisionem capitis III in duas partes quarum prior, nempe *de Populo Dei in genere* ponenda esset ut Caput II Schematis noviter dispositi; altera vero, nempe *De Laicis in specie,* fieret Caput quartum eiusdem. Ob rationes a nobis non dependentes, haec nova dispositio adhuc non est facta. Cum aliunde, ut praevideo, etiam sub nova divisione, Schema quoad substantiam manebit sicuti est, illud — ut dixi — vobis praesento uti iacet impressum, et ut vos prae manibus ipsum habetis.

De primo Capite

Hoc caput habet introductionem (§ 1) et alias novem paragraphos. Sex priores, i. e. a § 2 ad § 7, exponunt naturam Mysterii Ecclesiae. Tres ultimae exponunt habitudines eius *a*) ad Catholicos fideles (§ 8); *b*) ad Christianos non Catholicos (§ 9) et *c*) ad non-Christianos (§ 10), *inde ad omnes omnino homines.*

Quoad priorem partem, natura Ecclesiae arcana ostenditur attendendo prius ad causalitatem extrinsecam divinam respectu Eius, i. e.:

a) ut provenientis a Consilio Aeterni Patris in ordine ad salutem aeternam, ad salutem hominum (§ 2);

b) per missionem Filii Salvatoris, Ecclesiae Conditoris (§ 3);

c) per illam Sancti Spiritus, Ecclesiae Sanctificatoris (§ 4).

Deinde (in § 5) indicatur ab intrinseco intima arcana natura Ecclesiae per hoc quod est Corpus Christi Mysticum.

In § 6 perficitur et perpolitur praedicta indicatio, illustrando eam per varias imagines Ecclesiae a S. Scriptura desumptas. Est grex, est vinea, est ager Dei, est Dei familia, est habitaculum Spiritus Sancti, est Civitas Sancta, est Sponsa Christi. Demum (§ 7) haec arcana realitas est ista societas ordinata quam cognoscimus, Ecclesia scilicet Catholica.

De secundo Capite

Secundum Caput constat undecim paragraphis (a n. 11 ad 21).

In Prooemio (§ 11) enuntiatur Christum Ecclesiam suam super Petrum rupem et Apostolos fundasse. Enuntiatur quoque doctrina de Primatu Romani Pontificis Petri successoris et de eius infallibili magisterio, a Vaticano I definita, et a Vaticano II sua facta.

Enuntiatur propositum Vaticani II ut compleat opus Vaticani I declarando doctrinam catholicam de Episcopis, aliorum Apostolorum successoribus.

Opus ita propositum completur in novem paragraphis quae sic dividi possunt:

a) de integra natura Episcopatus (§ 13 - § 17);

b) de ministeriis Episcoporum (§ 18 - § 21).

Primum membrum expletur in quinque paragraphis prout sequitur:

a) de Episcopis, successoribus Apostolorum;

b) de Episcopatu ut sacramento (§ 14);

c) de divinitus institutis adiutoribus Episcoporum i. e. de presbyteris et diaconis (§ 15);

d) de Collegio Episcopali eiusque Capite (§ 16);

e) de habitudinibus Episcoporum ad invicem in Collegio.

De secundo membro, seu de ministeriis, agit quodammodo in communi in § 18.

De eisdem in tria distinctis agit in paragraphis subsequentibus, scilicet:

a) in § 19, de munere docendi;

b) in § 20, de munere sanctificandi;

c) in § 21, de munere regendi.

De tertio Capite

Tertium Caput, post Introductionem, in § 22, alias quinque paragraphos habet, quarum tamen ultima, scilicet § 27, est adhortatio quaedam solemnis.

In Introductione enuntiatur ut fideles *omnes* cooperari debeant cum eorum Pastoribus ad commune opus Ecclesiae commissum explendum.

In § 23 quatuor praecipue indicantur:

a) nos omnes cuiuscumque ordinis, stirpis vel sexus simus, uniri in illo sacerdotio universali, regali, de quo pluries in scriptis apostolicis, et signanter in Apoc. 1, 6;

b) nos omnes ad eandem perfectam sanctitatem vocari;

c) ex nobis, quosdam aliis ut eorum pastores inservire, istos vero, pastoribus oboedientes, ad communem salutem cooperari teneri;

d) nomine laicorum Synodum intelligere fideles qui neque ad ordinem hierarchicum neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent.

§ 24 praecipue versatur in explicatione naturae sacerdotii universalis regalis fidelium, de quo supra in § 23.

Huic adiungit brevem explicationem illius quod est *sensus fidei* omnibus fidelibus communis, necnon charismatum, uti dicuntur, sive naturae magis ordinariae sive extraordinariae.

§ 25 dedicatur doctrinae apostolatus laicorum et quidem sub aspectu triplici, scilicet, sive *a*) fidem mundo annuntiando; sive *b*) in mundo viventes valores morales omnimode promovendo in obsequium et emolumentum Evangelii; sive *c*) operibus etiam saecularibus dedicatos, se, Dei gratia adiuvante, sanctificando, et ita, bonis creatis uti oportet utendo, fiant Ecclesiae lumen in salutem gentium.

§ 26 exponit relationes laicorum ad Hierarchiam. Ius eorum est ut a Pastoribus pascantur et ut necessitates suas ipsis filialiter exponant.

Officium eorum est ut pastoribus oboediant et eos revereantur, pro eis quoque Deum orando.

§ 27 exhortatur laicos ut eorum missionem in Ecclesia indesinenter expleant, Evangelium non erubescentes.

De quarto Capite

Quartum Caput constat novem paragraphis.

In Prooemio (§ 28) enuntiatur:

a) omnes omnino fideles ad perfectam sanctitatem vocari;

b) quosdam vero ut per eorum vitae statum, ab Ecclesia sancitum, praeclarum testimonium et exemplum praebeant huius universalis vocationis.

§ 29 enucleat universalem fidelium vocationem ad sanctitatem.

§ 30 enucleat vocationem peculiarem ad sanctitatem in clero, et in matrimonio coniunctis: omnes omnino fideles hortatur ut eam sectentur.

Paragraphi 31 ad 35 agunt de consiliis evangelicis, scilicet de paupertate, castitate et oboedientia (§ 31), de statibus vitae in quibus homines, in ordine ad perfectionem caritatis, se ligant ad praxim consiliorum (§ 32), de momento horum statuum (§ 33), de eorum ab Ecclesia dependentia (§ 34), de honore in quo in Ecclesia habendi sunt (§ 35).

In § 36 qua Caput Quartum concluditur, laudantur homines et mulieres qui se praxi consiliorum consecrant. Schema eos hortatur ut per ipsorum vitam Ecclesia in dies melius Christum commonstret.

5 – PATRUM ORATIONES

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Loquor non tantum in meo nomine, sed etiam nomine 66 episcoporum vel Patrum conciliarium linguae germanicae et linguarum scandinavicarum.

Schema in genere placet.

1. Quia doctrina eius videtur esse clara et recta; quia schema bene observat respectum pastoralem et oecumenicum, quem tantopere commendavit Ioannes Papa XXIII immortalis memoriae; quia evitat stylum mere apologeticum vel iuridicum, quorum uterque optimam partem habebit in suo loco, sed minus quadrat in documento conciliari; et quia spirat schema spiritum revelationis divinae, hauriens ex thesauro Sacrae Scripturae et Traditionis omnium locorum et temporum.

2. Laudandum quoque videtur ut in primo capite de Mysterio Ecclesiae non una tantum imago affertur, scilicet Corporis Mystici Christi, sed etiam multae aliae imagines, ut de grege, de sponsa Christi, etc. Forsitan arctius hae imagines coniungi poterunt conceptu Sacramenti primordialis (germanice « Ursakrament »), qui in omnibus istis imaginibus verificatur et quia et elementum visibile et invisibile, argumentum iuridicum et mysteriosum in hoc conceptu sacramenti primordialis exprimitur. Secundum dicta a Beatissimo Patre Nostro Paulo in oratione hesterna, in fine quaerenda erit definitio essentialis Ecclesiae, non quidem in forma definitionis dogmaticae conciliaris, sed in forma declarationis Concilii.

3. Laudandum quoque videtur ut fraterna connexio christianorum cum gente Veteris Testamenti adumbratur, post tot dissidia, post tot culpas contractas; et quod etiam ius et officium Ecclesiae evangelizandi verbum Dei in toto orbe terrarum fundatur. Et quamvis sequetur speciale schema *de missionibus,* fortius adhuc poterit dici quod missio non est aliquid superadditum Ecclesiae, sed procedit ex intima eius essentia.

4. Bene etiam illustrantur relationes christianorum catholicorum cum fratribus separatis, ita ut solidum fundamentum ponatur pro sano oecumenismo. Gratias etiam agimus Beatissimo Patri Nostro Paulo

propter verba quae heri dixit de culpis confitendis et condonandis, verbis vere emotis et emoventibus. Forsitan aliqui vituperabunt quod quaestio non solvitur, quis sit membrum Corporis Christi, quis non. Sed ex verbis ipsius Apostoli Pauli, haec quaestio solvi non potest, quia Apostolus aliquo alio sensu his terminis utitur, scilicet vult dicere quod functiones singulorum christianorum sunt diversae iuxta officia et charismata a Spiritu Sancto eis data, et ut ita conforment organum, id est organismum, id est Corpus Christi Mysticum cuius ipse Christus est caput, et Ecclesia pleroma Christi.

In secundo capite, iuxta decisionem sapientem commissionis coordinativae, erit locus de populo Dei, et multae pulchrae sententiae de capitibus tertio et quarto ibi locum habebunt; etiam ex quarto, ex. gr. idea de vocatione omnium fidelium ad perfectionem et sanctitatem, cui forsitan addenda erit commemoratio paupertatis et passionis Christi in quo omnes aliquo modo partem habere debent et vocati sunt ut conglorificentur cum ipso Christo.

In capite de institutione Ecclesiae hierarchica et de episcopis, multa pulchra dicuntur de officiis ecclesiasticis, ut ministeriis, non dominiis; de collegio episcoporum sub capite suo, Summo Pontifice. Sed in articulo qui agit de munere docendi episcoporum plus dicitur de munere Summi Pontificis et eius infallibilitate quam de munere docendi episcoporum ita ut sentiatur quaedam anxietas ac si per auctoritatem magis sublineatam episcoporum auctoritati Summi Pontificis aliquo modo detrectari possit. Exemplo sit in hac materia quod fecit Gregorius Magnus Papa scribens ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum se non bene vocari Patrem universalem, quod fecerat iste Eulogius, et comprobat sententiam suam istis praeclaris verbis quae citat Vaticanum I immediate post dogmaticam definitionem infallibilitatis Summi Pontificis. Dicit S. Papa Gregorius: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, si singulis quibusque debitus honor non negatur ».

Demum adhuc ab aliquibus desideratur novum ultimum caput de Ecclesia in sanctis perfecta, sicut in primo capite exordia Ecclesiae in Vetere Testamento incipiens a iusto Abel, haec exordia Ecclesiae adumbrata sunt. Communicantes cum Sanctis et imprimis cum Beatissima Virgine Maria, missarum sollemnia celebramus. Sancti perfecti, qui iam sunt in caelo, ergo essentialiter pertinent ad mysterium Ecclesiae, quae non tantum hic in terris peregrinatur, sed in sanctis iam fruitur gaudio Christi. Sic etiam praeparatur transitus naturalis et optimus ad declarandam doctrinam de Beata Maria Virgine et eius relatione ad Ecclesiam quam omnes nos desideramus.

Ceterum censeo, et mecum supra enumerati episcopi et Patres conciliares, schema propositum *de Ecclesia* non quidem iam esse perfectum, sed vere esse fundamentum aptum ad ulteriorem disceptationem de hac materia summi momenti a qua etiam aliquomodo dependent omnia adhuc in hac sessione a Concilio dicenda. Nihil laboris nobis nimium sit ut in hac materia ad felicem exitum perveniamus et inserviamus hominibus, quibus praecones verbi Dei nos positos agnoscimus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Loquor non tantum meo nomine sed etiam nomine 66 patrum linguae Germanicae et linguarum Scandinavicarum.

Schema in genere placet.

I - 1. Et quidem, quia doctrina eius est clara et recta; quia respectum pastoralem et oecumenicum bene observat, quem tantopere commendavit Ioannes Papa XXIII immortalis memoriae; quia evitat stylum mere iuridicum vel apologeticum, quorum uterque in suo loco optimam partem habere potest, sed in documento conciliari minus quadrat; quia spirat sensum revelationis hauriens ex thesauro Sacrae Scripturae et traditionis omnium temporum et locorum.

2. Laudandum quoque videtur, quod Ecclesia non una tantum imagine describitur, scilicet mystici corporis Christi, sed multis etiam aliis, ut gregis, domus Dei, populi Dei, sponsae Christi, quibus Sacra Scriptura utitur, ita ut mysterium Ecclesiae multo divitius et profundius delineetur. Optandum forsan, uti variae hae imagines arctius inter se coniungantur conceptu sacramenti fundamentalis (germanice " Ursakrament "), qui in omnibus his imaginibus verificatur et tam elementum visibile quam invisibile, tam iuridicum quam mysteriosum Ecclesiae exprimit.

3. Laudandum quoque, quod in ipso capite de Ecclesiae mysterio fraterna connexio explicatur cum antiquo populo Dei verbis ex Sacra Scriptura depromptis post tot dissidia, immo, proh dolor!, culpas a Christianis contractas, et fundamentum spirituale ponitur pro missione Ecclesiae ad omnes gentes. Et quamvis sequetur speciale schema pro missionibus, desiderandum videtur, ut hic iam fortius inculcetur, missionem non esse aliquid Ecclesiae superadditum, sed ex eius intrinseca essentia prodire.

4. Bene etiam describuntur relationes inter catholicos et fratres Christianos separatos, ita ut solidum fundamentum ponatur sani oecumenismi. Vituperabunt forsitan aliqui, quod in schemate non solvitur quaestio, quis sit membrum corporis Christi, quis non; sed ex ipsis verbis Sancti Pauli haec quaestio dirimi non potest, quia Apostolus tantum loquitur de variis functionibus fidelium, qui ut membra unius corporis corpus Christi mysticum constituunt. Si haec quaestio ponatur in hoc almo consessu, verisimiliter lis magna oriretur, sed magis de verbo quam de re.

II - Iuxta sapientem decisionem commissionis coordinativae caput II erit de populo Dei. In hoc ergo II capitulo multae sententiae locum habebunt ex capitulo III et IV, praesertim quod ibi dicitur de vocatione omnium fidelium ad perfectionem et sanctimoniam.

III - In III capitulo de constitutione hierarchica Ecclesiae et praesertim de Episcopis multa placent, sed in articulo de Episcoporum munere docendi plura

dicuntur de primatu Romani Pontificis, quam de auctoritate docendi Episcoporum, ita ut quaedam anxietas sentiatur, ne auctoritati Summi Pontificis per auctoritatem Episcoporum magis sublineatam aliqualiter detrectari possit. Exemplo sit generositas Sancti Gregorii Magni, qui in epistola ad Patriarcham Alexandrinum Eulogium scripsit se non velle vocari patrem universalem, quod fecerat Eulogius, et hoc comprobat verbis istis, quae citat Vaticanum I: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur » (Denz. 1828).

IV - Denique adhuc est desiderium, quod addatur schemati caput quoddam de Ecclesia in Sanctis iam perfecta, sicut in primo capite etiam exordia Ecclesiae incipientis a iusto Abel adumbrata sunt. Communicantes cum Sanctis et imprimis cum Beata Maria Virgine missarum sollemnia celebramus. Fratres perfecti essentialiter ergo ad mysterium Ecclesiae pertinent, quae non solum in terris peregrinatur, sed in Sanctis iam gaudio Domini fruitur. Sic etiam transitus optimus praeparatur ad doctrinam de Beata Maria Virgine.

Ceterum censeo schema propositum esse aptum fundamentum pro disceptatione ulteriore huius materiae, quae erit summi momenti et ex qua dependent quasi omnia in hoc Concilio ulterius dicenda. Nil laboris nobis nimium sit, ut ad finem bonum perveniamus et hominibus inserviamus, quibus praecones Evangelii Dei positos nos agnoscimus.

Elenchus Patrum conciliarium linguae Germanicae et Scandinaviae in Conventu Fuldensi dierum 26 et 27 augusti 1963 participantium:

Em.mi DD. cardd. Frings, arch. Colonien., Döpfner, arch. Monacen. et Frisingen., Alfrink, arch. Ultraiecten., Exc.mi DD. Rohracher, arch. Salisburgensis, Schneider, arch. Bambergen., Schäufele, arch. Friburgen., Haering, ep. Scioceuven. (expulsus), Cobben, ep. Helsinkien., Raible, ep. tit. Anemuren., Weber, ep. Iceuven. (expulsus), Splett, ep. Gedanen., Landersdorfer, ep. Passavien., von Streng, ep. Basileen. et Luganen., Hünermann, ep. aux. in dioec. Aquisgranen., Suhr, ep. Hafniae, Gunnarson, vic. apost. Islandiae, Stein, ep. aux. in dioec. Treviren., Bolte, ep. Fulden., Köstner, ep. Gurcen., Schröffer, ep. Eystetten., Pietsch, ep. aux. in dioec. Secovien., Leiprecht, ep. Rottenburgen., Kempf, ep. Limburgen., Zauner, ep. Lincien., Jachym, arch.-coad. in dioec. Vindobonen., Cleven, ep. aux. in dioec. Colonien., Hiltl, ep. aux. in dioec. Ratisbonen., Schoiswohl, ep. Secovien., Wehr, ep. Treviren., Baaken, ep. aux. in dioec. Monasterien., Kampe, ep. aux. in dioec. Limburgen., Zimmermann, ep. aux. in dioec. Augustan. Vindel., Emanuel, ep. Spiren.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Ecclesia exaratum,*[1] est bonum fundamentum ut per partes eiusdem textus discussioni Concilii subiciatur.

Textus exaratus satagit[2] ut generaliorem, ampliorem et profundiorem praebeat de Ecclesia considerationem.

Certe aliqua tamen emendanda et complenda sunt. Etenim:

1. Cum generalior conspectus praebetur accidit quandoque ut res minus definitae evadant et possint minori proprietate intelligi;

2. Aliqua apparent ut possint diversimode interpretari ita ut aequivocatio possibilis sit;

3. Aliqua desunt.

Velint Patres duo considerare:

a) cum progressum cognitionis veritatis promovere recte debeamus, progressus non esset si aliqua dicerentur minori claritate quam antea;

b) in scholis theologorum dubia, malae interpretationes, quaestiones onerosae oriuntur non solum ex his quae minus aptae in aliquibus documentis dici possunt, sed etiam ex his quae tacentur.

Quibus praelibatis sive de bonitate, sive de perfectibilitate textus *exarati,*[3] qui nobis subicitur, censeo posse nos transire ad considerationem singulorum *capitum. De particularibus vero suo loco dicam.*[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Admittendum est eundem textum satagere. [3] deest. [4] articulorum.

3

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Fratres,

Circa principia generalia schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* liceat mihi haec animadvertere:

1. Valde placent verba haec quae leguntur in introductione: « praecedentium Conciliorum argumento instans ».

Mentio ista optime respondet menti Summi Pontificis Pauli VI, em.mo card. Decano, die 12 huius mensis, scribentis: « Oportet enim ut doctrina fidei, certa et immutabilis, a Supremo Ecclesiae Magisterio et a superioribus Conciliis Oecumenicis praesertim Tridentino et Vaticano I, declarata vel definita, cui fidele obsequium praestandum est, ea ratione exponatur, quam tempora nostra postulant ».

His verbis, clare indicantur praesentis Concilii duae praeclariores notae: continuitas et adaptatio.

2. Amplior et clarior expositio in votis esset de Ecclesia ut Mystico Corpore Christi, praesertim post Litteras Encyclicas Pii XII *Mystici Corporis.*

3. Actus fidei de Ecclesia, in n. 7 expressus, perfecte satisfacit catholicis, et plene respondet exspectationi christianorum non-catholicorum, qui sincera anima scire volunt quaenam sit revera fides catholica circa Ecclesiam Christi.

4. Clarior optaretur expositio nexuum Ecclesiae cum christianis non-catholicis; ibique dicendum esset quod de essentia Ecclesiae Christi est unitas magisterii et regiminis, cuius fundamentum et centrum est primatus Romani Pontificis.

Cum autem fratres separati « integram fidem et unitatem non profitentur », hoc constituit imperfectionem essentialem relate ad unitatem Ecclesiae Christi.

5. Schema multa dicit de aequalitate membrorum in Ecclesia, sed pauca de eorum inaequalitate.

Conatus ostendendi quod fideles habent obligationem apostolatum exercendi non debet celare vel mitigare realitatem distinctionis fidelium a pastoribus.

Opportunius fortasse esset exponere, initio huius capitis, breviter, clare et distincte, doctrinam catholicam, scilicet: Ecclesia Christi est

societas hierarchica, proinde inaequalis, et ita a Christo auctore constituta ut alii doctores alii discipuli, alii praepositi alii subditi, alii mysteriorum dispensatores alii sanctificandi, licet omnes ad eundem ultimum finem tendant. Praepositi autem et doctores sunt ut ministrent, subditi autem et discipuli ut ministrentur, etsi hi etiam solliciti esse debeant de proximi salute et ad apostolatum communem cum Pastoribus cooperari.

Iuvat haec omnia clare exponere ut vitetur error dicentium: « Plenitudinem potestatis esse penes fidelium coetum qui, cum non possit per se implere munera sacerdotio et magisterio adnexa, delegat peculiares ministros ad haec munera obeunda, qui ministri proinde dirigunt et docent auctoritate a fidelium coetu accepta ».

6. Ne falsae interpretationes dentur circa sacerdotium universale, opportunum videtur referre quod Concilium Tridentinum hac de re *retulit:*[1] « Quod si quis omnes christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam Hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere »...[2]

Utiliter etiam in memoriam revocari potest id quod Pius XII dicit, hac de re, in Litteris Encyclicis *Mediator Dei.*

7. Quae schema dicit de vita salutifera et apostolica laicorum possunt forsan tentationem praebere laicis contemnendi aliquo modo praepositos minus doctos et agendi independenter ab eis.

Ut hoc periculum vitetur, iuvat, ante omnia, clare et distincte exponere quod essentiale est doctrinae catholicae circa apostolatum laicorum, referendo, e. g. haec quae dicit Ioannes XXIII in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra*: « At si forte contingat, ut de hac causa sacrae auctoritatis ordines aliquod praeceperint vel decreverint, palam est huic sententiae esse ab hominibus catholicis proxime parendum. Ecclesiae enim non tantum ius et officium est tueri principia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis ».

8 *et ultimo.*[3] Felicissima est, in conclusione, mentio exempli Christi in monte contemplantis, quibus verbis magis magisque ostenditur necessitas interioris vitae spiritualis, quae fundamentum constituit veri apostolatus.

Schema, consideratis quae humiliter adnotavi, placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] statuit. [2] (cf. Denz. 960). [3] deest.

4

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores dilectissimi,

Schema *de Ecclesia,* valde cum mihi in genere placeat, in nonnullis complendum, in quibusdam corrigendum, in aliis perficiendum esse puto...[1] Sufficiat hodie quasdam animadversiones generales exponere.

1. Nostrum schema, apertum et clarum christifidelibus, prout proponitur clausum et fere inintelligibile est non-christianis. Paucissima quae non-christianis et de non-christianis edisserit, non animos eorum efficaciter disponere valent ad verbum Dei de eorum vocatione ad salutem et redemptione suscipiendum. Non-christiani sunt amplissima maior pars mundi et eorum oblivisci vel eos negligere nefas erit. Consequenter, ut nostrum schema finem suum missionarium obtinere possit, necesse erit explicito modo declarare:

a) relationem et originariam connexionem cum Sacra Biblia, veritatum religiosarum et principiorum moralium, quae in libris et primigeniis traditionibus populorum gentium continentur, utpote ex eodem divino fonte et ex eadem naturali lege promanantibus;

b) relationem et connexionem aeterni consilii Dei et mysterii Ecclesiae cum salute omnibus gentibus praeparata: Abraham ex gentibus vocatus ut acciperet promissiones; Regnum Dei universalitatis suae splendorem gradatim cursu temporum per prophetas praenuntiatum; Christus recens natus Magis ab oriente venientibus se ostendens; et ipse Christus mittens in universum mundum Apostolos suos qui docerent et baptizarent omnes gentes;

c) relationem et connexionem nonnullarum firmiorum veritatum religiosarum et praeceptorum moralium cum doctrina praedicata et lege morali a Christo promulgata. Nam si quid boni, si quid veri, si quid pulchri in religionibus non-christianis invenitur, a Deo originem ducunt et in religionem a Iesu Christo, omnium Redemptore, praedicatam feliciter confluunt;

d) unitatem et aequalitatem omnium hominum, ratione originis, ratione vocationis ad haereditatem Dei, ratione Redemptionis, ratione mediorum ad salutem, et ratione finis;

e) quasdam veritates, semel ac absoluta certitudine, quia a Deo revelatae possidentur, fundamentum esse cognitionis multarum verita-

tum etiam ordinis naturalis, quae homo, a suo Creatore intelligentia ditatus et a Christo Redemptore reparatus, suo indefesso labore, deducere, invenire et evolvere potest, donec propriis necessitatibus obviam veniat et totius terrae plenam possessionem capiat.

2. Nostrum schema omnino etiam omittit argumentum de patriarchis, quod fratribus orientalibus sive catholicis, sive orthodoxis, carissimum est, eritque semper. Patriarchatus est in Ecclesia quaedam realitas viva a primis saeculis, orta ex vitali Ecclesiae dynamismo, qui aliud non est nisi actio Spiritus Christi et Dei, Ecclesiam animantis et quasi manu ducentis.

Aliquid ergo, quod theologice patriarchalem institutionem clarescat, dicere necessarium videtur in capite de Sacra Hierarchia.

3. Nostrum schema corrigendum et reordinandum est in sua structura fundamentali:

a) Ecclesia merito praesentatur ut Corpus Christi Mysticum, et in hoc plene consentio cum schemate. Verumtamen, in ipso cap. I ...[2], saltus fit a Corpore Mystico ad Ecclesiam societatem externam et visibilem, antequam pons inter utramque ripam protendatur. Hiatus ille primum repleri necesse est, et repleri potest, expressius urgendo et accommodando imagines biblicas, quae Ecclesiam exhibent ut populum Dei, ut Regnum Dei, ut Templum et Domum Dei.

b) De aequalitate et inaequalitate membrorum, agit schema in cap. II, ubi de populo Dei. Aequalitas vero membrorum ad Ecclesiae constitutionem pertinet, nec rumpitur nisi realitatibus supernaturalibus e sacramento Ordinis profluentibus, quae membra quaedam Ecclesiae constituunt magistros, dispensatores Mysteriorum Dei et pastores dominici gregis. Aequalitas ergo membrorum affirmanda est in ipso capite, vel in introductione ad caput de constitutione hierarchica Ecclesiae, ut quasi naturaliter fluat sermo de auctoritate externa in Ecclesia.

c) Similiter, de vocatione ad sanctitatem, quae communis est omnibus baptizatis, etsi non eodem modo ab omnibus adipiscenda, loquitur schema in cap. V, ubi de statibus perfectionis adquirendae.

Sed aliud est vocatio ad sanctitatem, aliud *sunt* [3] status perfectionis adquirendae. Si vocatio ad sanctitatem intrinsece consequitur Baptismum, constitutivum Ecclesiae elementum est; ac proinde ad cap. I aliquo modo trahenda erit, saltem principium *illic* [4] statuendo, ut in cap. V fusius enucleetur dum de statibus perfectionis adquirendae ex professo agatur.

d) Quidquid de presbyteris et diaconis...[5] declaratur, proprium locum postulat versus finem eiusdem capituli, quando, nempe, absolutus est sermo de episcoporum muneribus. Locus presbyteris et diaconis

in schemate nunc assignatus, non solum materiae continuitatem solvit, sed quodammodo etiam praeiudicatam praebet nobis quaestionem de missione *episcoporum*.[6]

4. Nostrum denique schema ad vias suas redire debet extra quas aliquantulum vagat:

a) Schema omnem speciem iuridicismi vitare sedulo curavit, sed quandoque hic illucque dormitavit commissio et conceptus iuridicos non paucos superseminavit in hoc agro theologico. Cogitate ea fere omnia quae de diaconis docet, ...[7] ea etiam quae de Romano Pontifice et Concilio, ...[8] illa quae ad supremam operis missionum ordinationem pertinent, ...[9] illaque quae missionem episcoporum respiciunt in quinque ultimis lineis n. 18.

b) Ab expositione doctrinali quae ipsius est propria, schema transitum facit ad formulas exhortatorias quae, quia ipsius propriae non sunt, expungi bonum erit.

c) Nimis reiterative primatum Romani Pontificis schema proclamat et defendit. Non quod vera non sit doctrina, sed quod non est necesse doctrinam iterum iterumque asserere. Sic, e. g., in n. 19, ubi de episcoporum munere docendi, potius agere videtur de infallibilitate successoris Petri quam de auctoritate magisteriali episcoporum, quod laudem meam mereretur si quid novum, praeter ea quae a Vaticano I dicta fuere, adderetur vel sub nova luce poneretur.

Haec et alia opportune dicenda si corrigantur, schematis approbatio facilis eveniet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Mecum subscribunt votum 20 Patres conciliares. [2] n. 7. [3] deest. [4] deest. [5] sub n. 15. [6] presbyterorum. [7] n. 15. [8] in n. 16. [9] in n. 17.

[*Subsignaverunt etiam*:] Ferdinandus card. Quiroga, arch. Compostellanus; Gregorius Mogredo, arch.-ep. Barcinonensis, Secundus García de Sierra, arch. coad. Ovetensis, Sanctus Moro, ep. Abulensis, Emmanuel Fernández, ep. Cordubensis, Daniel Lorente, ep. Segobiensis, Raymundus Iglesias, ep. Urgellensis, Vincentius Enrique, ep. Celsonensis, Fidelis García, ep. tit. Sululitanus, Raphael Alvarez, ep. Guadicensis, Eduardus Martínez, ep. Zamorensis, Innocentius Rodríguez, ep. Conchensis, Ioannes Petrus Zarranz, ep. Placentinus, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis, Anastasius Granados, ep. Cidramensis, Franciscus Barbado, ep. Salmantinus, Abilius del Campo, ep. Calagurritanus, Felix Romero, ep. Giennensis, Alfonsus Ródenas, ep. Almariensis, Saturninus Rubio, ep. Oxomensis.

5

EXC.MUS P. D. CAROLUS A. FERRERO DI CAVALLERLEONE
Archiepiscopus tit. Trapezuntinus

Venerabiles Patres,

Super schema *de Ecclesia* aliqua verba facio, rem omnem spectantia.

In « Elencho schematum Constitutionum et Decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus », post schema *de Ecclesia* indicatur schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae.*

Atqui, si Beata Virgo — cui (nunc quasi per transennam dico) plane singulari modo suprema dignitas debetur Matris Dei, quia de fide est Mariae Divina Maternitas — si Beata Virgo, dico, vocatur — et vocatur quia est — *Mater Ecclesiae,* curnam schema *de B. Maria Virgine* non debet in unum coalescere cum schemate *de Ecclesia?* Mihi videtur inauditum et novum de aliqua familia, de aliqua domo disserere et cogitare eandemque extollere et laudare, dum silentium fit quoad matrem illius familiae, quoad illius domus amantissimam et sapientissimam dominam!

Ergo, humillime sed ardentissime exopto, venerabiles Patres, ut duo praelaudata schemata unum deveniant.

Moderator card. AGAGIANIAN: Exc.me Domine, hoc iam est in proposito Concilii.

Orator: Gratias quam maximas tibi ago, em.me Domine!

Quod si preces meae vestram non obtinebunt consensionem, saltem faveatis, venerabiles Patres, ut in schemate *de Ecclesia,* et quidem pluribus in eiusdem locis, dogmatice loquatur de singularissimo munere quod Mater Dei exercet in Ecclesia Christi: enim schema silet de Beatissima Virgine tum maxime quando de Matre Iesu clarior et ardens locutio exspectaretur. Duo tantum commemorationes, ni fallor, fiunt in schemate *de Ecclesia* relate ad Beatam Virginem: una brevissimam et indirectam facit mentionem « pietatis erga Deiparam Virginem » christianorum fratrum nostrorum dissidentium, altera exemplum Mariae indicat quia « subsecuta est Christum Dominum » evangelica consilia amplectendo. Sed nihil de Maria in capite de Ecclesiae mysterio dum commemoratur « Aeterni Patris de universali salute consilium », « Filii missio », « Spiritus Ecclesiam sanctificans », « Ecclesia ut Mysticum Corpus Christi », « Ecclesia in terris peregrina »: nihil de Maria in

capite...[1] « De Populo Dei in genere et de Laicis in specie »: nihil, vel fere nihil, attenta supradicta mentione Mariae in consiliis evangelicis, in capite...[2] « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia ». Haec omnia capita mihi videntur specialem exigere commemorationem Matris Dei, quae est *Mater Ecclesiae.* V. g., venerabiles Patres, quomodo possumus loqui de Corpore Christi Mystico sine ulla mentione Beatae Virginis, quam piissimi sapientes et antiqui Ecclesiae theologici saepe eleganter insinuant quasi *collum* inter Caput et Membra positum?

Sed nunc satis, quia intelligentibus pauca.

Concludo, tamen, quod si deploratae subsisterent lacunae marianae, schema *de Ecclesia* mihi videretur non integrum, immo graviter mutilum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (nunc tertio, quod erit postea secundum et quartum). [2] (quod erit quintum).

6

EXC.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* generatim spectatum dignum est quod laudetur non una ex ratione:

1. Imprimis quia doctrina modo contracto ac vivido exponitur necnon sapore biblico valde redolet. Quare indolem illam pastoralem prae se ferre videtur quae cuique episcopo summo cordi est.

2. ...[1] Doctrina modo positivo enucleatur, *ut mihi videtur.*[2] Unde divitias suas ostendit per id quod est, potiusquam per id quod contra alios dicit. Quo fit ut schema illum etiam aspectum induat oecumenicum ratione cuius Ecclesia de seipsa reddit testimonium sive pro filiis suis sive pro cunctis gentibus quocumque titulo a se seiunctis. Quae gentes, gratia Sancti Spiritus illuminatae ac roboratae, illam ingredi possunt tamquam domum propriam pro omnibus et singulis a Verbo Incarnato aedificatam.

3. Accidit, denique, quod unius immutabilis doctrinae novi aspectus *in praesenti schemate*[3] proferuntur qui tempore praeterito, etsi non denegati neque penitus incogniti, clara tamen luce nondum illustrati et prolati fuerunt, immo quandoque obiectum controversiae exstiterunt. Hinc: prima vice in documento magisterii sollemnis de laicis dogmatice agitur; quae dicuntur de episcopis, praesertim de eorum relationibus

ad Summum Pontificem, laudabile conamen complendi constitutionem dogmaticam *Pastor Aeternus* Concilii Vaticani I manifestant; doctrina de sacramentalitate episcopatus haesitationibus hucusque vigentibus tandem subtrahitur; statibus perfectionis locus, theologice fundatus, in vita Ecclesiae assignatur. Quae omnia progressui sacrae scientiae merito respondent, eique desideratum firmamentum afferunt.

Hae laudes schematis, *venerabiles Patres,*[4] quae officiosum mihi est non silere.

Tamen etiam defectus ac lacunas non unius generis liceat indicare; ex parte saltem, sunt fructus eorum ob quae ipsum schema laudatum est, iuxta adagium illud: « Optimum quandoque inimicum est boni ». Vires enim nostrae, quae etiam in Concilio oecumenico limitatae manent, ad id certe valent, assistentia Sancti Spiritus roboratae, ut bonum attingamus, etsi ab optimo interdum cogamur nos abstinere. Et si sapientis est immutare consilium, argumentum hic praebeamus illius christianae sapientiae quae etiam humilitatem necessario secum fert. Ad id igitur viribus unitis tendamus, ut praesens schema, ubi necessarium vel utile videbitur, ita perficiatur et emendetur, ut plenam consequatur adprobationem ad instar illius libri ab angelo Dei apostolo Ioanni hisce verbis consignati: « Accipe librum et devora illum: et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tamquam mel »...[5]

Haec siquidem sunt, quae, ut schema expolitionem et complementum consequatur, attenta consideratione digna videntur — *breviter*:[6]

1. Titulus ipsius schematis *de Ecclesia* complendus est per additionem verbi « Christi ». De una enim Ecclesia ab ipso fundata agitur et agi potest, quae igitur distinguitur ab omnibus aliis Ecclesiis, pariter hoc nomine se decorantibus. Verum quidem est in decursu schematis ambiguitatem de hac re non dari; sed praecise hoc ulteriorem praebet rationem cur totum schema « De Ecclesia Christi » inscribatur. Ita, de cetero, se gessit Concilium Vaticanum I, de eodem obiecto agens.

2. Inde ab initio schematis ...[7] Ecclesia praesentatur tamquam mysterium. Saltem sub aspectu psychologico huiusmodi incoeptum non parvam movet difficultatem, praesertim si consideretur quod *apud vulgus,*[8] apud populum vox « mysterium » non raro idem est ac « incognoscibile ». Addendum etiam quod, ob illum contextum, non attingitur notio Ecclesiae ita clara et perspicua ut mundo hodierno eam interroganti: « Tu quid es? Quid dicis de teipsa? » paucis verbis valeat respondere. Huic defectui obviari poterit si, praeter imagines quibus Ecclesia describitur, illa etiam praestantissima « Regni Dei » (*memoramini, venerabiles Fratres, Lucam et Paulum, praesertim Lucam), illa etiam praestantissima « Regni Dei »*[9] profunde indagetur, quae melius

quam aliae et aspectum Ecclesiae visibilem et aspectum pneumaticum et aspectum eschatologicum significat.

3. Alia *quaedam* [10] puncta quae immutationes indolis adhuc generalioris importare videntur.

Declaratur natura sacramentalis consecrationis episcopalis: res quidem valde desideranda...[11] Deest tamen qualificatio theologica huius declarationis. In re tanti momenti, haec lacuna procul dubio gravis est; eademque alibi *in schemate* [12] deprehenditur.

Quae dicuntur de collegialitate episcoporum horumque relatione ad caput suum Romanum Pontificem...[13], non sufficienter divinae revelationis fundamentis nituntur. Forsan plus proferuntur affirmationes quam solidae comprobationes adducantur. Unde sensus (*i. e. impressio, ut minus latine loquar...*) *unde sensus* [14] habetur non tam unitariae doctrinae catholicae, quam alicuius non undequaque certae constructionis theologicae. Ad istas praecavendas incertitudines, quae sive muneri nostro pastorali sive spiritui oecumenico nocent, quaedam suppeditantur media quae hisce subsequentibus animadversionibus indicantur:

a) Cum Concilium oecumenicum structurae collegialis regiminis Ecclesiae altiorem gradum visibilitatis manifestet, ipsius collegialitatis episcopalis congrua explicatio dari non poterit nisi antea natura Concilii oecumenici accurate explicetur. Iamvero intima natura Concilii, nominatim quoad vim ipsius indolis collegialis, non uni dubitationi subiecta manet; immo apud theologos quaestio adhuc ponitur utrum actus collegiales Concilii sint reapse actus collegii episcopalis. Difficultas ex eo praesertim oritur quod in Concilio vocem deliberativam habuerunt et habent (parum refert si tantum ex concessione papali) etiam praelati qui episcopi non sunt. Cum nulla detur limitatio Romano Pontifici circa numerum et qualitatem convocandorum ad Concilium, potest evenire quod in quibusdam actibus Concilii suffragium eorum qui episcopi non sunt pondus habeat determinans.

Quamobrem peropportunum mihi videtur ut in schemate *de Ecclesia* plus *disseratur* [15] de Concilio oecumenico, quam nunc habeatur ...[16]

b) Cum praesens schema *de Ecclesia* complere intendat doctrinam constitutionis dogmaticae *Pastor Aeternus* Concilii Vaticani I, ad huius Concilii doctrinam pressius accedendum est; et quidem: imprimis repetendo, ubi opus *fuerit,*[17] eiusdem ipsissima verba in eorum integro contextu, et praesertim formulas dogmaticas ita explicando et volvendo ut nulla species merae interpretationis theologicae exinde maneat.

Huiusmodi desiderium non oritur ex eo quod praerogativae Romani Pontificis denuo sint asserendae, sed ut adhuc clarius eluceat quod de episcoporum collegialitate in praesenti schemate dicitur.

4. Expositio doctrinae de Ecclesia, praesertim de magisterio — *iam audivi quae dixit exc.mus Morcillo, et ante ipsum, em.mus card. Frings* [18] —, manca videtur si doctrina quoque de divina revelatione in contextu ecclesiali non incorporatur. Ecclesia enim de divina revelatione vivit eiusque divina praesentia elucet ex eius habitudine ad verbum Dei. Quapropter etiam sub adspectu isto, schema nostrum complendum est.

Ad portum devenire debemus quia sonat campanula! Ergo voluissem simpliciter dicere aliquid de illa immutatione proposita a commissione cardinalitia coordinationis. Mihi placet.[19]

Hae sunt, venerabiles Patres, animadversiones quas nomine *multorum episcoporum Italiae, sapienti* [20] vestro iudicio relinquo. Satis!

In textu scripto tradito: [1] Insuper. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (*Apoc.* 10, 9). [6] deest. [7] (cap. I). [8] deest. [9] deest. [10] praecipua. [11] (cap. II). [12] deest. [13] (cap. II, n. 12, 13, 16, 17). [14] deest. [15] dicatur. [16] (in pag. 27, a lin. 28 ad 34). [17] erit. [18] deest. [19] 5. Ultima denique animadversio ordinem et tenorem capitum totius schematis respicit, subintelligendo etiam immutationes quae ex praecedentibus dictis profluere videntur.

Ansam huic animadversioni praebet propositum commissionis de laboribus Concilii ordinandis, ut cap. III de populo Dei et speciatim de laicis, in duas partes dividatur. Quod quidem propositum adprobandum videtur. Loco tamen tituli qui pro novo cap. II a dicta commissione de laboribus Concilii coordinandis suggeritur, nempe « De populo Dei in genere », liceat hunc titulum proponere, vid. « De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate »: melius enim ita percipitur nexus inter cap. I « De Ecclesiae Mysterio » et sequentia capita, quae hoc ordine sibi succedere deberent: ut cap. III ponendum esset actuale cap. II « De constitutione hierarchica Ecclesiae ». Deinde, tanquam cap. IV, ponendum esset cap. « de statibus perfectionis adquirendae », qui in sessionibus particularibus diebus 6, 7, 8 martii huius anni concordatus est a subcommissione mixta (ex membris commissionis theologicae et commissionis de religiosis), ratione etiam habita de iis quae circa eandem rem habentur in actuali cap. IV « De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia » (nn. 31-36, pagg. 19-23), cuius prima pars in novo cap. II esset reponenda.

In fine, tanquam cap. V, ponendum esset caput de laicis; pro cuius textu assumendus esset ille actualis cap. III, priore parte excepta quae pariter in novo cap. II esset ponenda.

Itaque hic ordo et tenor proponitur capitum totius constitutionis *de Ecclesia*: cap. I: de Ecclesiae Mysterio; cap. II: de membrorum in Ecclesia aequalitate et inaequalitate; cap. III: de constitutione hierarchica Ecclesiae; cap. IV: de statibus perfectionis adquirendae; cap. V: de laicis.

[20] etiam episcoporum Italiae coetus, sapientissimo.

7

Exc.mus P. D. PETRUS MARTINUS NGO-DINH-THUC
Archiepiscopus Huéensis

Em.mi Principes, venerabiles Fratres, humanissimi Observatores,

Paucas animadversiones offero.[1]

Generalis *quidem*:[2] optimum schema — tum quoad materiam substantialem, completam, tum quoad compositionem — potest aestimari exemplum constitutionis. Auctores laudandi sunt.

Minimae *observationes, minimae*[3] clarificationes tantum desiderantur; exempli gratia:

1. Pag. 7, lin. 23. Agitur de Ecclesia Dei iam ab Adamo existens. Cur ergo adhibitus est textus ad illius existentiam probandam: « Quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum »? Excluditur ergo Adam?

2. Pag. 8, lin. 2. Agitur de sancta Ecclesia Dei, existente iam ab origine mundi. Textus qualificat illam Ecclesiam esse praefigurationem Ecclesiae Christi...[4]

Moderator card. Agagianian: Exc.me Domine, sermo debet fieri de schemate in genere, non de singulis partibus.

Orator: Sed quid est hoc, relate ad tantum monumentum? Ideo mea interventio innititur textui huius cap. I, pag. 13, art. 10...

Moderator card. Agagianian: Non agitur de cap. I, vel pagina tali, sed de schemate in genere: utrum sit basis sufficiens ut haec proponatur disceptationi Patrum conciliarium. De singulis capitibus, deinde fiet sermo separatim.

Orator: « De non-christianis ad Ecclesiam adducendis ». Cum magna consolatione adspicio delegatos Ecclesiarum christianarum non catholicarum praesentes his conventibus ut testes sint nostrae fraternitatis, sinceritatis, libertatis. Sed ubi sunt delegati, vel observatores non christianorum? An non indigent hoc conspectu mirifico unitatis Ecclesiae catholicae? An non indigent expositione nostrae fidei christianae? An populi quos repraesentant non efformant tertiam partem — an verius maiorem partem — harum ovium dispersarum quas Christus anhelavit ut intrent unum ovile?

Scandalum proveniens toti mundo ex absentia invitationis mittendae ad capita Religionum non christianarum exposui in commissione centrali — sed in vanum. A Concilio instanter peto ut haec lacuna quam

primum compleatur ut non sit discriminatio odiosissima inter Religiones et Religiones.

Haec absentia invitationis ad capita Religionum non christianarum confirmat aliquo modo praeiudicium illud serpens in mundo asiatico et africano: « Ecclesia catholica est Ecclesia pro hominibus albi coloris, non pro coloratis ».

Dum novae dioeceses quae in dies nascuntur in Ecclesia quasi omnes proveniunt ex Asia et Africa, ubi incolae non catholici, praesertim qui non sunt mahumetani, saepe desiderant non tantum uniri, sed identificari cum Ecclesia catholica.

Nescio quodnam praeiudicium prohibere potest invitationem ad gentes illas, quarum numerus est tamquam arena maris, mittere, ut possint contemplari faciem Matris Ecclesiae in persona Praesulum suorum, ut cor eorum attrahatur ad fidem et amplexum cum Matre Ecclesia, in qua non est distinctio Iudaei, neque Graeci, neque coloratorum et alborum.

Quid *de hac re,*[5] de hoc argumento, sentiunt Patres Concilii?

Tandem aliquando veniam peto a Patribus, quia vestra patientia nequicquam abusus sum, nam nuperrime amicus meus archiepiscopus Diamantinus monuit invitationem factam esse non catholicis et, miser ego, portam iam apertam aperire conatus sum. Ideo, si res vera est, benevolentiam Summi Pontificis laudibus maximis extollo et, si fas est, in nomine illorum non christianorum, gratias maximas ei pando.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Mihi videtur hanc Ecclesiam Dei esse Ecclesiam veram, non tantum praefigurationem — « un simple figurant » — et praeditam esse caracteristicis qualitatibus societatis perfectae, quamquam minoris perfectionis quam Ecclesia Christi. [5] deest.

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH GARGITTER
Episcopus Brixinensis

Venerabiles Patres,

Cum schema *de Ecclesia* thema centrale et principale sit, de quo in hoc Concilio Vaticano II tractatur, optandum est, ut doctrina de Ecclesia sub iis respectibus potissimum funditus studeatur, qui speciale momentum theologicum et pastorale hodiernis temporibus habent quique inserviunt, ut Ecclesia coram mundo catholico *et non catholico*[1] et non christiano ut lumen gentium pandatur.

Dum ergo iis libenter assentio, quae in laudem huius schematis iam dicta sunt, liceat mihi breviter *sequentia observare*:[2]

1. Ordo procedendi mihi aliquantulum alio modo redigendus esse videtur, ut tractatus magis organice *et logice*[3] procedat. Nempe, primo sermo sit, uti fit in schemate, de Mysterio Ecclesiae, sed deinde cap. II non agat de *hierarchia,*[4] sed de populo Dei, de quo fusiore et magis positivo modo tractandum esse videtur. Postquam de populo Dei actum est, sermo sit de iis, qui ex hoc populo Dei et pro eo a Deo eliguntur et constituuntur, ut eidem inserviant...[5]

Magni omnino momenti est, ut electio et dignitas populi Dei satis in lucem ponantur. Varia quidem et pulchra dicuntur in schemate de populo Dei, sed nimis obiter et non raro ita ut quasi cum quadam anxietate in memoriam revocetur dependentia laicorum ab hierarchia. Quod de cetero etiam fit ubi de episcopis sermo est, ubi etiam nimis frequenter de eorum necessaria submissione sub auctoritate Romani Pontificis mentio fit. Statuatur utique et in memoriam revocetur doctrina de ordine hierarchico qui a Christo Ecclesiae suae datus est. Sed de episcopis, de sacerdotibus et laicis, praeter eorum dependentiam a Romano Pontifice et ab hierarchia, multa et magna dicenda sunt, quin auctoritas hierarchica minuatur et quin de ea explicite sermo faciendus sit. Etiam dignitas nostra, qui sumus episcopi in Ecclesia, primarie ex eo venit quod sumus membra populi huius electi Novi Testamenti.

...[6] In S. Scriptura fuse et frequenter sermo est de populo Dei, quem Christus acquisivit sanguine suo, de genere electo, de regno et sacerdotio sancto, de plebe, quae in uno spiritu in unum corpus Christi coalescit et quae vocatur plenitudo Christi. Populus Dei: ...[7] qui ante constitutionem mundi electi sunt, ut sint sancti et immaculati in conspectu Dei in caritate...[8]

Exponatur ergo doctrina de populo ...[9] Dei, ita ut christiani conscientiam habeant et intimo gaudio afficiantur de eorum dignitate et electione per gratiam Christi in hoc mundo.

2. Ratione habita ad characterem pastoralem huius Concilii mihi peropportunum videtur, ut Ecclesia explicite et satis enucleate describatur ut Ecclesia Crucis, uti habetur ex S. Scriptura et Patribus. Ecclesia orta est ex latere transfixo Salvatoris in Cruce...[10] Nos omnes membra Ecclesiae facti sumus cum in baptismate cum Christo mortui et consepulti et resuscitati fuimus. Discipulus Christi cum Christo confixus est cruci, ipsum sequi oportet per viam crucis; si cum Christo unimur in Cruce simul et resurrectionis eius participes erimus...[11]

Ecclesia ergo est Ecclesia Crucis et Crucifixum in caritate, oboedien-

tia, humilitate et paupertate imitari eiusque imaginem in se ostendere debet.

Talis descriptio Ecclesiae non solum theologice fundatur et commendatur ex S. Scriptura et Patribus, sed magni *omnino* [12] momenti est etiam pro missione pastorali Ecclesiae in hoc mundo. Historia docet quale et quantum sit periculum, ne Ecclesia, quae his in terris vivit et operatur, huius mysterii nimis obliviscatur et spem suam in potestate et bonis huius terrae ponat et in explicando apostolatu nimis viribus humanis et naturalibus innitatur. Ubi Ecclesia Christum crucifixum sequitur in humilitate et *oboedientia* [13] in ea semper fulget crucis mysterium i. e. victoria pasqualis; si vero gloria terrestris mysterium crucis nimis tegit et circumdat, obscuratur quoque lumen Ecclesiae et mysterium resurrectionis.

3. Cum sermo fit de episcopis, quattuor puncta accuratius et cum maiore claritate *exponenda* [14] videntur: nempe episcopatus ut sacramentum, de collegio ...[15] eiusque munere et competentia relate ad Ecclesiam universalem; et de relatione collegii episcoporum ad Summum Pontificem, ...[16] et de relatione inter episcopatum et presbyteratum...[17]

4. In tractatu de Ecclesia etiam explicite in lucem ponendum est fundamentum theologicum apostolatus laicorum. Hodie ubique cum gaudio et gratitudine doctrina amplectitur de solidaritate totius humanitatis, solidaritas fundata in ipsa natura humana. Talis solidaritas in ordine gratiae a Christo instaurato novo fundamento novaque efficacia donata est. Legatur *S. Paulus in epistola ad Corinthios et ad Romanos.*[18] Uno verbo, fundamentum theologicum pro apostolatu laicorum in eo quaerendum est, quod cum quis membrum fit Corporis Christi non solum de bonis redemptionis participat, sed simul missioni salvificae Christi adstringitur, i. e. ad collaborandum in opere redemptionis hominum tenetur. Talis obligatio est generalis et omnes christianos respicit et tamquam fundamentum theologicum habenda est pro omni apostolatu *concreto et* [19] speciali laicorum. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] christiano. [2] proponere quae sequuntur. [3] deest. [4] hierarchica constitutione seu de episcopatu Ecclesiae. [5] (cf. *Gal.* 1, 1; *Hebr.* 5, 1; *Act.* 20, 28). [6] Itaque nimis parum est, quod in schemate de populo Dei habetur, et parum sentitur magnitudo, pulchritudo electionis et unionis populi Dei cum Christo prouti eruitur ex S. Scriptura. [7] sunt ii. [8] qui aedificantur lapides vivi in templum spirituale, qui facti sunt a Christo regnum et sacerdotium Deo Patri (cf. *Eph.* 1, 4; *Apoc.* 5, 10; *Eph.* 3, 9). [9] electo. [10] (cf. *Mystici Corporis*). [11] Celebrantes mysterium eucharisticum mortem Christi annuntiamus donec veniat. [12] deest. [13] exinanitione. [14] theologica exponenda esse. [15] episcoporum. [16] qui ut membrum huius collegii ex

Christi dispositione primatum totius collegii episcoporum tenet; [17] Tempus non adest ut ad singula pauca quaedam dicam. Liceat solum animadvertere quanti momenti sit modus, quo de episcopis et de hierarchia in genere sermo fit. Potestas et auctoritas in Ecclesia sunt servitium et ministerium in servitium populi Dei. Notandum est quod in Novo Testamento verba quae in Vetere Testamento vel pro hierarchia Veteris Testamenti vel pro potestate civili ad significandam potestatem vel auctoritatem adhibentur, v. g. verbum « potestas », graece « archè », nunquam inveniuntur ad significandum officium ecclesiasticum in Novo Testamento, pro quo habetur verbum « ministerium » seu « diakonìa ». [18] e. g. quae S. Paulus scribit in cap. XII epistolae I *ad Corinthios* de corpore eiusque membris: « Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra » (*1 Cor.* 12, 26). Et legatur, quomodo S. Paulus ex hac doctrina de mutua responsabilitate membrorum consectaria practica deducit, v. g. in epistola *ad Romanos* cap. 12, 9 ss.: « caritate fraternitatis invicem diligentes... necessitatibus sanctorum communicantes... cum omnibus hominibus pacem habentes ». [19] deest.

Moderator card. AGAGIANIAN: Crastina die, hora 9, habebitur alia sessio, congregatio generalis, in qua aliqui Patres verbum petierunt de schemate *de Ecclesia* in genere.

Et immediate postea fiet suffragatio utrum schema istud possit esse basis disceptationis, in qua disceptatione ad singula omnes Patres poterunt iuxta *Ordinem* facere suas animadversiones.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Patres qui locuti sunt, velint suam orationem exhibere secretariae generali, si possibile est, duplici exemplari.

Rogantur etiam Patres qui hodie prima vice interfuerunt congregationi et ideo locum habere non potuerunt proprium in aula, ut sua nomina patefaciant sic dicto centro mechanographico. Gratias!

CONGREGATIO GENERALIS XXXVIII

1 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XXXVIII
1 octobris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *Concilii secretarius generalis*:

Moderatur hanc trigesimam octavam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. Iacobus card. Lercaro.

Antequam nomina proferam eorum, qui loqui petiverunt, communico Patribus telegramma quod misit ad Patres conciliares exc.mus Ioseph Mancuso, ep. adm. ap. Mazariensis in Sicilia. Telegramma est lingua italica; lego latine:

« Exc.mus Ioachim Di Leo, arch. Mazariensis in Sicilia, moribundus, cupit certiores facere Patres consiliares de sua laetitia in offerendis incredibilibus doloribus, aegritudine et vita ipsa pro felici exitu laborum alterius periodi Concilii Oecumenici Vaticani II. Postulat consolationem orationum confratrum et praesertim benedictionem Sanctissimi Patris.

Subsignatus: Ioseph Mancuso
ep. administrator Mazariensis »

Si Patribus placet, poterimus respondere promittendo orationes et consolationem nostrae amicitiae moribundo Ioachim Di Leo, qui certe de hac re multum gaudebit. [*Plausus*].

Postulaverunt loqui adhuc circa schema *de Ecclesia* in universum, seu circa principia generalia: em.mi PP. DD. cardd. Randulphus Silva, arch. S. Iacobi in Chile, Laureanus Rugambwa; exc.mi PP. DD. Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada, Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia, Primus Gasbarri, ep. aux. Veliternus in Italia, Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia, Carolus Aramburu, arch. Tucumanen. in Argentina, Djajasepoetra, arch. Djakartanus in Indonesia.

1

EM.MUS P. D. RANDULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Venerabiles Patres,

Loquor nomine quadraginta quatuor episcoporum ex America Latina.

Censemus schema *de Ecclesia,* prouti iacet, basim esse fructuosi laboris conciliaris. Nobis ergo in genere placet. Aliqua tamen animadvertere nobis fas sit quae utilia arbitramur evadant.

1. Divisio cap. III in duas partes, quarum una efformabit novum caput « de populo Dei » et altera « de laicis », optima nobis videtur et quidem secundum ordinationem a commissione *de laboribus Concilii coordinandis* propositam in calce pag. 5 secundae partis.

Novum caput « de populo Dei » secundum locum habeat, antequam de hierarchia tractetur, ob rationes heri dictas ab exc.mo Ioseph Gargitter, ep. Brixinensi.

Cum doctrina in hoc novo capite ponenda sumatur partim ex cap. III, animadvertendum arbitramur quod categoriae, quibus ibi doctrina exponitur, distinctae sunt ab illis quibus loquitur de sacra hierarchia in cap. II. Cum autem sacra hierarchia populo Dei ministret, nobis videtur optandum quod etiam doctrina de populo Dei iisdem exponatur categoriis, unde in novo isto capite sermo sit de populo prophetico, de populo sacerdotali ac de populo regali, sicut a nobis iam humiliter propositum fuerat in cap. VI alicuius rescripti ad commissionem de doctrina mense ianuario missi.

Insuper deest in schemate, prouti iacet, aliqua brevis dissertatio aspectus ecclesialis communionis in unitate, seu « koinoniae », quod quidem magni momenti est, non tantum pro singulis fidelibus, sed etiam pro Ecclesiis particularibus ex quarum communione unica exstat Sponsa Christi.

Unde si in novo isto capite aliquid diceretur de hac « koinonia », melius evaderet, nostro iudicio, totum schema. Exemplum tractationis istius communionis iam proposuimus in cap. II rescripti super citati, qui apud commissionem de doctrina exstat.

2. Accedentes ad propositionem em.mi card. Frings de conscriptione alicuius capitis « De Ecclesia in sanctis perfecta », exoptamus ut etiam doctrina de Beata Maria Virgine in schemate *de Ecclesia* insera-

tur. Gavisi sumus de nuntio heri prolato ab em.mo card. Agagianian. In nostris enim regionibus Americae Latinae, pietas ac cultus erga Sanctissimam Dei Matrem saepius formas nimis separatas a Mysterio Christi eiusque Ecclesiae assumit.

Magni momenti ac utilitatis tum oecumenicae cum pastoralis pro omnibus esse arbitramur quod doctrina mariologica non appareat ut corpus quoddam theologicum a se, quasi independens, sed suum locum obtineat in toto complexu nuntii salutis. Sic ditabitur et expositio doctrinalis de Ecclesia et expositio doctrinalis de Beata Maria Virgine.

3. Denique antequam de cap. I in particulari agatur, nobis videtur opportunum indicare aliquos defectus in descriptione mysterii Ecclesiae qui vitandi sunt.

Optimum est quod hoc mysterium trinitarie describatur et pluribus imaginibus scripturisticis illustretur; tamen ad hoc faciendum duplicem defectum expungendum est, scilicet:

a) separare aspectus trinitarios Ecclesiae a sic dictis imaginibus scripturisticis, ac si daretur una pars conceptualis et altera imaginativa, et

b) non clare proponere quod ad unamquamque divinam Personam proprie vel appropriate refertur unde confuse et improprie describantur aspectus trinitarii.

Cum autem doctrina mysterii Ecclesiae maxima, qua par est, claritate exponenda sit, nobis visum est laboribus Concilii inservire proponendo aliquam redactionem textus, quam scripto trademus. Dixi.

Subsignati: *Ad primum* (De populo Dei): Raul card. Silva; Alfredo Viola, ob. de Salto; B. Piñera C., ob. de Temuco; Eladio Vicuña A., ob. de Chillan; Fr. B. Valenzuela, ob de Antofagasta; Alberto Rencoret, arzob. de Puerto Montt; Emilio Tagle C., arboz.-ob. Valparaiso; Marcos McGrath, CSC, ob. tit. de Ceciri, aux. de Panama; Manuel Santos, ep. Valdivia; Roberto Caceres, ob. di Melo; Humberto Tonna, ob. de Florida; Emanuel Sanchez, arzob. de Concepción; Augusto Salinas, SSCC, ob. di Linares in Chile; Armando Gutierrez Granier, ob. tit. de Pionia; Tomás A. Clavel M., ob. David; Sergio Méndez Arceo, ob. de Cuernavaca; Manuel Larrain E., ob. de Talca; Jorge Manrique H., ob. de Oruro; Antonius Castro B., ep. Palmira; T. Eugenin, SSCC, ob. tit. de Gerisso; Miguel Balaguer, ob. tit. de Castel Minore; Marcelo Mendiharat, ob. c. de Salto; Juan Fr. Fresno L., ob. de Copiapó; V. Borić, de Punta Arenas; Hector Rueda H., ob. de Bucaramanga; Alfonso Uribe, ob. aux. de Cartagena in Columbia; Miguel Angel Builes, ob. de S. Rosa in Columbia; Pedro José Rivera Mejía, ob. de Socorro y San Gil; Alejander Durán M., ob. de Ancud; José Rafael Pulido Méndez, arch. coad. de Mérida; Bernardo Arango, ob. de Marranca Bermeja; Arturo Duque Villegas, arz. de Manizales; Norberto Forero, ob. de Santa Marta; Luis Rodriguez, ob. de Santa Cruz in Bolivia; José M. Carrizo V., ob. de Chitré; Miguel Antonio Medina, ob. aux. de Medellín; Rafael Sarmiento, ob. de Ocaña; Francisco Gillmore, ob. tit.

de Auzia, vic. castr. in Chile; Juan Diaz Plata, prel. null. de Bertrania; Felipe Santiago Benítez, ob. aux. de Asunciòn; Guillermo Hartl, vic. ap. de Araucania; Al. Menchaca, ob. tit. de Pinara; H. Lara M., Vera Paz; Luis Baccino, ob. San José in Uruguay.

Ad secundum (de B. M. V.): Raul card. Silva; Alfredo Viola, ob. Salto in Uruguay; Bernardinus Piñera, ob. Temuco; Jorge Manrique H., ob. Oruro; Eladio Vicuña A., ob. Chillan; Franciscus B. Valenzuela, ob. Antofagasta; Humberto Tonna, ob. Florida; Alberto Rencoret, arzob. Puerto Montt; Manuel Santos, ep. Valdivia; Manuel Larrain E., ob. Talca; Armando Gutierrez Granier, ob. tit. Pionia; Miguel Balaguer, ob. tit. Castel Minore; Sergio Méndez Arceo, ob. Cuernavaca; José R. Pulido Méndez, arzob. coad. Mérida; Roberto Caceres, ob. Melo; Manuel Sanchez, arzob. Concepción; Marcelo Mendiharat, ob. coad. Salto; Juan Francisco Fresno L., ob. Copiapó; V. Borić, Punta Arenas; Antonio Castro B., ob. Palmira; Hector Rueda H., ob. Bucaramanga; Alfonso Uribe, ob. aux. Cartagena in Colombia; Arturo Duque Villegas, arzob. Manizales; Felipe Santiago Benítez, ob. aux. Asunción; Luis Rodriguez, ob. Santa Cruz in Bolivia; Norberto Forero, ob. Santa Marta; Miguel Angel Builes, ob. S. Rosa in Columbia; José M. Carrizo V., ob. Chitré; Pedro José Rivera Mejía, ob. Socorro y San Gil; Rafael Sarmiento, ob. Ocaña; Tomás A. Clavel M., ob. David; Bernardo Arango, ob. Barranco Bermeja; Francisco Gillmore, ob. tit. Auzia, vic. castr. in Chile; Juan Diaz Plata, prel. null. Bertrania; Alejandro Durán M., ob. Ancud; Miguel Antonio Medina, ob. aux. Medellín; H. Lara M., Vera Paz; T. Eugenin, SSCC, ob. tit. Gerisso; Augusto Salinas, SSCC, ob. Linares in Chile; Al. Menchaca, ob. tit. Pinara; Guillermo Hartl, vic. ap. Araucania; Luis Baccino, ep. San José in Uruguay.

2

Em.mus P. D. LAUREANUS card. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

Auditis vocibus plurium episcoporum Africae et Madagascar loquar.

Hoc schema *de Ecclesia* nobis placet, propter multas rationes, et praesertim quoad nos: propter suam amplitudinem visionis secundum consilium Dei, et propter aptiorem praesentationem Ecclesiae — sive ad intra sive ad extra — ut ex Sacra Scriptura et genuina Traditione Ecclesiae bene et clare elucet.

Iam in praecedentibus relationibus, alii oratores elementa digna nostra aestimatione immo admiratione optime notaverunt. Quorum effatis plene adhaeremus et *iisdem* [1] subscribimus.

Attamen tria nobis dicenda videntur:

Primo: quod missio essentialis Ecclesiae, quae revera eadem est quam missio ipsius *Verbi Incarnati* et speciatim evangelizatio mundi, non satis elucet in dictis de ipso mysterio Ecclesiae.

Secundo: quod conditiones nostri temporis ita urgent, ut notio vere ecclesiologica de missione elaboranda sit, radicitus fundata in ipso Ecclesiae mysterio.

Tertio: quod natura et vocatio populi Dei melius enucleantur, ut missio Ecclesiae pro totius mundi salute profundius et clarius intelligatur.

1. Ad primum quod attinet, optamus quod functio missionalis Ecclesiae melius elucescat. Etenim textus schematis quemdam defectum maximi momenti prae se fert. Nam schema intendit « missionem Ecclesiae universalem instantius declarare »; sed elementum essentiale huius missionis, scilicet evangelizationem, fere silet. Cum Ecclesiae mysterium non potest adaequate concipi sine referentia ad missionem evangelizandi mundum, clare exprimatur quod Ecclesia, missa ad mundum eadem missione fungere debet quam Filius a Patre accepit, ita ut per eam opus Christi in decursu saeculorum continuetur.

Gravius res se praebet si formulationes investigamus. Nobis videtur quod saepe formulationes nos ducunt ad contemplandam Ecclesiam « in suo facto esse », modo statico; sane Ecclesia Dei, his in terris non est tantum « in facto esse », sed « in fieri ». Animatur enim dynamismo interno, quo tendat non tantum tensione eschatologica ad consummationem in Deo, sed etiam tensione missionaria ad populum Dei augendum.

2. Quibus notatis, non satis apparet huius schematis necessarius aspectus missionarius. Attamen prae oculis habemus, venerabiles Patres, quando de functione missionali Ecclesiae loquimur, non agitur tantum de missionibus sic dictis exteris sed de tota Ecclesia. Evangelizatio, utpote Ecclesiae missio fundamentalis, sibi ipsi coextensiva est. Nostra aetate, Ecclesia praesens est in omnibus fere orbis regionibus. Quamquam magnopere prae oculis semper habere debemus differentias locorum et conditionum, tamen ubique terrarum inveniuntur coetus hominum, qui, extra Ecclesiam degentes, Christum Salvatorem adhuc ignorant, aut Christi obliti sunt. Missio igitur ubique invenitur. Optamus ut de missione sic intellecta sermo fiat in ipso schemate *de Ecclesia* et quae dictura sint, valeant pro Ecclesia universali. Missio ubique necessaria est. Ecclesia, ubique missionaria sit.

3. Denique tertium votum emittimus: ad melius exarandam naturam Ecclesiae et in maiorem lucem missionem eius essentialem dignoscendam, nobis videtur necessario profundius tractare de *populo Dei,* de *mysterio foederis* Deum inter et homines initi. Quapropter instanter petimus ut in effectum ducatur notatio a commissione de laboribus Con-

cilii coordinandis inducta, initio cap. III huius schematis, scilicet ut novum cap. II conficiatur cuius scopus erit *de populo Dei in genere* tractare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] plene.

3

EXC.MUS P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Em.mi ac rev.mi Patres conciliares,

Schema hoc novum *de Ecclesia* placet secundum modum.

A) Placet nempe:

1. Propter indolem scripturisticam, utendo scilicet expressionibus scripturisticis; praesentando Ecclesiam sub forma profundarum imaginum Scripturae Sacrae ut: vinea plantata a caelesti agricola, familia, templum, domus Dei, habitaculum Spiritus Sancti, *et sic porro.*[1]

2. Propter usum frequentiorem *traditionis Ecclesiarum orientalium,* per recursum nempe ad doctrinam talium Patrum orientalium ut: S. Ioannes Damascenus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Ioannes Chrysostomus, Origenes, S. Ignatius, S. Irenaeus, S. Basilius *Magnus.*[2]

3. Propter *insistentiam formalem in charactere collegiali episcopatus catholici,* consecrando huic quaestioni totum nn. 16 et 17.

4. Propter *eius spiritum oecumenicum,* qui *positive* affirmatur in agnitione coniunctionis cuiusdam Ecclesiae cum christianis non catholicis...[3]

B) Attamen schema hoc laborat quibusdam defectibus propter quod *non placet et emendari deberet.*

Primus defectus huius schematis, et maximus *in nostra humili opinione,*[4] est silentium schematis de regimine ...[5] collegii episcopalis super Ecclesiam universalem. *Loquitur saepe de collegio episcopali, utitur saepe adiectivo « collegialis », sed nunquam clare declaratur regimen Ecclesiae et Ecclesia universalis etsi est sub una potestate, sed deberet exerceri in duplici forma, forma Summi Pontificis ut Capitis Ecclesiae, ut Capitis collegii episcopalis, et collegii episcopalis cum Summo Pontifice ut suo Capite. Tale principium absolutum necessarium videtur in constitutione dogmatica Ecclesiae, ut postea in constitutione vel potius in decreto de episcopis possit elaborari aliqua forma concreta talis regiminis collegialis Ecclesiae.*

Principium hoc fundatur:[6]

1. *In Scriptura Sacra, ubi Christus dat*[7] potestatem plenam et universalem super universam Ecclesiam tum toto collegio apostolorum cum Petro et eius successoribus, tum Petro, capiti collegii apostolorum, cum eius successoribus...[8]

2. Haec potestas plena et universalis super totam Ecclesiam tum totius collegii apostolorum cum Petro, tum Petri, capitis collegii, cum apostolis, *debet*[9] exerceri sub utraque forma in tota vita Ecclesiae, non tantum tempore Concilii oecumenici, *et non tantum in aliquibus occasionibus extraordinariis.*[10]

3. Limitatio istius potestatis collegialis universalis ab *episcopis collegii apostolici esset renuntiatio vel potius*[11] recusatio a parte episcoporum missionis eundi ad omnes gentes *et docendi omnes gentes*;[12] et hoc esset contra praeceptum formale ipsius Domini.

4. Consequenter duplex haec forma istius potestatis — *unius quidem sed quae posset exerceri in duplici forma praedicta*[13] — super universam Ecclesiam, *deberet*[14] semper exsistere in tali forma et exerceri tali modo, quibus optime salus generis humani obtineri possit. Aliis verbis potestas ista *potest exerceri per, ex. gr., quoddam collegium vel potius consilium apostolicum quod repraesentaret totum episcopatum catholicum, sub praesidentia Summi Pontificis, Capitis collegii episcopalis.*

In decreto de episcopis posset, ex. gr., dari quaedam propositio formandi tale consilium apostolicum, compositum[15] ex Summo Pontifice ut Praeside Consilii, ex omnibus patriarchis Ecclesiarum orientalium ut membris, ex em.mis ac rev.mis cardd. Ordinariis locorum, ex episcopis delegatis ab unaquaque conferentia episcoporum nationali, et ex episcopis vocatis e terris missionum, ubi adhuc conferentiae episcopales nationales non exsisterent...[16]

Secundus defectus magni momenti istius schematis est *praesentatio nimis abstracta, irrealistica formationis Ecclesiae Christi,* istius « plebis » vocatae ex Iudaeis et Gentibus, istius « novi populi Dei » ...[17], qui « non secundum carnem, sed in Spiritu ad unitatem coalesceret »...[18]

In recta descriptione formationis Ecclesiae, istius novi populi Dei, perutile hodie esset omnino clare affirmare quod unio ista christianorum in Spiritu, aedificata super Petrum et apostolos, instructa omnibus mediis aptis unionis socialis, non destruit tales uniones ordinis naturalis, ut sunt: *familia,*[19] unio nationalis, *civitates, unio politica, et sic porro. Ita ut humanitas tota posset clare videre Ecclesiam non esse aliquem superstatum, cui omnes debent aliquid sacrificare, sed contra quod Ec-*

clesia iuvat omnes gentes esse perfectius et perfectius realizare suum finem naturalem et finem proprium nationalem.[20]

Tertius defectus est fere continuus usus expressionum « collegium episcoporum cum Capite suo Romano Pontifice », « corpus episcoporum cum Romano Pontifice », « omnes episcopi simul cum Papa ». Impressionem faciunt *illae expressiones*[21] ac si Summus Pontifex esset extra collegium episcopale, et ac si posset exsistere verum collegium episcopale sine Summo Pontifice...[22]

Propterea *deberet clarius una vice pro omnibus dari definitio expressionis « collegium episcopale »,*[23] declarando expressionem hanc semper per se designare totum episcopatum catholicum simul cum suo Capite Romano Pontifice, sine quo neque loqui posset *quidem*[24] de aliquo collegio episcopali.

Quartus defectus: vere frequens usus in schemate locutionis « Romanus Pontifex », « Romani Pontifices »; adhuc nimis videntur affirmare notam *nimis*[25] romanam Ecclesiae Christi. Conformior *hodie*[26] videretur spiritui oecumenico Ecclesiae uti potius expressionibus talibus...[27] ac « Summus Pontifex », « Successor Petri », « Vicarius Christi », « Caput collegii episcoporum », « Pastor Ecclesiae universalis ». Tales locutiones essent magis ecclesiasticae, minus connexae cum discordiis historicis inter orientem et occidentem, inter occidentem catholicum et occidentem protestantium, et plus acceptabiles pro omnibus fratribus separatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] civitas sancta, tabernaculum Dei cum hominibus, sponsa Christi, nova Eva, nova Ierusalem (n. 6)... [2] ... [3] propter tales rationes ut: baptismus et alia sacramenta, devotio ad B. Mariam Virginem, orationes, pia opera; et negative apparet per absentiam hostilitatis et condemnationum (n. 9). [4] quidem. [5] collegiali. [6] Schema tangit quodammodo hanc quaestionem in n. 17, linn. 11-27, ubi in lin. 14 et ss. dicitur, quod episcopus « ut membrum collegii, pro universa Ecclesia ea *sollicitudine ex officio* tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum ». Ut exemplum huius sollicitudinis ex officio erga Ecclesiam universalem in episcopo, schema, in lin. 17 et ss., adducit haec: « Debent enim omnes episcopi promovere et tueri unitatem fidei et disciplinae cunctae Ecclesiae communem, fideles edocere ad amorem totius corporis mystici Christi, praesertim membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (*Mt.* 5, 10), tandem promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est, praesertim ut fides incrementum capiat et lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur ».

Sed haec *sollicitudo* non est propria muneri episcopi. Omnes sacerdotes, diaconi, personae consecratae Deo in vita religiosa, membra actionis catholicae, immo et omnes christifideles debent hanc sollicitudinem erga Ecclesiam, Matrem suam,

habere et exercere. Nonne haec omnia proponuntur, plus minusve explicite, omnibus fidelibus in explicatione nostra catechetica gratiae sacramenti Confirmationis, virtutis nempe militis Christi?

Verum est, quod in fine horum exemplorum, schema addit aliquam sententiam, quae proprie refertur ad munus episcopi et quae sic sonat: « Ceterum hoc sanctum est quod, bene regendo propriam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, efficaciter conferunt (episcopi) ad bonum totius mystici Corporis, quod, ut dicit S. Basilius, etiam est corpus Ecclesiarum ».

Hoc omnino verum est, sed hoc esset omnino verum etiam si episcopi essent tantum vicarii Romanorum Pontificum exercendo hanc sollicitudinem eorum nomine, cum submissione vicaria eorum regimini. Ad talem sollicitudinem, hoc modo exercendam, omnino non esset necessaria illa potestas universalis collegialis quam Christus dedit collegio apostolorum dicens: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra, euntes ergo docete omnes gentes... » (*Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16); potestas vicaria ad hoc omnino sufficeret.

Ergo, schema hoc quaestionem illam cardinalem collegii episcopatus catholici neque clare ponit, neque, timide et obscure positam, sufficienter solvit. Propterea quaestio illa, summi momenti pro hac materia, explicite deberet in hoc schemate proponi et clare, in lumine Scripturae Sacrae et antiquae traditionis Ecclesiae, adaequate solvi.

Principium rectae solutionis istius quaestionis deberet fundari in hac realitate Novi Testamenti:

[7] Christus Dominus dedit. [8] (*Mt.* 28, 18-20; *Mt.* 16, 18-19). [9] deberet exsistere et de facto. [10] deest. [11] omnibus episcopis collegii episcopalis ad suas Ecclesias particulares esset idem ac remissio totius istius potestatis collegialis in manus successoris B. Petri et. [12] deest. [13] universalis. [14] debet in Ecclesia. [15] optimo modo semper coordinari debet.

Talis optima coordinatio duplicis formae istius universalis, in Ecclesiam universam, potestatis pro hodiernis temporibus, nostro humili iudicio, posset obtineri per institutionem cuiusdam *consilii apostolici,* compositi.

[16] Consilium hoc apostolicum, repraesentans quodammodo totum collegium episcopale Ecclesiae, ageret sub auctoritate Summi Pontificis, Capitis collegii, et haberet plenam et universalem potestatem in universam Ecclesiam, servata semper plena et universali potestate Summi Pontificis, successoris Petri, in totam Ecclesiam Christi.

Ad executionem istius potestatis collegialis collegii episcopalis, adesset Romae duplex secretariatus, cum variis Congregationibus: 1. Secretariatus pro Ecclesiis orientalibus; 2. Secretariatus pro Ecclesia ritus latini, vel rituum latinorum.

[17] (n. 3). [18] (n. 3). [19] unio familialis [20] unio civilis. E contra, formatio Ecclesiae, societatis ordinis supernaturalis, etsi socialis et visibilis, assumit illas uniones ordinis naturalis, quodammodo eas sanctificat et elevat in dignitate, utendo illis ut instrumentis ad adipiscendam illam unionem supernaturalem in Christo. Hoc faciendo, Ecclesia conservat et perficit omnes valores individuales, familiales, nationales et politicos omnium hominum, essendo quodammodo cultrix propriae eorum mentalitatis, nationalis culturae, propriae creationis artisticae, propriorum rituum, traditionum et disciplinae...

Talis affirmatio esset peropportuna, praesertim hodiernis temporibus, ubi nationes omnes de die in diem apparent plus consciae propriae dignitatis nationalis

et missionis cuiusdam particularis ex voluntate Divinae Providentiae in familia populorum, quia tunc Ecclesia non tantum non appareret ut societas quaedam supra status et nationes, cui omnes aliquid de bono suo nationali necessarie sacrificare debent, sed econtra, omnes nationes videre possent in Ecclesia Christi istud lumen veritatis, istum fontem caritatis, et istud vinculum unitatis, sine quibus nulla natio posset esse revera magna et fortis. [21] deest. [22] (nn. 16, 17, 18). [23] in initio cap. II, ubi agitur de constitutione hierarchica Ecclesiae in genere, et de episcopatu in specie, opporteret semel pro semper clare definire expressionem « collegium episcopale » (collegium episcoporum). [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] in his casibus.

4

EXC.MUS P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Fratres,

In animo non est criticam instituere de schemate, cui libenter assentio, sed quaedam afferre ad ipsum complendum et perficiendum, iuxta sensum plurium episcoporum Galliae quibus in genere hoc schema placet utpote votis consonum a Concilio in priore sua sessione expressis.

Plura etiam ex his quae hic dicentur, ex recenti, tam gravi et praeclaro Summi Pontificis sermone, novam nobis videntur et urgentem accepisse opportunitatem.

Animadversiones nostrae ad quatuor puncta referuntur:

1. *Gratias agimus pro schemate de B. Maria inserendo in medio schemate Ecclesiae: hoc erat in votis, hoc* [1] in bonum cedit schematis Ecclesiae, in qua B. Maria traditionaliter et theologice insertam esse constat, et in bonum schematis B. Mariae, quippe quod, ruptis istis connexionibus ...[2], aequilibrium suum perdere posset.

2. Ad definiendam Ecclesiam in consideratione veniat, et imprimis, imago et conceptus « Regni Dei ». Etenim multi defectus, *qui nuper etiam sunt expressi, nonnulli defectus* [3] in schemate explicationem et remedium accipiunt *statim ac* [4] advertitur absentia *thematis Regni Dei in schemate nostro.*[5]

a) Deficiens est enim in *hoc* [6] schemate *dimensio eschatologica Ecclesiae*; Ecclesia non satis apparet, *uti nuper dictum est,*[7] ut in spe tota spirans et tendens ...[8], impetu inde apostolico et missionario erecta: statica, ut ita dicam, remanet visio Ecclesiae, *quae* [9] de facto tamen et essentialiter *dynamica est.*[10]

b) Item missio evangelizandi in periculo est ut fiat veluti acci-

dentaliter ad Ecclesiam addita, dum Ecclesia ex seipsa definitur ut instrumentum Regni.

Amittuntur etiam tot divitiae in themate Regni caelorum inclusae, v. g., inter alia, iste evangelicus sonus qui sonus est Domini, nec alius datur qui ad omnes homines, quod admodum intendimus, pervenire umquam possit.

3. Videretur defectus gravis quod in schemate de Ecclesia absens sit *declaratio de Traditione;* et aliunde angustiae insuperabiles praevidentur oriturae in schemate *de revelatione* si de revelatione tractaretur non praehabita tali luce.

Difficultates acerbae, quas nuper passi sumus, necnon — *liceat dicere* [11] — de hac re theologiae veluti ...[12] stagnatio nonne ex hoc veniunt quod *Traditio independenter ab Ecclesia considerata* fuerit ita ut ad nescio quam miseram et incertam propositionum collectionem inconscie reducatur?

Dum patet ante oculos Actuum Apostolorum visio: « Erant perseverantes in doctrina apostolorum, in communione fraternitatis, in fractione panis et orationibus » ...[13]; ad integram traditionis vivae notionem necessario conferunt omnia et singula huius mirabilis et perdurantis visionis.

Hic est traditio vera et plena. Hic est etiam Ecclesia.

Censere et dicere liceat nullam spem alibi forte inveniendi, in die Domini, modum praesentandi doctrinam nostram de Scriptura Sancta talem ut in eam nobiscum tandem fratres nostri convenire possint, ut in diebus antiquis.

4. *De collegialitate plurimum expectamus*: clarius et expressius dicatur, ex Scriptura et Traditione Apostolica, Ordinis nostri unitas, qua ipse primatus Summi Pontificis clarior etiam *nobis* [14] evadat.

Haec sunt vota nostra generaliora quae attentioni Concilii submittere visum est et quae per diversa capita cum praecisione postea proponere conabimur...[15]

In textu scripto tradito: [1] Liceat saltem evocare votum, etiamsi iam satisfactum, quod schema *de B. Maria* in medio schemate Ecclesiae inseratur: hoc enim. [2] cum Ecclesia. [3] deest. [4] cum. [5] huius thematis. [6] nostro. [7] deest. [8] ad Regnum. [9] deest. [10] dynamicae. [11] deest. [12] fatenda. [13] (*Act.* 2, 42). [14] deest. [15] exc.mus Guerry (Région du Nord); Marty, Secr. theolo. pour la Région de Paris; Veuillot, Secr. theolo. pour la Région de Paris; Ancel; Guyot; Maziers; Elchinger; Rougé; Kervéadou.

5

EXC.MUS P. D. PRIMUS GASBARRI

Episcopus tit. Thennesiensis, aux. Veliternus

Venerabiles Patres,

Schema dogmaticae constitutionis *de Ecclesia* nobis discutiendum transmissum, praecedenti si conferatur, apparet profecto magis organicum quoad materiam digestam et in singulis partibus afflatu pastorali abunde informatum. *Forte quis dixerit* [1] schema vetus in praesens offerri « sicut argentum probatum, separatum a terra, purgatum septies »...[2]

Etenim doctrina quae antea proponebatur resumitur (de relationibus si excipiantur quae inter Ecclesiam et Statum dicta erant), sed *iterum* [3] modo melius adhaerente proponitur, sive sensui theologico, sive methodo *quam hodie praeferunt* [4] exponendae ecclesiologiae (quae non a hierarchica constitutione Ecclesiae ad regnum vel populum Dei vel Corpus Christi mysticum, sed e converso a Regno vel Populo Dei vel Corpore Christi mystico ad hierarchiam progrediatur) necnon modo conformi votis a Patribus priore Concilii tempore expressis, *scilicet a pastorali et indole biblica et patristica redolente.*[5]

Quae vero in altero fasciculo, in calce pag. 5, notantur de voto commissionis de laboribus Concilii ordinandis, quae praesentem constitutionem censuit esse per quinque capita ordinandam, in hunc ordinem adducta, scilicet de Ecclesiae mysterio, de populo Dei in genere, de constitutione hierarchica Ecclesiae, de laicis in specie, de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, apparent opportuna et conservanda, rationibus iam adductis, nempe sensus theologici et methodologiae in tractatu de Ecclesia.

Nam mysterium Ecclesiae est mysterium Corporis Christi mystici. Quod si unum et indivisum sit oportet, secundum illud Apostoli: multi unum corpus sumus in Christo ...[6], multitudinem quoque membrorum excipit quae inter se connectantur et mutuo sibi auxilio veniant.

Exinde, sive constitutionis hierarchicae Ecclesiae, sive distinctionis in Ecclesia inter fideles et hierarchiam scatet necessitas et consequenter argumentorum tractandorum ordo.

Velim tamen saltem notare circa factam in schemate propositionem mysterii Ecclesiae, ne *appareat* [7] arcana et hominibus quasi incomprehensibilis ut hesterna die audiebamus, bene temperari per figuras *biblicas,*[8] in n. 6 primi fasciculi descriptas, Ecclesiae, quae reddunt bene ima-

ginem Corporis mystici *visibilem*.[9] Munera autem quibus Christus hierarchiam Ecclesiae ditavit dona sunt ministrationum seu servitii ad salutem fidelium, qui ad ministerium aedificationis Corporis Christi vocantur in spiritu validae cooperationis et compositae disciplinae.

Virtus igitur qua Corpus Christi mysticum alitur et firmatur caritas est.

Iamvero aestus flagrantis caritatis totum schema pervadit, cum iam a limine asseratur: « dilatata caritate Ecclesia cor suum universis hominibus totique mundo pandit », et, quae in aliis capitibus sequuntur propositum confirmant, imaginem proferendo conspicuam unitatis et caritatis Ecclesiae, in qua membra non sibi unice vivunt sed aliis quoque opitulantur, atque omnia sibi invicem adiutricem operam praestant ad aedificationem totius corporis, cuius caput est Christus ex quo totum corpus, congruo ordine compositum et glutine caritatis coniunctum, succrescit.

Haec de modo propositionis doctrinae in schemate valent. De doctrina vero ipsa velim submisse considerare unum, cum *plures iam*[10] fuerint notata circa textum emendandum vel perficiendum, quae non convenit repetere.

Relationes inter Ecclesiam et Statum, quae in schemate praecedenti considerabantur, in praesenti omittuntur. Etiam schema *de Ecclesia,* pro Concilio Vaticano I apparatum, in tertia parte — cuius tamen tractatio notis causis omissa fuit — considerabat Ecclesiam in suis ad societatem civilem relationibus. Sacra haec Synodus, Concilii Vaticani I vestigia premens, resumit, suo modo, primam partem schematis *de Ecclesia* propositi in praecedente Concilio Vaticano, suam facit doctrinam eiusdem Concilii de visibili Ecclesiae Capite, eamque complere per doctrinam de episcopis, successoribus apostolorum, qui cum successore Petri, Christi vicario, domum Dei viventis regunt, intendit.

Qua de causa argumentum de relationibus inter Ecclesiam et Statum nunc reponitur? Non enim in aliis schematibus nobis transmissis — sicuti v. g. accidit pro matrimonio christiano, cuius in Concilio Vaticano I tractatio proponebatur in schemate *de Ecclesia* et nunc suo reservatur schemati — tractatur, quantum scio, argumentum.

Quod pro bono Ecclesiae et animarum salute summi, etiam in praesens, momenti certo est. Et quidem non solum sub aspectu stricti iuris publici ecclesiastici sed etiam officii pastoralis, cuius in primis curam habet Concilium.

Nam de re agitur quae salutis omnium fidelium magni interest, non illorum tantum qui in locis versantur ubi regimina sunt iam constituta quae dignitatem personae, exercitium libertatis, professionem religionis

adversantur, et tempora praeparant sceleste renovandi, si possibile fuerit, vulnera in Corpus Christi mysticum quae feroces persecutores tulerunt.

Neque silentio praetereundum catholicos non paucos, qui in regionibus ab instanti erroris propagatione infectis degunt, ancipites aliquando inter novum ordinem socialem antichristianum et doctrinam...[11] Ecclesiae quasi aestuent, ad alteram partem quandoque etiam traducentes adiumenta caritatis, quae mater Ecclesia hominibus qui opinione labuntur porrigit.

Quis non intellegit maximas nunc temporis et periculosissimas haereses his verbis designari, nempe Status sic dicti ethici et communismi athei quae bellum Ecclesiae Christi ultro intulerunt et inferunt?

Tractatio ergo de relationibus inter Ecclesiam et Statum in...[12] schemate vel forte in alio separato, si melius placuerit, non solum non videtur aliena, sed exspectationi respondet christifidelium, immo plurimorum Patrum conciliarium qui occasionem Concilii optimam autumant argumento tractando.

Ex dictis patet schema exhibitum *apprime*[13] ad discussionem validum iudicari.

In textu scripto tradito: [1] dicerem. [2] (*Ps.* 11, 7). [3] deest. [4] quae nunc praefertur. [5] deest. [6] (*Rom.* 12, 5). [7] fiat. [8] deest. [9] visibilis. [10] plura hesterna die. [11] socialem. [12] hoc. [13] deest.

6

EXC.MUS P. D. LEO ARTURUS ELCHINGER
Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

Em.mi Patres, venerabiles Fratres,

Qualitates huius schematis a pluribus Patribus iam enarratae fuerunt, et laudibus istis plene concordes sumus. Gaudium nobis est ut sessio ista *secunda*[1] initium sumat cum textis sic respondentibus communi, ut puto, exspectationi nostrae.

Plures iam fecerunt animadversiones circa ordinem materiarum tractandarum. Vice mea, circa ordinem istum aliquas propositiones, si fas est, enunciabo.

Scopus pastoralis huius Concilii requirit ut descriptio Ecclesiae appareat in unitate sua organica, integrans omnes essentiales Ecclesiae mysterii aspectus, ut semper requirit fidei catechesis. Capita praesentis

schematis, prout iacent, feliciter iam aliquam inspirationis unitatem praebent, praecipue post decisionem commissionis de laboribus Concilii coordinandis inserendi post cap. I novum caput de populo Dei in genere.

Attamen, optandum videtur hanc unitatem organicam schematis in quaestionibus maximi momenti adhuc adimplere.

1. Caret hoc schema aliquo prooemio tractante de Verbo Dei revelante. Verbum Dei ab origine et incessanter fundat et convocat Ecclesiam. Ad hoc prooemium elaborandum, elementa certe inveniri possunt in schemate *de divina revelatione.*

2. In connexione cum capite de populo Dei, inseratur caput de traditione in Ecclesia. Vita Ecclesiae etenim, de generatione in generationem, Spiritu Sancto eam gubernante et inspirante, a Verbo Dei custoditur et ipsa Ecclesia Verbum Dei custodit; a Verbo Dei nutritur et ipsa Ecclesia Verbum Dei incessanter enucleat; a Verbo Dei regitur et ipsa Ecclesia Verbum Dei fideliter ministrat; a Verbo Dei tandem ad consummationem dispensationis divinae ducitur et ipsa Ecclesia omnes homines ducit ad Verbum Dei perfecte cognoscendum. Haec est enim vivida et vivificans Ecclesiae traditio, cui in nostro schemate confessionem optamus dare.

3. In fine capitis vel post caput de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, necesse est Ecclesiam manifestare in animatione et orientatione sua eschatologica, qua recapitulatur in Christo, Regi saeculorum immortali, omnis ista creatio. In nostris temporibus materialismo impregnatis et in desperatione positis debemus manifestare in Ecclesia spei christianae profunditatem et actuositatem, et oculos omnium hominum convertere ad adimpletionem divinae dispensationis in adventu Domini.

4. Quomodo melius et perfectius concludere constitutionem dogmaticam *de Ecclesia Christi* quam instituendo in ista constitutione caput de B. Maria Virgine? Non minuimus, e contra, conditionem et momentum B. Mariae, postulando ut de eadem Virgine non tractetur in aliquo schemate separatim. Vocatio enim singularis Mariae ei datur in populo Dei, qui est Ecclesia, et omnes aspectus essentiales mysterii Ecclesiae inveniuntur in ista personali vocatione B. Mariae. Ad nutriendam ac tuendam pietatem credentium incorporare debemus quod spectat ad Mariam tam in doctrina de Domino Iesu quam in doctrina de Ecclesia Domini.

Conclusio mea, venerabiles Fratres, dubitationem quamdam vult praevenire circa votum nostrum proxime emittendum.

Votum nostrum, salvo meliori iudicio, significabit quod ad examen quattuor capitum nobis iam propositorum devenire possumus. Votum istud tamen nullo modo reiciet aliquas novas considerationes circa or-

dinem materiarum propositarum, nec etiam insertionem aliquorum capitum de novo adlaborandorum.[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] In nomine Claudii Flusin, ep. St. Claude; Pauli Ioseph Schmitt, ep. Metz; Petri Boillon, ep. Verdun; Pauli Seitz, ep. Kontum; Andreae Jacq, ep. tit. Cerasa.

7

EXC.MUS P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

Venerandi Patres conciliares,

Mihi intentio non est de schemate parato *de Ecclesia* in hac secunda redactione aliquid dicere, sive comparationem instituendo cum illo de quo in prima sessione huius Concilii disceptatum est — quod certe posset etiam utilitatem afferre ad ostendendum, ex notatis differentiis, in quo progressus factus sit, saltem sub quibusdam respectibus, in ratione determinationis *materiae* [1] — sive ordinem materiae tractatae enucleando ita ut clarius appareat quid sit Ecclesia.

Notum tamen est omnibus in constitutione hac dogmatica *de Ecclesia Christi* maximum laborem in eo positum esse, et etiam adhuc ponendum, ut simul, quamdiu est possibile, conciliari possint in expositione doctrinae *ordo theologicus* et *ordo gnoseologicus.*

Omnes scire desiderant (*en* ordo gnoseologicus qui respondere debet exigentiis humanis, praesertim hodiernis) *omnes scire desiderant* [2] quid reapse sit Ecclesia (*en* ordo theologicus, en mysterium salutis, absconditum a saeculis in Deo, revelatum et perfectum a Filio, quod urgetur continuo a Spiritu Sancto in Ecclesia et per Ecclesiam etc.).

Hinc cogitavi non esse abs re, si meum unum desiderium Patribus conciliaribus exponerem, iudicio ipsorum supponendum, videlicet sequens.

Partem materialem schematis quod in manibus habemus considerando, servata quidem divisione in diversa capita, sicut nunc prostat licet diversa ratione ordinanda, unicuique numero praemittenda esset *quaedam propositio declarativa doctrinae* quam Concilium tradere vult.

Huiusmodi propositiones ne sint tamen simplex indicatio materiae, sicut nunc in schemate sunt illa verba initio cuiuscumque numeri *posita et* [3] postea in redactione definitiva auferenda; sed sint *vera propositio doctrinae,* ita ut cuicumque textum legenti — sive sit Pater conciliaris,

vel theologus, vel fidelis, vel etiam non fidelis, qui tamen vult scire quid Concilium Vaticanum II edixerit de Ecclesia — statim pateat *et* doctrina *et* sensus doctrinae, *et* colligatio doctrinae, *et* unitas corporis doctrinae quae est ex divina revelatione, aptata tamen menti et etiam — sit venia verbo — mentalitati hominis hodierni: quae doctrina ab Ecclesiae summo magisterio profertur ad hoc: 1) *ut* catholici confirmentur in fide (en finis pastoralis); 2) *ut* fratres separati clare sciant ipsam fidem Ecclesiae catholicae (en finis oecumenicus); 3) et *ut* homines universi veritatem divinam de Ecclesia Christi attingere valeant et Dei opitulante gratia ad ipsam Ecclesiam suaviter allici, ut salutem aeternam inveniant, quae est in Christo Iesu (en finis missionarius).

Abstineo ab exemplis adducendis. Puto tamen tali modo et partem materialem schematis et etiam partem formalem valde iuvari posse ad claritatem doctrinae et expositionis eiusdem doctrinae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] doctrinae, etc. [2] deest. [3] deest.

8

Exc.mus P. D. HADRIANUS DJAJASEPOETRA
Archiepiscopus Djakartanus

Venerabiles Patres Concilii et carissimi Fratres Observatores,

Nomine episcoporum Indonesiae, qui sunt numero triginta unus, in primo laudem exprimo, sed etiam quasdam observationes criticas generales propono.

Laudare in hoc schemate volumus:

1. Ordo totius schematis conveniens videtur, dummodo secundum notam in fasciculo secundo, pag. 5, pars prima cap. III (scl. a n. 23 usque ad n. 25 inclusive) ponitur ante cap. II. Ita enim procedens decretum prius loquitur de iis quae omnibus fidelibus totius populi sunt communia, postea autem de speciali munere hierarchiae in populo Dei. Observandum tamen est, quod tunc facile non erit speciale munus laicorum ulterius determinare; munus enim laicorum praecise erit commune totius populi munus.

2. Nobis placet cum card. Frings quod mysterium Ecclesiae inde ab initio exprimitur in categoria sacramentalitatis: Ecclesia ut signum efficax salutiferae unionis hominum cum Deo et inter se. Hac enim categoria aptissime exprimitur intima connexio inter realitatem humanam et

divinam in Ecclesia; et quidem sub categoria quae fidelibus omnibus familiaris est. Insuper sic suggeritur intima relatio inter sacramentum quod est Ecclesia et septem sacramenta quae ab Ecclesia celebrantur; haec enim septem sacramenta sunt actus qui ab Ecclesia exercentur, et quibus fideles vitae Ecclesiae inseruntur. Relatio autem haec expressius significari deberet.

3. Laudamus cum D. Gargitter quod primo loco ponitur notio populi Dei, cum qua coniunguntur notio Corporis Christi ac ceterae imagines. Haec notio populi Dei videtur sub aspectu pastorali maxime convenire, cum bene exprimat et nutriat conscientiam fidelium, seipsos in unione cum ceteris omnibus visibili constituere Ecclesiam.

4. Probamus etiam quod hoc schema in lucem ponit divinum episcoporum munus et ad hoc proficiscitur ex collegio universalis episcopatus. Sic enim auctoritas episcopalis authenticum suum valorem obtinet, dum tamen praecavetur periculum alicuius particularismi episcopalis. Hoc etiam principio statuto bona invenitur via, qua suprema auctoritas et infallibile magisterium Romani Pontificis harmonice componatur cum auctoritate et magisterio episcopali. Ut tamen mox indicabimus, in hoc puncto quaedam sunt in textu, quae emendatione indigent. Ad verum momentum episcopatus in luce ponendum confert quod docetur consecrationem episcopalem esse sacramentum.

5. Felici modo sermo est prius de universali ad perfectionem vocatione, ita ut status perfectionis appareat tamquam modus specialis huius vocationis universalis.

Alia tamen etiam in hoc textu sunt, quae nobis videntur *omnino emendanda,* quorum haec schema ut totum spectant:

1. Clarius et expressius significari deberet Ecclesiam, dum mysterium suum proprium enuntiat, non loqui nisi humiliter et ex oboedientia fidei. De seipsa loquitur, non ut modo humano seipsam exaltet, sed solummodo quia fide divina credit, mysterium suum ad homines salvandos et ad Deum glorificandum conferre. Expressior humilitatis professio totum textum pervadere optamus. Huc refert, quod in toto textu nostro aspectus eschatologicus non satis in lucem ponitur. Recte quidem dicitur Ecclesiam actione Christi constituere « germen et initium regni caelorum », sed hoc principium ulterius evolvi deberet et totum textum permeare.

2. Non satis apparet illud, quod inter praecipua Ecclesiae munera est, scilicet ut in terris peregrinans Patrem in Christo et per Christum glorificat fide, spe et caritate, cultu liturgico expressis. Mentio cultus divini in integro schemate vix fit. Tamen illud officium cultuale Ecclesiae est fundamentum decreti *de Liturgia,* et constituit principale quoddam

officium totius populi Dei, et motivum quo praecipuo multi religiosi moventur. Ratio huius omissionis forsitan est, quod in hoc schemate iam non fit mentio clara de praesentia Christi in Ecclesia. Doctrinam tamen hanc iam approbavimus in cap. I *de Liturgia.*

3. Adhaeremus, nos episcopi missionarii, ex toto corde voto, a card. Frings iam expresso, ut munus missionale Ecclesiae in luce ponatur.

Suo tempore inter alia de incorporatione in Ecclesiam, de diaconatu, de relatione inter collegium episcopale et Romanum Pontificem, de assensu magisterio debito, de notione laici, verba facere speramus. Dixi.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Rogantur omnes venerabiles Patres ut ad sua loca redeant, quia infra quadrantem horae habebitur suffragiorum actio circa schema *de Ecclesia* in universum seu globatim sumptum.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH GUFFENS

Episcopus tit. Germanicianensis

Venerabiles Patres,

Schemati *de Ecclesia,* in genere sumpto, consentanea mens nostra — *seu motio* [1] — sequenti modo brevissime exprimi posset.

Multo plus quam olim, hodie felicis apostolatus una ex conditionibus sine qua non reduci videtur ad fiduciam nullo modo ambiguam homini tribuendam, magis.

Historiae etenim universae, si ultima tantum decennia attente examinarentur, quaestio poneretur an homines in potestate constituti, clerici non excepti, doceantur experientia etiam dolorosa, fiduciam homini tribuere aequam.

Exempli gratia: nuper in Occidente manuales operarii incapaces reputabantur qui sua propria regerent negotia. Sed nunc, de facto, magna saltem ex parte, ab operariis manualibus regitur res oeconomica; at, proh dolor!, saepe mente evangelica vel ignota vel spreta. In Asia evenerunt dolorosae diversae experientiae.

Nunc alio in campo dicuntur africani esse, ac multas per venturas generationes fore, minores...[2]

Em.mus Moderator: Faveas, venerabilis Pater, loqui de themate!

Orator: [*submissa voce*] Loquor de themate... loquor de schemate... [*elata voce*] Relinquo... parolam.

In textu scripto tradito: [1] suggereret aliquam motionem quae. [2] infantiles. Dictum hoc est falsum; sonat tamen ubique quasi in montanis repercussa vox. Additur quod occidentales permulti benefactores, obliti, ut videtur, beneficiorum ipsismet a Domino multa per saecula concessorum, periculose saepius proclamant se a non occidentalibus bene meritos esse. Quod est verum, sed nullum confert quasi primatum, seu quoddam ius primogeniti. Maxima pars orbis revera aliquid morae habet iuxta historiae fortuita. At hodie illis in regionibus nova via progrediuntur res multo breviori illa multisaeculari dicta nobis bene nota. Hoc sat mirum phaenomenon oculis multorum apparet valde periculosum. Utique; apparet nihilominus tanquam fulgens digitus ipsius Creatoris, qui omnes aequo animo diligit homines, etiam illos horae undecimae operarios. Videtur Deus mederi huic supradictae morae. Non videtur ergo timendum, nec dolendum, sed peramanter totis viribus adhaerendum providentiali huic methodo hucusque insolitae. Ergo homini cuicumque, occidentali necne, fiducia multo magis est tribuenda, praeeunte Christo Domino, qui Petro et eius sociis agnos et oves concredidit pascendos, non obstantibus innumeris difficultatibus quae Salvatori erant bene notae, non obstante insuper defectu experientiae. Nam quae sunt homini suis propriis relicto viribus impossibilia, non tamen talia evadunt Dei adiuvante gratia. Speratur haec motio inserenda aliquo modo non tantum schemati *de missionibus*. Quia ut patet convenit etiam fractionibus non parvipendendis occidentalium populorum, esset motio brevissime schemati *de Ecclesia* inserenda.

10

Rev.mus P. D. IUCUNDUS GROTTI
Praelatus Nullius Acrensis et Puruensis

Dilectissimi venerabilesque Patres,

Et mihi omnium minimo et ex amplissima et longinqua Amazonia venienti liceat pauca dicere de schemate proposito.

Certe multa inveniuntur digna laude; tamen:

1. *Lingua* adhibita multoties est dura et termini frequenter usurpantur in sensu non proprio aut non consueto.

2. *Modus exponendi* non est perspicuus, multa pluries repetuntur, non satis patet connexio inter partes, citationibus farcitur ita ut potius ad opus musivum comparari possit quam ad opus natura sua unum.

3. *Quoad materiam*. Schema autem iuxta quod divinum salutis consilium, quod totius tractationis est fundamentum et generalis structura, pro pastorali munere proponendum, iam a saeculis lucide et complete

expositum invenitur in omnibus et singulis orientalibus Anaphoris Sacrificii Eucharistici, sive Byzantinis aut Syriacis, sive Armenis aut Ethiopicis; quibus concordant maiores Pontificalis Romani preces consecratoriae et ipse S. Gregorii Magni sermo cuius parvum fragmentum citatur in cap. I dum e contra totus sermo esset attendendus prout legebatur hucusque in homilia tertii nocturni Dominicae Septuagesimae, scilicet: de consilio Dei in se; de consilio Dei in exsecutione ab Adam usque ad ultimum electum.

Cum denique sanctitas sit de natura Ecclesiae, cap. V cum cap. I fundendum est ubi sermo est de natura Ecclesiae, vel immediate post ipsum collocandum esse videtur. Dixi.

Em.mus Moderator: Per modum exceptionis, quia sumus tantum in altera congregatione huius periodi, loquatur exc.mus D. Sergius Méndez Arceo, episcopus Cuernavacensis in Mexico, qui nuperrime loqui petiit.

11

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

Veniam loquendi petii ad hoc ut adhaererem petitioni tam card. Frings tam card. Silva Henriquez, ut schema hoc integretur cum tractatione de sanctitate in Ecclesia. In hoc enim capite tam de B. Maria Virgine potest agi, quam etiam de omnibus sanctis; quae tractatio valde utilis, immo, necessaria est, quia fundamentum solidum devotioni sanctorum omnibus fidelibus praebetur et etiam modi et limites huius devotionis possunt assignari.

Finis huius tractationis tam pastoralis quam oecumenicus potest considerari: pastoraliter enim, praesertim in nostris regionibus, necessarium omnino puto ut hi limites et modi assignentur, quia nostri fideles maxime amant devotionem erga sanctos ita ut aliquando Christus unicus mediator obliviscatur; et oecumenice loquendo certissime adsunt rationes ad hoc ut fratres nostri non catholici non pauca contra Ecclesiam dicant propter has exaggerationes. Dixi.

Textus scripto traditus:

Disserendum iudicatur a nonnullis circa sanctitatem historicam in Ecclesia, cum de Ecclesia in caelis agatur. Tractatio de B. M. V. inserenda proponitur, immo

explicite loquuti sunt de aliis sanctis viris et mulieribus card. Frings et card. Silva Henríquez, necnon ep. Gargitter, attamen perfunctorie et obiter tantum.

Iam vero attente considerare debemus nos usque nunc nullibi, nisi breviter in schemate *de S. Liturgia,* egisse de sanctis, nec in posterum acturos esse de loco quem sancti occupant in Ecclesia, de eorum cultu, de communicatione inter nos et illos seu de eorum invocatione, de eorum imaginibus et reliquiis, de abusibus qui maculant ex hoc capite Ecclesiam, et fideles non paucos a cultu per Iesum Christum unicum Mediatorem nostrum Deo Patri debite tribuendo avertunt.

Scimus existentiam non tantum possibilitatem sanctitatis historicae in Ecclesia ad essentiam ipsius Ecclesiae pertinere, quia actio Spiritus Sancti est indefectibiliter efficax et in sanctis suis mirabiliter se Deus manifestat.

Sancti praeterea sunt complementum necessarium Christi in Corpore eius quod est Ecclesia et adimplent ea quae desunt passioni eius.

Ecclesia hanc sanctitatem historicam magna cum humilitate sed etiam cum ingenti gaudio crebro proclamavit miraculis sancitam et in dies quam pluries per beatificationem et canonizationem proclamat quam pluries.

Cultus sanctorum in populo Dei a sacra hierarchia exercetur et fovetur et inter fideles quam maxime amatur.

Cum aliunde in schemate *de Ecclesia* nullibi de Ecclesia in caelis triumphante seu de regno Dei eschatologico, nec de nexibus inter haec duo stadia sermo sit, omnino necessarium mihi videtur hanc lacunam complere.

Inseratur ergo caput de Ecclesia in caelis ubi ample de B. M. Virgine, prima inter creaturas redemptas, typo Ecclesiae et Matre fidelium agatur, nec non et de aliis sanctis qui magno cum heroismo vitam in baptismate receptam coluerunt et ideo exemplum nobis praebent et incitamentum et preces nostras coram Deo commendant.

Haec tractatio aliunde suadetur ex fine pastorali huius Concilii et simul ex fine sic dicto oecumenico.

Pastoraliter etenim omnes qui de instructione populi nostri recta, verbo Dei praecipue fundata, et de vero Dei cultu, de participatione nempe actuosa et conscia in actionibus liturgicis populi Dei congregati, ideoque et de dispositione interna locorum ad convocationem ipsius populi Dei functionaliter et symbolice accommodatorum, curamus, indigentiam maximam principiorum ab omnibus bene cognitorum experimur, quorum ope excessus ex una et ex altera parte vitentur.

Oecumenice vero loquendo fundamenta sanae doctrinae de sanctis et eorum cultu, modo nostris temporibus accommodato, animadversionibus bonae fidei non catholicorum adamussim consideratis, si in memoriam et ad trutinam sollemniter revocentur, magni emolumenti erunt, praesertim si limites et modi dicti cultus conciliariter assignantur.

12

Em.mus P. D. MICHAËL card. BROWNE

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Paucis omnino verbis me nunc expediam, scilicet dicendo quod in mensura totius possibilitatis ratio habebitur a commissione conciliari de doctrina fidei et morum de propositis a singulis venerabilibus Patribus. Proposita evidenter sunt varii valoris, quaedam sunt etiam discutibilia et quaedam sunt de quibus, ut puto, discussio aptius fieret dum de singulis capitulis agetur.

Sed qualitercumque sit, his diebus habebimus examen apud commissionem conciliarem ut videatur quomodo hoc schema ita potest emendari et emendationes proponi. Dixi.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *secretarius generalis*:

Multi Patres petierunt an in hac secunda periodo Concilii iisdem privilegiis frui possint ac in prima periodo. Responsio est omnino affirmativa. Itaque possunt celebrare Missam vespertinam, quando mane fuit vel sessio vel congregatio; habent facultatem audiendi confessiones et eamdem facultatem dare possunt etiam suis secretariis si velint. Habent etiam privilegium antimensii, et omnia privilegia in universum quae fuerunt concessa in prima periodo huius Concilii.

Nunc, quoad suffragationem nunc habendam. De mandato moderatoris haec communico: disceptatione expleta de principiis generalibus schematis, fit nunc suffragiorum actio, seu suffragatio, an schema generatim seu globatim sumptum placeat, ita ut transitus fieri possit ad disceptandum de singulis capitibus.

Si responsio maioris partis, nempe quinquaginta unius supra centum, erit *Placet,* examinabuntur postea ex ordine singula capita, propositis, si res ferat, etiam diversis subdivisionibus. Si vero responsio erit *Non placet,* schema remittetur ad commissionem vel commissiones competentes, ut de dictis rationem habeant. Suffragiorum actio in hoc casu fiet tantum per *Placet* et *Non placet.*

Quaeritur igitur, audiant omnes: « Placetne schema *de Ecclesia* generatim vel globatim sumptum, ita ut transitus fiat ad capita singula examinanda? ».

Suffragatio, ut stetur praescriptis *Ordinis,* fiet per schedulas. Patres scribant suum votum stylo sibi tradito et non alio, quia secus machina

mechanographica non operatur; itaque scribant stylo sibi tradito, ita ut signum (crux, linea vel aliquid huiusmodi) ambitum seu fines areolae selectae non transgrediatur.

Gratias! Et nunc repetitur diversis linguis.

Versio gallica
(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

La discussion des principes généraux du schéma *de Ecclesia* étant terminée, il va être procédé maintenant au vote sur le schéma considéré dans son ensemble, à savoir: « Ce schéma dans son ensemble plaît-il à l'Assemblée de telle sorte que l'on puisse passer à la discussion des divers chapitres? ».

Si la majorité répond *Placet* (il s'agit ici de la moitié des voix plus une), les divers chapitres seront examinés dans l'ordre où ils se trouvent actuellement présentés, ordre qui pourra être remis en question à propos de la discussion chapitre par chapitre.

Si la majorité répond *Non placet,* le schéma sera renvoyé à la commission ou aux commissions compétentes pour qu'elles tiennent compte des remarques présentées.

Le vote en pareil cas se fait seulement par *Placet* ou *Non placet.*

La question est donc: « Placetne schema *de Ecclesia* generatim vel globatim sumptum, ita ut transitus fiat ad capita singula examinanda? ».

Que les Pères veuillent bien écrire avec le crayon qui est à leur disposition et de telle sorte que le signe (croix ou ligne horizontale) ne dépasse pas les limites du petit carré qui est destiné à le recevoir.

Versio anglica
(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have Your attention please!

Since all who have requested the opportunity have spoken, we shall now vote on the acceptance or rejection of the schema *de Ecclesia.* The specific question of the balloting is: " Does the schema *de Ecclesia* in general meet with your approval as suitable matter for further discussion of its particular chapters and decrees? "

The vote is simply a *Placet* vel a *Non placet* vote. You are asked to use the graphit pencil which is placed at your desks. Marks made with other instruments will not register on the tally machine. The mark should be within the square of your choice.

The question will be resolved by a majority vote, that is 50 per cent plus 1. If the *Non placet* votes exceed 50 per cent, the schema will be

returned to the Commission for further attention. If the 50 per cent plus 1 votes are *Placet,* the schema will be used as matter for discussion of its particular chapters and decrees.

Thank you!

Versio germanica

(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Da nun die globale Diskussion des Schemas *de Ecclesia* abgeschlossen ist, findet jetzt die Abstimmung statt, ob das Schema als Ganzes Zustimmung findet und man infolgedessen übergehen kann zur Behandlung der einzelnen Kapitel. Wenn die absolute Mehrheit mit *Placet* stimmt, werden die enzeilnen Kapitel der Reihe nach behandelt; wenn nicht, wird das Schema zurückgewiesen an die betreffenden Kommissionen, um die Ausstellungen aufzuarbeiten.

Bei dieser Abstimmung handelt es sich nur um die Alternative *Placet* oder *Non placet.* Die Väter benutzen bei der Ausfüllung der Stimmzettel den magnetischen Bleistift. Anzukreuzen ist eines der auf dem Stimmzettel vorgesehen Kästchen.

Versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

بعد الانتهاء من البحث فى المبادىء العامة فى مشروع نص الكنيسة ، يصار الى الاقتراع •
والسؤال المقترع عليه هو : هل مشروع نص الكنيسة اذا نظرنا اليه نظرة عامة او شاملة يلقى استحسان
بحيث يمكن الانتقال الى البحث فى فصوله الخاصة •

فاذا كان جواب القسم الاكبر من الآباء (اى النصف مع زيادة صوت واحد) ، اذا كان الجواب
بالاستحسان والرضى ، يصار الى درس الفصول الخاصة بالترتيب • اما اذا كان الجواب بالسلب والرفض
يرّد مشروع النص الى اللجنة او اللجان ذات الصلاحيات للنظر فى كل ما قيل •

اما الاقتراع فى هذا الحال فيتمّ بكلمة الرضى (Placet) اوعدم الرضى (lacet
فليكتب الآباء رأيهم بالقلم الخاص واضعين اشارة صليب او غير اشارة ضمن الدائرة المصورة على صفيحة
الاقتراع دون ان يتعدّوا حدودها •

Versio hispanica
(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Terminada la discusión de los principios generales del esquema *de Ecclesia,* se va a proceder ahora a la votación de la totalidad del mismo, esto es: si place a la Asamblea, para pasar a la discusión de cada uno de los capítulos.

Si los votos de la mayoría — la mitad más uno — son favorables al esquema se procederá al estudio y debate de cada uno de los capítulos. Si los votos no son favorables, el esquema será devuelto a la comisión o comisiones competentes para que lo tomen en la consideración debida.

La votación en este caso se hará solamente por las fórmulas: *Placet* o *Non placet.*

Se pregunta, pues, a los Padres: ¿Aprueban los Padres Conciliares el esquema *de Ecclesia* en general de modo que ya se pueda pasar al estudio de los capítulos?

Los Padres deben escribir su voto o papeleta con el lápiz magnético y en el lugar o casilla señalado para esto, de manera que no excedan los límites de la casilla.

Muchas gracias!

[*Intervallum 14 momentorum*].

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

Dum officium mechanographicum operatur, et speramus bene, aliqua nuntia communico venerabilibus Patribus.

Primum nuntium est triste, quia exc.mus D. Thomas Pothacamury, arch. Bangalorensis in India, gravissimo morbo correptus hic Romae et morti proximus, nostras preces postulat. Committimus em.mo P. D. card. Valeriano Gracias ut nostra vota exc.mo praesuli velit porrigere.

Communico pariter congregationes generales omnibus diebus haberi praeter sabbatum et dominicam. Si autem sabbato et dominica aliqua caerimonia habebitur, praesertim a Summo Pontifice, ob aliam rationem, Patres vehementer rogantur ut assistant; sed congregationes generales sabbato et dominica non habebuntur.

Tertio communico themata seu schemata, quae commissio de coordinandis rebus Concilii, adprobante Summo Pontifice, statuit hac periodo esse tractanda, si tempus suppetet.

Primum schema est *de Ecclesia,* quod nunc tractamus. Sequitur schema *de B. Maria Virgine, Matre Ecclesiae.*

Dein, fere ad complementum disciplinare tractatus dogmatici *de Ecclesia*: *De episcopis et regimine dioeceseon.* Postea, *de apostolatu laicorum.* Dein, *de oecumenismo...* si tempus suppetet.

Aliquid aliud nuntiabo, postquam noverimus exitum suffragationis. Interea velint Patres venerabiles exspectare, et claudetur haec congregatio quando praeses id iusserit.

[*Intervallum 23 momentorum*].

Moderator: Faveant omnes audire. Loquitur exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Communico exitum suffragationis circa schema *de Ecclesia* in universum:

Praesentes votantes	. . . .	2.301
Dixerunt	*placet*	2.231
	non placet	43
	placet iuxta modum, quod est votum nullum in hoc casu	3
Suffragia nulla, quia votum non est bene expressum	. . . .	24

Itaque schema est admissum ad ulteriorem disceptationem.

Antequam disceptatio incipiat, lego aliquam notulam quam exaravit relator schematis, em.mus card. Michaël Browne:

« Commissio conciliaris de doctrina fidei et morum examinabit observationes omnium venerabilium Patrum. Non sunt omnes aequalis momenti et quaedam sunt disputabiles. Quaedam quoque potius respiciunt unum vel alterum capitulum schematis. De singulis ratio uti oportet habebitur ». Dixi.

Moderator: Iuxta votum congregationis, fit transitus ad disceptationem de singulis capitibus schematis *de Ecclesia.*

Incipit disceptatio de prooemio et cap. I.

13

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Iam ab initio schematis, nimirum in introductione et in cap. I plura digna sunt quae laudentur et adprobentur; sed non desunt repetita et quae, ut mihi videtur, emendanda vel saltem aptiora reddi debent ut cum fine pastorali Concilii congruant.

Ad introductionem quod attinet, unum exopto: ut sermo fiat clarior atque concinnior.

De iis autem quae *cap. I* continentur haec adnotare audeo:

Pag. 7, n. 2, lin. 22 legimus: « Haec Congregatio iustorum, etc. ». Quaenam est, quaeso, ista Congregatio? Etenim lapsos in Adamo, quos misericors Deus non dereliquit, Congregationem seu societatem conficere quis vere proprieque affirmaverit? Porro, lapsi in Adamo, etsi auxilia ad salutem ab aeterno Patre accipiant, num omnes dici possunt iusti, ita ut simul sumpti Congregationem constituant iustorum? Usus quotidianus *nos* [1] docet multos — proh dolor! — remanere peccatores.

Lin. 26 s., legimus: « ... omnes sua morte (Christus) redimeret, fratresque suos in filios Patris constitueret ». Iamvero, si fratres sunt Christi, sine ulla opera iam filii Patris sunt, quin ipse Christus eos in filios constituat. Neque appellativum nomen « fratres », in textu, de fratribus secundum carnem accipi potest, quia redemptio, quae ibidem commemoratur, extenditur ad omnes homines.

Pag. 8, lin. 4: si sancta Dei Ecclesia ante Christum fuit *praefigurata* et *praeparata,* in novissimis temporibus non est solummodo *manifestata,* ut in textu asseritur, sed condita vel constituta, i. e. ad effectum plene adducta.

N. 3, lin. 17, semper pag. 8: « ... (Ecclesiam) aptisque mediis visibilis seu socialis unionis, (Christus) instruxit ». His verbis breviter leviterque tanguntur duae gravissimae veritates, quae ampliorem sermonem certe mererentur: 1) natura essentialiter socialis Ecclesiae; 2) eius unitas, quae est Ecclesiae proprietas ac nota praecipua. Cur non affirmatur aperte id saltem: Ecclesiam Christi hisce in terris esse societatem genere suo perfectam, a ceteris omnibus societatibus distinctam, eisque longe praestantem, ac unitate fidei, unitate instrumentorum sanctificationis et unitate regiminis coram omnibus facile splendescere?

Ibidem, lin. 18, legimus Christum aedificasse Ecclesiam « *super Petrum et apostolos* ». Haec Petri et apostolorum consociatio in fundamento Ecclesiae sine ullo discrimine, quae pluries invenitur in schemate, nullo testimonio biblico fulcitur et in errorem inducere potest. Adorabilis Salvator noster uni Petro dixit « Tu es petra — kepha — et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Si *Paulus* in epistula ad Ephesios...[2] appellat apostolos fundamentum aedificii Dei, scil. Ecclesiae, id tantum voluit, ex contextu, significare: apostolos, simul cum prophetis Novae Legis, primos adhaesisse Christo lapidi angulari, quasi murum fundamentalem, cui deinceps fideles, tamquam lapides vivi, superaedificati sunt...[3]

Lin. 21 s.: « ... ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile, etc. ». Quater in capite de quo agimus, Ecclesia vocatur « sacramentum ». Quod nomen, ut omnes sciunt, iam dudum in catechesi christiana septem sacramentis proprie dictis reservatur; idcirco, ab indole

Concilii pastorali omnino dissonum est. Si quis enim hodie Ecclesiam appellaret *Sacramentum,* obscurus in dicendo fieret et longas teneretur addere explicationes. Adnoto insuper hanc locutionem haeretice pluries adhibuisse Georgium Tyrrell, sacerdotem apostatam et modernistarum veluti principem.

Lin. 29 s.: « ... per quem Pater homines peccato mortuos in Christo resuscitat ». Sanctus Paulus *hoc loco*[4] non loquitur de morte spirituali, sed de morte physica (quae quidem introducta est in mundum humanum per peccatum); et consequenter non agit de resurrectione per gratiam, ut insinuatur in textu, sed de resurrectione mortuorum.

Lin. 32 s.: hic, et similiter pag. 9 inde a lin. 27, nulla est distinctio, equidem summi momenti, inter charismata, seu gratias gratis datas, de quibus apostolus quater manifesto tractat ...[5], et gradus hierarchicos, ad quos regimen et administratio Ecclesiae inde ab initio pertinuerunt, ut abhinc pluribus annis conatus sum demonstrare libro, typis edito, *La Gerarchia della Chiesa negli Atti degli Apostoli e nelle lettere di S. Paolo ...*[6]

Pag. 9, lin. 13: « ... de eius corpore ut uno pane participamus ». Nescio cur testimonium paulinum invertatur. En verba apostoli: « Unum corpus sumus omnes qui de uno pane participamus ». Nempe: ideo unum corpus sumus omnes quia de uno pane, *scil. eucharistico,*[7] participamus.

Pag. 9, n. 5, lin. 15 s.: « ... non tantum ut corpora nostra per sensibilia sacramenta Corpori eius clarificato coniungantur, etc. ». Ast, per sacramenta Novae Legis, praeter corpus, etiam anima, scil. homo totus, cum corpore et anima, coniungitur cum Christo.

Lin. 21: « quem (Christum) dedit Pater caput super omnem Ecclesiam, etc. ». Textus graecus, secundum criticam rationem, aliud testatur: *αὐτὸν ἔδωκεν κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ,* « et ipsum dedit caput Ecclesiae super omnia », *non super omnem Ecclesiam, super omnia, ὑπὲρ πάντα.*[8]

Lin. 33 s., et lin. 37: « In diversis muneribus, *praesertim* quando ministeriis sacrae hierarchiae exercentur... », *et deinde:*[9] « quae fideles et imprimis praepositi Ei (scil. Christo) ministrando suscipiunt » (vel, ut alii praeferunt, « operantur »). In utroque loco praestantia praepositorum Ecclesiae, in comparatione fidelium. adverbiis « praesertim » et « imprimis » non satis servatur.

Pag. 10, linn. 12-14, legimus: « hoc corpus — equidem mysticum — Christum in terris vere repraesentat eiusque actione germen et initium constituit regni caelorum, ad quod sperandum perducitur ». Quomodo, quaeso, potest dici Corpus mysticum repraesentare Christum in terris, cum ipsum Corpus Christi mysticum sit Christus totus? Pro-

fecto insulsitatem non effugeret qui de se affirmaret repraesentare seipsum!

Deinde quid significat « actione huius Corporis mystici constitui *germen et initium regni caelorum* », cum regnum caelorum sit, in ore Christi, Ecclesia ab eo plene in terris condita?

Linn. 14 et 15, legimus: Sicut Christus est « pleroma Dei », ita Ecclesia est « pleroma seu plenitudo Christi in ea inhabitantis ». Haec audacissima comparatio perperam omnino trahitur e Sacris Litteris. Ante omnia, S. Paulus non dicit Christum esse pleroma seu plenitudinem Dei, sed in Christo inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, *τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς*, nempe esse Verbum Dei incarnatum. Insuper, penitus absonum est asserere Ecclesiam esse pleroma seu plenitudinem Christi in ea inhabitantis, quia Ecclesia est pars huius plenitudinis Christi, quae plenitudo est Corpus Christi mysticum integrum, cuius ipse Christus est caput, Ecclesia autem est, ut dictione S. Ioannis Chrysostomi utar, Capitis complementum, quatenus caput in corpore completur membris.

Demum pag. 11, n. 7, linn. 7-10. *Societas visibilis* in Ecclesia et *mysticum Christi Corpus* habentur quasi duo elementa, humanum et divinum, quibus Ecclesia coalescit. Quod quidem non placet, quia quemadmodum Pius XII, Pauli apostoli et SS. Patrum, praesertim S. Augustini, vestigia premens, lucide in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis Christi* ...[10] et *Humani Generis* ...[11] docet: Corpus Christi mysticum et Ecclesia unum idemque est; aliis verbis Ecclesia, ut Christus eam condidit, est ipsum Corpus mysticum, a quo igitur nullatenus distinguitur. Quapropter una eademque Ecclesia est adspectabilis seu visibilis societas cum vita invisibili per inhabitantem Spiritum Sanctum, qui est eius anima. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] non. [2] (2, 20). [3] (cf. 1 *Cor.* 3, 10 s.). [4] loco ibi laudato. [5] (*1 Cor.* 12, 8-10; 28-30; *Rom.* 12, 6-8; *Eph.* 4, 1; cf. *1 Cor.* 14, 26). [6] Roma 1921. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] (1943). [11] (1950).

14

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU
Archiepiscopus Tucumanensis

Venerabiles Patres,

Quamvis n. 5 in pag. 9 bene se habeat, tamen videretur desiderandum quoddam elementum alicuius momenti.

Nam ibi apparet Iesus Christus mortuus et resuscitatus mittens Spiritum Sanctum, et ita tamquam constituens suum Corpus mysticum.

Ibidem Christus praesentatur ut diffundens suam vitam in membris per baptismum et per sui panis participationem.

Praeterea per instrumentum ministerii suae Ecclesiae Christus est aedificans suum Corpus mysticum in tempore.

Videretur dicendum quod in hoc n. 5 de Ecclesia ut mystico Corpore Christi esset opportunum et magni momenti exprimere breviter aliquid de puncto centrali vitae christianae, nempe de unitate sociali christianorum in Corpore mystico per suum speciale sacramentum ad hoc, i. e. per S. Eucharistiam.

De hac unitate efficienda per Eucharistiam non datur specialis expressio. Et in hoc Concilio magni momenti habentur ea omnia quae ad unitatem fovendam ducunt, sive inter fratres nostrae Ecclesiae sive inter fratres in Christum credentes.

S. Thomas de hoc pane Eucharistico dicit: « In hoc sacramento est aliquid quod est sacramentum tantum, ipsa species panis et vini; est aliquid quod est res et sacramentum, scil. Corpus Christi verum; et est aliquid quod est res tantum, scil. unitas Corporis mystici, sine qua non potest esse salus ».

Et ita possumus dicere unitatem quod est signum Ecclesiae, et desideratum magnum Christi orantis, verificari in Eucharistia, quia haec et significat et causat unitatem Ecclesiae.

Hoc modo praesentatur intima et essentialis relatio inter Ecclesiam et Eucharistiam.

Concludendo ergo propono ut in hoc schemate, quando loquitur de pane eucharistico, non solum praesentetur Christus ut « reficiens turbas », sed expresse et clarius manifestetur efficacia ipsius quoad unitatem socialem Corporis mystici Christi fovendam *et tuendam*.[1]

Et ad hoc postulo ut in n. 5, pag. 10, lin. 10, ante verba « quia etc. » scribatur haec locutio: « in sacramento Eucharistiae unitas Ecclesiae maxime verificatur », aut aliud simile. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit die crastina, hora 9.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO TRADITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN GENERE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO TRADITAE

QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA IN GENERE *

1

EXC.MUS P. D. CAROLUS BALDINI
Episcopus Clusinus et Pientinus

Commissioni expertorum toto corde ac sincero animo gratias ago pro optimo schemate *de Ecclesia* quod Patribus praebuerunt examinandum.

Sit hoc verbum minimi ex patribus ad eorum solacium: bene impenderunt tempus ad hoc opus explendum. Nam si attenderent tantum ad observationes propositas concludere possent in amaritudine animi in cassum se adlaborasse et nihil boni fecisse. Observationes plerumque propositae sunt ad optimum in materia subiecta adsequendum; quandoque vero, alii alia persaepe contraria requirentes, observationes hoc unum probaverunt, expertos mediam ac auream tenuisse viam.

Et revera, schema dat episcopis et sacerdotibus argumenta nova ac fecundissima pro catechesi ad populum, dum Ecclesiam repraesentare possunt non sub adspectu iuridico, tamquam societatem baptizatorum, ut in veteri catechismo, sed in mysterio eius intimae constitutionis uti Corpus Christi mysticum, uti familiam Dei, et aliis imaginibus ex Evangelio depromptis.

Et hoc plene videtur respondere optatis Ioannis XXIII, cui in corde erat praesentandi mundo Ecclesiam uti sponsam sine macula aut ruga; et Pauli VI, qui inter fines optatos et a Concilio adsequendos posuit « novam conscientiam Ecclesiae in cordibus christianorum, Ecclesiae, nempe, uti familiae Dei, de qua omnes baptizati aeque participant, et ad cuius vitam omnes concurrere possunt precibus, oblationibus, exemplis et operibus ».

At in n. 10, in quo agitur « de non christianis ad Ecclesiam adducendis » praeter argumenta allata, « Christum pro omnibus mortuum esse, et omnia bona existentia apud homines posse considerari tamquam praeparatio evangelica et lumen a Deo datum... », in lin. 16 post verbum « intendit » bonum mihi videretur et aliud argumentum ponere, quasi exemplificationem veritatis iam adfirmatae; nempe: « Homines enim, anima naturaliter christiana dotati, quaedam prosequuntur bona, quae eos nobilitant, eisque ad

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt vel iuri loquendi renuntiaverunt.

Deum sternunt viam: unitas gentium absque originis differentia, communicatio bonorum, solidarietas in calamitatibus, pax universalis et iustitia. Haec bona in Ecclesia novum acquirunt robur et faciliori consequuntur itinere per Iesum Christum, qui homines suo sociavit sanguine et Deum hominibus uti Patrem acquisivit ».

Haec vel similia verba constituunt argumenta, ni fallor, hominibus nostri temporis eorumque menti, magis aptata, psychologice et historice loquendo. Verba quae sequuntur: Qui, Christum etc., ut caput-versum novum, poni possunt.

2

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

Ad schema *de Ecclesia* globatim consideratum quod attinet, haec mea desideria humillime secretariae generali eiusdem Concilii per scriptum propono:

1. De Maria Virgine, vera Matre Ecclesiae, potius quam in schemate distincto, disseratur in toto decursu schematis, ita ut appareat qualis vere est, Mater Corporis realis Christi et Mater Corporis mystici: ipsa enim genuit Ecclesiae fundatorem; ipsa praebuit materiam sacrificii permanentis Novae Legis; ipsa cum Ioanne adfuit oblationi a Christo Deo Patri pro Ecclesia peractae; ipsa, post Ascensionem, apostolos praeparavit ad receptionem Spiritus Sancti; cum ipsa primi credentes erant perseverantes in oratione, in fractione panis et in doctrina apostolorum, ut clare patet ex libro Actuum.

2. Inter argumenta quae primatum probant principis apostolorum maxime clarescant passus biblici de quibus quasi unanimiter usi sunt Patres, i. e.: « Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, ... tibi dabo claves regni caelorum »... et « Pasce agnos, pasce oves », ad fideles et episcopos significandos, secundum interpretationem Patrum et Doctorum.

3. In loco principali ponatur SS. Eucaristiae sacramentum, semper praesens in Ecclesia ad unitatem fidelium efformandam sive in sacrificali oblatione Missae sive in participatione fidelium ad eandem mensam.

4. Ad Ecclesiam in terra designandam, praeferatur vocabulum « Ecclesia militans » et in memoria revocentur fratres qui fere semper in uno vel in altero loco persecutionem patiuntur nomine Ecclesiae Christi, ut hodie patet in ea quae a Pio XII v. m. definita fuit « Ecclesia silentii ».

5. Maxime recolatur mysterium Pentecostes, de quo Ecclesia ortum duxit, praedicante Petro et praesentibus apostolis.

3

EXC.MUS P. D. CAMILLUS PLACIDUS CROUS Y SALICHS

Episcopus tit. Cratiensis, vic. ap. Sibundoyensis

Post caput ultimum schematis *de Ecclesia* convenientes et opportunae essent — uti videtur — additiones: De Ecclesiae membris in purgatorio detentis; et de eiusdem Ecclesiae membris in aeternitate cum Christo regnantibus et Deum in caelo glorificantibus. Rationes sunt:

1. Ut tota Ecclesia appareat in tribus suis statibus, nempe: ut peregrina et militans in terra; ut patiens et purificationi subiecta in purgatorio; et ut gloriosa et regnans in caelo. Visio solummodo Ecclesiae in terra peregrinantis partialis est; et si non loquitur de termino huius peregrinationis, visio Ecclesiae incompleta manet. Terminus peregrinationis est intima, gloriosa et aeterna coniunctio cum Deo in Christo Iesu « in laudem gloriae gratiae eius » (*Eph.* 1, 6).

2. Ratio pastoralis valde suadet ut de Ecclesia triumphante et etiam de Ecclesia patienti agatur; quod evidens est, et quod « sanctorum communionem » multum fovere potest.

3. Etiam id commendare videtur ratio oecumenica: ut tota Ecclesia bene, et non incompleta tantum, agnoscatur, in sua triplici dimensione exposita.

4

EXC.MUS P. D. CAESARIUS D'AMATO

Episcopus tit. Sebastenus in Cilicia, abbas S. Pauli de Urbe

Humilis abbas S. Pauli de Urbe, ep. tit. Sebastenus, quae sequuntur in simplicitate cordis et sermonis tibi pandit. Tuum, si tibi placuerit, esto hanc paginam transmittere quibus competit, vel dilacerare.

Quae de episcopis titularibus in aula protulit exc.mus ep. Monacensis in Principatu vero fundamento theologico innixa mihi videntur; immo et ego de hac re aliquid dicere voluissem, sed spatium investigandi et recogitandi mihi non obvenit.

Pauca tantum trado.

Forsitan in nostra venerabili Ecclesia latina plus attenditur potestas iurisdictionis quam potestas Ordinis sacri. Hoc maxime displicet cum cogito de episcopis qui in Romana Curia Summum Pontificem adiuvant, vel de his qui suam dioecesim reliquerunt, vel aliam non habent nisi titularem. Evenit ut isti episcopi diminuti se sentiant coram episcopis residentialibus, qui non semper nec omnes eos honorare satagunt ut decet.

Experto crede Ruperto!

Contra praxim orientalium, in ipso iure liturgico latino non pauca reservantur episcopo loci, qui utique potest plura concedere episcopo extraneo, sed potest etiam denegare, et quidem non alia de causa quam ad propriam iurisdictionem et dignitatem tuendam, ut videtur. Unde fit ut si quis concedit, contradicit aliquando praxi finitimorum episcoporum; si non concedit recogitandum venit illud « summum ius summa iniuria ».

Libenter legi quae proponuntur in schemate *de episcopis et de dioecesium regimine* praesertim in cap. I, B) pag. 36. Addere tamen vellem ut episcopi omnes ubique benedicere valeant populum, tam intra quam extra ecclesias, Ordinario loci non praesente. Si opus esset adderem expresse quod sacellum domesticum episcopi extranei, etiam mere titularis vel auxiliaris, Ordinarius loci non potest nec debet visitare.

Ut etiam apud orientales dignitas patrum cardinalium integre honoretur, et apud populum nostrum latinum ipsorum S. Romanae Ecclesiae principum episcopalis dignitas clarius pateat, cupio quod cardinales, qui sedem residentialem non regunt, titulum aliquod episcopale habeant et in suis subscriptionibus adhibeant, ita ut, verbi causa, dicatur: « N.N. diaconus cardinalis S. Apollinaris et arch. tit. Serdicensis ».

Quoad ius, non historicum omnino, sed mere consuetudinarium Ritus Romani ut tanta insignia liturgica reserventur Ordinario loci, exopto ut hae reservationes minuantur. E. g.: baculum pastorale, quod in consecratione sua acceperunt, omnes deferre possent cum in pontificalibus procedunt; item antiquum ornamentum episcopale quod formale vel fibula vocatur non esset prohibendum extra dioecesim vel episcopis titularibus. Praecipue suggererem ut episcopi omnes extra territorium, si hoc habent, et etiam in Romana Curia, mozzettam supra mantellettum deferant. Absonum enim videtur, saltem mihi, ut eodem prorsus habitu induantur praelati Pontificiae Domus, sacerdotes simpliciter, et Summi Sacerdotes. Crux et annulum de facto non apparent nisi attente et a prope inspicientibus, et pileolum ac birectum deferre non solum ante Summum Pontificem, sed et in ipsis Capellis Papalibus Pontifice absente, nescio de qua mysteriosa causa, episcopi prohibentur.

Ad modum Appendicis haec sequentia dicam:

1. Antiquorum Ordinum regularium episcopi, immo et cardinales, vestes induunt utique praelatitiae formae, sed coloris typici religionis suae. Attamen scio, et in ipsa aula conciliari conspicio aliquos episcopos religiosos in habitu coloris violacei. Hoc valde displicet... Dedecus profecto non est sed meritum esse religiosum.

2. Pluribus abbatibus, moderno tempore, et credo non a Sacra Rituum Congregatione, concessum est privilegium deferrendi pileolum et birectum coloris violacei. Hoc quod concesserat Codex Iuris Canonici, non displicet in casu abbatum nullius, seu exercentium iurisdictionem ordinariam in proprio territorio.

Verumtamen non placet in casu aliorum abbatum, vel de regimine tantum, vel etiam mere titularium (quod quoque concessum est).

De facto aliquae abbatiae et aliqui abbates tot meritorum onusti sunt et tantum ab hominibus honorantur et aestimantur ut iuste ab Apostolica Sede beneficiis cumulantur. Si isti per pileolum et birectum ab aliis abbatibus distinguendi sunt, multo magis ab episcopis qui consecrationem adepti sunt erunt diversificandi. Ergo alium colorem seligant Officiales Romanae Curiae concedentis.

Excellentissime Domine, habe me excusatum et considera me celeriter et sine adiutorio noctu scripsisse!

Gratias tibi humanissime ago.

5

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Circa schema *de Ecclesia in genere,* paucis verbis meam sententiam exprimere vellem.

Approbatum est schema *de Ecclesia,* quod semper optimum consideravi.

Incommoda quae in praecedenti schemate signata fuerant, nempe quod esset extra modum iuridicum et scholasticum perfecte vitantur. Infertur etiam correctiones propositas perpensius consideratas fuisse.

Maxime laudandum novum schema quatenus in ipso peroptime character pastoralis, biblicus et patristicus ostenditur. Constanter S. Scripturam ut fundamentum earum quae duae dicuntur sumit, et per lectiones SS. Patrum sollerter homines praeteritae et hodiernae aetatis connectit.

Quamvis nimis extensum appareat, agendo de constitutione dogmatica conciliari, tamen eius extensio nobis placet, nam quaestio de Ecclesia ut praecipua inter omnes quaestiones conciliares ut fundamentum aliarum ceterarum disciplinarum consideranda est.

Demptis quibusdam minoris momenti de quibus in praecedenti agebatur, in hoc non parum profectum est. Structuratio quinque capitum ex quibus constat optima videtur et ut ita dicam insuperabilis.

Sermo adhibitus in ipso optime accommodatur modo loquendi fratrum separatorum, et aptissimus est ad nuntium christianum homini hodierno, etiam non credenti, manifestandum. Stylo conciso, parco et pleno unctionis gaudet.

6

REV.MUS P. D. CORNELIUS HEILIGERS
Superior generalis S.M.M.

Praeceptum caritatis erga proximum omnibus imponitur; ab apostolo Ioanne, uti comprobatio dilectionis erga Deum, exhibetur (1 *Io.* 3, 17; 4, 20), atque fidelis huius praecepti adimpletio, tam affectiva quam effectiva, tessera salutis a Domino nostro extollitur (*Mt.* 14, 35-40).

Caritas, per auxilium quod indigentibus filiis praestatur, quam maxime matri convenit. Ut clarior appareat vultus Ecclesiae quae in praesenti schemate variis sub imaginibus inter quas: « Dei familia » atque « omnium Mater et Magistra » proclamatur, eius munus caritativum atque obligatio opera misericordiae tam spiritualis quam corporalis exercendi et promovendi expressius in luce ponenda sunt.

Missio exercendi opera caritatis insita habetur in ipsa Ecclesiae constitutione. Dominus noster, Ecclesiae conditor, « pertransiit benefaciendo et sanando omnes » (*Act.* 10, 38). In prima missione apostolis collata Dominus eisdem curam infirmorum praescribit: « Curate infirmos » (*Lc.* 10, 9). Dilectio uti conditio et anima regiminis ecclesiastici a Domino exigitur (cf. *Io.* 21, 15-17).

Exercitium caritatis ab apostolis tamquam in missione a Domino accepta insertum habetur, pro qua explenda adiutores sibi adiungunt et diaconos instituunt (*Act.* 6, 1-6).

Ecclesia iam a primis temporibus et constanter decursu saeculorum muneri et obligationi opera misericordiae exercendi per innumeras institutiones (xenodochia, hospitalia, domos orphanis destinatas), et per fundationem atque approbationem piorum coetuum fidelium et religiosorum institutorum satisfecit et ita sensus caritatis et misericordiae in ipsa societate et inter populos diffudit.

Ecclesia, peculiari et proprio titulo, pauperibus et egenis cuiusque generis devincitur, quod praesertim nostro tempore quando adsistentia etiam a civili societate et ab aliis institutionibus exercetur, prae oculis habendum est. Nunc sicuti semper est Mater pauperum et egenorum uti in aula conciliari a pluribus ardenter commemoratum est. Adsistentia ex caritate procedens semper afflatu religioso inspiranda est et cum simplici philanthropia confundi non potest.

Quapropter quam maxime in votis est sollemniter proclamare munus et officium Ecclesiae per suos ministros aliosque religiosos viros ac mulieres necnon laicos, quibus ad hoc mandatum Ecclesia committere valet opera misericordiae spiritualis et corporalis exercendi et promovendi: nempe curam infirmorum, adsistentiam orphanorum et aliorum indigentium, auxilium illis qui in societate difficultatibus opprimuntur praestare etc.

Qua de causa aliquae additiones praesenti schemati inseri deberent: cap. I, n. 5, pag. 9, lin. 32, post verba: « ... augmentum Dei » (*Col.* 12, 19) addere: « Harum ministrationum fidele exercitium etiam per opera misericordiae a Supremo Iudice praemio coronabitur cum pronuntiabit quod indigentibus fecistis, mihi fecistis (*Mt.* 25, 35-40). ...In diversis... ».

Loco cit. lin. 35, post « Rex » addi posset: « Medicus noster ».

Inter munera episcoporum, opportunum, immo necessarium videtur addere munus praesidendi exercitio caritatis, vel simpliciter « caritati ». Ideo in n. 18, pag. 29, lin. 14, post verba « ministerium nuncupatur... » addendum

est: « atque sensus et caritatis opera in bonum cuiuslibet generis indigentium secumfert ».

N. 21, pag. 31, lin. 40: Novus numerus addendus esset ita concinnatus: « De episcoporum munere praesidendi caritati ».

« Cuilibet pastori, uti vices gerenti Dei qui caritas est (*1 Io.* 4, 8-16) munus et onus incumbit opera caritatis, tamquam distinctivum signum quod a Domino nostro suis discipulis datum est (cf. *Io.* 13, 35) in Ecclesia fovendi ac regendi titulo peculiari in favorem pauperum et indigentium quos semper Ecclesia secum habebit (*Mt.* 26, 11) eiusque quodammodo hereditatem ac patrimonium constituunt ».

Sancta Mater Ecclesia mysterium Christi exprimere et vivere pergit, qui dixit: « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos » (*Mt.* 11, 28).

7

Exc.mus P. D. AUDENUS McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Cum schema nostrum tractare intendat de Ecclesia in universim, et quidem maxime sub lumine renovationis pastoralis quae nostris diebus tam necessaria apparet, videtur mihi quaedam circa illud observanda et quaedam proponenda esse.

Mea igitur sententia, par. 15 (de presbyteris et diaconis) valde incompleta remanet, praesertim ubi de presbyteris est sermo. In cap. III schematis fuse tractatur de laicis et de eorum loco et functione in Ecclesia; cur non idem fit et amplius pro presbyteris? Cur de presbyteris tam exigue agitur, cum munus eorum tanti momenti sit ut Concilium propositum sibi pastoralem finem attingat? Cogitate, venerabiles Patres, nos episcopos esse tantum bis mille quingentos, presbyteros autem, « providi cooperatores ordinis nostri » ad plura centena millia adnumerari.

Quare omnino assentio proposito iam facto ut specialis sectio schematis de presbyteratu instituatur. Item toto corde assentio proposito ut munus episcopi pastoralem ductum presbyteris praebendi clare in schemate delineetur. Sed etiam longius procedere vellem. Etenim, ista proposita in effectum deduci non poterunt nisi munus presbyteri in tota oeconomia evangelizationis et curae pastoralis clarissime in luce ponatur. Et sane, licet episcopus pastor sit principalis, maxime, ut iam praeclare dictum est, a presbyteris dependet. Ipsi enim vinculum constituunt inter episcopum et fideles, populum Dei. Episcopus non potest esse ubique, omnia per seipsum facere, omnes personaliter videre. Presbyterorum est munus episcoporum pastorale ad gregem ferre, ut ita dicam; et vicissim presbyterorum est populi necessitates et indigentias episcopo patefacere, immutationes in methodo pastorali opportuno tempore proponere — uno verbo, omnia agere quae ad mediatorem inter episcopum et populum spectant.

Quae ut clarius adhuc appareant, iterum redeamus ad illa verba in ordinatione presbyteri a nobis saepe prolata: « sint providi cooperatores ordinis nostri ». Sane episcopo committitur munus triplex docendi, sanctificandi et regendi; sed ad hoc munus adimplendum concurrunt, et quidem modo indispensabili, presbyteri, ita ut vere mereantur laudari ut « gaudium nostrum et corona nostra ». Etenim ipsorum est non tantum verbum Dei praedicare, ac sacramenta administrare, sed etiam incertis consilium dare, vacillantes confortare, haesitantibus persuadere, omnes denique in plena vita christiana dirigere. Proinde, ut mundo nostro hodierno Iesus Christus vere realis appareat, vere « spiritus et vita » sit, non tantum nobis episcopis est adlaborandum, sed etiam et magis presbyteris, qui idem sacerdotium Christi nobiscum participant. Si Ecclesia verum in mundum influxum habitura est, si magnae nostrae urbes iterum sunt evangelizandae, hoc unice fieri potest, ut arbitror, presbyterorum labore, zelo et vitae sanctitate. Nam in isto tam vitali apostolatu moderno presbyteri potiores partes habent, plus quam laici, immo plus quam ipsi episcopi.

Totum id ad quod Concilium Oecumenicum tendit in hoc uno consistit: in instauratione totius mundi in Christo. Totum id ad quod presbyteratus tendit est in hoc, quod talis optata instauratio in effectum deducatur: quod facere debent presbyteri tum spiritum laicorum apostolorum animando, tum iuventutem instruendo, tum scholas tuendo, tum familiam protegendo, tum maestos et dolorem patientes consolando.

Iamvero, venerabiles Patres, quae hucusque dixi de presbyteri munere in schemate de Ecclesia clare agnoscendo magis adhuc valent de iis presbyteris qui in paroeciis operam navant. Etenim in paroecia populus Dei suam vivam invenit expressionem, in illa communitate nempe in qua vita Christi quam maxime alitur et de eadem vita quam maxime vivit et agit. Per istam vivam communitatem renovatio pastoralis efficietur, novas evangelizandi rationes super solidum fundamentum quarundam veterum aedificando. Inter has ultimas sane eminet, adhuc nostris diebus, visitatio familiarum in domibus earum, de qua in mente venit adagium, anglice « a house-going priest makes a church-going people », seu: si presbyter ad domos vadit, populus ad ecclesiam venit.

Nonne igitur clarum est munera presbyterii maximam Concilii attentionem mereri, si finem nostrum, ut per Ecclesiam Christus omnibus hominibus notus fiat, attingere volumus?

Sunt et alia bona, quae ex clara munerum presbyterorum delineatione sponte sequuntur:

Primo quidem, presbyteri se sentient arctiore vinculo caritatis Christi inter se coniungi. Iam permulta de collegialitate episcoporum in hac aula dicta sunt. Sed ne obliviscamur, quaeso, idem de collegio presbyterorum statuere, eadem claritate. Quod sane ad maximum Ecclesiae bonum redundabit: nam coetus presbyterorum, corde magno et animo volenti, eo alacrius ad arduum evangelizandi opus concurret quo fortius se sentient in uno compagine uniri.

Secundo vero, collegium presbyterorum, quod (ut iam antiquitus perspiciebatur) veluti corona episcopum circumdat, valde profunde conscium evadet se cum ipso episcopo in qualibet Ecclesia locali intimis vinculis adnecti, et quidem vinculis non mere externis et iuridicis, sed amoris et sacerdotalis laboris et responsabilitatis. Ita episcopi et collegii presbyterorum socius labor efficiet quod in unaquaque Ecclesia locali in dies magis Christi effigies eluceat. Ita etiam, quemadmodum episcopus sine presbyteris agere fere non potest, sine episcopo nihil, ut iam voluit S. Ignatius Antiochenus, in Ecclesia agatur.

Propono igitur ut specialis instituatur sectio seu paragraphus in quo clare ostendatur participatio presbyteri in nostro sacerdotio quod Christi est, et consequenter, in triplici munere sacerdotali docendi, sanctificandi et regendi — uno verbo, Christum hominibus dandi.

8

Exc.mus P. D. FRIDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Quamvis sero, nondum tamen inutile iudicamus sequentia ad ven. commissionem *de Ecclesia* mittere.

Petitur ut postremum caput in schemate *de Ecclesia* sit: *De Ecclesiae capitis cognitione et dilectione.*

In n. 1 huius capitis exponi possunt excellentiae personae divinae Christi; in n. 2 excellentiae, potestas, virtutes animae Christi; in n. 3 excellentiae, qualitates corporis Christi; in n. 4 principium, causa, ortus Ecclesiae, i. e., amor divinus et humanus Iesu Christi, in transfixione eius lateris consummatus; nam « ex latere Christi Ecclesia orta est »; in n. 5 exponatur amor, quem profiteri debent erga Iesum Christum membra Ecclesiae; eorum enim Iesus Christus est necessarium exemplar, unicus thesaurus, salus unica.

Rationes quae expostulant eiusmodi additionem.

1. In schemate agitur de membris Ecclesiae, nempe, de sacrae hierarchiae membris, de membris laicis, de membris acatholicis, de B. V. Maria, Ecclesiae singularissimo membro. Cur non directe et expresse de capite omnium membrorum sit agendum?

2. Finis pastoralis Concilii. Nihil magis necessarium hominibus quam cognitio, dilectio, imitatio D. N. Iesu Christi. « Haec est enim vita aeterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum ».

« Deus, quos praescivit ... conformes fieri imaginis Filii eius, Iesu Christi ».

3. Necesse est ut membra Christi cum suo Capite uniantur per fidem, caritatem ceterasque virtutes; atque ita cum ipso, per ipsum et in ipso perficiantur quotidie, donec exclamare valeant cum apostolo Paulo: « Mihi vivere Christus est ». « Vivo ego, non iam ego, vivit vero in me Christus ».

4. Verus oecumenismus in terris consequetur, si omnes homines salutem et vitam Christi vivant.

5. Etsi theoretice multa praeclara de Christi Ecclesia declarentur et doceantur, si ad Ecclesiae capitis cognitionem, dilectionem, imitationem non excitentur omnes homines, maxime fideles, fructus consequentur parvi.

9

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PAWLOWSKI

Episcopus Vladislaviensis

Intensissima cura et sollicitudo Ecclesiae, quae universae humanitatis sortem respicit atque omnes homines salutari unitate cum Christo complecti exoptat, haec sunt quae mihi in praesenti schemate *de Ecclesia* maxime probatur. Quo etiam tendit haec efficax et magnifica veritas de Corpore Christi mystico argumentum omne schematis penetrans unaque cum comprobatione peculiari indolis Ecclesiae, quae est collegialitas.

Doctrina de Corpore Christi mystico clare nobis proponit principium organicum, quo iubetur omne membrum eiusdem seu omnem hominem, etiam propter suum bonum, ad incrementum et bonum totius corporis contendere idque per confessionem fidei atque exercitium virtutum. Itaque clare apparet mutuus nexus ac relatio inter singularem hominem et societatem, inter ea quae in vita spirituali sunt individua et universalia.

Per principium vero collegialitatis id demonstratur, quod in Ecclesia continuam instaurationem progressumque promovet, magis magisque cunctas rationes et consuetudines vitae humanae afficit atque pervadit. In ordine hierarchico quem ipsa importat duplex relatio deprehenditur, quarum altera sursum, altera deorsum agere potest. Nam episcopi unitatem cum visibili Capite Ecclesiae, Summo Pontificis unitatem servare tenentur plenamque ei oboedientiam ac subiectionem praestare. Idem Summus Pontifex non solitarie, sed coram collegio episcoporum eoque auxiliante agit. Episcopus est pater et moderator pro suo clero dioecesano, singulique sacerdotes eiusdem ministeria fidelibus praestant in singulis paroeciis. Sed episcopus in multis rebus adiuvatur etiam consilio et voto sui cleri. Sacerdotes sacra ministeria fidelibus praestantes ipsi quoque spiritualiter ditantur per reverentiam a fidelibus sibi redditam et per comparatum adiutorium ab eisdem seu collaborationem. Quae omnes manifestationes vitae in Ecclesia fructus sunt Spiritus Sancti, quo operante ipse Christus in illis agit omnemque hominem bonae voluntatis in viam salutis deducit.

Quibus generatim de indole totius schematis dictis, pauca verba de quibusdam complendis, mutandis vel corrigendis ibidem proponere audeo. Et imprimis de: nimis severe mihi sonare videntur ea, quae dicta sunt de salute fidelium in parte I, n. 8, pag. 12 vv. 8-14.

Nam obvio sensu doctrina ibidem proposita cuidam rigorismo sapere videtur. Siquidem in eis quae ad salutem absolute necessaria definiuntur, omnis ambiguitas sedulo vitanda est. Communis autem doctrina Ecclesiae haec est. Salutem aeternam consequitur homo, qui in statu gratiae per amorem informato de vita decessit. Recuperatio status gratiae etiam ultimo momento vitae, in expiratione ipsa facta, salutem aeternam homini secumfert. Quo ineffabile mysterium divinae misericordiae ipso Christo testante manifestatur. Ut christiani seu fideles catholici in statu gratiae, fidei et caritate vivant virtutesque exerceant, haec sunt gravia atque veneranda hortamina, haud tamen apta saepe sunt in doctrina definienda. Proinde quae in schemate dicta sunt, doctrinae Ecclesiae de perseverantia finali aliquomodo aliena videntur. Quae perseverantia finalis a Concilio Tridentino « magnum donum Dei vocatur » (Denz., *Ench. Symb.* 836).

Oportet praecavere, ne haec adhortatio in praedicto schemate enuntiata pro doctrina definita accipiatur. Quod aliquatenus eos praecipue deprimere potest, qui plene Ecclesiae adhaerent.

Praeterea quoad partem secundam schematis pauca verba de iure parentum mihi referre videtur. Merito ibidem extollitur Ecclesiae missio ad omnes homines Deo et Christo lucrandos. Et hic opportunum videtur saltem pauca verba de pueris baptizatis, quorum salus ante usum rationis iam extra dubium posita est, inserere. Aliqua mentio de eorum salute promovenda ipsam praestantiam muneris et officii parentum in Ecclesia melius in luce poneret atque ea quae in schemate in parte II, n. 30, pag. 19, v. 16 ss. maiorem vim ac potestatem tribueret. Cum laicismus modernus ipsum ius et officium ad religiosam instructionem et educationem filiorum impugnet, aequum est ac opportunum, ut Concilium Oecumenicum summa auctoritate sua ea confirmet, quae in Litteris Encyclicis beatae memoriae Ioannis Papae XXIII, *Pacem in terris* clarissimis verbis enuntiantur: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.,* 1963, p. 260). Consequenter item atque aptissime bona religiosa et moralia hominis aliis verbis earundem Litterarum Encyclicarum tueantur, nempe: « Quam ob causam, si qui magistratus iura hominis vel non agnoscant vel violent non tantum ab officio suo discedant, sed etiam quae ab ipsis sint imperata, omni obligandi vi carent » (*A.A.S.,* 1963, p. 274).

Et in fine mei sermonis pauca de aliis generatim dicam.

Maximum momentum omnis activitatis ac studii in pace conservanda, quae gravissimum bonum universae humanitatis est, nemo est qui non agnosceret. Sed prae omnibus aliis negotiis bonisque tutandis a Concilio Oecumenico Ecclesia sancta protegenda est aptissimisque institutis ita instruenda, ut fundamentum, columna et lucerna ardens veritatis et virtutis sit tam pro universis confessionibus christianis et non christianis utque splendissimis suis coeptis et consiliis omnes homines bonae voluntatis ad plenam unionem cum Deo alliciat atque omnes in uno ovili sub unico pastore coadunet.

10

Exc.mus P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis, adm. ap. Hosannensis et Neghelliensis

Durante Concilio, Curia Romana saepe accusata fuit, et ad eam defendendam, dictum est Curiam Romanam labori suo valde addictam esse. Mea humili opinio haec est:

1. De iure Curia Romana est in servitium Summi Pontificis ad Ecclesiam gubernandam; de facto, uti res hodie stant, ipsa regit Ecclesiam cum Summo Pontifice.

2. Iamvero, Curia Romana officialibus (« fonctionnaires ») constituitur. Quod officiales illi necessarii sint, et labori suo valde dediti, extra dubium ponitur, et personaliter nullam habuerim causam de eis habendi querelam. Sed sunt mere officiales (« fonctionnaires ») quibus episcopatus « ut praemio donatus » confertur.

3. Em.mus P. D. card. Ruffini Ecclesiam alicui exercitui aequiparavit. In exercitu revera adsunt officiales qui administratores vocantur et in officiis laborant; sed illi non regunt exercitum. Exercitus regitur ab illis ducibus qui semper habent responsabilitatem in re militari.

4. A pari necesse est ut Summus Pontifex in Ecclesia regenda adiuvetur ab episcopis, qui responsabilitatem et munus pastorale habeant vel habuerint.

5. Illa conclusio immediate eruitur a principio collegialitatis episcoporum, quod principium a Concilio fuit acceptatum; et valde optandum est ut illi episcopi ab ipso Concilio eligantur qui, adiuvante Curia, cum Summo Pontifice Ecclesiam gubernent.

6. Dictum fuit etiam quod officium nuntii apostolici a laicis adimpleri posset. Opinio haec est vera, praesertim in regionibus orientis et Extremi Orientis. Etenim in religionibus istarum regionum austeritas vitae primum locum obtinet: homo religiosus vel « homo Dei », neque liquorem bibit neque fumat, pauperrime vestitur, etc. Iamvero nuntius apostolicus catholicam religionem publice repraesentat. Sed nuntius obligationes sociales habet, quibus sese subtrahere nequit: primum locum occupat in receptionibus publicis officialibus, quae hodie mundanae sunt; immo ipsemet tales receptiones ordinare debet! Sicque, munus apostolici nuntii sicuti est, nocet reputationi religionis nostrae, et dialogum fructuosum impedit cum religionibus in illis nationibus existentibus. Melius ergo est quod munera politica nuntii alicui laico conferantur, et munera ecclesiastica nuntii, praesidentibus conferentiis episcopalibus committantur.

11

Exc.mus P. D. DOMINICUS PETRONI
Episcopus Melphiensis, Rapollensis et Venusinus

Vos humiliter alloquitur episcopus senex, qui per triginta tres annos, divina ope suffultus, naviter adlaboravit ut animas Christo lucrifaceret in suis dioecesibus, quas communismus — uti dicitur — labefactare pro viribus conatus est.

Plurimas grates omnipotenti Deo persolvi, quod summo Pontifici Ioanni XXIII, immortalis et venerandae memoriae, suggessit ut Concilium Oecumenicum Vaticanum II convocaret, ad quod mentes atque spes hominum cuiusvis nationis conversae sunt.

Mihi persuasum habeo opus perfectum et gloriosum Redemptionis Christi conspici et haberi non posse, quoadusque omnes gentes quae sub caelo sunt, Evangelii lumine non perfundantur, caelestis gratiae munimine non roborentur, denique, unum ovile sub uno Pastore non componantur.

Quod ut feliciter contingat, Spiritus Sancti ductu, necesse est ut magis veritatis lumen fulgeat, caritatis ignis flammescat, simplicitatis ac paupertatis spiritus vigeat.

Cum totus in maligno mundus, hisce praesertim temporibus, positus esse videatur, maximus Ecclesiae est « ut evellat et destruat, aedificet et plantet » ad novum Israël Dei efformandum, scil., ex ipsa libertas filiorum Dei, lux fidei, spes et redemptio salutis aeternae, pax vera veluti ex uberrimo fonte iterum iterumque proflui debent humano generi, cuius Christus adhuc valde miseretur.

Quod quidem perfici potest si Ecclesia magis usque evangelico igne flagrare contendat necnon paupertatis et simplicitatis spiritum diligat atque secundet; si ancilla est non domina gentium, more nempe Divini Magistri, qui « non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis » (*Mt.* 20, 28). Mens, cor, ianuae eius omnibus pateant ita ut a cunctis populis non tantum Corpus Christi mysticum sed etiam Mater et Magistra agnoscatur et diligatur, sitque familia Dei super terram.

Mihi tandem nunc liceat quaedam magni momenti dicere, eo consilio ut Ecclesiae utilitati magis consulatur.

1. Ecclesia — ut censeo — nulli factioni politicae atque consociationi nonnullis gentibus communi (blocchi internazionali) adhaereat, quin tamen recuset evangelica ratione aspicere, perfundere et prosequi quaestiones difficiliores huius nostrae aetatis ut recte apteque solvi queant.

2. Liturgia ita disponatur atque aptetur ut christifideles cuncti active Sacris intersint, ab Eucaristico miro fonte haurientes quae vitae christianae valde prosunt.

3. Ad ecclesiastici regiminis centralis disperditionem et distributionem

quod attinet, mihi reicienda videtur tendentia « episcopalista », quae aperte sensim sine sensu eo tendit ut, imminuto Primatus Romani Pontificis robore, episcoporum augeatur potestas. Quae tendentia erronea et periculosa esse videtur, tum quia cum recta interpretatione voluntatis Christi discrepat, tum quia quaevis relaxatio subiectionis a Romano Pontifice mox atque necessario occasio fiet relaxationis subiectionis sive cleri sive laicorum ab episcopis!

4. De conglobatione (centralizzazione) potestatis Romanae Curiae aliquid humili ac sincero animo pandere cupio: doleo quod adhuc mos vigeat apud quosdam officiales eius habendi episcopos veluti « simplices ministros » sed non ut eos « quos — oportet bene meminisse — posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei », necnon ut Ioannes XXIII aspexit et habere voluit, scil. fratres atque cooperatores ad ecclesiasticum regimen.

5. Multa simplicius fiant, agilius reddantur quaedam quaestiones legibus constitutae, abrogentur multae reservationes, ampliores facultates episcopis concedantur de piis legatis et oneribus, denique quidquid per indultum tribui solet iure communi assignetur.

6. Haec omnia quae sincero apertoque animo pando, omnes vel fere omnes ex vobis cogitare, perpendere ac concupire arbitror, cum tamen longe absit ut magnam vobis difficultatem ad consilium capiendum afferam necnon alia immodice dicam.

Neminem autem latet rem gradatim et prudenter effici posse: *a*) nam, cum Curia Romana instrumentum sit quo Primatus exercetur, si tangatur instrumentum, dubium non est quin et quodammodo exercitium eius tangi possit; *b*) si nonnullae necessariae reformationes per leges novas instaurandae sunt, aliae vero vigere possunt segni illa inductione novae consuetudinis quae constet supernis principiis evangelicae doctrinae et christianae vitae. Motus subitanei — ut facile inferri licet — favent quotquot extra legem, citra ordinem, contra ecclesiasticam disciplinam vivere cupiunt. Proinde, ad rem summa opus est prudentia, moderatione ac gradu. Ceterum, quis ignoret necessitatem, qua saepe premimur, videlicet Romam adeundi atque appellandi nobis episcopis exstare sicuti remedium certum et efficax, praesertim cum difficiliora aut dubiae quaestiones, mentes noctesque nostras haud raro agitent! Grati animi sensibus affectus, minime consentior iis, qui, in hac sede conciliari, contra Curiam Romanam inopportune atque inepte locuti sunt.

7. Dissentio quoque ut conferantur iura et potestates conferentiis episcopalibus, quia hoc mihi videtur aptissimum modum minuendi auctoritatem singulorum episcoporum. Ad rem quod attinet historia namque loquitur docetque: in conferentiis huiusmodi fieri potest ut aliqui praepolleant dum, e contra, ceteri nequeant neque quandoque putent, onere vel periculo perspectis, eorum consiliis obsistere. Quod accidit Hincmaro, archiepiscopo remensi (saec. nono) facile dignoscitur. Melius enim est episcopos obnoxios esse potestati longinquae paternae ac prudenti Summi Pontificis.

Ita sentio, ita dico, prae oculis habens quod utile et bonum videtur fratribus meis in episcopatu.

Ut concludam: consentio cum voluntate plerique episcopatus qui cupit ut negotia magis simpliciter et perspicue tractentur inter episcopos et Curiam Romanam. Omnia iuxta legem fiant, nihil contra disciplinam operetur, ut praelucente hoc Concilio Oecumenico, Episcopi aptius et ferventius regant et sanctificent Dominicum gregem.

Ratio agendi, iustitia, veritate et caritate redundet, ut iure meritoque Roma caput regni Dei appellari et haberi possit!

12

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL

Episcopus Segobricensis-Castellionensis

1. In genere, schema praesens praestat praecedenti.

Inter nova invenitur introductio (n. 1) in qua praefinitur scopus totius schematis.

Ipsum, proinde, diiudicandum est ex iis quae commissio profitetur se intendisse et simul ex aliis aspectibus, ad quos forsan commissio non attendit sed quae videntur alicuius momenti.

2. Scopus schematis, prout ex introductione deducitur, his verbis resumi posse videtur: « Cum Ecclesia sit splendor Christi et sacramentum totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis, Synodus nostra naturam missionemque ipsius Ecclesiae declarare intendit sermone menti hodiernae accommodato, habens speciali modo prae oculis tendentiam mundi hodierni ad unitatem ».

Relate ad scopum sibi his verbis a commissione praefixum, fateri debeo desiderari in schemate tractationem *de missione totius Ecclesiae,* quamvis aliqua elementa huc pertinentia in schemate dispersa inveniantur.

Optandum proinde esset ut in futura redactione cap. II de populo Dei in genere includatur expositio missionis totius Ecclesiae relate ad Deum, ad ipsam communitatem christianam, ad singulos homines et ad mundum.

Nec videtur superfluum hic quoque sermonem instituere de missione Ecclesiae erga mundum, cum fundamenta tantum doctrinalia ibi exponenda essent, quibus schema de praesentia Ecclesiae in mundo inniti possit, eodem modo quo schemata de statibus perfectionis acquirendae vel de apostolatu laicorum, e. g., fundantur in doctrina in diversis capitibus nostri schematis proposita.

Extra scopum sibi a commissione propositum, alias etiam animadversiones fas sit proferre:

3. *De Ecclesia ut « sacramento Christi »*: *a*) Feliciter introducta videtur haec notio theologica in expositione doctrinae de Ecclesia. Ipsa enim quam maxime apta videtur ad superandam contrapositionem inter Ecclesiam iuris et Ecclesiam caritatis.

Unde dolendum videtur quod schema cesset ab usu huius notionis inde a n. 7, lin. 25, et optandum maxime ut saltem doctrina cap. III, de constitutione hierarchica Ecclesiae sub hac luce elaboretur ita ut ex doctrina proposita pateat locus hierarchiae in sacramento Ecclesiae constituendo et eius instrumentalitas dynamica in fructibus huius sacramenti producendis.

b) Praeterea: qua « sacramentum Christi », Ecclesia debet esse et symbolum translucidum et signum certum praesentiae Domini in ipsa. Si autem habeatur prae oculis scopus Concilii nostri et speciatim huius schematis, qui, teste Pontifice nostro Paulo, eo spectat ut « catholica Ecclesia ut perenni vigore praedita salutis administra cunctis appareat oportet » (Ep. *Horum temporum,* 14 sept. 1963, *L'Osservatore Romano* 16-17 sept. 1963, pag. 1), valde optandum est quod in nostro schemate sermo fiat de illis realitatibus in quibus haec praesentia supernaturalis Christi in Ecclesia apertius patet. Dicimus de notis Ecclesiae, circa quas nova luce explicandum esset id quod Concilium Vaticanum I summatim et sub aspectu apologetico declaraverat (cf. Denz. 1794/30-13).

c) Et si quidem vobis, venerabiles Fratres, videtur iam satis actum esse de unitate in cap. I, de sanctitate in cap. V et de apostolicitate in cap. III, rogare adhuc vos auderem ut decernatis esse complendam doctrinam de catholicitate (de qua tantum per transennam dicitur n. 10. linn. 3-4, Ecclesiam missam esse ad omnes homines) per assertionem legis accommodationis Ecclesiae ad omnes culturas et valores humanos mundi, cum contemporaneas tum sibi decursu saeculorum succedentes, eo quod Deus nihil aliud exigat ex parte hominis ad communionem in vita divina nisi conversionem ad eum constantem et aversionem a peccato.

4. *De conditionibus hodiernis prae oculis habendis*: Sub finem introductionis (n. 1, linn. 14-15) agitur de conditionibus huius temporis inter quas extollitur nisus ad unionem totius mundi consequendam. Et in decursu cap. I exponitur locus Ecclesiae ut fermenti mundum intime ad unitatem transformantis.

Quae quidem optime dicta censeri debent, sed etiam dolendum quod nullae aliae « huius temporis conditiones » prae oculis sint habitae ut de ipsis etiam proferatur sermo christianus.

Inter quas « conditiones hodiernas » illa videtur maximi momenti esse quae humanismum spectat. Qui humanismus fulcitur dominio hominis supra mundum materialem et eius vires ex parte una, et ex altera abundantiae productionis bonorum materialium propter quam apud omnes tenditur ad augmentum gradus vitae, quod ex consequentia secumfert augmentum gradus culturae intellectualis et aestimationis personae humanae.

Noster homo hodiernus in toto universo maximae suae virtutis ac dignitatis conscius bene prae oculis habendus est nam schema nostrum debet esse invitatio ipsi facta ad acceptationem Dei, per viam et veritatem Christi in Ecclesia.

Huic autem processui intensioris humanismi Ecclesia respondere debet

quatenus in praesenti schemate altius proclametur idea illa fundamentalis Novi Testamenti circa regnum seu dominationem Dei, in cuius submissione homo adimplere debet mandatum primaevum sibi terram subiciendi. Haec submissio erga Deum includit acceptationem Iesu Christi ut viae, veritatis et vitae, praesertim in exemplo maximo submissionis ad Patrem in Passione et Morte.

Cum haec acceptatio theoretica et practica Dei et Christi sit conversio erga Deum et fides in suo sensu biblico primaevo, Synodus debet altius invitare hominem hodiernum ad hunc gressum, in quo prima et fundamentalis aggregatio ad Ecclesiam datur et in quo uno possibilis est plena et supereminens perfectio hominis.

Sic quoque pleniore in luce reponetur centralitas Dei et Christi in Ecclesia secundum ea quae nobis in sermone inaugurali commendabat Paulus VI, et iuxta illud Pauli: « Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei ».

13

Exc.mus P. D. FULTON IOANNES SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis

Liceat mihi duas emendationes ad schema *de Ecclesia* proponere.

Oportet caput de missionibus includere.

1. Schema *de Ecclesia* non tractat de *incremento Ecclesiae.*

Omnis *vita* in terra crescit.

a) E. g. *Vita naturalis*: Crescite et multiplicamini (*Gen.* 1, 22); Considerate lilia *agri,* quomodo crescunt (*Mt.* 6, 28).

b) *Populus Dei per Iacobum*: « Cresce et multiplicare: gentes et populi nationum ex te erunt » (*Gen.* 35, 11).

c) *Vita physica Christi*: « Puer autem crescebat et confortabatur » (*Lc.* 2, 40).

d) *Ecclesia quae est corpus Christi mysticum* crescit *analogice* sicut corpus Christi physicum crescebat.

(Christus) Augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate (*Apt.* 4, 16).

Donec occuramus omnes... in mensuram aetatis plenitudinis Christi (*Eph.* 4, 13).

Hoc vitale augmentum *duplici* quasi actione obtinetur et completur.

a) *Sanctificatione* eorum qui membra in *actu* Christi et Ecclesiae sunt « Omni opere bono fructificantes et crescentes » (*Col.* 1, 10).

b) *Apostolatu* erga eos qui nondum in actu sed in potentia *membra sunt.*

Missiones ergo non sunt facultativae sed *connaturales* ad naturam Corporis Christi *mystici.*

Sine missionibus Ecclesia videtur quasi *crystallum* describi, dum e contrario, est organismus supernaturalis maxime vitalis crescens usque « ad plenitudinem aetatis Christi ».

Sacra Scriptura duas aetates Christi describit: unam corporis physici, alteram corporis mystici (*Lc.* 2, 40; *Apt.* 4, 13).

Incrementum in corpore mystico: *missio est.*

2. Missio non est *via unica* vel motus apostolorum, eleemosynarum, ab *Ecclesia stabilita* et *fundata* ad Ecclesiam nondum plantatam.

Motus non unicus est, nempe ex divitibus erga pauperes; ex saturis erga esurientes; ex plenis gratiae erga gratia carentes.

Missio est communio, communicatio inter se donantes reciproca.

Ecclesia non conspicienda est veluti motus dignationis et elargitionis ab habentibus erga quasi nihil habentes, sed uti *communicatio donorum* diversorum vel « commutatio ».

« Quam dabit homo *commutationem* pro anima sua » (*Mt.* 16, 26).

Ecclesia ut corpus Christi mysticum est « compactum et connexum per omnem iuncturam *subministrationis,* secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri » (*Apt.* 4, 16; *Col.* 2, 19).

Ecclesia fundata vel stabilita *indigens est,* sed non in eodem modo ecclesiae missionariae.

Ecclesia *stabilita* intercessoribus indiget; ecclesia missionaria sacerdotibus, scholis, operibus socialibus etc. indiget.

Dominus noster de commutatione locutus est.

« Facite vobis amicos de mammone iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula» (*Lc.* 16, 9).

Duo genera paupertatis in Ecclesia sunt: paupertas spiritualis et oeconomica, sicut in libro Apocalypsis legimus de ecclesia Laodicea: « Dicis quod dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et caecus et nudus » (*Apoc.* 3, 17).

Ecclesiae in partibus mundi diversis differunt inter se in *bona commutabilia.*

Ergo: tota Ecclesia in statu missionis est. Membra corporis physici invicem adiuvant, quia totum corpus non crescit sine commutatione reciproca. Eodem modo Ecclesia vivit et crescit.

14

EXC.MUS P. D. HUMBERTUS TONNA
Episcopus Floridensis

Praesens schema videtur valde bonum, cuius est de rebus maximi momenti — uti sunt salus et relationes cum christianis « non catholicis » et cum « non christianis » — pro viribus tractare. Huiusmodi enim quaestiones currentia tempora maxime spectant.

Pariter notandus est aspectus collegialis episcoporum eorumque relationes ad Romanum Pontificem etc.

Audivimus Patres plurimis verbis dicere — optime quidem — de his omnibus, tantum addam unam observationem, quia puto est alicuius momenti pastoralis.

Videtur autem oportere quod gradus adhaesionis praestandae ex parte fidelium magisterio Summi Pontificis « cum non ex cathedra loquitur » quique episcoporum decretis conveniat, in specie tractentur. Nempe: Qualis eorum vis moralis sit? Ad quid et quomodo obligent? Quaestio etenim, hodiernis temporibus maxime quidem turbulentis, argumenta fere quotidiana consultationibus praebent. Ea quae dicuntur in pag. 30 sub n. 25, mihi videntur, minime sufficere, ad clarum responsum dandum laicis interrogantibus. Etiam nescio cur agitur de diaconis in hoc schemate, sed quidquid sit votum profero ut haec Sacrosancta Synodus concedat optimis viris facultates proprias diaconorum, sed sine sacro ordine.

15

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN

Episcopus tit. Acilisenus

De delegatis apostolicis et nuntiis.

Quae dicta sunt novissimis his diebus de delegatis et nuntiis apostolicis non possunt applicari pro omnibus regionibus mundi. Vel saltem praevia distinctione danda est sententia de utilitate aut inutilitate. Sedi Apostolicae manet iudicium ferre circa singulos casus.

Esto principium validum semper et ubique in omnibus casibus. Munus delegati apostolici non debet exerceri ab eadem persona. Et prohibendum est a iure ut delegatus apostolicus in rebus internis ad Ordinarios locorum pertinentibus non se immisceat, quia cum ordinarie sit ignarus rerum internarum, succedunt « pasticci » ut bene dicitur italice.

In nostris regionibus orientis, audeo dicere praesentiam delegati vel nuntii apostolici non dicam utilem sed necessariam esse. In Turchia quis ignorat, saepissime, ne dicam semper, iura S. Sedis, tranquillitatem valde relativam vitae christianorum, exercitium cultus, libertatem scholarum catholicarum defensa esse a delegato apostolico? Quanta fecit delegatus apostolicus Angelus Dolci ad impediendas caedes Armenorum a turcis tempore prioris belli mundialis!

In his regionibus orientis, scil. Turchia, Graecia, Syria, episcopi vel patriarchae indigenae non considerantur a guberniis relativis — hic valet illud « nemo propheta in patria sua », e contra unum tantum verbum delegati apostolici ordinarie obtinet quod desiderat.

In regionibus nostris, ubi sunt plures ritus catholici, non convenit ut delegatus apostolicus eligatur praelatus indigena: hoc generabit invidiam inter

ceteros hierarchas. Est valde necessaria praesentia delegati apostolici in his regionibus: ad tuendam puritatem catholicitatis, ad protegenda iura pusillanimorum sacerdotum contra episcopos saepe duros et iniustos. Non minus utilem immo necessariam esse puto praesentiam delegati apostolici ut antistites indigenae verentes praesentiam delegati apostolici observent quae ordinata sunt in Synodis patriarchalibus nationalibus. Si cum praesentia delegati apostolici minime observant ab ipsis decreta, quid facient eo absente?

Sacerdotes adiutores nostri in sacro ministerio: Permulta dixerunt exc.mi Patres conciliares circa iura et honores episcoporum. Eadem dici possunt circa iura quae acquirunt sacerdotes, per impositionem manus episcopi in ritu ordinationis sacerdotalis, quae repetere mihi non licet cum sint omnibus nota. Tamen proponere audeo ut sacerdotes adprobati ab uno episcopo audiendi confessiones fidelium et praedicandi in Ecclesia, possint valide et licite exercere haec sacra ministeria ubicumque.

CONGREGATIO GENERALIS XXXIX
2 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XXXIX
2 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis*:

Moderatur hanc congregationem generalem em.mus ac rev.mus P. D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Antequam legam nomina Patrum, qui petierunt loqui circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia,* communico omnibus Patribus bonum esse ut iam ab hac die porrigant suas petitiones loquendi circa cap. II, nempe de constitutione hierarchica Ecclesiae praesertim de episcopatu.

Loqui petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus Barros Câmara, arch. Fluminis Ianuarii in Brasilia, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; exc.mi Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India, Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Hollandia, Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia, Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania, Henricus Romulus Compagnone, ep. Anagninus in Italia, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis in Iugoslavia, Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania, Aloisius M. Carli, ep. Signinus in Italia, Villelmus Brasseur, vic. ap. Montanus in Philippinis, Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia.

Nunc exc.mus subsecretarius Villot leget Patribus nuntium, quem humanitatis causa et gratitudinis causa miserunt ad Patres Auditores huius Concilii.

Exc.mus P. D. IOANNES VILLOT, *arch. tit Bosporanus, subsecretarius*:

« Conscients de l'événement historique qui s'accomplit par la décision du Saint-Père d'appeler à assister au Concile en qualité d'auditeurs des représentants qualifiés du laïcat, ces auditeurs se font un devoir d'exprimer au Concile l'émotion, la joie et la profonde gratitude des laïcs qu'ils ont l'honneur de représenter, et leur volonté d'y répondre par une attention accrue à ses travaux et à ses décisions, et par une prière redoublée pour ses résultats ». [*Plausus*].

1

Em.mus P. D. IACOBUS card. DE BARROS CÂMARA

Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Em.mi ac exc.mi Patres,

Centum quinquaginta et tres episcopi brasilienses mihi commiserunt rev.mis Patribus, viva voce necnon per secretariatum huius sacri Concilii, communicare quasdam adnotationes relate ad introductionem et ad cap. I schematis *de Ecclesia,* simul cum nominibus eorum qui in totum vel cum aliqua restrictione eas adprobaverunt.

Praecipuae autem emendationes — ceteris, brevitatis causa, omissis — hae sunt.

A) *Quoad introductionem.*

1. In introductione expresse dicatur in hac constitutione dogmatica *de Ecclesia* Concilium Vaticanum II nihil omnino velle definire ut dogma fidei, nisi illud claris verbis exprimatur, uti v. g. pag. 7, lin. 11, post « enucleans », addatur: « quin tamen declarata seu definita dogmatice res ulla intelligatur, nisi id expresse, suo loco, declaretur ».

Ratio: ut vitentur abusus circa verba Concilii ea adhibendo ad rem dogmatice definitam asserendam, quae talis omnino non fuit. Verba autem emendationis desumpta sunt ex can. 1323, § 3. (Adprobaverunt 150 episcopi).

2. Pag. 7, lin. 15: episcopi Brasiliae adhaerent propositioni a nonnullis episcopis ex Africa centro-occidentali propositae, ut in fine introductionis addantur verba illa de sollicitudine Ecclesiae erga omnes qui dira paupertate premuntur et qui sat laboriosam vitam ducunt. (Adprobaverunt 135)...[1]

Pag. 9, lin. 9, et pag. 9, linn. 14-16: sermo fit tantum de diffusione vitae Christi *glorificati* in membra Ecclesiae et de coniunctione corporum nostrorum Corpori Christi *clarificato.* Quid de vita terrestri Christi, praesertim de eius passione et morte? Revera non tantum de vita Christi clarificati participes efficimur, sed et de vita eius patienti, nam cum Christo patientes adimplemus ea quae desunt passioni eius in aedificatione eius Corporis. Quamobrem melius *videretur*[2] pag. 9, lin. 9, omittere verbum « glorificati »; et pag. 9, lin. *14 et sequentes,*[3] siquidem non de solis corporibus agitur, sequenti modo reddi: « non tantum ut *nos* per sensibilia sacramenta *Christo* coniungamur, sed etiam, etc. ». (Adprobaverunt 126).

Pag. 10, lin. 19: non bene intelligitur quare in enumeratione imaginum Ecclesiae, sermo non fiat de *regno Dei,* quod centrum quoddam constituit Evangeliorum synopticorum, et in Vetere Testamento toties occurrit. (Adprobaverunt 153).

Pag. 12, *variis lineis,*[4] linn. 3, 4, 15: in quaestione, ubi de membris Ecclesiae agitur, optaremus ut omittantur particulae « reapse et simpliciter loquendo »...[5] et verbum « tantum »...[6], et « voto »...[7], nam agitur de terminologia inter theologos discussa et quae parum inservit ad problematis solutionem necnon ad doctrinam tutam nobis praesentandam. (Adprobaverunt 150).

Pag. 12, lin. 13: post verbum « adscribendam » addatur: « *ideoque magis servitio erga alios in Christo teneri, ita ut,* si cogitatione, verbo, etc. ».

Ratio: ut christiani recordentur obligationem quam erga alios habent, eo vel magis cum tot et tantis sint cumulati gratiis, et quidem modo omnino gratuito. (Adprobaverunt 151).

Pag. 13, lin. *20* [8]: loco « locupletantur », dicatur « proh dolor! orbantur », nam per verbum « locupletantur » tantummodo aliquod ditius fieri indicatur, cum autem christianismus plus videatur quam mera locupletatio. (Adprobaverunt 152).

Pag. 13, lin. *22* [9]: eadem ratione ducti, nobis videtur supprimendam esse propositionem: « ut sic via salutis pro eis latius sternatur ». Per istam propositionem, quae de cetero iam in praecedenti sufficienter exprimitur, christianismus apparet solummodo *tantum* [10] *aliquid melius.* Uti in schemate habetur, non satis evidens fit status « anormalis » paganorum in era messianica. (Adprobaverunt 153).

Insuper episcopi Brasiliae adhaerent propositioni ab episcopis regionis Galliae occidentalis, ad pag. 8, lin. 30, ubi fit mentio de die Pentecostes.

Ratio: magnum eius momentum in historia Ecclesiae. (Adprobaverunt 153).

Alias animadversiones minoris momenti secretariatui tradam.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Animadversiones minoris momenti: pag. 7, lin. 6: dicatur « signum *visibile* et instrumentum ». *Ratio*: character sacramentalis est quoque signum, sed spirituale et ideo invisibile. (Adprobaverunt 150). Pag. 7, lin. 7: fiat inversio periodus: « seu veluti sacramentum *intimae unionis cum Deo* totiusque generis humani unitatis ». *Ratio*: Ecclesia praeprimis debet unionem cum Deo efficere ut possit unitatem generis humani consequi. (Adprobaverunt 153).- B) Quoad cap. I de Ecclesiae mysterio. Caput istud valde bonum existimatur, licet stylum eius oporteret ad simpliciorem formam redigere, servando unita-

tem styli etiam in sequentibus capitibus. (Adprobaverunt 151). In specie quinque maioris momenti videntur notanda: [2] videtur. [3] 14-16. [4] deest. [5] (12, 3). [6] (12, 4). [7] (12, 15). [8] 20-21. [9] 22-23. [10] tanquam. [11] Animadversiones minoris momenti. Pag. 7, lin. 21: supprimatur comma ante vocem « Redemptoris ». *Ratio* patet. (Adprobaverunt 153). Pag. 7, lin. 22: omittatur « iustorum ». *Ratio*: ad vitandum errorem catarorum, albigensium, hussitarum etc. (Adprobaverunt 153). Pag. 9, lin. 26: loco « quos » dicatur « quae ». *Ratio*: membra et organa sunt generis neutri. (Adprobaverunt 153). Pag. 10, lin. 21: loco « praecipuas » dicatur « quasdam » ad vitandas quaestiones aliquomodo steriles de momento diversarum imaginum. (Adprobaverunt 153). Pag. 11, lin. 5: adiungatur « spei », nam Ecclesia peregrinans, plena spei, occursum facit Domino. (Adprobaverunt 153). Pag. 11, lin. 21: loco « a Romano Pontifice » dicatur « a Petri successore ». *Ratio*: oecumenica. (Adprobaverunt 152). Pag. 11, lin. 22: loco « extra totalem compaginem » dicatur « extra adspectabilem compaginem », cum sit exactius. (Adprobaverunt 153).

Em.mo card. Jaime de Barros Câmara; exc.mi Benedito Zorzi, João Muniz, Herminio Malzone Hugo, Luiz Victor Sartori, Miguel D'Avessa, Fernando Gomes dos Santos, José de Aquino Pereira, Ruy Serra, José Pedro Costa, Climério Almeida de Andrade, José Alvarez Macua, Alonso Silveira de Mello, Oscar Oliveira, Bernardo Nolker, Paulo de Tarso Campos, Quirino Schmidtz, Frei Gregorio Alonso, Frei Iñacio Kramer, Pedro Felipak, Raimundo Lui, Gentil Diniz Barreto, José Gonçalves da Costa, Walmor Battu Wichrowski, Orlando Chaves, Eugenio de Araujo Sales, Geraldo Michelloto Pellanda, Tiago Ryan, Henrique Gelain, Joaquim de Lange, Clemente Veerman, Clemente Geiger, José Mauro Ramalho de Alarcon Santiago, José Lamartine Soares, Guido M. Cassulo, Epaminondas Araujo, José Bezerra Coutinho, João José da Mota Albuquerque, José Varani, Jaime Luiz Coelho, Francisco Borja do Amaral, Cristiano de Araujo Pena, José Brandão de Castro, Paulo Rolim Loureiro, Edmundo Luiz Kunz, Antonio Batista Fragoso, José Dalvit, José Gomes, Edilberto Dinkelborg, Alberto Etges, José M. Pires, José André Coimbra, Anselmo Pietrulla, José de Medeiros Leite, Alano M. du Noday, José Hascher, Severino Mariano de Aguiar, Gregorio Warmeling, Florencio Sizinio Vieira, Frei Felicio Vasconcelos, João Hoffmann, José Terceiro de Souza, João de Souza Lima, Augusto Petró, Geraldo Fernandes, Afonso Niehues, Milton Corrêa Pereira, Nivaldo Monte, João Batista da Mota e Albuquerque, Salomão Ferraz, David Picão, Candido Julio Bampi, Luiz Gonzaga da Cunha Marelim, Altivo Pacheco Ribeiro, Francisco Austregesilo de Mesquita, José Vicente Tavora, Antonio Ferreira de Macedo, Avelar Brandão Vilela, Camilo Farezin, Stanislaus van Melis, Adriano Hypolito, José Adelino Dantas, Augusto Carvalho, Vicente Marchetti Zioni, Candido Padim, Serafim Fernandes de Araujo, José d'Angelo Neto, José de Almeida Batista Pereira, Arcangelo Cerqua, Carlos de Gouvêa Coelho, Clemente Isnard, Gabriel Burno Couto, Francisco Zayek, Frei Caetano Antonio Lima dos Santos, Cornelio Chizzini, José Alves Trindade, Geraldo M. Moraes Penido, Othon Motta, João Rezende Costa, José Newton de Almeida Batista, Paulo Hipolito de Souza Liborio, Frei Adalberto Marzi, Walfrido Teixeira Vieira, Bernardo Bueno Mielli, Acacio Rodrigues Alves, Manoel Pereira da Costa, Ernesto de Paula, Martinho Michler, José Costa Campos, Antonio Zattera, Adelmo Cavalcante Machado, Manoel Pedro da Cunha Cintra, Eliseu Mendes, João Marchesi, Carlos Schmitt, Cesario Minali, João Gazza, Hamleto de Angelis, Belchior Joaquim da

Silva Neto, Helder Pessoa Camara, Adolfo Luiz Bossi, Honorato Piazzera, José Eugenio Corrêa, Claudio Colling, Daniel Tavares Baeta Neves, José Lazaro Neves, Manoel Lisboa de Oliveira, Aloisio Lorscheider, Manoel Tavares de Araujo, Jaime Schuk, José Nepote Fus, Antonio Monteiro, José de Medeiros Delgado, Tomás Vaquero, Geraldo Ferreira Reis, José Melhado Campos, José Thurler, Antonio Barbosa, Ladislau Paz, Wilson Laus Schmidt, Vicente Scherer, Afonso M. Ungarelli, Raimundo de Castro e Silva, Tomas Guilherme Murphy, Agnelo Rossi, José Nicomedes Grossi, Manoel da Silveira D'Elboux, Benedito Coscia, Alberto Gaudêncio Ramos, Antonio M. Alves de Siqueira, Felipe Tiago Broers, João Battista Przyklenk, Vicente Araujo Matos.

2

Em.mus P. D. VALERIANUS card. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Venerabiles Patres,

Haec sequentia animadvertenda. *Introductio* minus placet. Prima sententia est tam generalis ut possit adhiberi pro omnibus schematibus. In secunda sententia, ordo, mihi videtur, invertendus est. Ecclesia enim non efficit novam unitatem generis humani, nisi illud cum Deo uniendo; unde unio cum Deo prius poni debet.

Praeterea, supervacua est expressa declaratio Concilium rationem habiturum praecedentium Conciliorum, cum hoc sit evidens. Nec retinenda sunt verba « sermone menti hodiernae accommodato ». Hoc enim ex ipso textu schematis debebit apparere. Sufficit ut faciamus id quod est necessarium pro hodiernis temporibus, quin declaremus rationem vel rationes cur faciamus. Est alia res in concione vel oratione publica (sed non in constitutione dogmatica), sicut fecit Summus Pontifex in eius solemni inauguratione huius secundae sessionis Concilii, quando dixit: « Nam Ecclesia mysterium est, scilicet arcana res, quae Dei praesentia penitus perfunditur, ac propterea talis est naturae, quae novas semper altioresque suipsius explorationes admittat ».

Loco ergo huius introductionis, desideratur aliqua brevis expositio de historia salutis et de Christo Redemptore omnium hominum, quod non sufficienter fit initio numeri sequentis.

Caput primum quaedam bona et optima continet; sed desideratur maior claritas, ordo minus confusus. In describenda Ecclesia multae iuxtaponuntur imagines, sed eorum valor theologicus non explicatur; unde perspicua notio vel visio Ecclesiae non sufficienter elucet. Est verum, in praeparando hoc schema plures adlaboraverunt; sed in ultima redactione documenti, quoad coordinationem idearum et stylum, debet

esse opus unius scriptoris. Hoc non clare apparet et ut dicitur anglice: " Too many cooks can *at times*[1] spoil the soup "!

Quidam etiam aspectus Ecclesiae desunt vel non satis afferuntur, ut iam ab aliis oratoribus notatum est.

Liceat mihi — pro defectu temporis (hora fugit non revocanda) — unum tantum aspectum numerare, qui magni momenti esse videtur ad depellendos falsos conceptus Ecclesiae, late sparsos inter extraneos. Hic in Concilio considerantur conditiones tum in occidente cum in oriente. In regionibus ubi praevalent christiani, Ecclesia accusatur quasi velit Statum regere. In regionibus non christianis, Ecclesia saepe habetur quasi sit Status intra Statum. Nollem suggerere, multo minus affirmare, quod culpa est Ecclesiae; sed saepe saepius est culpa christianorum, praesertim illorum qui *velint*[2] esse « plus catholiques que le Pape ». Falsi conceptus oriuntur non solum ex mala voluntate unius partis, sed saepe ex defectu sapientiae et prudentiae alterius partis.

Ad refellenda talia praeiudicia, verus vultus Ecclesiae ostendendus est ita ut omnis ambitio dominandi ab eo removeatur. Iamvero in toto hoc cap. I, Ecclesia apparet tamquam finis sibi, tamquam terminus Redemptionis, et vix umquam tamquam communitas aperta *versus mundum,* cui data est non dominari, sed *ministrare* et *inservire.*

Mentio quidem *in schemate*[3] fit ministrationis; sed relate ad Christum et ad eius Corpus mysticum, *non autem relate ad mundum.* Scimus bene quod Sacrificium Missae et Sacramenta *sunt media dandi*[4] ideam servitii, *sicut baptismus*[5] est vocatio christiani ad servitium Christi et eius Ecclesiae, confirmatio est vocatio assumendi *onera et privilegia*[6] adultae aetatis, et ita porro ad omnia sacramenta et sacramentalia *et etiam ad exercitia spiritualia.*[7] Sed etiamsi sit verum quod Ecclesia exsistit *in seipsa* sed *non pro semetipsa,* i. e. exsistit Ecclesia non dominare mundum sed servire eum, non ut assequatur privilegia ex mundo, sed pati pro eo. Ecclesia est minoritas — et minoritas potens, audax ac fervens — in servitio *moralitatis.*[8] Hanc ideam bene exposuit clarissimus card. Newman, de quo mentio fit in Litteris Encyclicis *Ad Petri Cathedram* Ioannis XXIII. *Non habeo hic fontem ut dem citationem exactam, sed recordor quod clarissimus card. Newman ita scripsit*[9]: " Grow we must (nos debemus crescere). It is the prerogative of our apostolic origin (est prerogativa originis apostolicae). But of what value is it, growth...[10] without a corresponding moral manifestation...[11] " (*i. e. qualis valoris est numerus sine influentia, quantitas sine qualitate?*).[12]

Quare[13] in memoriam velim revocare verba quibus Summus Pontifex die dominica usus est *quando dixit*: « *Probe noverit mundus se aspici ab Ecclesia cum comprehensione profunda, cum sincera admira-*

tione, sincera intentione, intentione non dominandi sed serviendi, non contemnendi sed adprecandi, non dominandi sed afferendi salutem et solacium ».[14]

Nonne haec, i. e. idea servitii, *ut aspectus Ecclesiae*[15] est constans doctrina Christi? *Legamus Marcum, cap. X, v. 43, ubi dicit*: « *Et residens vocavit duodecim et dixit illis*: *si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister* ». *Nonne etiam haec doctrina invenitur in epistulis S. Pauli? Et S. Paulus numquam imposuit super alios quod non imposuit super semetipsum.*[16]

Cum loquar ut episcopus Indiae, addo haec arcte connecti cum intentione missionaria Ecclesiae. Dynamismus seu indoles missionalis Ecclesiae debet urgeri: ipsa sua natura Ecclesia debet crescere et sese expandere; sed populis quos missionarii adeunt debet clare apparere Ecclesiam quaerere suam expansionem non ut auctis numeris augeatur eius potestas, sed ut inserviat mundo efficacius et veritati atque Christo crucifixo et resuscitato testimonium exhibeat. « *Non veni ministrari sed ministrare* ».

Ut concludam hunc meum interventum, in votis est ut n. 6 cap. I ita compleatur ut hic aspectus vultus Ecclesiae clare eluceat.

Quaeritur: *qualem imaginem haec Synodus, hoc Concilium vult praesentare mundo hodierno?*[17]

Imago Ecclesiae quae est semper prona detegere errores vel haereses *et damnare illas*[18]? sicut dixit apologeta anglus G. K. Chesterton: " The divine chariot flies thundering through the ages, / The dull heresies sprawling and prostrate ". *Versio*[19] ab una lingua ad aliam linguam est sat difficilis, sed *quando respicit versionem poesiae*[20] est impossibile, saltem pro me!

Imago Ecclesiae quae est mater et magistra?

Imago Ecclesiae, in cuius sinu omnes populi, ab oriente et occidente, inveniunt iucundum receptaculum?

Vel: imago Ecclesiae quae est « Ecclesia serva », sicut eius fundator, cuius vices gerens in terris hodie vult se appellari « Servum servorum Dei »? Videant Consules.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] volunt. [3] deest. [4] ostendunt. [5] e. g. Sacrificium Missae est actus sacramentalis, quo Iesus Christus tradidit vitam suam pro nobis; Sacramentum Baptismi. [6] onus et privilegium. [7] deest. [8] maioritatis. [9] dicendo. [10] in numbers. [11] of the community. [12] Newman non credidit, sicut eius scripta epistolaria ostendunt, in eo quod vocatur hodie " mass conversion "; sed in conversione individualium singulorum, ita ut unusquisque conversus possit esse medium bonae formationis catholicae, instru-

mentum boni ad alios. [13] Quasi. [14] « Probe noverit mundus se peramanter ab Ecclesia aspici, quae in ipsum sincera fertur admiratione sinceroque proposito movetur non ei dominandi sed serviendi, non eum contemnendi, sed dignitatem ipsius augendi, non eum damnandi, sed solacium et salutem ei afferendi ». [15] deest. [16] *Mc.* 10, 43-45: « Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri minor, erit vester minister: et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis ». *Mc.* 9, 34: « At illi tacebant, siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum maior esset. Et residens vocavit duodecim, et ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister ». Atque etiam cap. 25 *Matthaei* de ultimo iudicio. Porro haec valent non solum pro singulis discipulis, sed etiam *pro tota Ecclesia.* Verum est eam donatam esse regia potestate. Sed haec potestas est spiritualis, atque exercetur non vi dominando sed efficaciter serviendo. Nonne idem est testimonium S. Pauli? Legamus: *Eph.* 4, 11-12: « Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores, et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi ». 1 *Cor.* 12, 4: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus ». [17] qualis erit, vel debet esse, vultus vel visio Ecclesiae hodiernae menti accommodata, quam haec Synodus vult mundo praesentare? [18] ut eas damnet. [19] Omnis versio. [20] versio quae respicit poesim.

3

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Quae episcopi provinciae ecclesiasticae *regionis* [1] neerlandicae ad cap. I schematis *de Ecclesia* proferre desiderant, ab alio episcopo dictae regionis exponentur.

Vellem solummodo quasdam facere observationes relate ad modum quemdam dicendi qui in hoc cap. I duabus vicibus invenitur et qui non videtur esse sine momento.

Agitur nempe de locutione « Petrus et apostoli », quae invenitur in pag. 8, lin. 18, et pag. 11, lin. *16.* [2]

Hic loquendi modus, nempe « Petrus et apostoli », videtur aliquantulum mirus et inusitatus, quia sonat ac si Petrus non esset apostolus. Et sic Petri honor minuitur. E contra, Petrus est princeps apostolorum, praecise quia in collegio apostolorum locum habet et quia in isto collegio primatum habet.

Ideoque proponere vellem ut legatur « Petrus ceterique apostoli », vel « Petrus cum ceteris apostolis ».

Sunt qui timere videantur ne tali modo loquendi locus singularis, quem Petrus tenet in collegio apostolorum sicut Summus Pontifex in Ecclesia, obscuretur, eo quod Petrus et ceteri apostoli aequiparari videntur.

Nemo nostrum primatum Petri et primatum Summi Pontificis negare aut etiam minuere desiderat.

Si autem de « Petro cum ceteris apostolis » loquimur, duo enuntiamus: primo nempe, quod Petrus in collegio apostolorum locum habet, et secundo quia Petrus singulatim et nominatim inducitur, quod in isto collegio Petrus locum habet eminentem, singularem, primarium. Talis modus loquendi proinde *non est aequiparatio* Petri et ceterorum apostolorum, sed potius *consociatio,* dum simul locus singularis, quem Petrus tenet, indicatur. Et sic tota veritas exprimitur, non tantum una pars veritatis. Simili modo in Actibus Apostolorum sermo est de « Petro cum undecim »...[3]

De cetero in duobus locis citatis ex hoc cap. I schematis optime dicitur quod Christus Ecclesiam suam super Petrum ceterosque apostolos aedificavit et quod suam Ecclesiam Petro ceterisque apostolis pascendam tradidit. Haec videtur ipsorum apostolorum doctrina, in Sacra Scriptura nobis tradita.

De loco speciali et omnino singulari quem Christus Dominus in sua Ecclesia Petro tribuit, secundum traditionem catholicam sermo est in loco Evangelii Matthaei, cap. 16, 17 ss.

In eodem Evangelio autem, cap. 18, 18, de *omnibus* apostolis dicitur, Petro incluso: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ».

Et in Apocalypsi, cap. 21, 14, de civitate nova Ierusalem legimus quod « murus civitatis habet fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni ».

Ne dicas quod in loco isto Apocalypsis sermo est de regno Dei eschatologico et de Ecclesia in statu consummato, ideoque quae hoc in loco de eschatologia dicuntur non de Ecclesia peregrinante in terris interpretanda sunt.

Nam in typologia biblica quae de regno Dei consummato enuntiantur, suo modo iam in phasi Ecclesiae terrestri realizantur.

Duo igitur sunt imagines biblicae quae suam habent significationem. Ex una parte Petrus, et quidem Petrus solus, est petra, rupes super quam Christus suam aedificavit Ecclesiam. Ex altera autem parte Ecclesia habet duodecim fundamenta quae sunt duodecim apostoli, i. e. collegium apostolorum quod suo modo Ecclesiam sustentat.

Liturgia ecclesiastica ...[4] textum Apocalypsis modo concreto ante oculos ponit, quoties nova ecclesia consecratur et in muris ecclesiae duodecim cruces consecrantur in memoriam duodecim apostolorum, i. e. Petri ceterorumque apostolorum qui omnes in fundamento Ecclesiae suum habent locum, quin loco singulari quem Christus Dominus B. Petro principi apostolorum tribuit detrimentum afferatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 16-17. [3] (*Act.* 2, 14). [4] hunc.

4

Exc.mus P. D. IOANNES A. ABASOLO Y LECUE
Episcopus Vijayapuramensis

Venia em.mi praesidis, venerabilium Patrum conciliarium, liceat mihi nonnullas animadversiones facere circa quasdam expressiones adhibitas in introductione et cap. I huius schematis de Ecclesia.[1]

Introductio ...[2] sic incipit: « Lumen gentium cum sit Christus... », et reliqua. In commentario, pag. 20, n. 1 dicitur Sacram Synodum transferre hunc titulum — Lumen gentium — a Christo ad communitatem ab eo fundatam, ut appareat missionem Ecclesiae pro hominum salute esse absolute universalem. Haec non placent eo quod talis titulus non respondeat plene missioni universali Ecclesiae pro salute omnium *gentium*.[3]

Iuxta Scripturas Christus vocatur « Lumen gentium » quia destinatus fuerat ad liberandos gentiles, id est non-israelitas, a caligine peccati et ignorantiae. Respectu vero israelitarum, i. e. non-gentilium, Christus appellatur eorum « gloria », quia inter eos natus est et vixit eisque primo Evangelium nuntiavit.

Igitur, expressio adhibita in introductione — Lumen gentium cum sit Christus — si stricte sumitur, significare videtur Christum sua luce illuminaturum tantummodo gentiles ...[4], ac idcirco in sensu translato in quo hic intenditur sumere, significare deberet Ecclesiam sibi proponere salutem gentium tantum. Mens tamen est Ecclesiam, claritate a Christo derivata, exoptare illuminationem omnium hominum, sive gentium sive non-gentium (catholicorum, christianorum non-catholicorum, iudaeorum, paganorum...).

Mea humili sententia, in casu aptius adhiberi posset illa expressio S. Ioannis in prologo sui Evangelii loquendo de Verbo: « Lux vera quae

illuminat omnem hominem », praetermittendo alia verba ob controversiam inter exegetas.

Emendatio, textus quam propono, sic se habet:

« Christus Dominus cum sit lux vera apta ut illuminet omnes homines ...[5], haec Sacra Synodus, in Spiritu Sancto congregata, vehementer exoptat ut claritas eius, super faciem terrae resplendens, ubique diffundatur, omni creaturae Evangelium annuntiando... » et reliqua.

In linn. 10 et 11 eiusdem introductionis legitur: « ... illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans ».

Ex his verbis sequitur in schemate adhibitum fuisse sermonem coaptatum modo cogitandi nostrorum temporum. Sane ita erit respectu hominum alicuius vel quarumdam regionum, sed an idem universim dici possit dubitandum esse puto.

Ceterum, non est cur Patres conciliares debeant satagere de accommodando sermone praecise menti hodiernae, nam modi dicendi, qui hodie sunt in usu, sicut flores agri sunt et cras decident. Oportet ut genus dicendi a Concilio oecumenico adhibitum sit proprium Concilii, id est dignum, clarum, *accuratum,*[6] non obnoxium variationibus et variis interpretationibus.

Mea opinione, illa verba circa sermonem deleri debent.

Ad Caput I.

In pag. 9, n. 5, in linn. 4-8, legitur: « Mittens enim Spiritum suum credentes ... in se unit et tamquam corpus suum mystice constituit ».

Haec verba indicare videntur Christum constituere corpus suum mysticum uniendo sibi fratres suos ut filios Dei adoptivos ac sui coheredes, ac proinde corpus Christi mysticum esse constitutum iustis, i. e. illis qui sunt in gratia sanctificante.

Procul dubio, iusti sunt membra *sana* in Ecclesia (in corpore mystico Christi); sed ut quis reapse incorporetur Ecclesiae Christi et sit verum membrum, tria requiruntur et sufficiunt, videlicet: baptismus valide susceptus, vinculum unitatis fidei, et vinculum unitatis ecclesiasticae; quae tria adesse possunt et saepe adsunt, sine gratia sanctificante.

Textus mutari posset ut sequitur (lin. 5, etc.): « ... sed fratres suos ex omnibus gentibus convocatos, ut filios adoptivos et sui coheredes in se unire exoptat », omittendo verba quae sequuntur.

Ut tamen nexus cum sequenti paragrapho appareat, lin. 9 sic initium habere posset: « Dei autem Filio ita constituere placuit Ecclesiam suam ut corpori adsimiletur. Vita enim Christi glorificati... » etc.

In linn. 25 et 26 eiusdem n. 5, legitur: « Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis corporis praestat, quos tum dirigit tum vita replet ».

Notum est non caput sed animam replere vita membra et organa corporis. Sermo est hic de capite corporis humani, et quae de eo dicuntur, per analogiam ad caput in Corpore mystico, ad Christum nempe, applicantur.

Caput in corpore humano praestat omnibus aliis membris et ordine et perfectione et virtute seu influxu. Ordine quidem, quatenus est prima pars, secundum situm; perfectione, in quantum in eo resident omnes sensus, sive interni sive externi; virtute seu influxu, quia in capite continentur omnia centra motabilitatis et sensibilitatis; et sic illud caput suo influxu movet alia membra corporis, tamen dici non potest ea replere vita.

Igitur lin. 26 sic emendari posset: « Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis praestat, suoque influxu ea dirigit atque gubernat ».

In linn. 38-41 eiusdem n. 5 legimus: « Spiritus autem Christi est qui unus idemque ... etc. ... anima Ecclesiae iure vocatus sit ». Igitur, Spiritus Sanctus, i. e. tertia Persona SS. Trinitatis, est instar animae Corporis mystici, vivificantis tum Caput ipsum (Christum scil.) tum alia membra.

Nunc vero in lineis quae sequuntur (in 40 huius pag. 9 et tribus primis lineis paginae sequentis) additur: « Dominus Iesus ut vitis vera, ... sine quo palmites nihil facere possunt ». Ex his erui posset in Ecclesia (in Corpore mystico Christi) non solum Spiritum Sanctum sed etiam Christum esse principium vitae.

Decet ut conceptus enucleatius enuntientur. Spiritus Christi, id est tertia Persona SS. Trinitatis, sane agit vices animae in Ecclesia et peragit functiones similes iis quas anima humana exercet in corpore humano, atque idcirco dici debet eum (Spiritum Sanctum) totum Corpus mysticum, tum Caput tum cetera membra, vivificare et unire. Sed sicut anima humana habet potentias a se distinctas quibus proxime operatur, ita Spiritus Sanctus, qui est quasi anima Ecclesiae, gratia et donis supernaturalibus utitur tamquam principiis proximis ad operandum in Corpore mystico. *Praeprimis* Spiritus Sanctus replevit gratia et donis supernaturalibus Corporis mystici Caput, Christum videlicet, qui apparuit « plenus gratiae et veritatis »...[7] Ex Christo vero profluunt gratia et dona in cetera membra Corporis mystici quemadmodum effectus vitales diffunduntur a capite in membra et succus atque virtus fecundans derivantur e vite in palmites.

His praelibatis, audeo proponere sequentem emendationem a lin. 41, pag. 9, post verba « iure vocatus sit »:

« Cum vero Spiritus divinus infunderit in Christum plenitudinem gratiarum et donorum...[8] ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] huius schematis. [3] hominum. [4] (paganos). [5] (*Io.* 1, 9). [6] praecisum. [7] (*Io.* 1, 14). [8] haec ab eo profluunt non tantum eo modo quo effectus vitales diffunduntur ex capite in membra, sed et ut succus et virtus fecundans derivantur ex vite in palmites, ita ut quidquid Ecclesia ad salutem operatur » et reliqua.

In pag. 13, lin. 26, iuxta dicta in initio, verba « feliciter sit lumen gentium » mutari deberent in « feliciter sit lux vera quae illuminat omnes homines ».

5

Exc.mus P. D. IOANNES VAN DODEWAARD

Episcopus Harlemensis

Venerabiles Fratres,

Nomine Conferentiae episcoporum neerlandicae sequentia notare velim relate ad cap. I schematis *de Ecclesia.*

1. Sub n. 7, ubi agitur de Ecclesia in terris peregrinante, elementum visibile et invisibile Ecclesiae minus feliciter elaboratur. In textu non satis constat unitas sacramentalis inter amoris et gratiae communitatem et compaginem mediorum salutis, et, ex altera parte, distinctio inter duplicem illum respectum. Proinde n. 7 uti sequitur mutare velim:

« Licet Regnum Dei tantum in caelo pertingat ad plenitudinem suam finalem, in Ecclesia terrestri regnum Dei futurum nobis iam est propinquum in forma visibili. In terra Ecclesia non est nisi Regnum Dei in fieri. Ideo Ecclesia ex una parte est fructus redemptionis Christi et ex altera parte medium redemptionis applicandae universale, quo ad regnum caeleste pervenimus. Ideoque Ecclesia ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur. Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum instrumentum et signum salutis inservit, ita Ecclesia ut medium salutis Spiritui Christi in exaedificando Corpore operatur. Credit Sacra Synodus et solemniter profitetur unicam esse Iesu Christi Ecclesiam, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus (19), quam Salvator post resurrectionem suam Petro cum ceteris apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit (20), quaeque super illos in salutis sacramentum « columnam et firmamentum veritatis » crescit...[1]

« Hoc medium universale salutis invenitur in Ecclesia catholica, a

Romano Pontifice et episcopis in eius communione directa, licet extra totalem compaginem elementa plura veritatis et sanctificationis inveniri possint, quae ut bona Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt ». *Et cetera prout est in textu.*[2]

2. Nn. 8, 9 et 10 melius sub uno titulo coniunguntur, *verbi gratia sub titulo*[3] « de coniunctione cum Ecclesia » aut aliquid huiusmodi, ubi priore loco sermo fiat de fidelibus catholicis, secundo loco — praetermissis linn. 15-23 — de nexibus Ecclesiae cum christianis non-catholicis, tertio de illis qui fidem Abrahae profitentur, et demum quarto (sub n. 10) de ceteris omnibus.

Mutationes proinde sint sequentes:

Pag. 12, lin. 3: loco « reapse et simpliciter loquendo », reassumatur verbum adhibitum a Summo Pontifice in oratione ad inaugurandam secundam sessionem Concilii Vaticani II. Dicatur proinde: « Vinculo perfectae unitatis Ecclesiae societati incorporantur illi tantum, etc. ».

Pag. 12, linn. 15-23: illae lineae expungantur, quia nexus inepte interrumpitur et elenchus completus non intenditur. Si tamen Patres conciliares specialem mentionem de catechumenis retinere voluerint, deleantur tantum linn. 18-22, et linn. 15-18 sic sonent: « Speciali modo Ecclesiae coniunguntur catechumeni qui, Spiritu Sancto movente, fidem catholicam profiteri iam incipientes cogitate et explicite... » etc. ut est in textu.

Pag. 12, lin. 28: post « Filium Dei Salvatorem », addatur « Sacram Scripturam ut normam credendi ac vivendi in honore habent ».

Pag. 12, lin. 33: *ubi est « Immo quaedam in Spiritu Sancto coniunctio »,*[4] deleatur potius restrictio « quaedam ».

Pag. 13, post lin. 2: addatur affirmatio nexus specialis Israël fidelis cum Ecclesia, v. g. hoc modo: « Demum cum Ecclesia vi promissionis Abrahae factae arcto quodam vinculo coniungitur populus ille fidelis " secundum naturam inserendus suae olivae "...[5] et " secundum electionem carissimus propter patres " »...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (1 *Tim.* 3, 15). [2] « Ut sacramentum Christi, Ecclesia est signum in nationibus levatum, quibus etiam in paupertate evangelica testimonium mitis et humilis Iesu praebet » (23). « Inter persecutiones mundi et consolationes Dei peregrinando percurrit » (24), sancta et se sanctificans, sanctos et peccatores in se complectens, in mundo exsistens sed non de mundo (cf. *Io.* 17, 11-14) « mortem Domini annuntians donec veniat » (cf. 1 *Cor.* 11, 26). Sic per patientiam commissas sibi partes implet, ut omnes homines; quos ardentissima caritate ad se vocat, ad regnum caeleste in gloriam Patris perducat ». [3] scil. [4] deest. [5] (cf. *Rom.* 11, 24). [6] (cf. *Rom.* 11, 28). Pag. 13, n. 10 ut concatenatio cum nn. 8-9 melius in lucem prodatur, ordo huius paragraphi immutetur.

Et prius veniant linn. 16-21 (« Qui Christum eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes... ») tunc linn. 13-16 (« Quidquid enim boni... intendit ») et postea tantum linn. 3-13 (« Ecclesia ... quaerant »). Et deleatur repetitio contenta in linn. ultimis (linn. 21-23).

6

Exc.mus P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Venerabiles Patres,

Pro multis huius temporis hominibus, etiam ex fidelibus, Ecclesia obstaculum potius quam adiumentum praebet. *Multi enim* [1] ad exteros Ecclesiae aspectus tantum attendunt, ignorantes vel obliviscentes Ecclesiam mysterium esse, scil. arcanam rem, quae Dei praesentia penitus perfunditur. Haec verba sanctissimi Patris, iam ab em.mo card. Gracias citata, argumentum meum perfecte illustrant.

Huic defectui schema iam remedium affert, attamen adhuc pressius mysterium proponi posset. Ab initio clare affirmandum est unionem immediatam cum Deo, mediante gratia sanctificante et deificante a Christo Capite derivata, realitatem profundiorem mysterii Ecclesiae constituere.

Unio hypostatica in persona Filii ratio et causa habetur huius unionis gratiae, qua ipsa Trinitas in animis iustis inhabitat. Hac unione in Christo inserimur, quia gratiam habet causam et fontem, quae de Christo profluit quaeque proinde capitalis nuncupatur.

Sic Christus Caput et Ecclesia eius Corpus est, ita ut divitiae in Christo primo exsistentes Ecclesiae communicentur.

Inter divitias a Christo in Ecclesiam profluentes primum locum tenet, uti aliarum dotum finem, ipsa sanctitas seu gratia sanctificans. Aliae dotes et charismata, uti sunt praeprimis potestates seu munera Ordinis et iurisdictionis, ministeria sunt, quae aliquibus in Corpore conferuntur in ministerium sanctitatis, quae est vocatio omnibus proposita.

Certe haec doctrina traditionalis [2] a nostro schemate non ignoratur, sed tantum aliquando insinuatur. E contra, cum sit centrum, oporteret eam explicite exponere. Insuper in textu multa optima enumerantur quin organice proponantur.

Praesertim cavendum est vocabulum « Ecclesia » ex communi usu loquendi duo significare posse: nempe quandoque agitur de mysterio Corporis Christi mystici ontologice considerato, quandoque de mediis sanctificationis et prae primis de hierarchia. Nisi hae duae significationes bene distinguantur, aequivocationes oriuntur...[3]

Unum tantum exemplum affero; alia in scriptis dabo.[4] Pag. 7, n. 1, lin. 6: iuste dicitur Ecclesiam esse *signum, instrumentum, sacramentum* unionis cum Deo. Sed profundius et ontologice est ipsum mysterium unionis...[5]

Unde propono: *in initio schematis*[6] clare affirmetur:

a) mysterium Ecclesiae, dum a multiformi gratia Christi constituatur, mysterium Christi prolungare;

b) inter omnes dotes quas Ecclesiae suae Christus communicat eminere sanctitatem, quae res *seu realitatem*[7] Ecclesiae constituit; ...[8]

c) ad hanc principalem dotem sicut ad finem ordinari alias dotes, quas Christus suae Ecclesiae communicat...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Inter multas rationes haec est: plerique. [2] Haec doctrina traditionalis (invenitur apud S. Augustinum et S. Thomam, cf. *Summa theol.*, III, q. 8). [3] quibus mysterium Ecclesiae aliquo modo obnubilatur ac pro detrimento animarum minuitur. Huiusmodi aequivocationes textus schematis quandoque vitare non satis satagit. [4] Sic v. g. in cap. I. [5] pag. 8, n. 3, linn. 18-22, Ecclesia non est tantum sacramentum, sed etiam res ipsa a sacramento significata et communicata. N. 4, forsan in hoc textu magni momenti, diversi aspectus supradicti melius inter se ordinari possent. Pag. 9, n. 5, lin. 9, vita Christi primo et essentialiter gratia et caritate constat, quod explicite dici potest. Linn. 33-41, loquitur simul et sine ordine, et de charismatibus et de gratia sanctificante. Pag. 11, n. 7, linn. 5-7, textus confusionem affert dum primo de vita theologali et secundo sine transitu de mediis sanctificationis loquatur. Similia exempla in aliis capitibus inveniuntur. [6] Unde proponimus: in prologo totius schematis vel initio cap. I. [7] deest. [8] Nam gratia Christi realiter deificamur, dum in Filio unigenito filii adoptivi Patris efficiamur ac vitam theologalem unionis cum Deo, in terra inchoatam et in caelo consummandam, degere possimus. [9] Ipse namque est Summus Sacerdos et Lux mundi ac proinde Rex, Propheta ac Doctor nuncupatur. Ex his profluunt munera hierarchica, quae etiam a laicis participari quandoque ac suo modo possunt, quae re vera servitia ac ministeria ad mysterium sanctitatis annuntiandum, communicandum, ac fovendum totaliter ordinantur (cap. II, III). Sic melius apparet qua ratione omnes ad sanctitatem vocentur (cap. IV).

7

EXC.MUS P. D. ANASTASIUS GRANADOS GARCÍA
Episcopus tit. Cidramenus, aux. Toletanus

Venerabiles Patres,

Liceat mihi, animo schema perficiendi, sequentes animadversiones exponere: ...[1]

Quoad n. 3, lin. 18, dicitur: « Congregatio eorum, qui in Iesum sa-

lutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab eo convocata et legitime constituta ».

Haec notio Ecclesiae manca videtur, quasi sufficeret in Christum credere ad hoc ut quis ad Ecclesiam pertineat. Proponerem hanc redactionem: « Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, *ipsique adhaerent modo ab illo stabilito,* est Ecclesia... » etc. *Vel si magis placet, cur non posset dici*: « *Ecclesia est congregatio incorporatorum Christo* »? [2]

Quoad n. 4. « De Spiritu Ecclesiam sanctificante ». Cum sermo fiat, et quidem promiscue, de duplici missione Spiritus Sancti, altera in Ecclesiam, altera vero in singulos fideles, quarum prior radix est ac fundamentum posterioris, sequentem proponerem redactionem: « Opere autem consummato, quod Pater Christo *commiserat in terris personaliter peragendum* ...[3], misit Deus promissum Spiritum Sanctum in apostolos ...[4], fundamentum Ecclesiae ...[5], ut ipsam iugiter vivificaret. Quapropter in fidelibus et in Ecclesia Spiritus tamquam in templo inhabitat...[6] Misit etiam Deus Spiritum Filii in corda nostra ...[7], in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem...[8] Ipse enim est Spiritus vitae seu aqua saliens in vitam aeternam...[9] Ubi ergo Ecclesia, ibi et Spiritus Dei, illam diversis donis et charismatibus locupletans et fructibus suis ornans ...[10], qui per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam *suam,*[11] perpetuo renovat, et ad consummatam cum Sponso suo unionem perducit », *etc.*[12]

Quoad n. 5, pag. 9, linn. 9-11. Textus propositus ita sonat: « Vita enim Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum eo et in eo unum Corpus efficiant ex diversis membris aedificatum ».

Proponerem: « Vita enim Christi ...[13] in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum eo et in eo unum Corpus efficiant ex diversis membris *organice constitutum* ».

Ratio huius emendationis haec est: licet « diversitas membrorum », de qua in textu, innuat organicam Ecclesiae constitutionem, haec nitide appareat oportet, nam, aiente Pio XII in Encyclicis Litteris *Mystici Corporis Christi*, « Ecclesia ea maxime de causa Corpus dicenda est »; de cetero, Ecclesia non ideo *tantum* [14] organica dicenda est quod diversis constet membris, sed « quod recta consentaneaque coalescit partium temperatione coagmentationeque, ac diversis est sibique invicem congruentibus membris instructa », *ut verbis utamur eiusdem Summi Pontificis.*[15]

Nec arbitrandum est rem esse minimi momenti indolem organicam Ecclesiae extollere, nam, uti *vobis venerabilibus* [16] Patribus compertum est, « voce *membri* connotamus partes quatenus inter sese conveniunt;

voce *organi* vero partes quatenus functione gaudent peculiari notabili »...[17]

Haec vero functio peculiaris a Spiritu Sancto vivificatur peculiari gratia, quod his verbis exprimit clarus Pater Tromp: « Diversis organis correspondent determinatae elargitiones Spiritus Sancti, quae non sunt communes omnibus partibus, sed reservantur tali vel tali membro *ratione officii* quod exercet in bonum totius »...[18]

Haec gratia functionalis in bonum totius Corporis mystici elargita, non immerito « charisma » est *appellanda.*[19]

Tandem, quoad n. 7, pag. 11, linn. 10-13, sequentem redactionem proponerem: « Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum instrumentum salutis inservit, ita socialis organismus Ecclesiae Spiritui Christi *in redemptione hominibus per saecula applicanda* inservit ».

Substitutio *verborum*[20] « in exaedificando Corpore » proponitur, etsi sanum sensum admittat, *ideo proponitur*[21] ut, quantum fas sit, vitentur locutiones metaphoricae et sensus magis explicitus fiat, vestigia premendo Concilii Vaticani I in constitutione *Pastor Aeternus.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quoad n. 2, pag. 8, lin. 1: Sensus videtur hanc redactionem postulare: « Ex sancta Ecclesia iam ab origine humani generis praefigurata, in electione veteris populi ac foedere antiquo mirabiliter praeparata, in plenitudine temporis (cf. *Gal.* 4, 4) est a Christo condita et mundo manifestata ». [2] deest. [3] (cf. *Io.* 17, 4). [4] (cf. *Act.* 2, 1-4). [5] (cf. *Eph.* 2, 20). [6] (cf. 1 *Cor.* 3, 16; 6, 19; *Eph.* 2, 22; 1 *Petr.* 2, 5). [7] (cf. *Gal.* 4, 6). [8] (cf. *Eph.* 2, 18). [9] (cf. *Io.* 4, 14). [10] (cf. 1 *Cor.* 12, 4; *Gal.* 5, 22). [11] eamque. [12] Nam Spiritus et Sponsa ad Dominum Iesum dicunt: Veni » (cf. *Apoc.* 22, 17). [13] glorificati. [14] deest. [15] (Enc. Mystici Corporis). [16] deest. [17] (Tromp, *De Spiritu Christi anima,* sectio VI, pag. 271). [18] (ib., pag. 293). [19] nominanda. [20] phraseos. [21] deest.

8

Exc.mus P. D. HENRICUS ROMULUS COMPAGNONE
Episcopus Anagninus

Venerabiles Patres,

In disceptatione de toto schemate *de Ecclesia,* non pauca praeclare dicta pertinebant ad materiam cap. I, utpote quod toti schemati unitatem et veluti thema centrale conferat. Quia vero repetendae non sunt animadversiones ...[1] factae, quibus de cetero a vice-praeside commissionis de doctrina fidei et morum attenta consideratio ex parte ipsius commissionis promissa est, de quibusdam tantum acturus sum quae,

ut mihi videtur, aut dicta non fuerunt aut sub alio *quodam*[2] aspectu fuerunt ab aliis considerata.

1. In nn. 2-4, pagg. 7-8, de Ecclesia agitur secundum eius habitudinem ad singulas personas Sanctissimae Trinitatis. Immo in commentario explicativo, quod sane in futura editione decretorum Concilii omittetur, dicitur in hac cap. I parte vel sectione ostendi « Ecclesiam ex Deo Uno et Trino oriri, ... sicque doctrinam de Ecclesia in dogmate primario christianismi fundari ».

Non placet autem quod, agendo de Persona Patris in n. 2, pag. 7, fiat usus non necessarius *doctrinae*[3] theologicae de appropriatione. Revera non solus Pater, sed tota Trinitas universum creavit, homines ad participandam vitam divinam elevavit, eosque lapsos in Adamo non dereliquit.

Etsi horum appropriatio ad Patrem passim adhibeatur, etiam in symbolis fidei, mallem ut hic adhibeatur locutio magis propria, incipiendo numerum simpliciter ita: « *Deus* liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, etc. ».

De *Patre* Filium *mittente* sermo proprius fiet incipiendo a lin. 24.

In hoc eodem numero, lin. 22, « Congregatio iustorum (quae) a SS. Patribus Ecclesia universalis nuncupatur », non coniungitur in textu cum aliqua intentione divina illam constituendi. Quasi fortuito e manibus divinis oritur. Propono ut in unica periodo *cum praecedentibus coniungatur,*[4] mediante particula finali; ita posset dici: « ... non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens... *ut ita* sibi colligeret illam congregationem iustorum quae a SS. Patribus Ecclesia universalis vocatur ».

Difficultas autem manet circa illam « congregationem *iustorum* » quae ideam suggerere *posset*[5] solos iustos ad Ecclesiam pertinere, quod esset haereticum.

2. Insufficienter illustrata videtur perduratio missionis Christi in mundo per Ecclesiam.

Ordo materiae huius capitis *deberet respondere*[6] mirabili schemati a Summo Pontifice in sua allocutione ...[7] exposito.

Tradatur primo, in aliquo prooemio quod sit pars integralis huius capitis, doctrina de Christo ut nostro principio, nostro duce, nostra via, nostra spe et fine nostro. Sunt conceptus ipsius Summi Pontificis qui illos ulterius postea evolvit *petens*[8] ut solemniter mundo dicatur « Christum esse Verbum incarnatum..., Filium Dei et Filium hominis, mundi Redemptorem, ...[9] humani generis spem eiusque unum ac summum Magistrum, Pastorem, Panem vitae, nostrum Pontificem nostramque Hostiam, unicum Mediatorem inter Deum et homines, Servatorem terrae, Regem venturum aeterni saeculi ».

Postea, e verbis ipsius Christi — *quae in schemate non citantur, et est revera lacuna —, e verbis ipsius Christi* [10] dicatur ipsum expressam habuisse voluntatem aedificandi *Ecclesiam suam,* eamque de facto *condidisse,*[11] tradita Petro potestate pascendi totum suum gregem ipsique et ceteris apostolis eorumque successoribus *expresse transmissa,*[12] exceptis ut patet praerogativis personalibus, *ipsissima sua missione:*[13] « Sicut misit me Pater, ego mitto vos ».

Exinde illustretur quaenam Christi munia perseverent in Ecclesia, et per Ecclesiam in mundo; in quibus muneribus altissimum locum occupet sacerdotium a Christo ministris suis participatum, *et* [14] ad cuius summum obsequium Deo exhibendum proprio modo aggregantur *etiam* [15] omnes fideles per regale illud sacerdotium quod Ecclesiae qua populo Dei et genti sanctae competit.

In hac perspectiva locum proprium habebunt illa optima quae dicuntur in n. 5 et facilius *vitabuntur* [16] defectus qui *in textu habentur, quique* [17] ab em.mo card. Ruffini fuerunt heri notati, *in clare asserenda distinctione* [18] inter munia atque ministeria sacrae hierarchiae et charismata singulis fidelibus tributa.

Sicque etiam Ecclesia verius apparebit ut signum levatum in nationes, non ad unum Christi aspectum, v. g. Christi pauperis (ut *dicitur* [19] in pag. 11, lin. 26), sed ...[20] integrum Christum in mundo missionem suam ...[21] exercentem manifestandum.

Ex hac sua cum Christo necessitudine et continuatione illius missionis *determinanda* [22] est natura et missio Ecclesiae, nostri temporis hominibus a Concilio praesentanda.

3. De locutionibus illis, quae pluries habentur in schemate, in quibus simul agitur de Petro et *ceteris* [23] apostolis, de Summo Pontifice et episcopis, haec mihi videntur dicenda:

a) Consentio cum voto a nonnullis Patribus expresso ut clara et completa quantum fieri potest tradatur doctrina de natura et potestate episcopatus, sive quoad singula membra sive quoad collegium eiusque potestatem in Ecclesia universali. Planum est nihil debere a Concilio affirmari quod certum et indubitabile non sit.

b) Quia vero hac in re serpere dignoscuntur opiniones quaedam quae omnino reiciendae sunt, locutiones et ipsa verba adhibenda a Concilio talia semper sint ut aequivocationi occasionem non praebeant.

Plene adhaereo animadversioni factae ab em.mo Ruffini circa verba quae habentur in n. 3, pag. 8, lin. 18: « eam (Ecclesiam) super Petrum et apostolos aedificans ». Caute valde in locutione conciliari procedendum est ubi agitur de corrigendis, complendis, extendendis ipsissimis verbis Christi prout ab Evangelio relatis. Dicatur, sicut ipse Christus

dixit, illum *aedificasse* Ecclesiam suam *supra Petrum*. Dicantur apostoli « fundamentum » *Ecclesiae* [24] eo modo et eo sensu quo dicuntur ab apostolo. Non plus neque aliter dicatur nisi argumentis certis *innitamur*.[25]

Locutionibus ipsis de Petro et *ceteris* [26] apostolis, de Summo Pontifice et episcopis simul agentibus quasdam emendationes video propositas a Patribus in summario edito. Quamdam normam generalem, fortasse simpliciorem, liceat mihi proponere: ubi illa duo membra coniunguntur sub aliqua praepositione, haec ipsa praepositio semper repetatur ante primum et alterum membrum, v. g.: « *a* Romano Pontifice et *ab* episcopis *directa* [27] »; « *per* Summum Pontificem et *per* episcopos *regente* [28] ».

Etenim potestas Capitis supremi et potestas Capitis subalterni, potestas eius qui simpliciter et sine limitatione habet per seipsum iurisdictionem universalem et potestas eius qui iurisdictionem universalem habet sub *quibusdam limitationibus*,[29] sunt potestates specifice *distinctae*; [30] et ideo incongrue et *nonnisi cum periculo aequivocationis* [31] simpliciter coniunguntur sub particula copulativa. E contra quaelibet disiunctio, etiam sub coniunctione, sufficiens indicium est agi de rebus *aliquomodo* [32] diversis...[33]

Et cetera..., quia tempus iam fere est finitum, relinquo pro Secretariatu.[34]

Haec dicta sint, non animo reiiciendi cap. I, quod e contra substantialiter approbandum et laudandum censeo, sed desiderio *illud perficiendi* [35] quantum ad complementum *et claritatem* [36] doctrinae tradendae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam. [2] deest. [3] praxis. [4] haec et praecedens coniungantur. [5] potest. [6] aptari deberet. [7] huius sessionis conciliaris introductoria. [8] suggerens. [9] hic est. [10] deest. [11] aedificasse. [12] transmissa sua missione. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] corrigentur. [17] deest. [18] quoad claram distinctionem asserendam. [19] insinuatur. [20] ad. [21] perenniter. [22] illustranda. [23] deest. [24] in Ecclesia. [25] et irrefragabilibus. [26] deest. [27] (pag. 11, lin. 21). [28] (pag. 12, lin. 6). [29] certis limitibus et condicionibus. [30] diversae. [31] non sine aequivocationis periculo. [32] aliqua ratione. [33] Ipsemet Christus, licet in re toto caelo diversa, nunquam coniungebat simpliciter sub eadem locutione paternitatem Dei erga seipsum et eius paternitatem erga nos; sed semper usus est formulis: « Pater meus », « Pater vester », aut simul « *Pater* meus et *Pater* vester ». [34] 4. De emendandis quibusdam locutionis ad alia pertinentibus quaedam ponderosa iam audivimus in aula. Liceat mihi has tantum adiungere:

a) in n. 3, pag. 8, lin. 17, dicendum propono: « aptisque mediis *sanctificationis ac salutis* necnon visibilis *et* socialis unionis... ». Ratio est quia praecipuum Ecclesiae munus est animarum sanctificatio et earum salus aeterna; et quantum ad « et » loco « seu », quia non quidquid est visibile, est eo ipso sociale. Eadem

ratione in n. 10, pag. 13, lin. 20, propono: « agnitione Christi et glorificatione Patris eius *necnon mediis salutis ab ipso oblatis privantur* ».

b) Non placet quod Ecclesia dicatur « *sacramentum* intimae totius generis humani unitatis » (n. 1, pag. 7, lin. 7), aut « *sacramentum* visibile huius salutiferae unitatis » (n. 3, pag. 8, lin. 21). Verbum « sacramentum » hoc sensu adhibitum, est obscurum his qui sunt intra Ecclesiam et inintelligibile his qui sunt extra. Propterea usus illius est inutilis et inopportunus pro scopo pastorali. Dicatur semper simplicius et clarius « *signum et instrumentum* » sicut in n. 1, pag. 7, lin. 6.

c) In fine, veluti parvula festuca: male sonare videtur locutio « *profundae* imagines » (pag. 10, lin. 20).

[35] ut illud perficiatur. [36] claritatem et veritatem.

9

Exc.mus P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Venerabiles Fratres,

...[1] *Pauca tantummodo dicam de imaginibus Ecclesiae, et cetera iam tradidi secretariae.*

...[2] *Forsan illi Patres qui vivunt in regionibus in quibus Ecclesia perfecta libertate gaudet et quasi in glorioso statu vivit, forsan illi Patres velint ut Ecclesia magis sub imagine servae repraesentetur, dum ille qui vivit in Ecclesia quae tali perfecta libertate non gaudet, immo in statu humilitatis vivit, magis amat videre Ecclesiam repraesentatam sub imaginibus magis gloriosis. Rogo humiliter venerabiles Patres ut etiam ista realitas Ecclesiae humiliatae prae oculis habeatur in Concilio in describenda natura Ecclesiae, sicut de ista realitate noster amantissimus Sanctus Pater locutus est in sermone suo prima die huius Concilii.*[3]

Ideo [4] mihi valde placet quod imago corporis Christi mystici primum atque privilegiatum locum in cap. I obtinet, quia imago haec maxime biblica et traditionalis exhibetur atque prae ceteris imaginibus aptior esse videtur ad Ecclesiae naturam clarius et profundius enucleandam.

Aliae quoque imagines Ecclesiae e Scriptura apte desumptae sunt *in capite.*[5] Attamen ego humillime proponerem, ut istis imaginibus addantur imagines regni Dei et arcis in monte positae. Ratio huius humillimae petitionis non est quidam militarismus clericalis, *uti dicunt,*[6] sed desiderium solacium praebendi illis Ecclesiis quae revera in paupertate et in humilitate vivunt atque aliquomodo quotidie egent solatio fidei: Ecclesiam esse praecise regnum Dei in terris invictum et arcem inexpu-

gnabilem. Talis fides permultos catholicos in difficultatibus pro eorum fide viventibus a *nimiae tristitiae* [7] tentatione salvare potest. *Proinde et humana et christiana caritas urget nos ad tali modo Ecclesiam repraesentandam. Deinde ex imagine regni Dei facilior gressus potest esse ad describendam Ecclesiam in statu triumphali in suis sanctis.*[8]

Ob easdem rationes [9] propono humiliter ut in art. 7, pag. 11, introducatur terminus « Ecclesiae militantis » praeter iam introductum « Ecclesiae peregrinantis », quia est maxime biblicus et in specie Paulinus, *qui dicit*: « *Certa ut bonus miles Christi* », *et invenitur in omnibus nostris catechismis.*[10]

Ratio propositi non est ...[11] desiderium provocationis, a quo provocationis spiritu maxime distamus ... [12] qui pretiosum valorem pacis religiosae desideramus. Sed mihi videtur aliquomodo hanc observationem esse fundamentalem pro toto hoc Concilio. Pax revera maximum bonum est, immo Christus appellatur pax nostra; sed, proh dolor!, pacem neque in anima nostra, nec in Ecclesia, nec in mundo obtinere possumus sine difficili et continua pugna quotidiana, certe non pugna cum bombis atomicis vel armis classicis, sed armis spiritualibus. Si Ecclesiam explicite in tali imagine et in tali statu fidelibus nostris non demonstraremus, tunc revera eveniri posset ille status sic dictus « discessio psychologica ab armis », vulgo « disarmo psicologico ». Tunc Ecclesiam essentialiter defectuosam fidelibus mundoque repraesentaremus. Quod sane non solum in detrimentum nostrorum fidelium, sed etiam in detrimentum spirituale huius mundi esset. Nam praeter summam caritatem erga mundum, *quae primum locum, certe, obtinere debet,*[13] etiam erga mundum atheum, resistentiam quoque erga mundum in Ecclesia colere debemus.

Nolumus provocare, sed nec cedere, nec tacere, sicut nobis optimum praebuit exemplum noster Summus Pontifex feliciter regnans in *suo sermone iam citato.*[14]

Quomodo possumus certare ut boni milites Christi, sicut docet nos S. Paulus, si praeter caritatem ceterasque virtutes etiam spiritum resistentiae erga mundum malignum et atheum in nobis nostrisque sacerdotibus fidelibusque non educamus? *Hoc certe omnes nos admittimus.*[15]

Ergo ex amore bene intellecto erga mundum Ecclesiam non solum dicere sed et facere debemus *militantem*. Firmiter puto hoc verbulo « Ecclesia militans » nullum rationabilem hominem in mundo, nec ipsos marxistas nos offendere, *quia ipsi marxistae seipsos militantes vocant.*[16] Alioquin nos despicere incipient ipsi atheistae ...[17] qui seipsos militantes appellant.

...[18] In fine, *venerabiles Fratres,*[19] proponere audeo humiliter ut in sinu Curiae Romanae commissio quaedam de atheismo moderno, scil. de eius doctrina et praesertim *de eius, ut dicitur,*[20] tactica agente, instituatur, quae episcopis consilia utilia et practica de ista re dare possit, *ne nos forsan videremus aliquando agi « plus papistae quam ipse Papa ». Nam volumus oboedire et sentire cum Ecclesia.*[21] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Peto veniam loquendi de punctis sequentibus: 1. De titulo cap. I. Titulus non placet, quia verbum « mysterium » continet iam ab initio quod parum psychologicum et oecumenicum mihi esse videtur. Nam « mysterium » in lingua populari significat aliquid non solum supra rationem, sed etiam contra rationem. Deinde titulus mihi parum oecumenicus esse videtur praesertim ex eo, quod in terminologia marxista « mysterium », « mysticismus » simpliciter irridentur atque affirmatur tota Ecclesia et tota religio nihil esse aliud quam quoddam « mysterium » seu « mysticismus », i. e. aliquid contra rationem. Bene scio in theologia occidentali post hunc bellum terminum « mysterium » magnam aestimationem sibi acquisivisse, forsan sub quodam influxu philosophiae bergsonianae et etiam nostrae cuiusdam traditionis, sed ob rationes pastorales et oecumenicas, nam inter marxistas versamur non tantum nos in statibus « socialisticis », sed etiam vos quasi omnes plus minusve, sanctissimi Patres conciliares. Assentio illis Patribus qui proponunt alium titulum, e. g. « De Ecclesiae natura ». Sicut nempe loquimur de natura Christi, ita quoque valde bene de natura divino-humana Ecclesiae loqui possumus. [2] 2. De imaginibus quibus illustratur natura Ecclesiae. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] desperationis. [8] 3. Definitio Ecclesiae, post imagines de Ecclesia revera desideratur, quod Patres iam dixerunt. Sed definitio a commissione theologica confici deberet modo pastorali et, si possibile est, modo quoque scholastico, ut fideles esse videamur illo principio: Fides quaerens intellectum; et ut supprimamus ambiguitates quae ex S. Scriptura non bene definita semper in historia theologiae exoriri videntur. 4. Art. 7, pag. 11, lin. 18, loco « ... et super illos in salutis sacramentum columnam et firmamentum erexit », propono ut dicatur: « ... et super illos in salutis arcam, columnam et firmamentum veritatis erexit ». Propono ergo ut substituatur verbo « sacramentum » verbum « arca ». Ratio propositi est: ne confundatur « sacramentum-ecclesia » cum septem sacramentis. Art. 7, pag. 11, lin. 25 propono ut expungatur verbum « sacramentum Christi » et dicatur « corpus Christi », ob easdem rationes. [9] 5. [10] quod probatione non indigere clarum esse puto. [11] quoddam. [12] nos. [13] deest. [14] primo suo sermone occasione initii huius secundae sessionis. [15] Tunc mundus vincere posset nos et non viceversa. [16] deest. [17] militantes. [18] 6. [19] deest. [20] deest. [21] deest.

10

Exc.mus P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR

Episcopus Giennensis

Venerabiles Patres,

In cap. I, de Ecclesiae mysterio, notio aliqua praetermissa esse videtur, quam magni momenti credimus, tum in ipsa praesentatione Ecclesiae a Iesu Christo facta, tum in perenni suo valore ad intelligendam doctrinam de Ecclesia. Loquimur de Ecclesia ut Dei regno.

...[1] In Evangeliis, praesertim in Matthaeo, fere tota consideratio Ecclesiae absolvitur notione regni Dei. Invenitur haec notio 82 locis in Evangeliis. Tum Ioannes Baptista ...[2], tum Iesus ipse ...[3], proclamant tempus esse impletum et regni Dei realitatem advenisse. Ipsius Evangelii veluti argumentum est regnum Dei, ideoque vocatur Evangelium regni, ut legitur in Matthaeo, cap. 24. Regni mysterium ...[4] in parabolis et dictis Iesu paulatim revelatur, eius exigentiae, virtus, consummatio a Christo Domino exponuntur. Sic in Matthaeo, capp. 5, 6 et 13.

2. Haec notio Ecclesiae ut regni Dei eius naturam et missionem mirifice illuminat sub his lineis:

a) Aspectus definitivus oeconomiae in adventu Christi re adimpletae. In Christo Rege ...[5] cui potestas aeterna tradita est ...[6] totus historiae cardo vertitur.

b) Aspectus dynamicus, internus, mysteriosus atque divinus regni Dei sive Ecclesiae. Comparatur enim regnum ab ipso Domino, iuxta Matthaeum, cap. 13, semini ...[7], grano sinapis ...[8], fermento ...[9], thesauro ...[10], margaritae ...[11], reti ...[12].

c) Aspectus religiosus. Conceptus enim regni Dei includit in se primario ideam dominationis Dei in homines. Media talis dominationis spiritualia et divina sunt: Verbum ...[13], contritio seu vocatio ad paenitentiam ...[14], fides ...[15], sacramenta, praesertim baptismus ...[16], ut videtur in Ioanne, cap. 3, auctoritas a Deo data ...[17]. Huius Regni veluti prima lex caritas ...[18] et humilitas ...[19] statuitur, ita ut, iuxta Matthaeum, cap. 5, praecipuus in regno locus pauperibus tribuatur ...[20], mitibus ...[21], lugentibus ...[22], et in genere parvulis ...[23]. Divinum et spirituale denique etiam praemium in caelis promissum: Vita aeterna...[24]

d) Aspectus obligatorietatis seu necessitatis ad salutem etiam ex notione regni Dei illustratur cum non hominum institutio sed Dei opus sit, cui sub discrimine salutis obsecundandum est...[25]

e) Simul aspectus missionarius seu oecumenicus Ecclesiae elucet cum regnum Dei eo usque protendi debeat quo Dei dominium, id est universum mundum...[26]

f) Aspectus denique socialis: regnum Dei in Evangeliis ut quid hominum oculis adspectabile exhibetur, quod signis temporum diiudicari potest, in quod intratur per baptismum ...[27] et in quo sunt homines auctoritate divina donati...[28]

Patet hac descriptione Ecclesiae ut regni Dei etiam illustrari imago Iesu Christi, fundatoris eius, qui est Dominus dominorum et Rex regum...[29]

...[30] Ex dictis credo fore opportunum exponere in cap. I doctrinam de Ecclesia ut regno Dei sive ante n. 5, in quo de mystico Corpore Christi agitur, sive in n. 6 ubi de aliis Ecclesiae imaginibus sermo est, inter quas non apparet Ecclesia sub hac denominatione.

...[31] Rogantur igitur venerabiles Patres ut hanc ideam praeclaro *de Ecclesia* schemati incorporare velint *secundum formulam quam, temporis limitatione, trado secretariatui, vel iuxta aliam aptiorem*.[32] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 1. Ecclesia in Evangeliis praesentatur ut Regnum Dei. [2] (*Mt.* 3, 2). [3] (*Mt.* 4, 17; *Mc.* 1, 15). [4] (*Mc.* 4, 11). [5] (*Mt.* 25, 31. 34. 40; *Io.* 19, 37). [6] (*Dan.* 7, 13-14). [7] (13, 3-9). [8] (13, 31-32). [9] (13, 33). [10] (13, 44). [11] (13, 45-46). [12] (13, 47-50). [13] (*Mt.* 13, 11. 19). [14] (*Mt.* 4, 17). [15] (*Mc.* 1, 15). [16] (*Io.* 3, 5). [17] (*Mt.* 16, 19; 18, 18). [18] (*Mt.* 7, 1). [19] (*Mt.* 18, 4). [20] (5, 3). [21] (5, 3). [22] (5, 5). [23] (18, 3). [24] (*Mt.* 25, 46). [25] (cf. *Mc.* 16, 16). [26] (*Mt.* 24, 14). [27] (*Io.* 3, 5). [28] (*Mt.* 16, 19; 18, 18). [29] (*Apoc.* 17, 14). [30] 3. Locus qui videtur adsignandus notioni regni Dei in schemate de Ecclesia. [31] Votum. [32] in hunc vel alium magis appositum modum: 4. Aliqua possibilis formulatio praesentationis Ecclesiae ut regni Dei: (De Ecclesia regno Dei). Novus populus Dei, sive Ecclesia a Christo Domino convocata, formata et constituta, ab ipso Domino regnum Dei sive regnum caelorum appellata est (*Mt.* 16, 19; 13 passim). In ipsa enim et per ipsam re impletur plenum et definitivum dominium Dei in familia humana. Adventus Christi cum quo adventus regni in sacris paginis identificatur (cf. *Mt.* 16, 28 et *Lc.* 9, 27), diaboli imperium destruxit (*Mt.* 11, 28) novam et mysteriosam vim in historiam infusit cuius virtutem Dominus comparavit semini (*Mt.* 13, 3-9), grano sinapis (*Mt.* 13, 31-32), fermento (*Mt.* 13, 33), thesauro (*Mt.* 13, 44), margaritae (*Mt.* 13, 45-46), reti (*Mt.* 13, 47-50). Hoc regnum natu quidem et apparentia humile sed tali fortitudine et virtute praeditum a Christo est ut portae inferi adversum ipsum praevalere non possint (*Mt.* 16, 18). Omnes homines ad ipsum praedicatione adducendi sunt (*Mt.* 24, 14) ita ut ei credere debeant sub discrimine salutis (*Mc.* 16, 16). Pro eiusdem adventu orare Dominus docet (*Mt.* 6, 10). In ipso regno Petro et apostolis auctoritas divinitus committitur (*Mt.* 16, 18; 18, 18). Regnum quod non sublimitate et rerum humanarum ambitione est

constitutum sed cuius prima lex humilitas et caritas sunt (*Mt.* 7, 12; *Lc.* 4) et quod pauperibus, mitibus, lugentibus, pacificis praedicatur (cf. *Mt.* 5). Regnum denique quod in caelis consummatum constituet finem seu terminum totius consilii salvifici Dei (1 *Cor.* 15, 24. 28; *Apoc.* 22).

11

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Post ea quae hesterna die protulit em.mus card. Ruffini, et hodie exc.mus Compagnone, liceat mihi quasdam alias rationes afferre ob quas *aequivoca,* ergo aut clarificanda aut auferenda, mihi videntur quae in pag. 8, lin. 18 et alibi in schemate leguntur, scil. Christum aedificasse Ecclesiam suam etiam super apostolos, praeterquam super Petrum, vel Ecclesiam aedificasse super collegium duodecim apostolorum, cuius caput est Petrus.

Aequivoca talia verba dico, quia non eodem titulo neque eadem ratione praedicari possunt de Petro et de ceteris apostolis.

1. In notis, ideo exaratis ut Patribus in schemate perpendendo subsidio sint, nulla de hac re invenitur citatio alicuius documenti magisterii ecclesiastici, nullus affertur patristicus textus. Numquid de hac, quae asseritur, aedificatione Ecclesiae super apostolos seu super collegium apostolorum uterque fons silet? Silet, venerabiles Patres, dum e contra plurimi, ni fallor, in contrarium SS. Patrum et magisterii ecclesiastici textus afferri possunt. Unum *citare* [1] liceat, S. Cyprianum sic aientem: « Super unum aedificat oves suas... tamen ut unitatem manifestaret (unam cathedram constituit et) unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit » (*De Unitate Ecclesiae,* cap. 2).

Quoad documenta Magisterii sufficiat *id* [2] recolere Concilium Vaticanum I ex aedificatione Ecclesiae super unum Petrum deducere unitatem sive episcopatus sive multitudinis credentium...[3]

2. In notula 5 pag. 32 nostri schematis, ad demonstrandum Petrum et duodecim eamdem habere fidem et missionem auctoritativam, qua Ecclesia fundatur, citantur duo textus biblici: ad Ephesios, cap. 2, vers. 20 « ... superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu », et Apocalypsis 21, 14 « Et murus civitatis habens *fundamenta* duodecim; et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni ».

a) Quoad textum ad Ephesios 2, 20, id quaerere licet: quinam sunt illi prophetae? quinam illi apostoli? Apostoli sensu lato, prout saepe in ipso S. Paulo, an apostoli sensu stricto, scil. duodecim? Et etiamsi de duodecim certo esset sermo, textus et contextus totius pericopae paulinae aliam exegesim suadent, quam iam S. Thomas in Commentario *ad hunc locum* [4] non ignorat: fundamentum illud, *iuxta S. Thomam,*[5] aut est ipse Christus « qui est fundamentum apostolorum et prophetarum, quasi dicat: in eodem fundamento superaedificati estis in quo apostoli et prophetae sunt aedificati, qui ex Iudaeis fuerunt », aut convenientius fundamentum sunt ipsi apostoli et prophetae quatenus fideles fundantur « super doctrinam eorum ».

b) Ex textu Apocalypsis *21,*[6] nihil, *mea sententia,*[7] certi erui potest, cum illic agatur de caelesti Ierusalem, non directe de Ecclesia terrestri, et quidem non de civitate ipsa sed potius de eius muro; denique omnia describuntur stylo imaginifico, qui proprius est generis litterarii apocalyptici! Utcumque, e textibus dubiae ac non pacificae exegeseos, minime licet inferre conclusiones dogmaticas tanti ponderis.

3. Velitis insuper, venerabiles Patres, animadvertere hanc quaestionem nullo pacto novam esse, iam in Concilio Vaticano I discussam atque diremptam. Card. enim Schwarzenberg hoc emendamentum *proposuerat* [8]: « Quamvis sancta Dei Ecclesia *super fundamentum omnium apostolorum* a Christo Domino exstructa sit, omnesque a divino Redemptore alligandi et solvendi supra terram potestatem acceperint: tamen peculiari et eminenti modo super Petrum aedificata fuit ».

Rev.mus D'Avanzo, relator officialis, respondit: Christum Dominum super *unum Petrum,* a ceteris bene distinctum per vocativum patronimicum, immo ceteris praesentibus et nullo modo in hac re intervenientibus, voluisse Ecclesiam suam aedificare. « Ecclesiam suam »: quo nomine, ait d'Avanzo, principaliter veniunt apostoli ceteri, unde Petrus est fundamentum apostolorum ipsorum, sicut et totius aedificii ecclesiastici.

Quoad textum ad Ephesios 2, 20, a card. Schwarzenberg citatum, bene dixit relator officialis apostolos vocari non quidem « fundamentum in regimine », sed iuxta sensum metaphoricum saepe a S. Paulo adhibitum, fundamentum in doctrina et praedicatione quam, ex mandato Christi, facere debent collegialiter cum Petro et sub Petro...[9]

Unde emendamentum card. Schwarzenberg, suffragationi propositum, ab omnibus fere Patribus reiectum fuit. Itaque censeo non expedire ut hoc nostrum Concilium quaestionem resumere velit!

4, et ultimo. In schemate dogmatico, et adhuc pressius in cap. I ubi Ecclesia compendiose quidem, sed clare et complete agere vult de sua natura et missione, omne aequivocationis periculum avertendum est.

Consectaria enim quae ex indiscriminata et inexplicata affirmatione aedificationis Ecclesiae super Petrum et apostolos, seu super collegium, mihi videntur oriri posse, sunt valde momentosa:

a) vera natura, et origo, et potestas collegialitatis episcopalis, de qua in cap. II *erit sermo,*[10] iam ab initio poneretur in luce non recta;

b) quodammodo faveretur cuidam opinioni iuxta quam Primatus Petri consisteret tantum et exhauriretur in ratione Capitis collegii episcopalis;

c) facilis esset gressus ad affirmandum pro collegio episcopali *ius cogubernationis* non solum in Concilio oecumenico exercendum sed etiam in ordinaria et quotidiana vita Ecclesiae universalis.

Quae consectaria, si logice ex illa praemissa profluant, non video quid amplius in concreto remaneat de Primatu Romani Pontificis; qui Primatus, iuxta Concilii Vaticani I definitionem, est vere iurisdictionalis, non honoris tantum, aut officium inspectionis et directionis ...[11], idemque non tantum potiores partes, sed totam plenitudinem complectens supremae potestatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] proferre. [2] deest. [3] (DB 1821). [4] (*in ep. ad Eph.*, c. II, lectio VI). [5] deest. [6] 21, 14. [7] deest. [8] proposuit. [9] (Mansi, 52, 714c-719c). [10] deest. [11] (DB 1823, 1831).

12

Exc.mus P. D. VILLELMUS BRASSEUR

Episcopus tit. Agathonicianus, vic. ap. Montanus

Venerabiles Patres,

In par. 10 cap. I, quae agit de « non-christianis ad Ecclesiam adducendis» et in qua munus essentiale et maximi ponderis Ecclesiae, nempe eius missio generalis *evangelizationis,*[1] nonnisi per paucas lineas pertractatur, adduntur quaedam quae non solum spiritum missionarium et apostolatum inter gentiles nationes ad minimum reducere *conantur,*[2] sed quae contra methodum in hoc Concilio oecumenico Vaticano *admissum* [3] peccant.

Etenim si Concilium revera intendit « non dirimere quaestiones inter theologos controversas », sed tantum « proponere quod absolute certum est », ut dicitur in commentario par. 8, pag. 22, tum textus par. 10, linn. 19-23, in pag. 13, mutandus est.

Ratio est quod quaestio de modalitatibus salutis non christianorum

est quaestio adhuc inter theologos controversa, nec iam satis clarificata ut statui et imponi possit a solemnissimo Concilii magisterio.

Nam: 1. Nondum satis constat num aeterna salus quam non-christiani sperare possunt, *ut legitur in* [4] lin. 19, sit illa qua mere liberi sint ab omni culpa ante oculos Domini ac proinde non cruciandi aeternis suppliciis, *ut dixit Pius IX in sua allocutione habita anno 1855,*[5] an potius salus plenissima nempe beatitudo supernaturalis eorum qui reapse Christo incorporati sunt ac vita eius vivunt.

2. Praeterea argumenta circa *statum felicitatis inferioris,* sic dictum limbum, adhuc controvertuntur...[6]

3.[7] Theoria de salute supernaturali omnium illorum, *praesertim paganorum,*[8] qui non sunt malae voluntatis, innititur apud multos theologos argumento *ex voluntate Dei salvifica universali et efficaci* secundum dicta in 1 *Tim.* 2, 4: « Deus qui vult omnes homines salvos fieri ». Hoc argumentum in textu nostro schematis videtur afferri in ...[9] lin. 15: « qui salutem omnium hominum *efficaciter* intendit ». Hoc vero argumentum est *vitiosum* et proinde inefficiens. Eodem vitio inficitur ac vetus theoria negans liberum arbitrium in homine, eo quod Deus omnes homines *efficaciter* moveat vel ad gloriam vel ad interitum. Voluntas Dei salvifica est quidem indubia et est universalis aeque ac efficax. At conclusio istorum non sequitur. Nam *Deus vult omnes salvos fieri ut homines,* servando nempe leges quas ipse ut Creator nobis indidit ut fundamentales naturae nostrae humanae. Nos ergo salvare vult: *a*) ut creaturas *liberas,* qui exinde nostram salutem reicere possumus, et *b*) ut creaturas *sociales,* qui corporeitate nostra mundo materiali et familiae humanae vere et vitaliter inserimur, et ideo pro vita recipienda, tum naturali quam supernaturali, omnino ab aliis dependemus.

Si aliqui homines non salvantur salute supernaturali, nullo modo hoc accidit quia Deus non faceret omnia quae *ex sua parte* necessaria sunt et expediunt ad eorum salutem. Sed accidit quia vel isti ipsi hanc salutem reiciunt vel quia alii homines, a quibus ipsi dependent, suam cooperationem necessariam dare noluerunt, ut dicitur *apud* [10] *Mt.* 23, 13.

Hodierno die maxime sentimus et quidem recte quod nullo modo non-christianos considerare possumus tamquam aeternae damnationi destinatos; et recte affirmamus omnes homines omnino gratia divina quae actualis dicitur interne moveri versus salutem. Sed inde non certe sequitur eos *aliquomodo* [11] incorporari Christo et sic inter christianos et non-christianos nullam intercedere differentiam nisi in hac terra terrestri quoad statum externum et media salutis plus minusve convenientia.

Sacra Scriptura potius indicat salvationem dari mediante fide et fidem afferri per praedicationem apostolorum, uti habetur in epistola ad

Romanos, cap. 10, vers. 13-17, in qua legitur: « Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, *salvus* erit. Quomodo ergo invocabunt in quem *non crediderunt?* Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi *mittantur?* Ergo fides ex auditu (ex contextu clare patet auditum non esse mere internum), auditus autem per verbum Christi» .

Item in epistola II ad Thessalonicenses S. Paulus dicit:[12] « Nos autem debemus gratias agere Deo... quod elegerit vos Deus *primitias in salutem* in sanctificatione spiritus et in fide veritatis: in qua et *vocavit vos per evangelium nostrum* »...[13]

Similiter et S. Petro visum est per praedicationem suam se fidem afferre gentibus *quando dixit:*[14] « Deus elegit... *per os meum* audire gentes verbum evangelii, et credere. Et qui novit corda Deus, ... nihil discrevit..., *fide purificans* corda eorum »...[15]

Quando ergo textus schematis in pag. 13 ...[16] dicit « in terris autem agnitione Christi et glorificatione Patris eius non locupletantur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad *Corpus Christi adducat* ...[17], ut sic via salutis pro eis *latius sternatur* », tunc proponit conclusiones theologicas, *sed adhuc*[18] controversas.

Proponitur ergo ut quaestio haec, utpote nondum satis clarificata et controversa ...[19] non dirimatur a Concilio. Proinde deleatur textus a lin. *19*[20] et eius loco ponatur:

« Ecclesia tamen, dilatata caritate, cor suum universis hominibus totique mundo pandit, ut per Dominum suum, redemptorem ac regem universorum, feliciter *fiat lumen plenum* omnium gentium. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat ».

In textu scripto tradito: [1] ad omnes gentes. [2] intendunt. [3] deest. [4] pag. 13. [5] (Pius IX 8 dec. 1854 et 10 aug. 1863: Denz. 1646 s., 1677). [6] (limbus concipiendus est non tam ut locus quam ut status cum beatis ex parte communis ». 3. Nec satis constat de elementis quae requiruntur ad veram « fidem » (christianam) de qua in pag. 12, lin. 22 et de applicatione textuum notissimorum S. Scripturae uti sunt ex una parte textus *Hebr.* 11, 6 in quo S. Paulus loquitur de necessaria fide in Deo exsistente et remuneratore, et textus *Rom.* 2, 9-17 in quo mentio est de lege scripta in cordibus non Iudaeorum secundum quam homines in ultimo die iudicabuntur; ex alia parte textus *Rom.* 10, 14-17 in quo S. Paulus fidem ex auditu ad consequendam salutem requirere videtur. [7] 4. [8] deest. [9] pag. 13. [10] in *1 Thess.* 2, 15 et. [11] actu. [12] *2 Thess.* 2, 13. [13] in acquisitionem gloriae Domini nostri Iesu Christi ». Ut Christus Dominus dixit suis apostolis: « *Sicut* misit me Pater, et ego mitto vos » (*Io.* 20, 21), ita S. Paulus verba prophetiae circa missionem Christi salvificam ad semetipsum applicat et ad

suam missionem pro salute gentilium: « Sic enim praecepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut *sis in salutem* usque ad extremum terrae (*Is.* 49, 6) » (*Act.* 13, 47). « Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei (per praedicationem apostoli) et ipsi audient » (*Act.* 28, 28). [14] et consequentem sanctificationem internam et salutem. [15] (*Act.* 15, 7 s.) [16] lin. 19. [17] (quid his significatur? Estne idem ac « incorporari Christo »?). [18] non plane scripturales, et quidem. [19] nunc. [20] 19-25.

13

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

In schemate [1] nostro praeclaram sane et pulcherrimam habemus descriptionem Ecclesiae *tamquam mystici Corporis Christi. Praesentantur etiam diversae imagines Ecclesiae. At dolendum est quod nunquam agatur* [2] de Ecclesia tamquam regno Dei seu tamquam regno caelorum, cum toties Christus et apostoli eius de hoc regno locuti sint.

De facto plures Patres postulaverunt ut de eo aliquid explicite dicatur, inter quos exc.mi DD. Florit et Garrone necnon episcopi ex Brasilia et Iugoslavia. Paucis abhinc momentis, pulchra de hoc dicta sunt et plene eis consentio. At tot et tantae divitiae sunt in hoc mysterio regni Dei ut de eodem possim adhuc loqui quin eadem repetam. [3]

Vellem ergo aliqua proponere quae adhiberi possent ad redactionem numeri specialis *De Ecclesia ut regno Dei.* Hic numerus optime poneretur ante n. 4. *Valde enim conveniens est ut prius loquamur* [4] de Ecclesia sicut Christus de ea locutus est et deinde de Ecclesia sicut apostolus eam praesentavit.

Non ignoro hoc studium de Ecclesia ut regno Dei aliquibus offendere difficultatibus, praesertim exegeticis. Haec enim locutio « regnum Dei » *plures habet* [5] significationes. Possumus tamen cum sufficienti certitudine plurimos textus *invenire* [6] qui certissime de Ecclesia Christi agunt.

Inter *varia* [7] doctrinae puncta quae ex hoc studio in luce poni possunt, *tria* [8] tantum in aula dicam, textum autem, qui inseri in capite posset, directe secretario tradam.

1. Ecclesia Christi ut regnum Dei manifestatur simul tamquam societas visibilis et tamquam societas spiritualis omnino differens ab omni societate terrestri.

Omnibus nota sunt quae de regno Dei tamquam de societate visibili dicuntur; etenim passim in manualibus theologiae repetuntur. Ideo de his nihil dicam non quasi minoris momenti, sed quia ab omnibus cognoscuntur. *Sufficiat tantum recolere quod Dominus Petro dedit claves regni caelorum.*[9]

E contra, mea sententia, non satis attenditur differentiis essentialibus quibus regnum Dei ab omnibus societatibus terrenis discernitur. Quasi spontanee enim populus iudaicus et ipsi apostoli messiam exspectabant regem temporalem qui populum Dei *ab hostibus*[10] liberaret et in suo splendore restitueret. At Iesus *condidit*[11] regnum in quo non intratur nisi per fidem in ipsum. Exigit etiam tamquam conditionem ad ingressum in regnum Dei humilitatem, spiritum paupertatis et iustitiam quae superet iustitiam scribarum et pharisaeorum...[12] Haec omnia supponunt caritatem *eamque fovent et ipsa caritas mandatum est supremum huius regni.*[13]

Unde in hoc studio Ecclesiae tamquam regni Dei invenimus *fundamentum doctrinale renovationis secundum Evangelium,* quam tantopere Summus Pontifex nobis *inculcat.*[14] Cum enim haec renovatio facta fuerit, tunc, ut ipse ait, « Ecclesia vultum suum universo mundo ostendere poterit », talia fundens dicta: « Qui videt me, videt et Patrem »...[15]

2. Insuper *Evangelium*[16] nobis ostendit quomodo *Ecclesia tamquam regnum Dei*[17] crescat et quotidie augeatur. Non enim terrestrium regnorum more crescit...[18] cum regnum Christi non sit de hoc mundo ...[19] sed assimilatur regnum caelorum sive grano sinapis, sive fermento in farina abscondito...[20]

Hic invenitur quasi tota doctrina de vi missionaria in Ecclesia. Haec vis non est aliud nisi virtus Spiritus Sancti qui paulatim evolvit regnum Dei quousque tota massa humana fermentetur...[21]

Non est ergo Ecclesia comparanda societati quae clauderetur in finibus suis, neque societati quae, vi sua, vellet dominare diversas nationes. Regnum Dei est regnum pacis, *tale autem regnum pacis*[22] quod, vi Spiritus Sancti, extendetur usque ad terminos terrae. *Unde dicebat Christus discipulis suis: « Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum ».*[23]

3. Ecclesia ut regnum Dei manifestat seipsam tamquam in terris viventem, tamquam in caelum tendentem, tamquam *apud Deum*[24] regnantem. Haec enim omnia clare et distincte in Evangelio docentur. In terra vivens, regnum caelorum *difficultatibus obnoxium est, sicut narratur de*[25] agro in quo seminantur bonum semen et zizania ...[26]; adhuc simile est sagenae missae in mare, in quo inveniuntur pisces boni et mali ...[27]; in caelum tendens, regnum Dei crescit usque in diem in quo

Christus traditurus erit illum Deo et Patri, ita ut Deus sit omnia in omnibus ...[28]; tunc « iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum »...[29]

Ideoque Ecclesia, tamquam regnum Dei, clare illum characterem *manifestat*[30] sic dictum eschatologicum qui, nostra *praecipue*[31] aetate, in qua homines impelluntur quasi unice ad terrestria, tanti momenti est.

Conclusio: *Quae diximus*[32] perpauca sunt si comparantur omnibus quae de regno Dei in Evangelio dicuntur. *Spero tamen ea sufficere ad probandam necessitatem introducendi in nostro schemate numerum specialem de Ecclesia tamquam regno Dei.*[33]

Haec autem nomine plurium episcoporum *Galliae dixi.*[34]

In textu scripto tradito: [1] Omnes in memoria tenemus verba quibus Summus Pontifex hortavit nos ut plenius profundiusque naturae Ecclesiae studeamus. « Nam Ecclesia mysterium est, scil. arcana res quae Dei praesentia penitus perfunditur, ac propterea talis est naturae, quae novas semper altioresque suiipsius explorationes admittat ». Ad hanc ergo investigationem peragendam, non sufficit quaedam tantum respicere, etiamsi sint praestantiora, sed necessarium videtur in lucem ponere omnes, saltem praecipuos fontes doctrinae. Iam in textu. [2] scil. in nn. 5 et 6, quando agitur sive de Ecclesia ut mystico Corpore Christi, sive de aliis Ecclesiae imaginibus. Attamen dolendum est quod nunquam quaestio sit. [3] Unde mirum non est si iam duo Patres, scil. exc.mi DD. Florit et Garrone, postulaverint ut de regno Dei in schemate *de Ecclesia* agatur. [4] Melius enim esset prius scribere. [5] seu « regnum caelorum » plures praesefert. [6] praesentare. [7] plurima. [8] haec. [9] deest. [10] a romanis. [11] eis ostendit. [12] (*Mt.* 18, 3; 19, 23; 5, 20). [13] quae, ut ait Summus Pontifex, « regina est et veluti radix aliarum virtutum cardinalium, h. e. humilitatis, paupertatis, pietatis ». Ideo filii regni, i. e. discipuli Iesu Christi, qua tales agnoscuntur, si diligunt invicem, sicut et ipse Christus dilexit eos. [14] inculcavit. [15] (*Io.* 14, 9). [16] Ecclesia, tanquam regnum Dei. [17] deest. [18] Ecclesia. [19] (*Io.* 18, 36). [20] (*Mt.* 13, 31-33). [21] Et granum sinapis fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius. [22] sed regnum. [23] deest. [24] in Deo. [25] assimilatur. [26] (*Mt.* 13, 24-25). [27] (47-48). [28] (*1 Cor.* 15, 24-28). [29] (*Mt.* 13, 43). [30] praesefert. [31] speciatim in. [32] Haec autem, fateor. [33] Attamen tanti momenti sunt, ut omitti non possint, quando de investiganda natura Ecclesiae agitur. Certe haec non sufficerent ad plenam cognitionem Ecclesiae. Ideo alia voluit etiam nobis tradere Dominus de Ecclesia, sive per se sive per apostolos suos; sed illa non omittendo, haec imprimis debebamus ex Evangelio promere, quia ipsa verba Domini sunt. [34] quorum nomina sequuntur conscripsi: exc.mi DD. Guerry (Cambrai), Garrone (Toulouse), Veuillot (coad. Paris), Rougé (Nîmes), Kervéadou (Saint-Brieuc).

14

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUANO
Episcopus Liburnensis

1. ...[1] Placet titulus cap. I de Ecclesiae mysterio. Verbum hoc ex Sacra Scriptura depromitur. Per ipsum *autem* [2] exprimi videtur in Ecclesiae externa visibilitate, sicut in Christi venerabili humana natura, simul abscondi et revelari intimam divinam Ecclesiae realitatem, omnem scientiam supereminentem.

2.[3] Concinnius et evidentius in lucem ponenda esset notio Ecclesiae relate ad Christum, Verbum Dei caro factum, sequenti fere modo:

A. Christus, Patris consilio participans et obsequens, iam per mysterium incarnationis, necnon per mysterium paschale mortis et resurrectionis, necnon per mysterium effusionis Spiritus Sancti, omnes et omnia ad seipsum ordinat, ad seipsum trahit, in seipso assumit, sive quae in caelis, sive quae in terris sunt, sive praesentia, sive praeterita, sive futura, ut omnes et omnia per Spiritum Sanctum cum Patre reconciliet et ipsi *Patri* [4] offerat. Per opus autem Christi et per adhaesionem creaturarum Christo, modis ab ipso statutis, Ecclesia constituitur qua populus, familia (domus et templum Dei), sponsa et corpus Christi, unum immo quodammodo cum Christo.

B. Inter diversas vero Ecclesiae imagines quae in schemate numerantur nonnullae seligendae essent quae maius momentum habere videntur. Ipsae autem ampliore expositione recolendae essent et, quantum fieri potest, earum mutua connexio explicanda, v. g. in ordine progredientis unionis cum Christo et Deo, Ecclesia est *populus* et *regnum,* cuius dux et rex et dominus est Christus una cum Patre. Populus iste constituit *familiam* fratrum Christi, filiorum Patris qui in caelis est. Ecclesia autem tam intime cum Christo connectitur ut *sponsa* nuncupari possit Christi sponsi. Demum ipsa est *corpus* Christi, immo unum quodammodo cum Christo...[5]

3.[6] Quaedam consectaria quae ex praemissis profluunt videntur vel melius explicanda vel forsan addenda: ...[7]

a) [8] Pluries loquitur in schemate de sacramento Ecclesiae vel de Ecclesia qua sacramentum. Haec locutio placet, sed, ad vitandas aequivocationes cum doctrina de septem sacramentis et praesertim ad melius patendam et urgendam vim et pulchritudinem huius locutionis, aliqua clarificatione ipsa locutio forsan indiget, v. g. hoc modo: Ecclesia, cum Christo et per Christum, in seipsa et per suam ipsam praesentiam in

mundo, et per totam vitam suam, est sacramentum, ut card. Frings aiebat, primordiale sacramentum, scilicet signum et instrumentum, signum efficax sive redemptionis et *sanctitatis*[9] quam Christus per ipsam in homines inducit, sive gloriae quam Christus per ipsam Patri reddit. Puto omnino non obliviscendum esse, sed aperte et solemniter confitendum hunc adspectum, ut ita dicam, latreuticum Ecclesiae — laudis scilicet et amoris in Deum Patrem — quem S. Paulus commemorat v. g. in epistola ad Ephesios, cap. I ...[10]: « in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae, in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius »; et iterum cap. III ...[11]: « Ipsi (Deo Patri) gloria in Ecclesia, et in Christo Iesu, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen » ...[12]

b)[13] Inter Ecclesiae munera praeeminens videtur eius *sacerdotium,* participatio et continuatio sacerdotii Christi. Simul autem cum Christo, ipsi Ecclesiae competit ut sit *hostia* vel oblatio munda Deo Patri oblata. Etiam hic aspectus hostiae seu oblationis in lucem ponendus esset.

c) Ecclesia in mundo posita suam historiam habet, quae totam humanam historiam pervadit. Iam inde saltem a Protoevangelio adest Ecclesia quatenus homines Christo per fidem adhaerent, Christo sive venturo, sive in hac vita degenti, sive in caelis glorificato. Sed accurate distinguenda sunt momenta evolutionis et historiae Ecclesiae secundum divinum consilium: Ecclesia ab Adam usque ad Abraham, Ecclesia patriarcharum, legis, prophetarum Veteris Testamenti, Ecclesia circa Christum in hac vita degentem, Ecclesia Novi Testamenti a Christo instituta et super fundamentum apostolorum fundata, Ecclesia sanctorum iam nunc in caelis et eorum qui in purgatorio purificantur, ut finis denique ad quem tota historia Ecclesiae contendit, Ecclesia post ultimum adventum Christi in caelis gloriosa.

d) *Vita Ecclesiae*: Ecclesia tandem — et in ipsa, et per ipsam christifideles — de vita vivit Christi, tota pervaditur mysterio amoris Patris, Filii, Spiritus Sancti, tota in mysterio vitae divinae immergitur. Ex alia vero parte, sicut Christus, Verbum Dei Incarnatum inter nos inhabitans et operans, tota est in mundo posita, extranea et inimica mundo quatenus mundus Deo extraneus est et in maligno positus, mundanis suggestionibus et tentationibus subiecta, at simul amica mundo utpote mundus Dei creatura est et a Filio redemptus, semper operans ut mundus praesentia Christi penetretur et Deo Patri magis magisque sacer fiat. Ecclesia, sicuti Christus, problematibus, poenis, gaudiis omnium hominum, qui sunt in mundo, participat, malum redimit, bonum stimulat et elevat ...[14]

e) Ex his quae praecedunt transitus fit ad homines quatenus

membra sunt Ecclesiae vel quatenus ad eam vocantur, ut in ipsa salutem consequantur ...[15] et gloriam Deo dent ...[16]; ad eorum servitium pro gloria Dei ordinantur ministeria et hierarchia in Ecclesia constituta.

4. *Quoad Ecclesiam Novi Testamenti in terris peregrinantem, hoc reminiscendum videtur* [17] Ecclesia est apostolica, videlicet a Christo per Apostolos derivata, fructus ipsamet apostolatus seu missionis Christi, apostoli et pontificis confessionis nostrae; participat, vero, alia ex parte, et continuat apostolatum apostolorum et praesertim apostolatum sui sponsi et capitis Christi.

Insuper Ecclesia, similiter ac Christus, vivit ex una parte ut Ecclesia orans in contemplatione, ex alia parte ut Ecclesia annuncians, ordinans, militans, miserans, sanctificans. Culmen autem et centrum eius vitae in sacrificio eucharistico consistit, in quo, dum memoria passionis et resurrectionis Christi recolitur, ipse, realiter praesens, Patri offertur, hominibus datur et eius reditus in fine saeculi fideliter et peramanter exspectatur. Sic Ecclesia ...[18] versus Patrem peregrinatur.

In textu scripto tradito: [1] 1. Hoc caput maximi momenti est, sive pro toto schemate *de Ecclesia* sive pro consectariis quae inde promanant in fere omnibus aliis schematibus: agitur praesertim hic de illa notione Ecclesiae de qua Sanctus Pater in sua allocutione locutus est. Ut caput quam maxime suam vim obtineat, quaedam videntur vel aptius vel pressius exprimenda, vel etiam fortasse addenda. 2. [2] apte. [3] 3. [4] deest. [5] C. [*cf. 3 c*)]. [6] 4. [7] praesertim quoad Ecclesiam in terris peregrinantem. [8] *a*) [*cf. 4 alinea 1*]. *b*). [9] sanctificationis. [10] vv. 13-14. [11] v. 21. [12] Ex Ecclesia, quatenus est sacramentum primordiale, omnia sacramenta promanant. [13] *c*). [14] [*cf. 4 alinea 2*]. [15] eius ministerio participent. [16] (cf. apostolatum, sacerdotium sacerdotum et fidelium etc.). [17] deest. [18] cum suis filiis.

Textus additus:

Liceat mihi, ad ea quae in interventione die 2 octobris habita circa cap. I exposui, addere concretam propositionem (iungitur hic textus interventionis cum aliqua immutatione in ordine).

Nn. 2, 3, 4 schematis contractiori modo exponendi essent, addendo e contrario tamquam n. 5 quae extant in meo textu sub n. 3, pag. 1, in fine, signata litt. A: « Christus, Patris ... unum immo quodammodo cum Christo ».

Hoc modo, ni fallor, Ecclesia clare appareret in consilio divino, tota sua amplitudine (ab Adamo ad aeternitatem), circa Christum congregata. Efficacior quoque appareret necessitudo Ecclesiae ad Verbum Incarnatum, unde maximi momenti consectaria promanant.

N. 6 fieret « De imaginibus » (cf. n. 6 schematis), ad mentem notae a me propositae, pag. 2, sub litt. B.

N. 7: « De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi » (iam n. 5 in schemate).

N. 8: « De evolutione Ecclesiae », ad mentem propositionis meae, pag. 2, litt. C.

N. 9: « De Ecclesia peregrinante » (n. 7 in schemate).

N. 10: consectaria, ad mentem propositionis meae, a pag. 2 ad 4, sub n. 4: *a*) Ecclesia apostolica, Ecclesia sancta, Ecclesia una et catholica; *b*) Sacramentum Ecclesiae; — liceat mihi insistere in conceptu de Ecclesia ad laudem Dei constituta; *c*) Sacerdotium Ecclesiae; *d*) Vita Eclesiae; *e*) Participatio singulorum christifidelium ad realitatem et vitam Ecclesiae.

15

EXC.MUS P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Venerabiles Patres,

N. 5 aggreditur descriptionem Ecclesiae sub imagine mystici Corporis Christi, et quidem laudabiliter. Tamen mihi videtur hoc factum esse modo inordinato et insufficienti.

Inordinato, quia prius sermo est de facto: Ecclesia est Corpus mysticum Christi, quin sermo sit de Christo capite. Deinde, postquam vita Ecclesiae describatur, introducitur sermo de capite, qui nexum interrumpit cum sequentibus de ministrationibus in Ecclesia exsistentibus. Postea in hac ipsa par. 3, linn. 33-38, asseritur omnia agi a Christo; sed immediate omnia tribuuntur Spiritui, de quo incidentaliter docetur eum esse animam totius Corporis (linn. 38-41); ut iterum asseratur omnia deberi Christo tamquam viti.

Quae omnia ordinare proponimus hoc vel simili modo:

a) Statuatur: Ecclesia est Corpus mysticum Christi.

b) Caput huius Corporis est Christus.

c) Vita huius Corporis describatur ita ut praecipue interna et spiritualia extollantur, sed tamen externa et temporalia non omittantur.

d) Ideo describatur duplex elementum, humanum et divinum, quod in Ecclesia invenitur in similitudinem Christi, et quod manifestatur in ipsa actione Ecclesiae Christum sequentis, docentis et sanctificantis.

e) Pro his actionibus Christus in Ecclesia dona ministrationum disposuit; non tantum charismata peculiaria, sed etiam alia stabilia, *in quibus* [1] ipse Christus est qui ut magister, sacerdos et rex agit.

f) In his omnibus elementum visibile servire debet invisibili.

Insufficienti autem modo dicimus scriptum esse hunc numerum, tum quia in par. 1 non videtur satis descriptum Corpus mysticum ipsum, tum praecipue quia in par. 2, ubi de vita eius fit sermo, nihil dicitur de caritate et fere nihil de Eucharistia, dum tamen utraque sit velut centrum totius vitae Ecclesiae.

Ad n. 6: Dolendum sane est totam descriptionem vitae Ecclesiae procedere unice ex imagine Corporis mystici, dum reliquae imagines biblicae simpliciter enumerantur. Plura enim, quae in imagine mystici Corporis aut nullo aut saltem obscuriori modo continentur, in imagine Sponsae Christi facile et modo omnium menti accommodato perspiciuntur.

Sponsa enim, *postquam desponsata sit*,[2] filios parturit, nutrit, fovet, eis prandium Eucharistiae parat — recordamini epitaphii Abercii —, eos doctrina instituit, ad labores et virtutes exercet, eisque mandata, maternalia quidem, imponit; et, si quis filiorum in longinquam regionem abeat, eum exspectat, vocat, desiderat, quaerit, et in domum paternam cum amore trahit. Haec dilectio sponsae erga filios vix exprimi potest per ideam Corporis.

Sponsa diligit sponsum, eique placere studet, eumque colit. Sed quia haec idea non consideratur, sed solum idea Corporis mystici, *inde sequitur ut nos consideremus in Liturgia tantum*[3] cultum quem Ecclesia cum ...[4] capite tribuit Patri, et non cultum quo Ecclesia adorat Christum Sponsum in Eucharistia praesentem et in caelo regnantem post redemptionem in cruce.

Sponsa denique diligitur a sponso, et ab eo accipit nutrimentum, monilia, vestimenta salutis et fecunditatem. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] In his. [2] deest. [3] non consideramus in Liturgia nisi. [4] suo.

16

Exc.mus P. D. ERNESTUS PRIMEAU
Episcopus Manchesteriensis

Venerabiles Patres conciliares,

Desidero parvam emendationem facere in introductione facta a moderatore, eminentissimo cardinali. Episcopus sum Manchesteriensis in Statibus Foederatis Americae. Episcopus Manchesteriensis in Anglia inter fratres seiunctos numeratur.[1]

Quaedam animadvertere iuvat quae respiciunt Ecclesiae naturam praesertimque quaestionem de iis qui Ecclesiae incorporantur seu eiusdem sunt participes (de qua in nn. 8-9 schematis). Etenim, prout iacet, textus schematis confusione quadam laborat: una ex parte non, aut non sufficienter, distinguit participationem seu incorporationem Eccle-

siae *coram Deo* seu iudicio Dei atque eamdem incorporationem seu participationem *coram Ecclesia* seu iudicio Ecclesiae ipsius; altera ex parte non distinguit inter Ecclesiam *qua communitatem* seu communionem, quae complectitur omnes iustos seu iustificatos, scil. non tantum homines his in terris degentes qui eiusdem veritatis revelatae et gratiae sunt consortes, sed et sanctos in caelo ac animas in purgatorio exsistentes, atque Ecclesiam *qua societatem* cuius participes tantummodo esse possunt homines baptizati in terris degentes, quippe qui soli finis persequendi sint capaces. Hac ratione quidem non fit *divisio* in Ecclesiam communitatem et Ecclesiam societatem, sed *tantum* [2] distinctio *duplicis adspectus* eiusdem realitatis, quae est Ecclesia...[3]

Hac ratione non pauca ex textu schematis revisioni sunt subicienda.

1. Dicitur pag. 7, lin. 22: « Haec congregatio iustorum a SS. Patribus Ecclesia universalis vocatur ». Haec congregatio postea, pag. 9, merito corpus Christi mysticum vocatur et est. Attamen, pag. 12, lin. 8 notatur: « Non salvatur tamen, *licet ad Ecclesiam pertineat,* qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in Ecclesiae sinu " corpore " quidem sed non " corde " remanet ». Obscura haec sunt ac minus distincte dicta.

Revera,[4] coram Deo, « qui scrutatur corda » ...[5], Ecclesia seu corpus mysticum est congregatio solorum iustorum, eorum nempe qui gratiae sanctificantis sunt participes, ac ideo non complectitur illos peccatores qui culpa sua in fide vel spe vel caritate non vivunt. Sed *coram Ecclesia,* seu iudicio *Ecclesiae,* « quae non iudicat de occultis » ...[6], ecclesialis communio seu communitas complectitur simpliciter omnes his in terris degentes qui veram fidem *externe profitentur,* auctoritati legitimae sese subditos ostendunt nec ob manifesta peccata aut censura a communione fidelium excluduntur.

2. Praeterea, pag. 12, linn. 3 ss. haec habentur: « Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum, qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta agnoscunt, et in eiusdem compage visibili... etc. ». Revera, iudicio Ecclesiae, iidem soli communionis Ecclesiae *plene* seu *simpliciter* sunt participes, cum *omnes notas* communionem constituentes vel plenam communionem constituentes verificent; immo iidem soli, his in terris, Ecclesiae qua societatis simpliciter et active sunt consortes, cum baptizati sint atque Ecclesiae vitam socialem participent.

Qui vero baptizati, christiano nomine decorantur, cum adulti integram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, *non simpliciter* quidem eiusdem *communionis* seu communitatis sunt participes, sed eiusdem communionis aliqua ratione participes

dici possunt, ea ratione nempe seu *quatenus* veritatis revelatae ac mediorum salutis sunt participes; immo baptizati cum sint, dici possunt incorporati Ecclesiae societati, cuius tamen non sunt plene seu simpliciter et active consortes.

Quare: pag. 12, linn. 3 ss. proponi potest textus sequens: « Reapse et simpliciter seu plene Ecclesiae communionis participes tantum sunt, immo simpliciter et active Ecclesiae societatis tantum sunt consortes ii qui integram eius ordinationem, etc. », aut proponi potest hic textus ad simpliciorem formam redactus: « Reapse et simpliciter Ecclesiae incorporantur illi tantum qui integram, etc. », sine mentione distinctionis inter communitatem et societatem.

Et secundo: pag. 12, n. 9, linn. 24 ss., loco textus *in schemate*[7] proponitur textus, iam aliquatenus ...[8] propositus, *nempe*:[9] « Omnes illos qui, baptizati, christiano nomine decorantur, sed, adulti, integram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia omnium mater, plures ob rationes sibi adiunctos habet atque iure ideo filios appellat ».

Denique tandem, liceat mihi addere ad has animadversiones aliam quae haec est: desideratur in hoc schemate expositio de relationibus inter Ecclesiam et civitatem seu societatem politicam, *quae tradenda fuerat in cap. IX primi schematis*.[10] In hoc cap. I, expositio haec tradi deberet, cum habitudo consideratur Ecclesiam inter et populum, quae respicit non tantum homines uti individuos, sed etiam homines in societatibus civilibus coniunctos. In votis certo multorum est ut de hac quaestione tradantur principia generalia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tantummodo. [3] Communitas est summa eorum omnium qui de facto sunt earundem notarum seu proprietatum participes. Societas vero est adunatio plurium ad aliquid communiter agendum (S. Thomas, *Contra impugnantes Dei cultum et religionem,* c. 3), scil. in ordine ad finem quendam in communi persequendum. Ecclesia simul est communitas et, quoad eos his in terris degentes, est societas. Duo sunt adspectus eiusdem Ecclesiae. [4] Re quidem vera. [5] (*Rom.* 8, 27; 1 *Cor.* 2, 10). [6] (Innocentius III, in c. 33, X, V, 3). [7] « Cum omnibus illis, qui, baptizati, christiano nomine decorantur... Ecclesia, pia omnium Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam ». [8] ab exc.mo D. Baudoux. [9] deest. [10] deest.

17

REV.MUS P. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Venerabiles Fratres,

Non quidem expectaveram me ad loquendum hodie vocandum esse, ideoque veniam peto si minus concinne loquar.

Velim autem suggerere additionem quamdam ad cap. I ...[1], pag. 12, par. 9, ad lin. 31, post verba « Deiparam Virginem fovent ». Additio esset his vel similibus verbis concepta (*et iam scripto secretario tradidi* [2]): « Neque praetermittendum est quod hi *Christi discipuli,*[3] quamvis a plena communione catholica *seiuncti* [4] sint, tamen inter se in communitatibus vel communionibus aut etiam Ecclesiis coniunguntur. Hae communitates vel Ecclesiae non sunt societates mere naturales, quia ex principiis evangelicis ideoque supernaturalibus, quamvis incompletis, *vere* [5] exstant. Itaque socialis et visibilis natura Ecclesiae aliquo modo *etiam* [6] extra se reflectitur in his communionibus ».

Ratio *additionis* [7] est quod haec veritas ex una parte inservire posset expolitioni notionis Ecclesiae, *cum Ecclesia se expandit extra limites suos non solum in animis singulorum sed etiam socialiter in christianis communitatibus,*[8] et ex altera parte *talis additio, ut opinor, valde* [9] grata esset fratribus nostris *seiunctis. Haec autem paragraphus debet considerari a fratribus separatis maxima cum cura.*[10]

...[11] Et iam cum hic stem, velim addere aliquid de Ecclesia et regno Dei. Est distinctio in Novo Testamento, praesertim in Evangelio S. Matthaei et in S. Paulo, inter regnum Dei et regnum Christi. Quaeri posset num, biblice loquendo, bonum esset aequiparare Ecclesiam regno Dei. Ecclesia recipit regnum Dei, intrat in regnum Dei, est heres regni Dei, est subiectum regni Dei. Regnum Dei est aliqua res non solum eschatologica, sed apocalyptica. Est actio divina ad quam nulla actio humana aliquid facit nisi dispositive. Sed si aequiparemus Ecclesiam regno Christi sequemur locutionem Novi Testamenti et evitabimus aequivocationes et difficultates in dialogo oecumenico, qui in hac re de Ecclesia tanti momenti est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schematis *de Ecclesia.* [2] deest. [3] discipuli Domini. [4] separati. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] separatis. [11] [*Reliqua vero sic exprimit*]: Addam. Si verbum desideratur de « Regno », memorandum est quod Sacra Scriptura facit distinctionem, prae-

sertim in Evangelio S. Matthaei et in S. Paulo, inter regnum Dei et regnum Christi. Regnum Dei est aliquid non modo eschatologicum sed apocalypticum; est actio Dei ad quam se habet actio humana tantummodo dispositive. Regnum Dei est id quod recipit Ecclesia, vel id in quod Ecclesia intrat; Ecclesia est subiecta regno Dei. Regnum Christi autem est aliquid quod in historia vertitur et progreditur. Fortasse igitur Ecclesia melius regno Christi quam regno Dei aequiparatur.

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

De mandato em.mae praesidentiae consilii: Rogantur vehementissime Patres ut suis locis, quantum possibile est, maneant, ut sequi possint disceptationem conciliarem. Notantur cum aliquantula admiratione aliqui Patres et Periti deambulare etiam diu in Basilica et loqui voce aliquantisper elata, ita ut perturbationem quamdam inducant.

Certissime omnes Patres exhortationi consilii praesidentiae plene parebunt. Dixi. Gratias.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sanctum Evangelium!

Secretarius generalis: Proxima congregatio generalis: crastina, hora 9.

APPENDIX

APPENDIX

ANIMADVERSIONES QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA

INTER PRIMAM ET SECUNDAM CONCILII PERIODUM
A PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE *

I

1

EM.MUS P. D. IOSEPH LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

I. *Animadversiones generales.*

1. Schema magni pretii quod nobis propositum est, blandius et aptius ad persuadendos homines huius temporis esset si tota doctrina exposita ab hac veritate essentiali fidei nostrae illuminaretur, scil. « Deus charitas est » (*Io.* 4, 16).

Etenim, saepissime homines huius aetatis praecepta divina considerant tanquam decreta tyrannica (arbitraria) Omnipotentis et exinde facile obligationibus sibi impositis reluctant. Melius ad oboedientiam dispositi essent si intellexerint voluntatem divinam nihil esse nisi caritatem Dei quae nos prosequitur. Haec caritas vult nos eximere ab omnibus « alienationibus », ut ita dicunt, scil. a servitute peccati, mundi, divitiarum, egoismi ut, per imperium in passionibus nostris, libertatem nostram interiorem sine qua vera libertas non existit, possimus acquirere; vult nos ad propriam excellentiam cooperari per exercitium omnium virtutum; vult vitam suam nobis dare in caritate Christi, ut cum eo, in gloria et beatitudine aeternitatis veram vitam acciperemus.

Auctoritas Dei caritas est. Qui ei se subiicit bonum suum optimum invenit: qui contra eam se rebellat ad dedecus et calamitatem seipsum damnat.

Ita, auctoritas Dei videtur esse servitium amoris. Propter quod Christus-Deus qui est Rex Amoris, veniens in hunc mundum noluit ministrari sed ministrare (*Mt.* 20, 28). Unde, omnis auctoritas quia a Deo est, tanquam servitium ad bonum generale considerari et esse debet. Sic Christus dicebat apostolis suis quibus opus suum redemptionis demandabat: « Si quis vult primus esse inter vos, servus omnium sit ». Sic etiam antequam Petro totum ovile suum concredisset, de eo triplicem declarationem amoris vindicabat.

---

* Huiusmodi animadversiones in duas distribuuntur classes, quarum prima respicit schema *de Ecclesia* discussum in prima Concilii periodo et continet animadversiones ad secretariam post diem 28 februarii 1963 (cf. *Acta Synodalia...*, vol. I, pars IV, pag. 366) missas; classis vero altera congregat animadversiones scripto exhibitas quoad schema *de Ecclesia* emendatum a commissione de doctrina fidei et morum, atque ad Patres diebus 22 aprilis et 19 iulii 1963 missum.

In hoc lumine caritatis Dei melius apparet causa profundior obligationis et huic submissio facilior redditur. Praeterea illi qui, in nomine Christi, auctoritatem detinent, melius intelligunt nullam superbiam ex illa potentia sed potius magnum timorem hauriri posse ratione sublimitatis concrediti muneris et ponderis responsabilitatis gravissimae.

Mihi igitur peropportunum apparet totam materiam schematis illuminare, sive per aliquod prooemium, sive per additiones in textu, ita ut unusquisque intelligere possit Ecclesiam Christi esse opus caritatis Christi in bonum omnium hominum.

2. Mihi videtur necessarium diversis capitibus schematis aliam dispositionem dare ut melius appareat vinculum vitale quod inter ea existit. Oportet enim primatum dare, ut ita dicam, ontologiae christianae potiusquam descriptioni structurarum.

a) Libenter opto ut primus locus expositioni mysterii Ecclesiae detur. Duo periti Concilii, rev. D. Philips et P. Danielou hanc expositionem tentaverunt in scripto ubi tres partes distinguunt: 1) Ecclesia ut finis salutis; 2) Ecclesia ut instrumentum salutis; 3) De relatione inter utrumque aspectum.

Hoc opus mihi valde placet. Attamen, quando agitur de « fratribus separatis » et « de infidelibus », mea sententia, non sufficienter insistitur in absoluta necessitate « bonae fidei » ut Corpori Christi mystici, quis, per gratiam sanctificantem, vinculum indirectum et quasi vitale acquirere possit.

b) Immediate post hanc generalem explicationem mihi videtur opportunum tractare de constitutione collegii apostolorum, in unione cum Petro et sub eius auctoritate. Christus, sic ab initio, Ecclesiae suae structuram suam essentialem dedit ut homines, per magisterium, ordinem sacramentorum et iurisdictionem hierarchiae constitutae, possint vivere in lumine fidei ex caritate Christi.

c) Deinde, tractaretur de collegialitate episcopatus in unione et sub auctoritate eius capitis.

Sic melius appareret quomodo, inter episcopos et Summum Pontificem non sunt solummodo ligamina iuridica sed etiam et praesertim vincula vitalia, sicut in corpore humano caput et centra nervorum intime connectuntur.

Episcopi nihil nisi in unione et sub auctoritate Summi Pontificis decernere possunt. Sed Summus Pontifex per episcopos qui sunt socii et adiutores operis sui, possibilitatem habet profundius cogitandi, cum auxilio Spiritus Sancti, omnia problemata quae Ecclesiae intersunt et inveniendi media aptiora ad extendendum in toto orbe terrarum regnum amoris Iesu Christi.

Sic, in analogia corporis clarius apparet quomodo episcopatus cum Papa capite suo vitaliter unitus, unus cum eo, vitam et unitatem tradit toti organismo.

d) Deinde necessarium mihi videtur tractare de primatu successoris Petri, ostendendo quomodo Summus Pontifex caput collegii episcopalis, ad aedificationem et extensionem corporis Christi, stabilitatem, unitatem, firmitatem in fide, lumen, fortitudinem et gubernationem Ecclesiae praestat.

Postea, relationes inter episcopos et Summum Pontificem qui est caput totius collegii bene explanarentur, dicendo quid potestatis accepti, saltem radicaliter in consecratione, singuli episcopi possident, quamvis exercitium huius potestatis semper ligatum, limitatum, retentum esse possit ex auctoritate Papae cui pertinet iudicare summo imperio de omnibus quae ad bonum Ecclesiae et animarum spectant.

e) Postea de sacramentalitate episcopatus tractaretur, indicando etiam

quomodo unusquisque episcopus collegio episcoporum, propter characterem in consecratione receptum, quasi ontologice inseretur, ut ad sanctificationem mundi efficaciter possit laborare.

f) Deinde necesse est dicere, et quidem sat effuse, de sacerdotibus secundi ordinis seu presbyteris, demonstrando magnitudinem et momentum eorum muneris, simulque arcta ligamina quibus episcopis suis uniuntur, tam ordine ontologico propter characterem sacerdotalem, quam ordine cogitationis et actionis propter auxilium allatum primo pastoris cum quo gravem responsabilitatem animarum ferunt.

g) In fine, de laicis tractaretur et de statu eorum in Ecclesia, determinando cum diligentia quid est regale sacerdotium ab eis in baptismate susceptum et quomodo a sacerdotio ministeriali se secernit; dicendo etiam auxilium quod episcopis et presbyteriis suis tam in ordine cognitionis mundi quam in ordine apostolatus et consecrationis rerum possint afferre.

II. *Animadversiones particulares.*

1. Quoad cap. III ubi agitur de episcopatu in n. 12 libenter adderem verba sequentia quae ex scripto a DD. Martimort et Danielou exarato, scil. « Plenam potestatem sacerdotii, id est sacrificii missae offerendi et sacramentorum administrandorum, apostolis suis et suis successoribus episcopis per ordinationem transmiserunt. Ad participationem huius potestatis solius est episcopatus per sacramentum ordinis assumere, sive totaliter alios episcopos, sive partialiter presbyteros ». Presbyteri qui ab episcopis etc.

2. Ad cap. IV. De solis « episcopis residentialibus » in hoc capite tractatur. Munus episcopale videretur eis unice pertinere. Atqui, ex consideratione textuum liturgicorum in consecratione episcopi apparet singulos episcopos, ex ea, missionem accipere praedicandi evangelii et sanctificandi mundum. Pro eo gratia Dei rogatur ut bene missionem adimplere possit. Exinde, meo iudicio, necesse est concludere omnes episcopos, in consecratione, dignitatem et missionem episcopalem saltem radicaliter accipere, etsi missio sua nondum sit determinata in concreto ab eo qui est pastor omnium pastorum.

Nonne episcopi titulares quorum numerus attingit, immo superat, numerum episcoporum residentialium, ex ipsa consecratione sua, collegio apostolico pertinent et, ex hoc titulo, ius in concilio sedendi habere debent?

Quapropter mihi placeret si, in hoc capite verba sequentia quae sunt R. P. Lecuyer introducerentur: « Quos ipse Christus qui non venit ministrari sed ministrare (*Mt.* 20, 20-28) voluit usque ad finem temporum successores apostolorum in munere pastorum ad aedificationem et in ministerium Ecclesiae suae eosdem Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28). Itaque episcopi, ipsa ordinatione sacra, regiminis potestate gaudent, qua, gratiis et charismatibus ad pastoralem eorum missionem necessariis, sacramentaliter muniuntur et collegio episcoporum Summo Pontifici unito participes fiunt, quae potestas super determinatam partem populi Dei non exercetur nisi, ordinatione Ecclesiae, iurisdictio conferatur. Haec ordinatio fieri potest per legitimas consuetudines etc. ».

3. In par. 15 eiusdem cap. IV, dicitur episcopos non habere potestatem « in universam vel in aliam Ecclesiam ac sibi commissam nisi ex *participatione* Romani Pontificis » — quod quidem est verum. Attamen, etsi episcopi non nisi voluntate Summi Pontificis, *exercitium* huius potestatis habeant, tamen hanc potestatem,

saltem radicaliter ex sua ipsa consecratione, possidere videntur. Quapropter, formulae « nisi ex participatione potestatis Romani Pontificis » hanc aliam substituere vellem: « Potestatem non habent nisi in communi coniunctione cum Romano Pontifice et debita ei subordinatione... » tamen erga etc.

4. Quoad cap. VII. Mihi videtur insufficientem in hac parte dari distinctionem inter magisterium et iurisdictionem. Etenim iurisdictio non nisi solos baptizatos respicit. Sed primum munus apostolorum et eorum successorum est docendi evangelium omni creaturae. Preces quae in consecratione episcopali proferuntur hanc missionem indicant et pro ea bene implenda gratiam Dei rogant.

Ideo opto inclusionem in hoc cap. VII textus sequentis a R. P. Lecuyer redacti: « Unicuique episcopo qua legitimo apostolorum successori ex Dei institutione, per donum Spiritus Sancti, quod consecratione accipit, et vi missionis apostolicae, officium et ius competunt, tum evangelium praedicandi eiusque praecepta cum auctoritate proponendi, tum invigilandi ut depositum fidei ab apostolis transmissum fideliter servetur, tum ex inexhausto revelationis thesauro nova et vetera proferendi (*Mt.* 13, 52) animarum bono accommodata. Itaque episcopi per orbem dispersi vel in particularibus conciliis congregati, licet infallibilitatis praerogativa non polleant, sunt tamen catholicae doctrinae veri doctores et magistri authentici; pro universa et omni creatura testes ex officio evangelicae veritatis; in concilio oecumenico adunati cum capite suo, Romano Pontifice, una cum ipso supremam exercent docendi potestatem et in definitionibus solemnibus infallibilitate gaudent ».

2

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus Amathusius in Cypro

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* in cap. XI tractat de oecumenismo, adhuc discutiendum.

Schema *de Ecclesiae unitate ut unum sint,* iam discussum, plura bona habet de mediis oecumenismi. Sed in utroque nulla allusio adest ad errores *uniatismi tanquam forma apostolatus.* Opportunum iudico hic, aliqua adumbrare de hac re et proponere iudicio Patrum conciliarium et commissionum qui operam dabunt studio horum schematum.

Status quaestionis. Animadvertendum quod error letalis commissus, saeculis anteactis, a missionariis catholicis in suo apostolatu in oriente pro unione instauranda, fuit ille qui venit sub nomine *uniatismi*: *Forma unionis christianorum orientalium cum Ecclesia catholica inducens secum corruptelam thesaurorum ritus, institutionum disciplinarium et praxeos pietatis quae Ecclesiis orientalibus tradita fuerant a Patribus.*

Nullum dubium quod ignorantia rerum orientalium fuerit causa principalis talis deviationis in methodo apostolatus catholici. Sed etiam nullum dubium quod talis deviatio fuit *letalis* pro fructibus apostolatus catholici, tamquam vermis in radice arboris.

Cum intentus praecipuus huius apostolatus esset instaurare unionem sedium orientis cum sede principis apostolorum, illa media occidentalizationis vel latinizationis non solum non poterant prodesse intentui prosecuto, sed impedimento erant ipsi. Nam huiusmodi error methodi obduruit orientalium animos et eos excitavit

ad resistendum, ad autodefensionem, immo suscitavit in ipsis sensum despicientiae erga Sedem Apostolicam cuius nomine missionarii loquebantur. Notandum sane quod, si Graecos excipias, alii populi christiani orientis, prius nullam habebant rationem despicientiae erga Sedem Romanam: Armeni, Chaldei, Copti, Aetiopici, etiam Slavi...

Error methodi uniatismi multum contulit si hucusque Schisma Orientis, seu *veri fautores eius,* potuit se defendere contra praecones unitatis catholicae. Ideo *uniatismus inscie* dedit bona arma fautoribus schismatis in detrimentum veritatis a se praedicatae et defensae. Uniatismus cum esset enim mixtura veritatis catholicae de unicitate et unitate Ecclesiae a Christo Domino fundatae et formam eius falsificatam, fautores schismatis, nisi excessibus et deviationibus uniatismi, facile potuerunt inducere opinionem popularem ad resistendum invasioni latinorum et sic destruere efficaciam verbi missionariorum. Sic nata sunt tot praeiudicia, contra doctrinam unitatis Ecclesiae apud fratres separatos, quae adhuc hodie in grave impedimentum erecta sunt in mentibus eorum. *Uniatismus* corrumpit ergo efficaciam optimorum conaminum atque tot et tantorum sacrificiorum meliorum filiorum Ecclesiae et ea reddit omnino vel quasi sterilia. De facto, post tot conamina pro unione, incepta iam a saeculo XIV, prosecuta usque hodie, fere per septem saecula, fructus obtentus est nimis miserabilis: *septem miliones omnes catholici orientales!*

Post Benedictum XIV, Leo XIII per suam Encyclicam *Orientalium dignitas,* methodum novam inauguravit. Saltem theorice posita fuerunt fundamenta novarum « Orientations » in Ecclesia pro missionariis orientis. Pontifices Romani qui successerunt, perfecerunt methodum, maxime Benedictus XV per erectionem Instituti Pontificalis Studiorum Orientalium; quem secuti sunt Pius XI et Pius XII, et hodie Ioannes XXXIII Papa feliciter regnans. Sed ni fallor, nullibi adhuc *uniatismus* tanquam falsificatio methodi apostolatus catholici expresse et solemniter condemnata fuit.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II cum velit accuratius describere normas oecumenismi et promovere incepta pro unitate Ecclesiae extendenda ad omnes baptizatos, puto quod conveniat adiungere alios gressus in hoc sensu, ut futuri missionarii unitatis Ecclesiae ponantur in meliori conditione quam praedecessores eorum: *uniatismus* declaretur *a Concilio tamquam medium ineptum et forma falsificata apostolatus catholici.*

Schema aliquod propono hic forma generica, tanquam adumbratio et suggestio quae poterit inservire tanquam nucleus perficiendus ab aliis et inserendus in textu de oecumenismo constitutionis *de Ecclesia.*

« Sancta Synodus, exoptans expedire, quantum in se est, successum conaminum motionis oecumenismi et reditum ad gaudium bonorum et emolumentorum unitatis Ecclesiae fratrum separatorum Ecclesiarum orientis, de methodo apostolatus unionisticae apud illos promovendae, sequentia statuit:

§ 1. Clerus catholicus ritus orientalis et missionarii omnes qui operam dant, in auxilium orientis, sub vigilantia Pastorum, in nobilissimo apostolatu unitatis Ecclesiae, caveant praesertim ne, ducti a conceptionibus proselytismi ritualis vel a falso conceptu de unitate quam Iesus Dominus noster voluit pro sua Ecclesia, inducant fratres separatos ad repudium ritus proprii vel faveant adulterationi ipsius sive institutionum disciplinarium per indebitas confusionem praxis quae aliena sunt. Sciant immo operarii catholici mentem Ecclesiae esse potius inculcare

respectum et venerationem rituum et institutionum omnium quando nihil continetur in ipsis inconciliabile cum unitate catholica ».

§ 2. « Et cum iniuria temporum, immutationes incongruae et adulterationes iam irrepsae sint in ritus, in disciplinares institutiones, in praxim pietatis, quasi apud omnes communitates catholicas orientales; et factum est quod hae communitates in pluribus rebus discessae sint a Patrum institutionibus, constituentes sic se ipsas in scandalum et in impedimentum penetrationis authentici conceptus unitatis Ecclesiae qua confunditur cum variis formis uniatismi; haec Sacra Synodus cupiens mederi huic malo, enixe commendat Praesulibus catholicis Ecclesiarum orientalium, ut curent, consulta Sede Apostolica, evellere omnibus mediis vestigia uniatismi a suis communitatibus; adhibentes salutaria remedia ad restituendum in pristinam puritatem ritus proprios, institutiones disciplinares et praxes vitae spiritualis, sic constituentes se in exemplar fratribus suis qui aspiciunt potius praxim ipsarum quam verba et exhortationes ad unitatem ».

Fateor formulationem schematis esse nimis imperfectam, sed ipsa proponitur a me tamquam nucleus qui indiget sane perfectioni.

Normae practicae datae in textu schematis *de oecumenismo* et in schemate *ut unum sint* sunt insufficientes. Deest in eis applicatio ad apostolos unitatis et ad operarios unionis.

Ceterum reparatio aliqua in hoc campo urget ad pacificandum animos fratrum separatorum. Quando vita et praxis communitatum catholicarum orientalium fiet conformis magisterio et instructionibus Sanctae Sedis, tunc exemplum datum ab ipsis erit iam melior praedicatio. Fratres nostri separati non credunt amplius verbis nostris, quando vident modum nostrum concipiendi *unitatem Ecclesiae* in praxi differre nimis a magisterio ufficiali Ecclesiae Sanctae. Hic residet nodus difficultatis. Concilium Vaticanum II potestne solvere hunc nodum? Tunc solummodo habebimus aliquem progressum post tot saecula infructuosa.

3

EXC.MUS P. D. CANDIDUS BAMPI

Episcopus tit. Tloensis, aux. Caxiensis

Cap. I. Placet omnino hoc schema. Magis tamen placeret si ad breviorem et nitidiorem formam reduceretur.

De hoc cap. I multa omnino dicta sunt in prima Concilii sessione.

Cap. II. Doctrina omnino placet. Non placet semper doctrinae expositio. Cur non adhibetur stylus simplex et clarus ut est stylus bonorum theologiae manualium, sine tot classicis inversionibus totque incisis. Incisa quidem uberius doctrinam explicant, lectionem tamen et comprehensionem difficiliorem reddunt. Videatur e. g. definitio membrorum Ecclesiae.

N. 9, pag. 15, linn. 20 ss.: Nonne brevius et clarius ita diceretur: « Ii vere et proprie sunt membra Ecclesiae, qui sacro fonte renati, veram fidem catholicam profitentur, Ecclesiae auctoritatem agnoscunt, eique visibiliter et externe subduntur, sicque per Romanum Pontificem, caput visibile, invisibili capiti Christo Domino in unum Corpus mysticum iunguntur ».

Sicque non pauca alia clariore ac simpliciore modo pro fidelibus catholicis,

pro fratribus separatis et pro omnibus veritatem de Ecclesia cognoscere cupientibus, enuntiari poterunt.

N. 10, pag. 16: Cur non clarius et modo magis explicito determinatur illa fratrum separatorum coniunctio cum Ecclesia, illaque baptismalis consecrationis participatio, necnon et illa « aliqua saltem communio orationum, expiationum et spiritualium beneficiorum ». Hoc certe in bonum spirituale evaderet tum fratrum separatorum suam cum Ecclesia communionem noscentium, tum efficacior esset stimulus fidelibus et praesertim sacerdotibus et religiosis sodalibus ad hanc communionem et coniunctionem cum Ecclesia ubique promovendam.

Quae vero in Iure Canonico traduntur de excommunicationis effectibus in haereticos et schismaticos, quomodo illis separatis fratribus sunt applicanda? Licet enim in Christum credant, Eucharistiam adorent et B. Virginem devote venerentur, veritatem tamen catholicam, aliquam saltem, negant et poenas ecclesiasticas non ignorant. Cum istis omnibus, sive bona sive mala fide ab Ecclesia seiunctis et contra Ecclesiam forsitan militantibus, quaenam possibilis est realis bonorum spiritualium communio, ex participatione baptismalis consecrationis profluentium? Immutatane manent quae in theologicis tractatibus traduntur? Quidque pro bono *unionis* in scholis tradi debet?

Cap. III et IV. Placent. Nihil dicendum. Memorare tamen liceat, licet ad Concilium non pertineant, quae sequuntur. Cur *praelati episcopi,* qui difficiliora pro Christi nomine apostolica certamina sustinent, quique in praelaturis planam commodamque episcopis residentialibus parant viam, cur non gaudent favoribus et privilegiis saltem ecclesiasticis, utputa Missa in anniversario consecrationis etc., quibus residentiales gaudent episcopi? Quid minus sunt in Ecclesia, in apostolicis laboribus? Nonne vita illorum magis appropinquat modo vivendi apostolorum, cum sive pedibus sive equitando sive alio quocumque locomotionis modo, magnis cum defatigationibus, suas inhospitas regiones perlustrant?

Idem dicatur de episcopis *titularibus et auxiliaribus,* quorum non pauci vires vitamque totam pro gloria Dei et animarum bono dederunt, et nunc in lacrimis forsitan vitam ducunt amaram, a Deo tantum gaudium sperantes et premium. Nonne et pro ipsis superest mica panis? E. g., cum in primo memento Missae mentio fit Summi Pontificis et episcopi dioecesani, cur memoria non fieret etiam episcoporum coadiutorum et auxiliarium qui in eadem dioecesi adlaborant? Sint haec dicta non ut Concilii materia, sed pro memoria tantum.

Cap. V: De statibus perfectionis. Doctrina huius capitis omnino placet. Sed rursus cur stylus non adhibetur simplicior, sine ciceronianis inversionibus? Tam pulcher et lucidus est v. g. stylus S. Leonis Magni vel S. Hieronymi. Ita v. g. in linn. 14 et 15, pag. 33: « quod in eo est ut Deus hominibus donetur hominesque Deo reddantur suo ». Nonne in conciliari constitutione melius esset: « et homines Deo (vel Deo suo) reddantur »? Et alia similia. Sunt minima; sunt culices in cauda leonis. Verum est; sed in simplicitate melius elucebit doctrinae splendor, quaeque ab omnibus facilius intelligetur et iucundius amabitur. Liceat etiam adnotare quod sincerius latina lingua amabitur; documenta Curiae Romanae libentius accipientur et venerabuntur. Non raro enim pretiosissimo stylo cum sint redacta, censurae subiiciuntur tanquam vanitatem sapientia et a non paucis sacerdotibus non leguntur nisi in vernaculam linguam vertantur.

Cum schema in hoc capite de legibus disciplinaribus non agat, nihil adiungam.

Cap. VI: De laicis. Doctrina huius capitis pariter valde placet. Pauca adnotabo.

Pag. 39, linn. 21-22: non melius uteretur verbo « zelum » loco « navitatem »? Nonne constanter Ecclesia fideles suos vocat ad apostolicum *zelum?* Nonne dicit Scriptura: « *Zelus* tuus comedit me »? Puto quod multi sacerdotes quid sit « navitas » nesciunt, nisi in dictionario inquirant.

Pag. 39, lin. 23: Nonne melius esset uti verbo « sanctificatio » loco « consecratio »? Fideles quid intelligerent, lingua etiam vernacula, per « consecrationem »? Quid sit sanctificatio melius intelligent; et per sanctificationem melius etiam intelligent quomodo mundus etiam Deo consecratur, i. e. Deo seu divino servitio et cultui emancipatur.

Pag. 40, linn. 7-8: ita etiam: ... quam in ordine « sanctificationis ».

Pag. 40, lin. 20: illud « quae altare tangunt » nonne melius substitueretur his vel similibus verbis: « quae in proventum religionis cedunt »?

Cap. VII: De magisterio Ecclesiae. Clarius distinguatur episcopus ut theologus, qui suas profert defenditque sententias, ab episcopo ut est testis traditionis et quasi os Ecclesiae, doctrinamque tradit a Deo revelatam et ab Ecclesia propositam, per unanimem saltem fidelium consensum ».

Pag. 51, lin. 38: illud « incunabula fidei » quomodo verti potest linguis nostris vernaculis lusitana, italica, gallica? « os incunabulos da fé... gli incunabuli della fede... les incunables de la foi »? Cur ergo etiam latine non dicitur « prima fidei elementa » vel « prima fidei principia »? etc.

Pag. 51, n. 33: Nonne alio modo textus enuntiari potest v. g.: Vult igitur sancta Synodus ut christiani populi magistri et praeceptores omnes, sive laici sive praesertim sacerdotes et religiosi, diligentissime studio religionis incumbant et pari diligentia se praeparent ut semper doctrinam Ecclesiae certam et ad salutem necessariam, iuxta magisterii ecclesiastici edicta exponant, omnem errorem profanasque vocum novitates et falsi nominis scientiam devitantes ».

Et ratio est quia hinc inde, in iis quae dicuntur « semanas de aperfeiçoamento » aut « semanas de cultura » aut « encontros de estudos » etc., ab oratoribus qui tanquam *periti* sunt invitati, talia enuntiantur quae doctrinis traditionalibus Ecclesiae adversantur. E. c. pauca referam:

a) in conventu quodam magistrarum illius regionis instructioni destinato, Soror quaedam e longe veniens ut perita, discipulis haec inculcabat: « Non dicamus quod Deus habitat in nobis; Deus enim est in caelo, in terra et in omni loco »; ignorans specialissimam per gratiam inhabitationem Spiritus Sancti in anima iustorum, vitam communicantis divinam.

b) In collegio sub directione religiosorum, alumnis explicatur quod post mortale peccatum non est necessaria confessio, sed quocumque in casu sufficit actus perfectae contritionis.

c) In quadam domo religiosa, occasione alicuius cursus religionis pro magistris, multis adstantibus diversarum Congregationum Sororibus, morbida profertur et probatur sententia: « eodem die unam audire Missam vel decem » idem esse...

d) In cursu quodam instructionis pro religiosa formatione magistrarum, docetur, et quidem a sacerdote, sine gratia *sanctificante* nullum fieri posse actum *supernaturalem*. Resistentibus et explicationem petentibus quibusdam Sororibus,

silentium imposuit et ut scripto sententiam suam exprimerent exegit. Quandoque et bonus dormitat Homerus, nesciens supernaturale a meritorio distinguere.

e) In quadam magna aula, occasione alicuius Hebdomadae culturalis (Semana Cultural) eminentiore loco magnis et resplendentibus litteris scriptum erat: « Sentimento acima de razão »! Hoc vidi oculis meis. Praeter sacerdotes qui mecum adstabant, nemo alius errorem percepit. Et illa infelix inscriptio opus erat directricis illius Hebdomadae Culturalis.

Et quid non dicitur coram magistris nostris elementaribus, coramque fidelibus in iis qui vocantur « Semanas Biblicas », de ipsa Sacra Scriptura, de inspiratione, praeteritis documentis traditionis Romanorum Pontificum, praesertim Leonis XIII. Quinam spiritualis fructus harum elucubrationum coram fidelibus! Exclamandum quippe est: Proh dolor!

Cap. VIII: De auctoritate et obedientia in Ecclesia. Expositio placet. Expositioni tamen detur semper maxima claritas.

N. 38, pag. 60 tamen notandum est aliquid. Agitur de relationibus praepositos inter et subditos. Bene quidem indicantur iura et obligationes tum superiorum tum subditorum. Omnis tamen Sacri Concilii admonitio maximi est momenti. Sat communis, immo et communissima, est apud superiores et maxime apud superiorissas, *acceptio personarum*. Sic in pag. 61, linn. 1 ss., dicit textus: « subditorum etiam mentes audire »; nonne forsitan ita ampliari posset textus: « subditorum etiam benigne et patienter audire, sine ulla personarum acceptione, ut in omnibus sibi iustum possit efformare iudicium ». Tota ascetica theologia talibus plena est admonitionibus. Verba tamen Concilii efficaciora evadent.

Cap. IX: De relationibus inter Ecclesiam et Statum. Placet. Haec principia tamen eo magis certe placebunt et facilius acceptabuntur, quo clarius et enucleate exponuntur.

Cap. X: De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium etc. Placet iuxta modum, si modus adsit perpulchram hanc doctrinam adhuc clarius et lucidius conscribendi.

Maxime laudanda et magni facienda sunt apud populum christianum quae dicuntur pag. 76, n. 47, linn. 20 ss. Bene noscant religiosi et religiosae, membra associationum religiosarum fidelesque omnes quid ab ipsis desiderat et exspectat Ecclesia pro redemptione animarum et Christi regni adventu.

Cap. XI: De oecumenismo. Placet et hoc perdifficile et complexum caput. Fides enim intemerata manere debet; caritas quae a fide avertit, non est caritas, sed potius proditio. Sicque nimia et arbitraria harum communicationum praxis seu frequentia, facile pariet indifferentismum, scandalum et perversionem in fide.

Omnia valde placent; sed iuxta modum; si tamen modus inveniatur quo haec tanti momenti doctrina melius, clarius, brevius, tota tamen et integra in hac Concilii constitutione universo mundo offeratur.

4

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Prooemium. Patribus Concilii invitatis ad commentaria de schemate *de Ecclesia* proponenda, volumus, in quantum fieri potest, hoc magni momenti opus, perficere.

Haec itaque sunt animadvertenda quae commissioni de schematibus recognoscendis submittenda arbitramur.

I. *Introductio.* Ut munus Concilii Vaticani II recte prosequamur, prae oculis habemus illa memorabilia verba Ioannis XXIII diversis vicibus prolata cum primam sessionem Concilii Oecumenici inauguraret et postea clauderet, et cum nuntio in die festi natalis D. N. I. C. dato et mentem suam circa scopum Concilii plane patefactam, declararet.

« Neque opus nostrum, quasi ad finem primarium, eo spectat, ut de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae ecclesiasticae disceptetur, atque adeo fusius repetantur ea, quae Patres ac theologi veteres et recentiores tradiderunt, ... ».

« Etenim ad huiusmodi tantum disputationes habendas non opus erat, ut Concilium Oecumenicum indiceretur. ... » (*A.A.S.,* 54, 1962, p. 791).

1. Exinde, ea doctrina Ecclesiae quae iam a superioribus Conciliis elaborata fuerat, ideoque veluti repetitio hic adest, omnino de schemate tollenda est. Insuper, omnis qualiscumque articulus fidei vel doctrinae Ecclesiae ab omnibus satis nota in hoc Concilio tractanda non est.

V. g. maior pars elucubrationis de membris, de magisterio, de relationibus inter Ecclesiam et Statum, de auctoritate et obedientia, ...

2. Ad mentem Papae Ioannis XXIII schema funditus recognoscatur, semper prae oculis habendo scopum Concilii.

« ... oportet ut haec doctrina certa et immutabilis... ea ratione pervestigetur et exponatur, quam tempora postulant nostra. Est enim aliud ipsum depositum fidei, seu veritates, quae veneranda doctrina nostra continentur, aliud modus, quo eaedem enuntiantur, eodem tamen sensu eademque sententia » *ibidem,* p. 792.

II. *Observationes* circa schema *de Ecclesia* a commissione praeparatoria propositum:

1. Quoad *structuram* totius schematis. Structura et ordo schematis originem ducit a conceptu mere iuridico Ecclesiae, cum e consideratione Ecclesiae biblica et patristica potius prorumpere deberet, quod quidem melius Ecclesiae mysterium illustraret, ita ut in singulis capitibus realitas mysterii deinceps pervadat, disserendo v. g. de populo Dei, de collegio apostolorum et episcoporum, de sacerdotio ministeriali et de regali sacerdotio fidelium, de omnium hominum ad perfectionem vocatione, etc.

2. Quoad *mentem* in schemate exhibitam. Textus nimis in abstractiones immergitur, ita ut doctrina sub aspectu nimis scolastico proponatur; magis negative quam positive, magis auctoritative quam persuasive quamplurimum res tractatur; dominatio et potestas magis quam servitium humile hierarchiae affirmantur; defendendi munus potiusquam doctrinam evangelicam placide in Spiritu proclamandi prae oculis exhibetur.

Modus materiam tractandi mentem omnino iuridicam prae se fert, ita ut virtus dynamica et vitalis mysterii Ecclesiae in umbra relinquatur, immo ad considerationes iuridicas coarctetur. Passim, instantia maior quam par est in Ecclesiae iura defendenda oppositionem in potestatem civilem sapit, cum potius erga omnes bonae voluntatis homines benevolentia et misericordia Ecclesiae exoptetur.

Nonne sub aspectu statico et velut obiectum purae contemplationis Ecclesia generatim proponitur? Haec est tamen realitas omnino vivens, semper in semetipsa crescens, inter homines ad maiora appetens et usque ad statum Christi plenitudinis quotidie progredi quaerens.

3. Quoad *doctrinam* in schemate elaboratam:

a) Pag. 11, lin. 26. Sanctitatis Ecclesiae datur declaratio incompleta neque flexibilis quoad realitatem. Nonne ratio habenda esset status inchoativi et progressivi sanctitatis prout existit inter fideles? Item, nonne delineanda etiam esset sanctitas sicut invenitur in ceteris christianis?

b) Doctrinam schematis de membris Ecclesiae nihil novi quoad substantiam affert, nisi solemnem declarationem doctrinae communis in Ecclesia acceptae. Tamen modus loquendi, mente iuridica imbuta, videtur portas claudere et ulteriores inquisitiones theologicas prohibere.

Etsi commode distinguitur inter membra et non membra Ecclesiae, supernaturalis realitas adhaesionis hominum in Christo valde occulta remanet et comprehensionem rationis prorsus excedit.

Ut fiat exhaustiva explanatio acatholicorum habitudinis ad Ecclesiam, hoc problema satis intricatum per longum et latum tractari deberet, neque videtur eius solutio in praesenti urgenda.

c) Pag. 12, n. 7. Concilium deberet ita tractare de Ecclesia ut doctrinam iam notam iterum exponere cogi non videatur. Praeterea, modum loquendi hic adhibitum, si quis scopi Oecumenici Concilii meminerit, offensionem praebere manifestum est.

d) Cap. III. De episcopatus sacramentalitate: melius videtur nihil definire nisi vera urgentia necnon et materiae plena maturitas habeatur. Quodsi Concilium hoc punctum definire velit, textus ipse clarius et manifestius id significet quam enuntiatio quae in commissionis praeparatoriae schemate invenitur.

e) Pag. 38, n. 24, lin. 30: « ... operositas... licet nec auctoritatem pastorum implicet, ... ». Mirandum nobis plane videtur quod « operositas » sacerdotii regalis possit exerceri ulla implicatione pastorum auctoritatis; vera enim doctrina invenienda est in propositione contraria.

f) Pag. 39, lin. 33: « in quo sincero labore... ». Haec finalitas nequit obtineri nisi laicus ipse prius informetur praedicatione sacerdotum et eiusdem auxilio conformetur. Hic ergo inserenda esset additio et complementum sic exaratum: « ... (quae finalitas) a laicis accipienda est in efformatione propria, ministerio et moderatione et praedicatione sacerdotum effecta ».

g) Pag. 40, linn. 10 s.: « ... sacerdotes adiuvent in rebus mere religiosis... quae participatio nomine actionis catholicae usu venit ».

Miramur quod hic textus affirmet Actionem Catholicam restringi ad res religiosas neque posse exerceri nisi relate ad eas, miramurque partes membrorum Actionis Catholicae consistere tantum in sacerdotibus *adiuvandis*.

h) Cap. VII: de Ecclesiae magisterio. Quantum ad essentialia hoc caput reassumit dogmata Conc. Vaticani I. Attamen hoc schema inordinate procedit:

de hoc magisterio enim separate non est agendum, sed occasione expositionis de episcopatus sacramentalitate et collegialitate, et ita quidem ut tota auctoritas in Ecclesia insita manifeste appareat ut servitium sensu biblico acceptum.

i) Cap. VIII: de auctoritate et obedientia. Nihil hic novi nisi sententia quae « de opinione publica in Ecclesia » enuntiatur; de qua « opinione » alio prorsus loco tractandum esse videtur.

j) Cap. IX: de relationibus inter Ecclesiam et Statum. Prout confectum, hoc schema nihil novi prae se fert. Immo, non satis in eo ratio habetur realitatis ipsius societatis « pluralistae » hodiernae. Ut vera collaboratio promoveatur cum societate civili, oporteret ipsum schema formulam induere quae consentanea sit cum christianae tolerantiae principiis.

4. De *modo loquendi* in schemate:

a) Sermo latinus maiore simplicitate praeditus adhibendus est, ut doctrina Concilii sit aditu facilior. Loquela simplex, minime conquisita, aeque idonea est ad verum clare exprimendum.

b) 1) Adhibeatur locutio minus imperatoria ad significandum « potestatem », « dominium »; v. g. pag. 66, lin. 35: potestas utrobique adhibita non est aequiparanda. Voces « ministerium », « munus », « missio » et similia melius affirmarent officium Ecclesiae de qua hic agitur.

2) pag. 20, linn. 13-14; pag. 60, n. 37: Hic modus loquendi est negativus et intempestive apologeticus.

3) pag. 82, lin. 3; pag. 75, lin. 35; pag. 51, lin. 3; pag. 97, linn. 29-30: Verba « monet », « admonet » nimis connotant mentem dominatricem. Melius esset uti verbo « invitare », « incitare », etc.

4) Verbum « ius » saepius quam par est adhibetur. Nonne melius utendum esset verbis « missio », « servitium »?

c) Pag. 16, linn. 18-21, et alibi. Videtur quod locutiones « fratres separati » aut « seiuncti » etsi idoneae sint fratribus ceterorum coetuum christianorum designandis, non tamen ad perfectionem attingunt. Interrogetur ergo Secretariatus de Unitate qui absque dubio locutiones magis oecumenicas offerre poterit, e. g. qui christiano nomine gloriantur, ceteri in Christo credentes, fratres ex Reformatione orti, et similia.

d) Pag. 16, lin. 5. « sub Romano Pontifice »: verbum « sub » auctoritatem Summi Pontificis conspicue et eximie designat, sed nonne simul intimum ministrationis et caritatis ligamen cum fratribus in episcopatu constitutis in umbra religat? Nonne partes vivificantes Romani Pontificis in episcopatus et Ecclesiae activitatibus melius indicantur per sequentes locutiones, pleniore significatione praeditas: episcopatus coadunatus una cum Petro, vel duce Petro, collegium episcopale adunatum una cum capite suo, episcopatus in communione cum Petro, vel una cum Summo Pontifice (cf. pag. 49, linn. 19, 30 et 33).

e) Pag. 16, linn. 21-24: « ... ut fratres separati internis divinae gratiae impulsibus ultro libenterque dociles se praebendo, ab eo statu exire studeant... » et pag. 82, lin. 12: « ad unitatem redeant... ». Hae locutiones et similes nimis offensivae sunt erga alios fratres christianos, neque aptae sunt ad unitatem promovendam. Insuper catholici numquam desinant, ut nec ipsi « internis divinae gratiae impulsibus ultro libenterque dociles se praebendo », viam ad unitatem parent et cum aliis christianis prosequantur.

N. B. Supradictae animadversiones criticae de schematis doctrinae expositione aut de verbis adhibitis relate ad ceteros fratres christianos nullo modo ex irenetico sed utique ex oecumenistico animo oriuntur, duce ipso B. Paulo dicente: « ... hoc indicate magis, ne ponatis offendiculum fratri... » (*Rom.* 14, 13); « Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est » (1 *Cor.* 8, 11).

III. *Acceptatio propositionis* ab em.mo card. Suenens allatae. Quo celerius et securius attingantur scopi Concilii, volumus consensum nostrum absque restrictione hic declarare cum ratione generali cui titulo De Ecclesia ad intra et ad extra, auctore em.mo card. Suenens, et in 33 congregatione generali prolata, die 4 decembris 1962.

Haec ratio optimam directionem generalem instituit fundamentumque aptissimum suppeditat toti schemati *de Ecclesia.*

Ut vero accuratius sensus noster circa quaedam singularia puncta declaretur, cum omni debita reverentia aliqua puncta submittimus, quae magni ducimus et quae nostro sensu partem integralem elaborationis novi schematis *de Ecclesia* constituere debent.

IV. *Themata maiora* proferenda et elucidanda in novo schemate conficiendo.

Thema primum: Hoc thema Ecclesiam exponeret ut mysterium, conceptum in Deo ab aeterno, paratum in Vetere Testamento, perfectum in Novo, in via progrediens ad perfectionem suam eschatologicam; deinde ageret de populo Dei congregato a Christo ad salutem consequendam. Ecclesia vere est praesentia Christi continuata sub signis quidem, donec veniat Filius hominis (*Mt.* 10, 26). Hoc thema ageret etiam de Ecclesia in quantum instrumentum est salutis, et de modis quibus aliquis sit Ecclesiae, absque tamen distinctionibus iuridicis neque ullo modo constringendo doctrinam quae in theologia hodierna evolvitur.

Thema secundum: Universi homines vocantur ad populum novum seu gentem sanctam Christo duce efformandam. Hic populus Dei omnes baptizatos amplectitur, qui consequenter praediti sunt sacerdotio regali, quod est vera participatio cum sacerdotio Christi, quodque conservant ii qui vocantur ad alteram participationem, pleniorem et quidem specificam, in eodem Christi sacerdotio.

A) Missio autem hierarchica Ecclesiae appareat prout opus ministerii personam Christi gerens et velut pignus divinum continuae progressivaeque consummationis eiusdem gentis sanctae. Unde imprimis tractandum esse videtur de collegio episcopali cuius munus est una cum Petro eius capite, hoc servitium securum efficere:

1. De episcopatus sacramentalitate: *a*) de munere sanctificationis; *b*) de munere magisterii (hic inseri debet cap. X de necessitate annuntiandi Evangelium, disserendo de munere potius quam de iure Ecclesiae); *c*) de munere regiminis.

2. De episcopatus collegialitate: *a*) fundamenta historica (Scriptura Sacra et praxis antiqua Ecclesiae); *b*) Theologia de collegialitate; *c*) de collegialitate et de primatu.

B) De presbyteris. Sacerdotium « secundi ordinis » ex ordine episcopali esse et vim exhauriens, « in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur » (cf. pag. 20, lin. 23), et presbyterium episcopo unitum efformans, « a quo ut cooperatores assumuntur, et cuius in pascendo grege vices gerunt » (cf. pag. 20, linn. 30 s.).

C) De diaconibus. Proprius suus valor diaconatus muneri reddatur velut est

ecclesiale servitium in participatione specifica cum ordine episcoporum (cf. *Act.* 6, 1-6).

D) De laicis. Hic inserendum est totum cap. V quod, prout iacet, nobis probatur aliquibus supradictis exceptis.

Thema tertium: De vocatione ad perfectionem in Christo.

1. Homines vocantur omnes ad perfectionem evangelicam in Christo, « Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 48).

2. Quidam homines (sacerdotes vel laici) divinitus vocantur ad utendum mediis recognitis ab Ecclesia prout natura sua aptioribus ad ducendum ad eamdem evangelicam perfectionem.

Thema quartum: Hoc thema ageret de Ecclesia « ad extra ». (Haec ultima ex considerationibus ab em.mo card. Suenens praebitis sumuntur).

1. Dialogus cum fratribus nondum visibiliter unitis et relationes cum ceteris mundi religionibus.

2. Ecclesia relate ad Statum, agens de his relationibus in perspectiva totaliter alia atque in schemate praesenti, i. e. rationem singulariter habendo de pluralismo hodierno. Hic inserendum nobis videtur caput aliquod « de tolerantia » ad mentem allocutionis Pii XII iurisconsultibus, 6-12-1953 (*A.A.S.*, 45 [1953], pp. 794 s.).

3. Ecclesia et societas internationalis.

4. Dialogus cum mundo hodierno. Et praesertim: *a*) « Quaenam ulterius dicenda habeat Ecclesia circa vitam ipsam personae humanae (v. g. de inviolabilitate huius vitae, de eius conscia procreatione, de eius extensione in sic dicta explosione demographica) »; *b*) « Quaenam dicenda habeat Ecclesia de iustitia sociali (v. g. quomodo definiendum est superfluum illud nostrum quod pauperibus debitum est? Quodnam est officium... nationum, quae divitiis gaudent, erga " tertium mundum " vel erga nationes quae fame afficiuntur?) »; *c*) « Quaenam dicenda habeat Ecclesia de ipsa evangelizatione pauperum et de condicionibus ex parte nostra requisitis ut nostrum testimonium ad eos perveniat et ab ipsis accipiatur »; *d*) « Quaenam dicenda habeat Ecclesia de pace internationali et de bello... ».

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI

Episcopus Nicotriensis et Tropiensis

Circa schema *de Ecclesia* in particulari velim aliquas animadversiones proponere uti sequitur:

1. *Ad cap. I.*

N. 1, pag. 9, lin. 1: Verbum « Unigeniti » deleatur cum sit superfluum et quasi tautologia cum « Incarnati Filii » lin. 4.

N. 5, pag. 11, linn. 17-20: sententia haec videtur non posse sustineri et allegatio quae adducitur non est ad rem.

N. 6, pagg. 11-12, lin. ultima et seq.: verba « falso Ecclesia... re differre dicitur » non satis clara sunt: cavendum est enim ne videatur affirmari charismata, seu dona extraordinaria gratis data, propria et exclusiva esse hierarchiae.

2. *Ad cap. II.*

N. 9, pag. 15, lin. 18 inseratur: « vero, proprio et *pleno* sensu ».

N. 9, pag. 15, lin. 21 item inseratur: « vere, proprie et *plene* ».

N. 10, pag. 16, lin. 7-8 inseratur: « singulari modo, *eoque vero etsi non pleno* ».

3. *Ad cap. III.*

Sub titulo « De sacerdotio » integra materies ita disponatur tractando:

primo de sacerdotio universali fidelium (de quo in cap. VI, n. 21), clare quidem edicendo ipsum non tantum gradu sed etiam essentia et natura differre a sacerdotio ministeriali seu potius hierarchico;

deinde de ipso sacerdotio hierarchico quod est vere et proprie sacramentum, tribus gradibus divina ordinatione constitutum, nempe diaconatu, presbyteratu et episcopatu (qui singuli sunt vere sacramenta), prout in schemate habetur, sed forte melius ordine « ascendenti ». In particulari pressius tractandum est de presbyteris; de diaconis quoque aliquid explicite dicatur, quod acceptum erit illis Patribus et theologis qui favent restitutioni diaconatus stabilis. Haec tamen propositio de diaconatu stabili, qua talis, nec matura, nec opportuna adhuc videtur.

Ad cap. IV.

In exitu huius capitis, vel alibi, mentio facienda est de episcopis titularibus, saltem eos aequiparando residentialibus circa ius sedendi in Concilio Oecumenico, mutando opportune tenorem can. 223 C.I.C.

Ad capita V et VI.

Integra materia retractetur in schematibus quae sunt propria.

Votum conclusivum: Bonum videtur ut mentio congrua habeatur de habitudine B. Mariae V. ad Ecclesiam prout est Corpus Christi mysticum.

6

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS BOUGON
Episcopus Molinensis

I. *Observationes generales.*

1. Omnes cooperatores huius schematis valde laudamus. De doctrina in seipsa considerata nihil dicemus. Attamen fatemur quod hoc schema sic traditum non tantum multos catholicos sed etiam acatholicos vel forte non baptizatos graviter deciperet.

Etenim sensum pastoralem non sapit. Nimis iuridicum apparet, id est notiones definiendi (v. g. cap. II) vel iura et obligationes determinandi uniuscuiusque christiani secundum locum quod tenet in Ecclesia praeoccupatum.

Videtur hoc schema consequentias oecumenicas ipsius articulorum redactionis non satis percipere. In multis articulis (v. g. 7, 8, 9, 10 etc.) nihil reprehensibile detegitur; fratribus nostris christianis nondum unitis ut negativi apparebunt. Utinam ingens opus oecumenicum iam inceptum non sistant!

Deest unitas. Ligamen inter undecim capitula non statim prae oculis habetur.

Iuxtaponuntur positiones inter se difficulter congruentes (v. g. pag. 48, linn. 10-20). Ratio facile intelligitur. Auctores praecedens concilium oecumenicum absolvere voluerunt. Punctis iam in doctrina catholica traditis novas positiones addiderunt sed ultro progredi debemus ita ut doctrina profundius perspiciatur et vultu novo induatur.

2. Ideoque novam schematis redactionem postulamus ad mentem allocutionis

Romani Pontificis Ioannis XXIII die 11 octobris, i. e. stylo novo, biblico, evangelico, pastorali. Ad hunc finem obtinendum humiliter suggerimus ut consilium virorum peritorum recipiatur. Ex alia parte, nexus profundus inter commissionem theologicam et commissionem de unitate valde optandus.

3. Proponimus ut in hoc schemate *de Ecclesia* constitutio *de B. Maria Virgine Matre Dei et hominum* inseratur.

II. *Animadversiones peculiares.*

A) *Capp. I-II schematis* (praecipue artt. 7, 8, 9, 10).

1. De par. 7 disceptabimus non ad doctrinae rectitudinem sed timemus ne assertio tam acuta acatholicis dicere videatur: « ipsi, catholici romani unicum Christi corpus sumus, vos autem de hoc corpore non estis ».

His perpensis, si hoc capitulum integrum manet, duplicem mutationem suggerimus, scil. quod vocabulum « romana » supprimatur in « sola iure catholica romana nuncupatur Ecclesia » et textum sic redactum appareat in linea praecedenti « quamque post resurrectionem suam apostolis cum eorum capite Petro et successoribus tradidit gubernandam ».

2. In cap. II controversia theologica de « membris » Ecclesiae eludatur. Theologi de doctrina consentiunt, de usu vocabuli dissentiunt. Ligamina omnium hominum relate ad Ecclesiam clarescere malimus. Schema describere posset: eos, qui pleno sensu Ecclesiae incorporantur; eos, qui simul et diversis aspectibus Ecclesiae religantur et nondum in ea perfecte inseruntur: orthodoxae, anglicani, protestantes; eos, qui nondum christiani ad Ecclesiam ut novum Dei populum vocantur.

3. Ecclesiae descriptio a consilio Omnipotentis salvifico pendere debet secundum traditionem tam orientalem quam occidentalem quae a mysterio pauliniano derivatur ut novum genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, constituatur sub uno capite Iesu Christo.

Clarescat quoque characterem eschatologicum Ecclesiae quae fideliter in terris, sponso adiuvante, militat et perenniter in caelis, ipso coronante triumphat, in communione sanctorum omnes filios Dei amplectentes.

Firmiter delineatur notam insimul et indesinenter spiritualem et visibilem unicae Christi Ecclesiae.

B) *Cap. III*: *De episcopis.*

1. Secundum vota in aula expressa capitulum unicum omnibus episcopis consecretur sine distinctione inter residentiales et titulares. Omnes enim episcopos gravat onus pastorale quod ex ipsa episcopatus essentia nuncupatur.

2. In schemate laudabiliter exponitur doctrina de sacramentalitate episcopatus. E sacramentalitate autem omnis tractatus de episcopis fundatur et consequentias huius definitionis enucleari oportet quoad triplicem potestatem id est: munus regiminis, munus sanctificationis et munus magisterii.

E sacramentalitate quoque deducitur quod a Deo directe substantia episcopatus accipitur ideoque potestas episcopalis nullo modo participatio est Romani Pontificis potestatis, etiamsi iurisdictio in territorio determinato a Sanctissimo tribuitur.

3. Desideramus ut dilucide affirmetur quod apostoli collegialiter cum Petro apostolo et sub eius suprema auctoritate a Domino sunt vocati, electi, in ministerium missi aptaque potestate instructi; et apostolorum constituunt collegium cui iure divino episcoporum collegium succedit in quo perseverat.

Proponimus quod Sacra Synodus declaret collegium episcoporum cum epi-

scopo romano et sub eius auctoritate plena supremaque potestate in Ecclesia universali gaudere. Concilium oecumenicum expressio huius potestatis suprema et extraordinaria constituit sed unusquisque episcopus permanenter evadat membrum et quasi pars supremae potestatis ecclesiasticae. Illa realis conditio collegialis episcopatus dispersi in synodis particularibus vel in conferentiis particularibus iam manifestatur, plene tamen non exprimitur.

4. Ordo capituli modo satisfacienti non evolvitur; satius esset e collegii episcopalis potestate ad Romani Pontificis primatum procedere non e contrario.

Concilii Vaticani I definitionibus plene adhaeremus; e praesenti Concilio expectamus ut enucleatur relatio inter Romanum Pontificem infallibiliter docentem et Ecclesiam.

5. Expectant presbyteri omnes quod in tractatu de episcopis locum habeant ut clarescat nexus presbyteratus et episcopatus; presbyteri, qui ab episcopis ad ipsorum societatis et operis adiumentum ordinantur, in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur.

6. Tandem optamus ut hoc capitulum non verbis potestatis sed ministerii et caritatis redigatur. Certe habet episcopus potestatem sanctificationis, magisterii et regiminis sed ista potestas ad serviendum accipitur; « ministerium », « onus » sunt magis apta vocabula ad definiendum quod episcopus adimplere debet cum humilitate et caritate de quibus exemplum praebeat vitae simplicitate et cura humilium et pauperum.

C) Cap. VI: De laicis.

1. Laici baptizati pleno sensu populum Dei seu Ecclesiam efformant, capitulum autem sapit quod Ecclesiam primum constituit hierarchia secundario laici.

Postulamus ut clarius sacerdotium universale baptizatorum doceatur. Stupet nota pag. 42: « Est textus sic redactus ut appareat indoles tum metaphorica, tum analogica sacerdotii universalis »; non cohaeret cum Pii XII assertione docente quod ambo peculiari et originali modo a Christi sacerdotio plene participant.

2. Sacerdotium ministeriale munus constituit quod luce sacerdotii universalis melius intelligitur. Est munus ad sanctificationem fidelium ordinatum, ad populum sacerdotalem efformandum. Hic aspectus in schemate non apparet.

3. Ad Evangelii lumen diffundendum laici partem activam habent quam in capitulo non rigorose exprimitur. Associationum Actionis Catholicae missio specifica non determinatur.

4. Non sufficit de relationibus inter Ecclesiam et Statum disserere, primum oportet de ipsis relationibus inter Ecclesiam et mundum ansam praebere, deinde hoc fundamento nisum, commercium inter Ecclesiam et Statum praecise delineabitur.

D) Cap. V: De statibus evangelicae acquirendae perfectionis.

1. Consilia evangelica tam clericos quam laicos respiciunt, ideoque hoc capitulum hic locum non habet sed post tractatum de hierarchia et populo fideli. Iure divino duo ordines exstant in Ecclesia, clerus scilicet et laicatus, vita consiliorum alterutrum attingere potest.

2. Religiosi in Ecclesia partem habent ut vitae caelestis testes et apostoli Christi et Ecclesiae. Hoc punctum omnium mentibus revocetur.

E) Cap. VIII: De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.

Opportunum videtur hodie obligationem oboedientiae revocare, sed capitulum hoc obiecto dedicatum superfluum videbitur.

Oboedientia e capitulo de episcopis melius proflueret quatenus episcopatus relate ad exercitium auctoritatis et ad oboedientiam fundamentum theologicum praebet. Elementa huius doctrinae etiam in capitulo de laicis incorporari possunt quatenus laicus oboedientiam specificam praestat.

Constitutio de Beata Maria Virgine.

1. Credimus expressionem « Maria Mediatrix » sedulo vitari non eo quod doctrinam erroneam exprimeret sed una parte propter fratres nondum unitos pro quibus macula apparebit relate ad unicam Christi mediationem; ex alia parte propter fratres ipsos catholicos quorum fides de hoc puncto debilis evadat.

2. Optamus, secundum desideria undique profecta quod exploretur thema « Maria Ecclesiae figura ».

7

EXC.MUS P. D. MATTHIAS LEONARDUS TRUDO BRANS

Episcopus tit. Cornensis

Hisce litteris, infrascriptus Mgr. Mathias L. T. Brans, ep. tit. Cornae, eminentiae vestrae velit communicare sequentes quas habet annotationes relate ad schemata constitutionum et decretorum, series secunda, de Ecclesia et de B. Maria Virgine.

Quoad structuram generalem schematis desideraretur maior unitas organica, qua res cohaerentes non omnino separatim tractantur. In schemate, prout nunc est, seiunctim agitur de episcopatu (cap. III), de episcopis residentialibus (cap. IV), de Ecclesiae magisterio (cap. VII) et de auctoritate (cap. VIII), intra quae capita ponuntur caput V de statibus evangelicae acquirendae perfectionis et cap. VI de Laicis. Capp. VII et VIII deberent tractari immediate post capp. III et IV.

Bona structura esset e. g. haec: 1) de natura Ecclesiae; 2) de necessitate Ecclesiae ad salutem (de membris postea agatur oportet); 3) de membris Ecclesiae in genere; de membris Ecclesiae in specie: de hierarchia (sub quo titulo omnia tractantur quae attinent ad clericos, i. e. ad Summum Pontificem et collegium episcoporum eorumque potestatem, magisterium et ordinem) et de laicis; de statibus evangelicae perfectionis (forse etiam de B. Maria Virgine); 4) de relatione Ecclesiam inter et christianos non-catholicos necnon religiones mundi; 5) de relatione Ecclesiam inter et Statum.

Quoad specialia, cap. IV non placet. Indoles collegialis regiminis Ecclesiae non sufficienter agnoscitur. De facto tractatio de episcopis initium sumit a munere episcoporum individualium et tantummodo sermo est in fine (n. 16) de collegio episcoporum tamquam una cum capite et numquam sine capite, uno subiecto plenae et supremae potestatis. Potius incipiendum est ab hoc uno subiecto potestatis supremae ne una ex parte primatus Summi Pontificis nimis a collegio separetur, alia ex parte collegium ut tale practice habeatur tamquam iuris mere ecclesiastici.

Evitetur quoque contradictio: in cap. VII, ubi sermo est de magisterio collegii episcoporum sub eius capite, merito dicitur quod etiam extra concilium oecumenicum, totum collegium, per mundum dispersum, sub eius capite potest exercere magisterium infallibile; hoc munus in capp. III et IV merito vocatur potestas iurisdictionis. In cap. autem IV (n. 15) haec iurisdictio in totam Ecclesiam quoad episcopos expressis verbis negatur, recte si agitur de episcopis singulis (et de facto

de singulis ibi agitur) sed minus recte si de collegio episcoporum ageretur (et de tali collegio ageretur oporteret).

Deinde minime placet cap. IX, ubi res tractantur modo nimis abstracto et irrealistico. Clare ibi agnoscatur principium tolerantiae: licet falsa non habent iura, tamen persona quae secundum propriam conscientiam falsa putat esse vera, ius habet ut attestetur quae pro conscientia habet ut vera, usque dum offendit libertati aliorum. Status non habet ius imponendi subditis aliquem conceptum vitae humanae sed promoveat conditiones aptas ut exercitium libertatis omnibus securum fit.

De cap. X eadem dicenda sunt. Non placet quia simili modo ac in cap. IX res tractantur nimis abstracte acsi omnes homines iam essent catholici. Nullus sermo de libertate religionum aliarum et ecclesiarum non-catholicarum. Multa dicta offendunt populis illis, qui propriam religionem et traditionem habent, si non cum magna prudentia etiam libertas religiosa clare affirmatur.

Et haec sunt principaliora quae puto esse proponenda ut opus emendationis facilius reddatur.

8

Exc.mus P. D. HUGO BRESSANE DE ARAÚJO
Archiepiscopus-episcopus Mariliensis

De habitudine R. Pontificis ad episcopos viceque versa.

Venerabilibus Confratribus, tria, quae prostant, schemata, Ecclesiae constitutionem spectantia, in unum refundentibus, enixe commendandus nobis videtur articulus: « De subiecto infallibilitatis conciliaris », a monacho brasiliensi Norberto Antunes Vieira O.S.B. anno proxime elapso editus, tum in urbe S. Pauli hic in Brasilia apud « Revista de Cultura Teológica » (mense aprili), tum in Urbe Roma apud ephemeridem « Oikoumenikon » (mense iunio).

Nam, prout humili nostro iudicio censetur, praefatus articulus susceptam summi momenti materiam dilucide pertractat, i. e., subiectum infallibilitatis conciliaris, etiamnum quidem (ut optime nostis) sub iudice positum, accurate determinare evincit.

Quo sane fit ut ad integram habitudinem R. Pontificis ad episcopos, viceque proinde versa, plenissime capessendam, quam maxime faciat citatus articulus.

Eiusdem exemplar vobis modo transmittimus.

Hancce porro commendationem, summa cum reverentia, facientibus, liceat nobis, pari collaborationis studio, *subsequentes insuper considerationes,* ad nominatam habitudinem R. Pontificis ad episcopatum, necnon vicissim, apprime spectantes, perquam breviter proponere, vel potius, *quadantenus saltem indigitare,* eorumdem venerabilium confratrum criterio scite sapienterque inspiciendas.

1. *Quantum Romanus Pontifex in sua urbana, immo, vi primatus, in universa valet Ecclesia, tantum in sua quisque dioecesi* (usque, ut par est, excepta personali infallibilitate) *valet episcopus,* et quidem quoad potestatem et docendi et sanctificandi et regendi, *nisi idem R. Pontifex, primatus iure usus, quid* (*sive quoad liceitatem, sive, prout res ferat, quoad validitatem*) *sibi reservarit.*

Quae porro reservatio, decursu saeculorum, magis in dies, de facto obtinens, *praesens tandem Corpus Iuris,* in sua utique mere ecclesiastica parte, *constituit,*

mutari proinde (seu augeri minuique) valens penes solius, ut liquet, R. Pontificis arbitrium.

Hucusque dicta validissime corroborari innotescunt (unius tametsi ad instar exempli) Benedicti XIV insequenti sententia in suo « De Synodo Dioecesana » (cf. Denz., n. 1458 ad calcem): « Ceterum, quidquid sit de hac difficili et valde implexa controversia, omnibus in confesso est, irritam *nunc* fore Confirmationem a simplici presbytero latino ex *sola* episcopi delegatione collatam, *quia Sedes Apostolica id iuris sibi unice reservavit* ».

His etenim tanti Pontificis verbis, luce clarius intelligi datur *antecedenter ad reservationem a R. Pontifice factam, valere episcopum, in sua quemque dioecesi, simplicem sacerdotem delegare ad sacramentum confirmationis ministrandum.*

Merito igitur, de omnibus id genus quaestionibus, penes eiusdem Pontificis mentem, idipsum adserendum censetur, quod de ceteris difficiliore tam praeclare affirmavit.

2. Vi *solius* episcopalis consecrationis, nullus umquam episcopus (esto Romanus) ullum triplicis potestatis (seu muneris): docendi nempe et sanctificandi et regendi, in consecratione acceptae, obtinet usum, non modo licitum, verum etiam, prout res ferat, validum; seu, verbo, *nullus umquam Episcopus, vi solius episcopalis consecrationis, ullam iurisdictionem nancisci dicendus est.*

3. Interea, quoad *consecrationem* episcopalem, quasi intra parenthesim, attendere est quod, quamquam « certum est (ut recenset " nota " 4, ad cap. III schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia*) saepe datam esse consecrationem episcopalem subiecto qui nondum erat sacerdos », *hodie* nihilominus, i. e., postquam a fel. rec. Pio Papa XII determinata est forma episcopatus in solis verbis: « Comple in *sacerdote* tuo ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore sanctifica », *omnino irrita foret episcopalis consecratio ei data, qui sacerdos non esset.*

4. Quoad *iurisdictionem* autem episcopalem, omnino advertere est quod (si accurata, ut par est, loquendi ratione uti velimus) *eius collatio tantummodo sonat* commissionem seu porrectionem seu *assignationem subiectorum, in quae licite, immo etiam, prout res ferat, valide exercere possit ac debeat episcopus praefatam triplicem potestatem, vi consecrationis habitam.*

Simile porro quid videre est in collatione iurisdictionis, qua eget simplex sacerdos ut valide quemdam a peccato absolvere queat. Nam, cum episcopus (dioecesanus) alicui sacerdoti hanc iurisdictionem confert, non ei dat potestatem remittendi vel retinendi peccatum, sed ei tantummodo assignat subiectum, in quod exercere valeat praefatam potestatem, sacra ordinatione receptam. Unde, cum a peccato absolvit simplex sacerdos, hoc non facit nomine Episcopi, nequidem nomine Summi Pontificis, sed revera (ut forma sonat) « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ceterum, poenitens, a simplici sacerdote absolutus, quandoque est ipsemet episcopus, immo idem Summus Pontifex.

5. *Quoad modum vero secundum quem obtineat quis episcopalem iurisdictionem* (seu praefatam subiectorum assignationem), duo imprimis attendere iuvat: 1) *quonam videlicet pacto candidatus fiat quis ad ipsam accipiendam;* 2) *a quonam demum ipsam revera accipiat.*

Ad primum dicendum quod, quantum ex se est seu antecedenter ad reservationem (seu determinationem) a R. Pontifice factam, candidatus fieri quis potuit ad episcopalem iurisdictionem, sive in Romana (ideoque in universa) sive in alia

Ecclesia habendam, multipliciter seu alia atque omnino alia ratione, utputa, designatione praedecessoris, voce populi, electione cleri et sic adhuc forsitan porro. Semel autem supposita reservatione (seu determinatione) a R. Pontifice exercita, nulla alia deinceps ratione, ut patet, quis umquam fieri potuit vel potest veri nominis candidatus ad episcopale munus exserendum, sive in Romana (ideoque in universa) sive in alia qualibet Ecclesia.

Ad alterum continuo dicendum quod *a*) candidatus ad Romanam (eo ipso ad universam) Ecclesiam regendam (quique ille intelligitur qui legitimae sui designationi assentivit), ipsam iurisdictionem in Romanam (eo ipso in universam) Ecclesiam nonnisi divinitus obtinet seu immediate a Deo semper recepit et est recepturus; *b*) candidatus autem ad quamcumque aliam Ecclesiam regendam, ipsam iurisdictionem vel *immediate a Deo* (*ita priscis olim temporibus*) *vel immediate a R. Pontifice* (*ita deinceps hodieque*) accipit, *prout nihil prorsus vel econtra nonnihil* (iuxta superius dicta, heic ad primum) *sibi reservarit idem R. Pontifex.*

Vix monendum ducimus episcopalem iurisdictionem olim divinitus immediate datam, haud aliter R. Pontificis imperio subiectam exstitisse, et quidem item divinitus, atque illam, quae ab eodem Pontifice immediate deinceps processit et procedit.

6. Ex omnibus denique, et quidem *solis,* episcopis, *portionem dominici gregis, immediate sibi* (sive divinitus, ut olim, sive a R. Pontifice, ut deinceps hodieque) *commissam, pascendi ius et officium habentibus, necessario coalescit Ecclesia docens,* capite sane eodem R. Pontifice.

7. Quae mox Ecclesia docens considerari potest, sive per orbem dispersa, sive in Oecumenico Concilio coadunata.

Alterutroque tamen modo spectata, sibimet reapse eadem usque manet, quatenus videlicet, *sive per orbem dispersis, sive in Oecumenica Synodo coadunatis episcopis,* — *utrobique,* inquimus — cum R. Pontificis primatus nullum umquam hiatum patitur eiusdemque personalis infallibilitas ex cathedra loquentis usque intacta perseverat, tum ipsummet episcoporum *corpus,* eidem R. Pontifici, ceu capiti, unitum, infallibilitate indesinenter pollet.

8. Constat igitur *et unum dumtaxat in Ecclesia obtinere subiectum supremae iurisdictionis,* Romanum dico Pontificem; *et infallibilitatis econtra salvari duplex*: eumdem R. Pontificem, cum ex cathedra loquitur, et episcoporum corpus, sive per terrae partes diffusum, sive in Oecumenica Synodo coadunatum.

9. Constat insuper necnon confestim *hocce duplex infallibilitatis subiectum inadaequate dumtaxat inter se distingui,* propterea quod eiusdem episcoporum corporis (sive per orbem dispersorum, sive in oecumenico coetu consedentium) caput, vi primatus, necessario exsistit idem R. Pontifex.

10. *Quanam vero ratione ad invicem convinciantur omnimoda unicitas subiecti supremae iurisdictionis et vera duplicitas* (tametsi inadaequata dumtaxat), *subiecti infallibilitatis,* probe sciteque proponi nobis innotuit supra laudato articulo: De subiecto infallibilitatis conciliaris.

Et re quidem vera, citati articuli doctrina, tametsi ad unam *explicite* faciat Oecumenicam Synodum, *implicite* nihilominus, immo praesuppositive, ad corpus etiam facit episcoporum, prout sunt per orbem dispersi. Vix enim, aut ne vix quidem, adserendum occurrit unum idemque esse episcoporum corpus, sive in Oecumenica Synodo consedentium, sive per omnes tractus terrae commorantium.

11. Ceterum, *cum omnimoda unicitas* subiecti *supremae* iurisdictionis, *tum*

vera duplicitas (tametsi inadaequata dumtaxat) subiecti *infallibilitatis conciliaris* lucidissime patefiunt ipsis formis, secundum quas promi noscuntur dogmatica Conciliorum Oecumenicorum decreta et constitutiones.

Praefatam etenim *omnimodam unicitatem* potentissime signat illa, inde a saeculis quae usu venit, forma: « Nos, sacro approbante Concilio, definimus... ».

Nam, « Nos », utpote subsequenti inciso: « sacro approbante Concilio » contrapositum, evidenter pro « Ego » stat seu pro R. Pontifice supponit.

Praefatam porro *veram duplicitatem* ulterius inculcat illud, item a saeculis usurpari solitum: « Sedentibus Nobiscum et (con)iudicantibus universi orbis episcopis ».

12. Ad huiusmet iam *verae* duplicitatis (utique inadaequatae, subiecti infallibilitatis) *causam* speciatim quod attinet, omnino recolere iuvat luculentissima verba quae fecit clarissimus Gasser, Brixinensis episcopus, cum, in priore Vaticana Synodo, de infallibilitate ageretur decretorum Concilii Oecumenici a Pontifice confirmati. Aiebat enim Brixinensis: « Causa huius rei non ea est, quae ex hoc ambone aliquoties, dolens dico, indicata fuit, ac si omnis infallibilitas Ecclesiae sit sita in solo Papa, et a Papa derivetur in Ecclesiam et illi communicetur... Vera ratio... ex eo repetenda est, quod Christus hanc infallibilitatem toti Ecclesiae magisterio, i. e., Apostolis simul cum Petro promiserit » (cf. *Coll. Lac.* VII, 403).

13. Superest tantum, coronidis instar, aquilinis velut obtutibus contemplari *omnimodam impossibilitatem schismatis totalis,* vi cuius R. Pontifex tandem inveniretur solus vel exigua dumtaxat episcoporum corona circumdatus.

9

Exc.mus P. D. IOANNES DE CAMBOURG

Episcopus tit. Eutymensis, aux. Bituricensis

Schema nobis propositum nimia abundantia certe floret; praeterea articulatione necnon et idea centrali caret.

Quid retinendum sit? Imprimis aliqua consideratio « de Ecclesia in se ipsa »; deinde tractandum est de « episcopatu », quae quaestio evacuari non potest, tum quia Vaticanum I eam non potuit absolvere, tum quia a fratribus separatis valde expectatur; tandem de laicis « qui etiam sunt Ecclesia ».

Sub quanam idea centrali? Schema videtur seligere ideam Corporis mystici...; propter hoc a pluribus Patribus impugnatum fuit in aula conciliari quod non adaequatur mysterio Ecclesiae; difficultatem secum fert quando de fratribus separatis sermo fit: Hi enim amici Dei non sunt nisi per gratiam capitalem Christi, et tamen extra eiusdem Corpus manent.

Patres quidam notionem « servitii » animarum proposuerunt, quae vera est licet non mihi videtur anterioritatem omnimodam habere; consequens est « missioni » quae a Christo Ecclesiae concredita est, scil. salutem a Christo acquisitam ferre omnibus hominibus, ut omnes salvi fiant per ipsam.

Ideo optarem ut tanquam nexum eligeretur idea illa secundum quam Ecclesia est via salutis, continuatrix missionis salvificae Redemptoris nostri. Idea fundamentalis est, circa quam consideratio de Ecclesia in seipsa fieri potest, quacum facile connecti possunt capita de episcopatu et de laicis.

Ordo dicendorum: Animadversiones et aliquas propositiones faciam pro tri-

bus capitibus: de Ecclesia in seipsa, de episcopatu, de laicis. Quae retenta erunt cum ignoro, considerationes addam circa omnia fere capita nobis proposita, necnon et B. V. Mariae schema.

I. *De Ecclesia in se ipsa.*

Textus sequens non est meus; elaboratus est a plurimis theologis quibus Galliae episcopi rogaverant adnotationes circa schema et explanationes ad laborem suum adiuvandum. Cum vero mihi satis placet ideamque centralem teneat quam memoravi supra, hic eum substantialiter propono. Cum etiam ab aliis episcopis proponi possit, fortasse alicuius utilitatis est quod indicantur mutationes vel omissiones quas feci, in textu a theologis exarato. Ideo locum ubi omissio facta est indicabo per signum (X) et mutationes sublineando vocabula introducta. En textus.

1. *Ecclesia ut finis salutis.*

Aeterni Patris consilium in Christo revelatum et adimpletum communicatio est omnino gratuita et libera divitiarum sapientiae et sanctitatis generi humano, non ut plane singuli coram se quavis habitudine connexioneque seclusa, sanctificandi consisterent, sed ut ex multitudine advocati, novum genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam constituerent sub uno capite Iesu Christo.

Quae communitas gratiae et amoris ipsa est sancta Ecclesia, in consilio aeternae sapientiae omnium prima condita, quia propter ipsam mundus creatus est (*Herm. Vis.* II, 1), et in novissimis temporibus manifestata, ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per eam multiformis sapientia Dei (*Eph.* 3, 10).

Haec Ecclesia, iam ab originibus humanae generis *adumbrata* per societatem protoparentum in iustitia originali, (X), in electione (X) populi *Iudaici* et in foedere antiquo mirabiliter praefigurata et praeparata, per missionem Verbi et Spiritus Sancti a Patre iam plene operata est.

Etenim Verbum Dei naturam humanam quam sibi coniunxit de Maria Virgine et vivificavit per resurrectionem ab inferis, non introduxit per Ascensionem in (X) gloriam, nisi ut vitam divinam sanguine suo acquisitam communicaret Ecclesiae sponsae ad ostensionem immensae dilectionis suae.

Et iam dextera Dei exaltatum, non accepit a Patre promissionem Spiritus Sancti, nisi ut effunderet illum, tanquam fluvium aquae vivae, qui suscitaret novam creaturam, paradisum scil. viventium.

Nunc per hanc actualem Verbi et Spiritus operationem Ecclesia semper crescit usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi. Spiritus enim in cordibus fidelium et in Ecclesia tanquam in templo habitat, ut sint omnes superaedificati super fundamentum apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino (*Eph.* 2, 20).

Vita Christi resuscitati in membra Ecclesiae diffunditur ut cum Christo unum corpus efficiant, qui de uno pane participantur, et veritatem facientes in caritate crescant in illo per omnia, qui est caput Christus (*Eph.* 4, 15).

Haec Ecclesia fideliter in terris, sponso adiuvante, militat et perenniter in caelis, ipso coronante, triumphat, in communione sanctorum omnes filios Dei amplectantes.

2. *Ecclesia ut instrumentum salutis.*

Ecclesia Christi non tantum amoris et gratiae communitate, sed etiam mediorum gratiae acquirendae compage constat.

Quae res, Ecclesia scilicet societas visibilis et mysticum Christi Corpus, haud

binae sunt, sed una tantum quae humano et divino se praefert aspectu, quae ergo ob analogiam non parvam incarnati Verbi mysterio assimilatur.

Etenim sicut in Verbo incarnato natura humana ut vivum instrumentum divinae eiusdem naturae pro nostra et totius mundi *salute* inservit et in caelis inservire perseverat, ita Ecclesia societas, praeconis, sacerdotii, regni charismatibus exornatur ut spiritui Christi in aedificatione corporis Christi serviat.

Docet Sacra Synodus hoc instrumentum non esse nisi unicam veram Iesu Christi Ecclesiam, cui Christus tanquam dilectae sponsae donatione irreversibili veritatem et sanctitatem suam ad omnes homines praeconandam et communicandam credidit, quam (X) B. Petro et apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit et sub illis in vivum instrumentum et salutis sacramentum columnam et firmamentum veritatis (*1 Tim.* 3, 15) erexit.

Per hanc Ecclesiam sub electis a Christo pastoribus constitutam usque ad finem saeculi bonus Pastor oves quaerit, sanat et agregat; et in hac Ecclesia oves congregatas lacte verbi pascit, pane vitae roborat, misericordiae suae subsidiis confovet, sapienter gubernat, contra insidias diaboli defendit.

Quae visibiliter Ecclesia multiplicibus elementis constituta, quorum singula gratiae media sunt et omnia simul efformant illam quam Christus in apostolis fundavit institutionem, non invenitur nisi ubi haec gratiae media omnia et singula inveniuntur, id est in Ecclesia catholica et romana.

Attamen elementa quae per se de ipsa sunt constitutione *verae Christi* Ecclesiae, possunt nihilominus alibi persistere, per partes dumtaxat vel modo incompleto.

Ecclesia insuper, cum per se ipsa (X) est signum in nationibus elevatum « *et divinae suae legationis testimonium irrefragabile* » (cf. Denz. 1794), in modo tractandi cum hominibus imbutam esse debet evangelico spiritu paupertatis, humilitatis et caritatis, ita ut homines, qui Iesum quaerunt, etiam in visibili suo aspectu spiritum Iesu dignoscantur.

3. *De relatione inter utrumque aspectum.*

Reapse et sine restrictione ad *veram Christi* Ecclesiam pertinent illi tantum, qui integram eius ordinationem omniaque media salutis in ea instituta agnoscunt, et in compage visibili eiusdem cum capite eius, Christo videlicet eam regente per vicarium suum, iunguntur: ii igitur qui regenerationis lavacro abluti, veram fidem profitentur catholicam, Ecclesiae auctoritatem agnoscunt, nec ob gravissima delicta a corporis mystici compage ex toto seiuncti sunt.

Nec tamen haec pertinentia ad Ecclesiam illum salvat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in sinu Ecclesiae « corpore » quidem, sed non « corde » remanet (cf. S. Augustinum), neque « in Domino moritur » (cf. *1 Thess.* 4, 16; *Apoc.* 14, 13). (X).

Unde omnis gloriatio de solo nomine catholico excluditur. Memores ergo sint omnes Ecclesiae filii conditionem suam eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non correspondent, nedum salvetur, severius *vero* iudicabuntur.

Cum omnibus illis qui baptizati christiano nomine decorantur, sed integram fidem vel unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia mater omnium, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam.

Quamquam enim carent totali fide catholica, amanter tamen credunt in Christum, Filium Dei salvatorem, baptismo indelebili signantur, immo omnia aut

saltem quaedam sacramenta agnoscunt et accipiunt, et fide et devotione erga sanctissimam Eucharistiam necnon amore erga Deiparam semper Virginem eminent. Fidei illi communi in Christum accedit: eiusdem consecrationis sacramentalis participatio; orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; immo quaedam in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis intra catholicam agat, sed sua virtute etiam in eis operatur, *si revera et sincere Deum quaerint,* ita ut omnes Christi discipuli Ecclesiae, modo a Christo stabilito, incorporentur.

Ut autem illa Spiritus Christi ad corporis Christi augmentum operatio uberiorem consequatur effectum, Ecclesia precari nunquam desinit, ut fratres separati internis divinae gratiae impulsibus ultro libenterque concedentes, voluntatem Christi, qui voluit unum gregem et unum pastorem, plene nobiscum perficiant, et abundantius muneribus et salutaribus adiumentis Ecclesiae penitus gaudeant.

Ecclesia, *insuper,* ut omnes qui ad fidem christianam nondum pervenerunt ad regenerationem (X) perducat, instanter operatur. Ad omnes enim homines missa est, qui sanguine Domini obiective redempti, ad regnum eius vocantur et diriguntur. Neque Ecclesia ab orando et praedicando quiescere potest, donec omnes in ea incorporentur.

Licet enim illi, qui sincero voto, etiam inscio, veram Ecclesiam Dei et Christi quaerunt *per gratiam ipsius* salvari possint, beneficio tamen agnitionis Christi et glorificationis Patris in terris non locupletantur et gravioribus periculis exponuntur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad corpus Christi adducat, et sic via salutis pro eis latius pateat.

II. *De episcopatu.*

Schema nobis exhibet de episcopatu doctrinam quae mihi videtur valde incompleta et parum consentanea tum praxi antiquae Ecclesiae et hodiernis Graecorum Ecclesiis, tum ritu consecrationis episcoporum prout nunc adhuc iacet. Fortasse consequens est cum titulo cap. IV: de episcopis residentialibus, qui certe connotat exercitium iurisdictionis super populum determinatum, episcopo aliquo a romano Pontifice commissum, saltem in Ecclesia occidentali.

Sed est-ne vera quaestio tractanda?

Episcopatus ut sacramentum directe refertur ad Christum et quaestio praecise est: Quid per episcopatum Christus communicat, scil. gratiarum et potestatum, ei qui sacram supremi sacerdotii ordinationem suscipit. Quod si ita tractatur, responsio valebit aequo modo pro episcopis residentialibus necnon et titularibus (horum numerus dimidiam partem catholicorum episcoporum constituit): omnes successores apostolorum dicuntur et reapse sunt.

Unde mihi perplaceret quod incipiatur a considerationibus de apostolorum collegio et missione ac potestatibus ipsis concreditis, successoribus transmittendis. Postea affirmaretur successio collegii episcoporum collegio apostolico; aliquis homo collegio aggregatur per sacram ordinationem, quae opportune declararetur supremus sacramenti ordinis gradus.

Deinde explanandum est quid electo in episcopatum Christus per ordinationem confert: gratia et potestates, quae eum faciunt pastorem in servitio populi Dei per participationem ad regale sacerdotium Christi. De suprema Ordinis potestate non videtur adesse dissensio. De magisterii et regiminis muneribus non adest perfecta consensio et schema (pag. 23, lin. 7; pag. 24, lin. 6) insinuare videtur quod episcopi radicaliter has potestates tenent e Petri successore, et non tantum quoad

exercitium. Sed hoc non est consentaneum traditioni uti apparet in historia Ecclesiae, in consecrationis episcoporum ritu (v. g. in praefatione: da ei claves regni caelorum... tribuas ei cathedram episcopalem, ad regendam Ecclesiam... sis ei auctoritas, potestas... — formulae traditionis annuli, Evangeliorum et mitrae — quae pariter dicuntur in consecratione episcopi titularis...); necnon et in documentis, uti recenter in Encycl. *Fidei donum*: cf. schema pag. 30, n. 14 (la sua qualità di legittimo successore degli apostoli *per istituzione divina* lo rende solidamente responsabile della Chiesa).

Oportet ergo quod hae potestates bene exponuntur ac modi quibus exercentur, collegialiter scilicet, et, quia collegialiter, non sine Romano Pontifice, Petri successore. Nam collegium nihil est sine capite. Postquam ita exposita est quaestio de potestatibus episcoporum relate ad universam Ecclesiam, logice tractatur de ordinaria episcopi residentialis potestate in suam dioecesim, stabiliendo modum quo ei grex assignatur, scilicet explicita determinatione nunc pro occidentali, sic dicto implicito consensu pro aliis et temporibus praeteritis, a Romano Pontifice facta, vel dato, utpote collegii episcoporum capite et totius gregis Pastore. Insuper memoratur potestas plena, ordinaria, quam Romanus Pontifex habet in universa terra et super episcopos, quae potestas episcoporum potestati non contradicit, uti Mons. Zinelli exposuit in Concilio Vaticano I.

Cum hac agendi ratione, textus nobis propositi sub capp. III, IV, VII et VIII difficillime componuntur. Quapropter aliquos textus infra propono humiliter, quos in diversis documentis a theologis exaratis inveni, licet non omnem materiam pertractant.

En textus.

1. *De collegio apostolico.*

Christus Dominus salvator, Ecclesiae suae regimen instituens, « fecit ut essent duodecim cum illo ». Durante vita sua publica, primam missionem salvificam inaugurans « vocavit duodecim: et coepit mittere illos binos, et dedit illis potestatem spirituum immundorum ». Tandem post resurrectionem, convocatis undecim in Galilaea « locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare... et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi ». Apostoli itaque collegialiter — cum Petro apostolo et sub eius suprema auctoritate — a Domino sunt vocati, electi, in ministerium missi aptaque potestate instructi; et apostolorum constituunt collegium cui iure divino episcoporum collegium succedit, in quo perseverat.

2. *De suprema potestate collegii episcoporum.*

Hinc Sacra Synodus declarat collegium episcoporum — quod authenticum non est nisi cum episcopo romano et sub eius suprema auctoritate — plena supremaque potestate in Ecclesia universali gaudere. Talis est, secundum catholicam fidem, conditio permanens et ordinaria collegii episcoporum, ita ut unusquisque episcopus permanenter evadat membrum et quasi pars supremae potestatis ecclesiasticae.

Illa realis episcopatus dispersi conditio collegialis, si sese in synodis particularibus vel in conferentiis episcopalibus quodammodo iam manifestat, plene tamen non exprimitur nisi in conciliis oecumenicis (X), ubi episcopatus coadunatus una cum summo pontifice solemniter iudicat atque determinat in re doctrinali et regiminis pro universa Ecclesia.

3. *De sacramentalitate episcopatus.*

Declarat praeterea Sacra Synodus quod nullus baptizatus successor fit apostolorum nec collegio episcoporum aggregatur, nisi per sacram ordinationem seu consecrationem secundum Ecclesiae traditionem seu consuetudinem receptam. In qua consecratione, Christus Dominus principaliter, sicut in aliis sacramentis, operatur, largiens gratiam Spiritus Sancti ad opus aedificationis corporis sui. Proinde Sancta Synodus declarat episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis et episcopos, sola vi sacramenti suscepti, presbyteris, in hierarchia nempe Ordinis, superiores esse.

4. *De munere sanctificationis.*

Apostoli plenam potestatem sacerdotii, id est Sacrificii missae offerendi et Sacramentorum administrandorum, a Christo Domino acceptam suis successoribus episcopis per ordinationem transmiserunt. Ideo ad huius potestatis participationem solius est episcopatus per sacramentum Ordinis assumere sive totaliter alios episcopos, sive partialiter presbyteros.

Presbyteri, qui ab episcopis ad ipsorum societatis et operis adiumentum ordinantur et in quos veluti paternae plenitudinis abundantia transfunditur, licet sacerdotii apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes.

5. *De munere magisterii.*

Collegium episcoporum, una cum Romano Pontifice, sive in sua conditione dispersa, sive ubi adunatur in conciliis oecumenicis, habet in Ecclesia auctoritatem doctrinalem supremam, cui nulla alia auctoritas superior, sed aequalis tamen ea est quae Romano Pontifici ut capiti huius collegii eodem iure divino donatur. Adsistentia enim divina gaudet, qua ab errore servatur (X) quando « sive solemni iudicio », sive « ordinario et universali magisterio » quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur tanquam divinitus revelata credenda proponit (cf. Denz. 1792), aut quae cum eadem revelatione necessario coniunguntur ad fidem pertinere docet. Eadem divina adsistentia concreditur, tum collegio episcoporum una cum Romano Pontifice, tum Romano Pontici ex cathedra loquenti. (X).

Itaque episcopi *singillatim sumpti* vel in particularibus conciliis congregati infallibilitatis praerogativa non pollent. Unicuique episcopo, qua legitimo apostolorum successori ex Dei institutione, (X) officium et ius competunt tum evangelium praedicandi eiusque praecepta cum auctoritate proponendi, tum invigilandi ut depositum fidei ab apostolis transmissum fideliter servetur, tum ex inexhausto revelationis thesauro nova et vetera proferendi, animarum bono accommodata.

Singuli episcopi ergo pro suis fidelibus sunt catholicae doctrinae veri doctores et magistri authentici, quapropter quae ab eis docentur, a subditis interiore religiosoque assensu accipienda sunt, et ab omnibus christifidelibus tanquam divinae et catholicae veritatis testimonium veneranda (cf. *schema* pag. 49).

6. *De munere regiminis.*

Quos ipse Christus qui non venit ministrari, sed ministrare, voluit usque ad finem temporum successores apostolorum in munere pastorum ad aedificationem et in ministerium Ecclesiae suae, eosdem Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28). Itaque episcopi ipsa ordinatione sacra regiminis potestate gaudent, qua gratiis et charismatibus ad pastoralem eorum missionem necessariis sacramentaliter muniuntur et collegii episcoporum Summo Pontifici unito participes faciuntur.

Quae potestas super determinatam partem populi Dei non exercetur, nisi

ordinatione Ecclesiae iurisdictio conferatur. Haec ordinatio fieri potest per legitimas consuetudines, a suprema et universali potestate Ecclesiae non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas vel agnitas, vel directe per ipsum Petri successorem.

Episcopi insuper ita subsunt supremae potestati Romani Pontificis, ut ipse exercitium eorum iurisdictionis ordinariae ampliare vel restringere possit, etiam subditorum exemptione; habet enim Romanus Pontifex super omnes alias ordinarias potestates principatum, et potestatem iurisdictionis immediatam et episcopalem. Longe autem a vero aberrant, qui asseverant episcopos habere tantum delegatam potestatem, non vero propriam et ordinariam cum ipso officio episcopali coniunctam.

III. *De laicis.*

Textus in cap. VI proposito multa bona habet, sed nimio protrahitur. Unde quaedam propositiones et emendationes, quae meae pure sunt, hic faciam, ad coarctandum textum fortasse utiles.

Ad n. 20. Textus e Vaticano I desumptus non mihi videtur directe praeparare ad conclusionem, sub linn. 18-19 positam. Libenter viderim illum omitti... et si possibile, etiam totam paragraphum omitti.

Ad n. 21. Etenim mihi videtur quod caput illud incipere possit ab idea « populi Dei ». Sub hoc numero tres sunt paragraphi. Pro *prima* ergo propono quod incipiat a lin. 25, sic: « Pastor aeternus Ecclesiam suam aggregare voluit velut populum sanctum, qui in templum spirituale et sacerdotium sanctum... etc. » usque ad finem paragraphi.

In *secunda* paragrapho, optarem ut citatio S. Petri ad n. 23 remittatur; cognitio fidei pro nostris temporibus maxime necessaria est et urgeri debet; unde locum habet sub n. 23, et pro hac paragrapho, redactionem propono, sic: « In aedificationem corporis sui, ut faciens veritatem in caritate, populus crescat in Christo per omnia (cf. *Eph.* 4, 11-16), sapienter Christus Dominus ministeria diversa disposuit, in primis sacerdotium hierarchicum, per quod aliqui constituuntur in iis quae sunt ad Deum (cf. *Heb.* 5, 1). Ceteri qui sacramento Ordinis consecrati non sunt, baptismate tamen et confirmatione Christo sacerdoti ita dicantur ut oratione, eleemosyna et abnegatione sui Deo spiritualia sacrificia offerant ».

Tertia paragraphus logice sequitur. Optarem ut differentia inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium laicorum affirmaretur, sine praecisione, quia adhuc clarificari in posterum posset. Sic dicerem: « Sacerdotium quod ab Ordinis sacramento derivatur et sacerdotium laicorum, licet maxime differunt, suo peculiari modo a Summo Sacerdote... etc. » usque ad finem paragraphi.

Ad n. 22. Quia difficile datur definitio, fit descriptio; bene. Sequentem redactionem, brevem, propono: « Sacrosancta Synodus hic sub nomine laicorum intelligit fideles, qui baptismate ad populum Dei appositi, in saeculo commorantes, solis vitae christianae reguntur normis communibus; quae normae eos non liberant ab evangelicae perfectionis obligatione, sed connotant illam ab eis non prosequi in Ordinis hierarchia nec in statu religioso ab Ecclesia sancito ».

Ad n. 23. Quia impossibile sit omnia dicere, cum tamen obiectum huius paragraphi maximi momenti sit, sic dicerem, maiora notando: « Ut Dei et Christi voluntati responderent, laici iura et officia illa habent quae ad omnes et singulos christifideles, sola vi nominis christiani, pertinent et in accepto baptismo radicantur. In primis ius et officia habent, ut Deo se devoveant dilatando spatia caritatis et Ei cultum exhibeant, sacrificium Eucharisticum participantes et etiam in eo

actuose agentes; ut de fide sua testimonium verbo et scriptis reddant et sint semper parati ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de illa quae in eis est spe (cf. *1 Pet.* 3, 15), ut secundum capacitates suas opus salutare Ecclesiae etiam operose participent, caritatem praesertim exercendo, qua proximos amant ea dilectione qua ipse dilexit nos. Unde ius habent a pastoribus adiumenta ad salutem necessaria, in primis sacramenta, accipiendi, eisque necessitates et desideria sua reverenter patefacere possunt ». Et sic satis...

Ad n. 24. Haec paragraphus de materia nova in documentis conciliaribus tractat, et valde expectata. Certe, primo aspectu, prolixa apparet. Sed abbreviatio textus mihi difficilis videtur et insuper, cum laicis destinatur, forse parum opportuna esset. Unde tantum modificationem *initii* propono. Sic: « Cum autem laici salutarem Christi missionem non quidem auctoritate sed dilectione continuant et continuare debent, Sacra Synodus eis valde commendat illam operositatem, nomine apostolatus laicorum insignitam, quae, licet nec auctoritatem pastorum implicet... » linn. 31 ss. ... usque ad finem paragraphi primi... et postea n. 24 in universum.

Ad n. 25. In pag. 40, a lin. 21, videtur iura Ecclesiae vindicari in respectu ad terrenam civitatem. Unde melius sub n. 26 ponerentur. Quapropter tres priores paragraphos tantum ibi retinerem, *primam* et *secundam* sine mutatione, *tertiam* utique cum mutationibus, quia « Actio Catholica », tam in formis quam in obiectis suis, etiam mutationibus subiecta est. Dicerem sic: « Pastores dein Ecclesiae ius et nonnunquam obligationem habent commonendi laicos ut sacerdotes adiuvent in rebus mere religiosis, etiam ex mandato et cum vera missione canonica, adlaborando in coetibus ad hoc ordinatis, nomine Actionis Catholicae insignitis, quae, pro locorum et temporum diversitate, ad vitam et incrementum Ecclesiae fovenda, a legitimis pastoribus excitantur vel approbantur ». Et sic satis pro hac paragrapho tertia...

Ad n. 26. Ut, sub hoc numero, quae in ultima parte n. 25 dicuntur, reassumantur, et brevius, sic, meo iudicio, procedere possumus: « In mundo a Deo creato et Christi passione redempto, humana societas suis propriis principiis ad finem suum immediatum, bonum scilicet temporale commune, praesertim per laicorum operositatem perducenda est. Unde filiis suis laicis Ecclesia commendat ut libenter in politica societatis ordinatione partes suscipiant, ad bonum commune temporale efficaciter et apte promovendum, et in ea, pacis ac cooperationis inter cunctos homines bonae voluntatis studio, activam et faustam praesentiam exerceant, ad prosperitatem tum propriae nationis, tum totius communitatis internationalis. Eos item admonet ut ex una parte confusionem vel indebitam permixtionem religionis et Ecclesiae cum rebus mere civilibus sedulo vitent; et ex altera parte totali separationi earumdem vel immo oppositioni societatis terrenae contra Deum eiusque Ecclesiam legitime adversantur, memores omnem activitatem humanam, etiam in re profana, Dei legibus subesse (ita pro n. 26 et fine n. 25).

Meminerint praeterea fideles Ecclesiae ius et officium esse mandatum caritatis non solum verbo sed etiam exemplo praedicare, dignitatem hominum omnimode promovere. Quapropter Ecclesia laicis suis enixe commendat ut, per suam operositatem, libertatem ei procurent exercendi opera misericordiae; ut opera socialia et talem conditionis vitae ordinationem promoveant, quae iustitiae et aequitati in dies melius congruat, secundum principia christiana de re sociali a magisterio proposita; ut tandem satagant ut institutiones et opera culturae, quaecumque sint,

fini suo debite respondeant ac, nedum religioni officiant, supernaturali inspiratione et christiana virtute efficaciora reddantur ».

De adhortatione *sub n. 27* posita nihil habeo dicendum.

IV. *Circa singula capita adnotationes.*

Cum ex discussione generali in aula habita satis manifestatum est desiderium Patrum, nempe quod illud schema profundius recognoscatur, hic tantum dabo, et quidem breviter, indicationes, quarum mentio non fuit.

Pag. 9, lin. 15: expressio « redemptores » non est in usu in hoc sensu.

Pag. 10, lin. 15: melius si diceretur: « super Petrum et apostolos eorumque... ».

Ad n. 11, in cap. III, duo notare velim. *a*) In constitutione dogmatica, melius est affirmare episcopatus sacramentalitatem et eam tradere quam eam probare per rituum examen; *b*) fortasse melius est moderari expressiones « nunquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri » — quod certe verum est — propter reordinationes simoniacorum.

Ad cap. IV quod attinet; certe secundum Patrum vota de novo recognosci debet, ita ut sit vera explanatio de episcopatu, sicut factum est de Romano Pontifice in Vaticano I. De hoc iam satis dixi supra.

Ad cap. V quod attinet. Si de statibus perfectionis in novo schemate expresse fit sermo, optarem ut fiat breviter et per tres partes: *a*) de universa vocatione ad perfectionem; *b*) de consiliis evangelicis; *c*) de statibus perfectionis et de eorum membrorum relationibus cum Ordinariis locorum.

De cap. VI, nihil addendum habeo iis quae dixi sub III, in foliis meis 8-9.

De magisterio (*in cap. VII*). Praecipui doctrinae aspectus certe melius venient ubi de muneribus Episcoporum tractatur; et ibi certe revocandae sunt in memoria definitiones Vaticani I de magisterio Romani Pontificis, saltem breviter. De hoc propositionem feci in foliis 6-7. Quod si opportunum videretur aliquam explanationem addere pro vita practica fidelium, optarem ut quaedam breviter desumantur 1) e n. 31 circa oboedientiam organis subsidiariis magisterii authentici debitam (cf. pag. 50, linn. 14-17); 2) e n. 32 de munere et auctoritate theologorum; 3) e n. 34, de cooperatione omnium fidelium cum Ecclesiae magisterio, praesertim linn. 11-15.

Ad cap. VIII quod attinet. Quod supra notavi de magisterio etiam valet pro regiminis munere. Et pari modo, infra indico quae, fortasse, maiorem utilitatem haberent: quae dicuntur pag. 61, in linn. 9-14 et 18-20 ex una parte et 34-41 ex altera parte.

In eodem cap. VIII, tractatur de opinione publica in Ecclesia, *sub n. 39,* de quo adnotationes sequentes faciam, licet, in constitutione abbreviata, vix haec quaestio locum invenit. 1. Melius est delere paragraphus *prima.* 2. Paragraphus *secunda* sic incipere posset et abbreviari: « Indefectibilitatem Ecclesiae concomitat quidam sensus supernaturalis fidei populi universi christiani, semper bonus, qui ultimatim a Spiritu Sancto provenit, et nihil aliud est nisi consensus fidelium et pastorum in rebus fidei et morum, authentico magisterio gubernatus. Et plurimum ab eo missio salvifica Ecclesiae adiuvatur ». 3. Postea paragraphus *tertia* sine mutatione. 4. *Quarta* et *quinta* paragraphi sic contrahi possint: « Eius tamen singulae manifestationes erunt providae vel imprudentes, aut etiam erroneae et malae, prout procedunt a vera cognitione rerum et spiritu vere catholico, vel non. Pastoribus Ecclesiae munus est de his iudicare, sanam opinionem publicam promovere et magni facere in regimine exercendo, damnosam delere. Insuper invi-

gilare debent ut nemo competens impediatur ne in quaestione adhuc libera sententiam suam exponat, ut in controversa discutienda regnet caritas. Tandem ne tollerent ut, inconsulte et sine causa omnium gravissima, in Ecclesia appelletur ad opinionem publicam ad mutationem decretorum sacrae hierarchiae obtinendam ».

De cap. IX, dictum fuit in aula quod cum summa prudentia tractari debet. Fortasse tamen utile esset indicare aliquos aspectus actionis Ecclesiae qui in favorem cedunt institutionum temporalium, scilicet munus doctrinale secundum quod indicantur errores invadentes vel ipsas fines temporales vel usitata media ad ipsas fines assequendas; necnon munus educationis quod, qui vere christianiter vivant, meliores servitores fiunt finium temporalium. Insuper autonomia societatis civilis in suo ordine affirmari oportet, necnon valorem ingenii proprii populorum.

Ad textum nobis propositum quod attinet, si forse utile foret, haec noto:

1. Sub *n. 40*: in lin. 11, deleatur « semper magis ac magis sese extendendo » et ponatur in lin. 12 verbum « homines » loco « fideles ». Deleantur etiam linn. 17-19.

2. Sub *n. 41*: prima paragraphus sic decurrere posset: « Idcirco de iis quae tantum ad felicitatem temporalem pertinent utpote sub auctoritate civili ut talia posita, Ecclesia non curat nisi quatenus fini supernaturali intersunt, secus in eis nullo modo sese immiscet. Quapropter Ecclesia non suum esse putat statuere quae forma civitatis praeferenda sit, quibus institutis res christianarum gentium civilis melius geratur; ex variisque reipublicae generibus nullum non probat; nec impedit quominus potestas civilis suis iuribus et legibus libere utatur, dummodo religio morumque disciplina salvae sint. In his vero quae tam Ecclesiae quam civitatis intersunt, ut sunt matrimonium, puerorum educatio et alia huiusmodi, sic iura potestatis civilis exerceantur, ut, iudicio Ecclesiae, bona superiora ordinis supernaturalis detrimentum non patiantur ». Postea venit paragraphus secunda sine mutatione.

3. Sub *n. 42*: pro prima paragrapho hanc redactionem propono: « Cum finis societatis civilis sit bonum commune sodalium et ad eorum perfectionem multum intersit vita religiosa, ipsa potestas civilis erga religionem sese indifferenter non habeat et cives adiuvet ut bona spiritualia facilius affluere queant. Inter quae nihil pluris aestimandum est quam cognoscere et agnoscere Deum, et adimplere officia Deo debita ». Ad secundam paragraphum quod attinet, sic incipere posset: « Cum insuper societas civilis per naturam socialem hominis Deum habet auctorem et per creationem fontem omnium quae per ipsam... » et prosequitur a lin. 9 usque ad finem paragraphi, notando tamen quod verba « autem » lin. 9 et « etiam » lin. 11 inutilia videntur.

4. Quae sub *n. 43* dicuntur certe apta sunt ad ideas clarificandas et spirituum pacificationem.

5. Pro conclusione (*n. 44*) optarem simplicem declarationem de libertate Ecclesiae ubique annuntiandi verbum Dei.

De cap. X valet quod iam notavi pro capp. VII et VIII: iam in aliis capitibus locum habet haec materia, praesertim si Ecclesia in se ipsa uti finis et medium salutis proponitur. Mihi tamen placet mentionem facere, in pag. 75, linn. 1-7 et 12-23, quorum scopus pertinet ad ea quae supra dixi in fine commentarii de cap. IX.

De cap. XI non videtur tractandum, cum multa de oecumenismo dicta sint

in aula et cum hoc caput coniungendum sit aliis textibus a commissione pro orientalibus et secretariatu pro unitate exaratis, ut unum novum schema conficiatur.

V. *De B. Maria Virgine.*

Cum schema de B. Maria Virgine in aula pro discussione adscriptum est, inscriptionem inter oratores petii et infra primo do relationem quam paravi.

Schema de B. Maria nobis propositum plura habet quae opportune dicuntur, imprimis quando in memoriam revocat cultum erga B. Virginem, in honorem Filii eius, Domini Nostri Iesu Christi, cedere, eo quod ipsa, in sanctitate necnon et meritis et mediatione, omnino dependens sit ab unici redemptoris et mediatoris gratia. Etiam placet quod nullam novam definitionem affert, uti patet ex declaratione intentionis sub n. 1, lin. 24, habita: « Opportunum censet summatim breviterque *illustrari,* etc.

Plura tamen, vel multa potius, ad hoc schema perficiendum, exponere velim, quorum praecipua ex una parte ad redactionem, ex altera ad doctrinam, referuntur.

Ad redactionem quod attinet. Aperte constat in textu multas inveniri iterationes. Septies aut octies, modo sive generali sive speciali, superlationes vitari commendatur, praesertim circa B. Virginis mediationem et suam ad redemptionis opus cooperationem. Schematis redactores vel commissiones timuisse videntur ne quid in constitutione dictum sit quod, de facto, in falsa veritatis superlatione facile adduci possit.

Praeterea, totum schema attente perlegendo, pericopae non paucae apparent eumdem scopum habere et aliis verbis repetere ea quae iam dicta sunt, et quidem sub eodem numero, v. g.: declaratio intentionis et munus magisterii, uti patet sub n. 1, linn. 12 ss. cum linn. 23 ss. comparatis; idem dicendum de mediatione, sub n. 3, linn. 2-22 et 30-41 inter se comparatae; clarius sub n. 4: ibi duae adsunt paragraphi quarum altera nihil primae addere videtur, praeter plenitudinem gratiae qua B. Virgo omnibus creaturis praecellit, et virginitatem in partu; etiam sub n. 6, de Maria fautrice unionis. Proponerem ut deleatur ultima paragraphi pars, a lin. 27, et loco actionis Mariae in Cana Galileae cuius mentio hic ad scopum parum profert, breviter verbum fiat de sperata B. Virginis intercessione pro unitate.

Quae cum ita sint, constitutio illa, meo iudicio, ex duabus fontibus seu redactionibus oritur, quae in textu iuxtapositae inveniuntur, id est quasi inconfuse et indivise positae. Cum igitur opus inter eas seligendi vel componendi adhuc remanet, ad commissionem conciliarem hoc opus remittere debemus.

Ad doctrinam quod attinet. Plura dicenda essent quae ad verborum proprietatem pertinent, v. g.: pag. 94, lin. 4, textus invertendus est, quia est voluntas Dei atque potentia quae Mariam efficiunt Matrem Christi. Ad lin. 13 eiusdem paginae notatur quod Scriptura non loquitur de « Unigenito » Mariae, sed Patris; de Maria dicit: peperit Filium suum primogenitum. In lin. 35, initio n. 3, essentialis differentia inter novam Hevam, utpote creaturam, et Novum Adamum non indicatur. Pag. 97, lin. 4, expressio « in cinerem resolvi » non videtur retinenda. Insuper mediatio Mariae sub n. 3 affirmatur quin modus eius praecise enuntietur.

Sed de huius constitutionis doctrina praecipua quaestio, meo iudicio, ex eo venit quod sub n. 2, pag. 94, plura dicantur quae in favorem cooperationis activae ex parte B. Mariae Virginis ad redemptionem sic dictam obiectivam in posterum adduci possint. Etenim: 1) linn. 7-8 legitur: « Maria... cum eo et sub eo operam suam

consociavit in humani generis redemptione peragenda; 2) infra, linn. 9-10, consensus Mariae memoratur Incarnationi « unde et eius consortium in redemptionis opere perficiendo »; 3) clarius adhuc, linn. 24-25, legitur: « Christi passibilis fuit generosa socia in gratia pro hominibus acquirenda », unde merito salutatur gratiarum dispensatrix. Quod eodem modo recurrit pag. 95, lin. 32.

Inde oritur quaestio: non de illorum sententia qui ita loquuntur ac si B. Virgo nos eodem fere modo ac Christus redemisset, quae sententia pluries respuitur; sed quaestio est utrum, in his expressionibus quas memoravi, indicatur aliquid maius ac id quod in magisterii documentis invenitur, circa quaestionem adhuc liberam de modo cooperationis B. Mariae Virginis ad opus redemptionis perficiendum, de quo multum inter theologos disputatur et nondum satis illustratur. Meminisse iuvabit, in congressu Lourdiensi occasione anni centenarii apparitionum habito, propter dissensiones inter peritos, hac de re, post unius et integri diei disceptationem, votum emissum non fuisse.

Insuper, vocabulum « gratia acquirenda », quantum scio, in Magisterii documentis non invenitur. Certe de omnibus iustis dici potest ab iis gratiam aliquomodo acquiri, scilicet in ordine redemptionis subiectivae; sed hic, in contextu, non videtur vocabulum hunc sensum habere.

Unde, cum vocabulum istud et alia, prout sonant in schemate, meo iudicio, opinioni indulgere videntur de qua consensus inter theologos non exstat, valde optarem ut in textu recognito non retineantur.

Si omnia quae supra dixi, in schematis recognitione influxum habent, pauca remanebunt quae decretum speciale vix constituere valebunt. Et forse melius ita. Nam schema, in suo actuali tenore, certe displicet fratribus separatis, tum protestantibus quia parum biblicum est, tum orientalibus propter suam « conceptualisationem », nobis latinis certe familiarem, sed non eis.

Melius esset si schema recognosceretur, non ut constituat decretum independens, sed partem constitutionis de Ecclesia.

Tunc, initio, evolvi posset citatio S. Augustini (cf. pag. 100, nota 3) de Maria « membro supereminente», quia est adimpletio Populi Veteris et pauperorum Israël, exemplum fidei, plena gratia, ita ut exemplar sit omnium, speciatim femineae vocationis. Deinde propter connexionem suam cum Christo in divina Maternitate radicatam evadit omnium Mater, quin attentatur ad supremam et unicam missionem Christi, ut Redemptorem et Mediatorem. Hic utile locum haberet quae dicuntur pag. 95, lin. 37 usque ad lin. 4 pag. 96. Tandem, quia Mater est, efficaciam specialem habet in historia salutis et est typus Ecclesiae, quia in ipsa, per suam eximiam sanctitatem et gloriosam Assumptionem, opus salutis adimpletum est.

10

EXC.MUS P. D. AMATUS DECOSSE
Episcopus Gravelburgensis

1. Cap. IV, n. 16. « Ut collegialis episcoporum actio tempore concilii in Ecclesia permaneat, votum exprimitur, in canone aliquo inserendum, episcopalis coetus alicuius, Romae permanenter Summo Pontifici assistentis, cuius membra a diversarum regionum episcopis (v. g. per conferentias episcopales) Summi Pontificis approbatione proposita essent ».

2. In eodem cap. IV, proponitur n. 14 simplicius reddi, ut sequitur: *a*) retinentur linn. 1-7; *b*) his addatur: « Quae potestas aboleri vel absorberi non potest a Summo Pontifice. Etsi sub eius auctoritate exercetur, attamen vere iuris divini est et ad ipsius Ecclesiae constitutionem pertinet »; *c*) immo suggeritur n. 16 (collegium episcoporum), cum n. 14 copulari ita ut ex duobus, unicum fiat. Sic materia contrahatur ac condensetur iuxta Summi Pontificis desiderata.

3. Cap. VII, n. 30 (de subiecto magisterii authentici). Hic numerus perlongus est. Quare, brevitatis causa, summarium eiusdem non detur, sine tam frequentibus repetitionibus de Romani Pontificis primatu, quasi sinceri catholici non possint rite credere, non-catholici christiani non possint bene intelligere et non-christiani Ecclesiae trahi non possint sine innumeris affirmationibus eiusdem veritatis, quae, uti minatio, supra omnes suspenditur.

4. Cap. VIII, n. 37, pag. 60, linn. 11-24. In spiritu oecumenismi, proponitur forma affirmativa veritatis potius quam negativa erroris, sic: « Igitur doceri debet in Ecclesia Christi potestatem adesse quae ab ipso Christo Ecclesiae suae communicetur; etiam doceri debet christianam oboedientiam cum dignitate Christi... etc. ». Sic utetur affirmativis formulis potius quam condemnatoriis, uti, « errant »... « errant »..., quae memoriam formulae « anathema sit » temporum peractorum referunt.

Haec humiliter subiiciuntur.

11

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI
Archiepiscopus Smyrnensis

Rogo ut hic paragraphus RR. Patribus commissionis prolatus in schemate *de Ecclesia* cap. 7 (de Ecclesiae magisterio) subsequatur, quia privilegium infallibilitatis et primatus colliguntur.

De primatu. Romanus Pontifex, ut vicarius Christi visibilis in terris et successor legitimus Petri est caput totius Ecclesiae militantis in partibus orbis diffusae ac in eam et in pastoribus cuiusvis gradus aut ritus habet non honoris tantum sed et supremam iurisdictionis potestatem, ordinariam et immediatam a Christo collatam ita ut ei traditum est ius docendi, confirmandi et custodiendi veritatem non solum in materia fidei et morum sed etiam in re iudiciaria ac in eis quae pertinent ad regimen et disciplinam Ecclesiae universalis. Haec privilegia historice non subito patefacta sunt, sed paulatim, decursu temporis, occasione opportuna, non sine contentionibus et pugnis; sed faventibus aut adversis circumstantiis cum multa sapientia et fortitudine prolata sunt, ducente divina Providentia quae inter huius mundi varietates et contradictiones « attendit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter » (*Sap.* 8, 1).

Patres orientales Concilii Nicaeni, Ephesini, Chalcedonensis, et tandem III Concilii Constantinopolitani (680) auctoritatem doctrinalem SS. Pontificum acceperunt. In liturgia orientali in canone sanctorum adscripti sunt strenui defensores primatus ut Clemens, Sylvester, Leo Magnus, Gregorius Magnus et Martinus. Patres vero graeci: S. Ignatius Antioch., Irenaeus, Basilius, Gregorius Nyssensis, Ioannes Chrys., Ss. Cyrillus et Methodius, Theodorus Studita. Et in posterum eorum theologi Mesudis Palamides, Gregorius Palamas, Ioseph Methonensis et Bessarion primatum Petri agnoverunt.

Unde retinendum est primatum Petri et eius successoris Romani Pontificis ex institutione divina collatum fuisse ut signaculum, praesidium et fulgor sit veritatis et unitatis in Ecclesia Christi quae una et indefectibilis remanere debet usque ad consummationem saeculi.

Primatus R. P. officere non potest ordinariae et immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati qua vi consecrationis episcopalis singuli episcopi instructi sunt et qui positi sunt a Spiritu Sancto ut regerent assignatos sibi greges. Eorum unitas cum Romano Pontifice est divina cautio adhibita ita ut omnes unum sint! et fiat unum ovile et unus Pastor!

12

EXC.MUS P. D. EMMANUEL DOS SANTOS ROCHA
Archiepiscopus tit. Mitylensis, aux. Lisbonensis

Placet, iuxta modum.

Quoad doctrinam, Ecclesiae a Domino nostro Iesu Christo conditae omnimoda afferatur notioni lux — scil. militantis, patientis seu purgantis, et triumphantis. Una in his tribus modis: unus Dominus, gratia una caritatis. Fratrum nostrorum separatorum animos causa non commovendi doctrina clare ac in veritate plena non exponi nemini fructuosum.

Dicam etiam oportere quae de episcopo plane considerari. Episcopus etenim qua talis, ab origine sua divina, ad loca non adstrictus. At titularis a suo residentiali omnino in Ordinum exercitio pendet; etiam, in radice quia ad nutum, quando vicarius generalis — in hoc nil a presbytero differt.

Ecclesiam inter et Statum relationes, certe ut mala vitentur, suaviter sed sine simulatione in doctrina necnon in opere pandi.

Item in his quae ad laicorum promotionem, sic dictam.

13

EXC.MUS P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis-Lavantinus

Liceat mihi proponere quaedam animadvertenda circa schema *de Ecclesia.*

Imprimis consentio iis Patribus, qui postulaverunt, ut schema reficiatur, speciatim iuxta proposita ab em.mo card. Suenens die 4-XII-1962. Attendatur praesertim ad notam oecumenicam.

Nihilominus multa ex schemate proposito resumenda erunt.

Quapropter sequentes animadversiones proponere audeo:

1. Ad cap. III. *De episcopatu.* In Ecclesia primaeva potestas Ecclesiae concipiebatur ut unum quid: non distinguebatur potestas ordinis a potestate iurisdictionis. Prohibebatur ordinatio « absoluta », i. e. talis quae non respiceret determinatam Ecclesiam. Iuxta can. 6 Conc. Chalcedonensis (451; *Decretum Gratiani,* Friedberg I, 257) ordinatio absoluta erat irrita. Quod sane non est ita intelligendum acsi nihil actum esset, sed ut iuridica inhabilitas, quae etiam exercitium potestatis « ordinis » — iuxta nostrum modum loquendi — respiciebat. Quaestiones historicae, quae hic tanguntur, nondum sunt plene solutae.

Historice pariter incertum est, utrum discrimen inter episcopum et presbyterum sit iuris divini an ecclesiastici.

Demum animadvertendum est etiam Constitutionem Apostolicam Pii Pp. XII *Sacramentum Ordinis* aliquem influxum Ecclesiae in materiam et formam sacramenti Ordinis praesupponere, vel saltem ut possibilem admittere.

Quam ob rem omittenda sunt: *a*) 20, 17 potestatem « *valide* » conferendi sacramentum confirmationis etc. *b*) 20, 20 « *in hierarchia Ordinis* ». Sufficit affirmare superioritatem episcopi supra presbyterum ad mentem Tridentini, quod omnes alias quaestiones scienter apertas reliquit. Etiam hodie hae quaestiones non sunt sufficienter declaratae. *c*) 20, 27-30. Ultima propositio: « Nullam tamen » etc. ex iisdem rationibus sic posset melius exprimi: « Potestatem sacram vel curam animarum non possunt exercere, nisi et in quantum hoc eis conceditur directe vel indirecte etc.

2. Ad cap. IV *schematis*. *a*) Inscribatur « De episcopis » (absque residentialibus) cum restrictiones quae episcopos non residentiales respiciunt in textu sufficienter describuntur. *b*) Pag. 22, 25. Verba « in bonum publicum et animarum immo in bonum ipsius praevaricatoris » melius omittantur, cum non sint necessaria et explicationem postularent.

3. Ad cap. V. Pag. 32, 14; 24. Faciliter probatur origo divina voti virginitatis et paupertatis, minus vero consilium oboedientiae.

4. Ad cap. VI. Pag. 37, 29-30. « ad statum *religiosum,* ab Ecclesia sancitum »: melius: ad statum « *perfectionis* ». Nam etiam membra saecularium institutorum hic excludi videntur.

5. Ad cap. VII. Pag. 49, 23-5. Infallibilitas (personalis) Romani Pontificis est infallibilitas Ecclesiae, non autem videtur Ecclesiae infallibilitas esse infallibilitas R. Pontificis. Pag. 50, 14: loco « Decisionibus... » melius poneretur: Sententiis et declarationibus. Decisio elementum continet quod relinquitur discretioni decidentis. Iam vero doctrina non deciditur, sed invenitur.

6. Ad cap. VIII. *De auctoritate et oboedientia.* In hoc capite nimis videtur urgeri oppositio inter praepositos et subditos in Ecclesia. Videtur nulla esse differentia inter Ecclesiam et societatem civilem.

Quare censeo naturam auctoritatis in Ecclesia pressius describendam et definiendam esse, scil. ad mentem Bibliae ut potestas ministerialis et paterna, ex natura Corporis mystici deducta, ut iam quidam patres in Concilio proponebant.

7. Ad cap. IX. *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.* Doctrina exposita est vera, sed nimis abstracta, quatenus hodie res publica christiana seu catholica vix exsistit. Societas hodierna habet, ut aiunt, « structuram pluralisticam », i. e. variae ideologiae conantur determinare seu influere vitam publicam.

Quapropter haec quaestio non videtur tractanda incipiendo a revelatione, quam multi reiciunt, sed a veritatibus, quae ab omnibus admitti possunt et debent, i. e. a iure *naturae.*

Praeterea, civitas iuxta principia catholica ordinata, quae minoritates (alias confessiones) non tractaret ut iura aequalia habentes, noceret Ecclesiae catholicae in omnibus fere regionibus.

Propterea haec doctrina deberet fundari in principio boni communis, quod postulat, ut vita publica ita ordinetur ut omnes *libertate conscientiae* gaudeant, neque in hoc impediantur nec alios offendant.

Tunc etiam catholici iuxta doctrinam Ecclesiae vivere possent et ea publica

media postulare, quae eorum numero et publicis contributionibus corresponderent (v. g. ad sustentandas scholas catholicas). Catholici vero satagere debent, in quantum in datis conditionibus possibile est, ut vita publica principiis christianis imbuatur.

Hac via veritas illa seu praeceptum, quod non sinit statum laicisticum, i. e. indifferentem se habere erga valores spirituales (religionem, ethicam, ius etc.), facilius ad praxim deduci potest quam exeundo a facto revelationis.

Pag. 64, 20. Melius diceretur: Quia vero ambae societates eisdem saepe hominibus constituuntur ac potestates suas exercent...

14

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. Argentinensis

A) REMARQUES GÉNÉRALES.

I. *Il faut une unité de structure.* Les chapp. III, IV et VII devraient former un tout. Il faudrait traiter du Magistère de l'Eglise au moment de parler de la mission et des pouvoirs de l'Episcopat. La structure des divers chapîtres devrait être conçue selon une unité organique et il faudrait une complète unité de doctrine entre chacun d'eux. Or, ce n'est pas le cas.

Voici un exemple: dans le chap. IV, § 15, la juridiction *propre* des évêques sur toute l'Eglise est explicitement niée (pag. 24, lin. 6); dans le chap. VII (pag. 49, linn. 38-41), on reconnaît un pouvoir de magistère et une infaillibilité au collège épiscopal uni au Pape. Nous nous trouvons donc devant un dilemme: ou bien la doctrine énoncée sur ce point au chap. VII est fausse ou celle du chap. IV. Or, ce qui est dit au chap. VII ne peut être erroné puisqu'on se réfère à une doctrine définie au Concile du Vatican I (cf. Denz. 1792). Ainsi la doctrine énoncée sur ce point au chap. IV est erronée?

II. *Il faut expliquer le « pourquoi » de l'Eglise et de sa hiérarchie.* Il ne faut pas se contenter d'une analyse « statique » de l'Eglise en définissant la manière dont se présente la hiérarchie et dont doivent fonctionner ses divers pouvoirs. Le monde d'aujourd'hui attend qu'on lui fasse apparaître la magnifique « intelligibilité » de l'Eglise et de tout ce qui la compose. Il faut donc expliquer le « pourquoi » de l'Eglise et de ses divers échelons hiérarchiques, le « pourquoi » de leur pouvoir. Il faut les présenter « génétiquement », dans leur développement historique et montrer comment tout concourt à réaliser l'Instrument complexe de l'Amour prévenant et efficace de Dieu.

Par exemple: c'est l'unité de Dieu (cf. *Jn* 14 et 17) qui groupe ses fils adoptifs en un « Corps »; c'est l'incarnation du Fils de Dieu qui entraîne la visibilité du Corps ecclésial et celle-ci la nécessité d'une structure hiérarchique.

III. *La primauté du « service » dans l'Eglise.* Au lieu de développer principalement l'aspect juridique de la hiérarchie et de partir très souvent des « pouvoirs » de l'Eglise et de ses « droits », c'est sur sa mission pastorale qu'il faut insister, afin de correspondre à l'esprit dans lequel le Christ a lancé l'Eglise dans le monde: non pas pour dominer, mais pour servir les hommes. Il serait à la fois plus pastoral et plus œcuménique de prendre le thème du « service » comme fil con-

ducteur à travers tout le schéma: le Christ « s'est humilié » afin de servir; il a envoyé ses Apôtres pour être des serviteurs (saint Paul s'intitule « doulos »); il leur donne pour grand commandement celui de la charité fraternelle, du service mutuel; le Corps apostolique est un « corps de service » présidé par Pierre à qui, à la dernière Cène, Jésus a demandé de donner l'exemple du service; succédant au Corps apostolique, le Corps épiscopal a un triple service: celui de la Parole de Dieu, celui de l'organisation des liens de charité, celui du culte; et le Pape (« Servus servorum Dei ») est le centre de ce service; les presbytres, enfin, participent au ministère (au service) de l'épiscopat. Ce n'est donc pas au niveau de la domination, mais au niveau du service que se situe l'Eglise du Christ. Et la Vierge Marie, figure éminente de l'Eglise, s'est elle-même définie: « Servante du Seigneur ».

IV. *Les 2 aspects de l'Eglise.* L'Eglise est à présenter sous un double aspect. Elle est: 1) *l'« Instrument efficace de Dieu »* qui interpelle et rassemble les hommes; elle est l'organe de la prévenance salvifique de Dieu et l'appel du Christ-Berger; 2) *le « groupement effectué des croyants »*; elle est le « lieu » du rassemblement institutionnel, qui sert au Christ pour grouper en lui les fidèles, pour exercer sur eux son action salvifique et les placer sous l'emprise de l'Unité divine.

Ainsi la hiérarchie trouve sa raison d'être dans le fait qu'elle est l'Eglise en tant que celle-ci est, à travers le temps et l'espace, la démarche concrète, actuelle, sociale, sacramentelle du Christ et, en lui, de Dieu, Pasteur Suprême qui est à la fois Celui qui recrute activement et Celui qui accueille et regroupe en lui-même ses fils adoptifs.

De cette manière, on dépasse le juridisme maladroit qui s'étale un peu trop dans le schéma.

V. *La priorité du collège épiscopal.* Dans le schéma, l'Episcopat n'est pas présenté comme fondé et se continuant avant tout sous une forme collégiale. Avant de parler de l'Evêque au singulier, il faut parler du collège épiscopal qui est premier et qu'il faut présenter comme de droit divin. Le Pape n'est pas la source des pouvoirs des évêques, mais il désigne l'Eglise locale où doit s'exercer la mission pastorale de l'évêque. D'après le schéma, il semblerait que la pièce maîtresse de l'Eglise, c'est Pierre et le Pontife Romain. Une telle dépréciation du Collège apostolique et du Collège épiscopal est une déformation de l'histoire.

VI. *Partir du Pastorat du collège apostolique.* Au lieu de commencer par la sacramentalité de l'épiscopat, il vaudrait mieux considérer d'abord la nature fondamentale du pastorat dans l'Eglise.

1. Ainsi on devrait partir du collège des Apôtres duquel le Christ a fait émerger Pierre pour en assurer l'unité. Dans cette perspective, il serait question: de la collégialité des Douze (et de leurs rapports avec Pierre); des différentes charges du pastorat de Pierre et des Apôtres: ministère de la Parole, ministère des sacrements et du culte, ministère de gouvernement et de l'expansion de l'Eglise dans la charité.

2. De là on passerait au collège des Evêques (dont la collégialité donne son plein sens à la primauté du Pape). *a*) Institution divine de la collégialité — la consécration épiscopale réalise ontologiquement l'insertion dans le collège des Evêques. *b*) Exercice collégial du pastorat: au niveau de l'Eglise universelle, préciser dans quel sens il existe une infaillibilité du corps épiscopal; au niveau de l'Eglise particulière, désignation par le Pape de la portion d'Eglise sur laquelle va s'exercer le ministère pastoral d'un évêque (i. e. affectation d'une Eglise locale). *c*) Collégia-

lité de l'Episcopat et Primat romain — préciser les rapports d'« interdépendance » entre le Collège des Evêques et le Pape.

3. Ensuite seulement on traiterait de la sacramentalité de l'Episcopat. Le schéma donne une notion trop pauvre du sacrement. Il faudrait montrer que le caractère « sacramentel » de l'Episcopat-pastorat se justifie radicalement parce que l'homme qui en est revêtu voit « modifier » sa position d'être tant par rapport à Dieu que par rapport aux hommes. De simple croyant, « répondant » à la prévenance divine et « groupé » en Dieu par le Christ et dans l'Eglise, celui qui reçoit l'épiscopat devient en outre et à la fois: *a*) la « voix de Dieu » qui guide et la « main de Dieu » qui sacramentellement change les cœurs; *b*) le centre « personnel » en qui se regroupent les hommes pour être membres du Christ et de la Famille de Dieu.

4. Des coopérateurs du collège épiscopal: *a*) le sacerdoce du second rang (où l'on distingue le collège presbytéral diocésain et les prêtres chargés d'un ministère interdiocésain, rattachés au collège épiscopal); *b*) le diaconat.

B) REMARQUES PARTICULIÈRES.

Ad cap. III: *De episcopatu et de sacerdotio.*

§ 11. *Episcopatus ut sacramentum.*

a) Titre: De Presbyteratu (au lieu de « De sacerdotio »), ligne 16: dire: « ... ut nunquam simplex *presbyter*... ».

Il ne faudrait pas abandonner le vocabulaire traditionnel de l'Eglise. Le « sacerdotium » signifie le sacerdoce tel qu'il est en plénitude dans l'évêque. Pour le sacerdoce du second rang, mieux vaudrait employer le terme de « presbyteratus ». L'évêque n'est pas un prêtre à qui on donne quelque chose en plus. Il faut renverser la perspective: l'évêque communique aux presbytres qu'il s'associe une participation de son sacerdoce. L'évêque possède le sacerdoce dans sa source.

b) ligne 12 à 15: il ne faut pas définir la consécration épiscopale comme s'il s'agissait d'une « possession individuelle ». Le sacrement de l'Ordre est un acte de Dieu par lequel l'évêque est intégré, de droit divin, dans le collège épiscopal. Il faut refuser une définition trop « rituelle » de l'épiscopat ou du sacerdoce. Le sacerdoce (du 1er rang et du 2e rang) est un sacerdoce évangélique et apostolique, et non pas principalement ritualiste.

c) ligne 16, 17: « ... ut nunquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri ». Est-il prudent de prendre une position aussi absolue? Est-elle suffisamment justifiée doctrinalement et historiquement (que penser, p. ex., de la réitération des ordinations de simoniaques)?

§ 12. *De presbyteris.*

a) ligne 28: on parle des « prêtres » surtout sous l'angle juridique. Il est trop peu question du sens de leur mission.

Il y a certes une manière de parler du presbyterium, qui est de l'archéologisme ou du romantisme. Mais il y a effectivement un « collège de presbytres » dans la mesure où les prêtres sont appelés à coopérer à la mission de l'évêque, qui est de rassembler les fidèles en une communauté: ils participent donc à la mission d'ensemble de l'Eglise locale et doivent accomplir leur ministère dans une perspective communautaire; d'autre part, ils sont par l'ordination rattachés au

collège épiscopal lui-même: « sint providi cooperatores Ordinis nostri ». C'est pourquoi, même s'ils sont dispersés pour accomplir leur ministère, ils doivent l'exercer à l'intérieur d'un pastorat collectif qui se réfère au collège épiscopal.

Toutefois, en parlant du « collège des coopérateurs » de l'Episcopat, il faut éviter d'établir un parallélisme entre le collège des presbytres et le collège des évêques. Un Synode diocésain n'a rien d'un Concile. L'évêque démultiplie son ministère pour pouvoir suffire à sa charge pastorale: le ministère des prêtres reste d'une manière permanente en dépendance ontologique et administrative de l'épiscopat.

b) ligne 31: « ... vices agunt »: expression équivoque: les prêtres sont des coopérateurs et non des remplaçants de l'évêque.

Ad cap. IV: *De episcopis residentialibus.*

Ce chapître a besoin d'être entièrement refondu. La doctrine ici exposée est, sur certains points, en régression sur celle du Concile du Vatican I.

§ 13. *Episcoporum munus et dignitas.*

a) ligne 6: « episcopi singuli »: ce texte semble présenter les évêques comme appelés à une charge épiscopale individuelle. Or, la vocation de l'évêque l'intègre d'abord au collège épiscopal. L'évêque, considéré individuellement, possède son mandat pastoral en tant que membre du collège épiscopal qui, en union avec le Pape, est responsable de l'Eglise universelle. Ce n'est qu'en dérivation de cette charge qu'il devient, par la désignation du Pape, chef d'une Eglise locale.

b) ligne 7: la mission épiscopale semblerait réservée aux évêques « résidentiels ». Or, sur un total de 4838 évêques inscrits dans l'Annuaire Pontifical de 1962, il y a 2699 évêques titulaires!

c) ligne 16: on ne montre pas assez le lien qui existe entre les « pouvoirs » de l'évêque et le « service » pastoral affirmé au début et à la fin du paragraphe.

§ 14. *Primatus et episcopatus.*

a) ligne 3-5: selon une thèse dite commune, les évêques reçoivent la « mission » du Pape. Les pouvoirs que donne le sacrement de l'Ordre, seraient-ils dans ce cas encore de vrais pouvoirs? que transmettrait le sacrement sinon la mission pastorale? que serait celle-ci sans le pouvoir de la remplir?

Mieux vaut dire que par leur consécration les évêques sont intégrés au Collège épiscopal et reçoivent par là le charisme spirituel de l'Apostolat que le collège épiscopal a hérité du collège apostolique. Reste à désigner la « matière humaine » sur laquelle s'exercera ce pouvoir pastoral. Et c'est là la mission qui revient au Pape en tant que tête du collège épiscopal.

N. B.: Pendant 11 à 12 siècles le Pape n'a jamais nommé les évêques. Pendant ce temps, les diocèses ont été créés sans que Rome n'ait été d'aucune manière consultée. On répond que l'intervention du Pape a été implicite.

b) ligne 5-8: remplacer le texte du schéma par le texte suivant: « ... et quidem non a fidelibus ipsis, etiam quam plurimis congregatis, neque minimo a potestate civili, sed a regimine Ecclesiae in quo Pontifex romanus potiorem tenet principalitatem ».

N. B.: Certes, le pouvoir épiscopal ne vient pas d'en-bas, mais on ne peut laisser dire qu'il vient radicalement du Pape. Il vient du collège épiscopal que le Pape doit maintenir dans son équilibre.

c) ligne 20-23: on parle d'un pouvoir ordinaire, immédiat et épiscopal du Pape sur toutes les Eglises, sur tous les pasteurs et sur tous les fidèles. Il s'agit certes d'un pouvoir ordinaire puisque rattaché à sa charge pontificale. Ce pouvoir s'exerce sur tous les évêques; il a le pouvoir de les déposer. Il doit avoir ce pouvoir nécessairement en tant que tête du Corps épiscopal, afin d'assurer l'unité et la continuité de l'épiscopat. Mais peut-on dire que le Pape est personnellement responsable de chaque chrétien au même titre que l'évêque résidentiel? Le pouvoir immédiat et épiscopal du Pape ne s'exercera que pour des causes majeures, pour la mise en place des conditions de développement de la foi dans un diocèse. En ce sens, on parlera de sa juridiction universelle immédiate. Mais elle est moins concrète et personnelle que celle de l'évêque diocésain dont la charge d'âme atteint personnellement chaque fidèle.

§ 15. *Relatio episcoporum ad totam Ecclesiam.*

a) ligne 36 et 40 (pag. 23): on parle de l'évêque comme principe d'unité de l'Eglise locale et du Pape comme principe d'unité de l'Eglise universelle. On pourrait discuter ce parallélisme. Le Pape n'est pas le centre de toute l'Eglise au même titre que l'évêque l'est de l'Eglise locale. L'évêque a des coopérateurs qui ne sont pas des collègues (les presbytres et les diacres). Le Pape a des collègues (les évêques), bien que ceux-ci lui soient subordonnés.

Il faudrait parler du « fundamentum » avant de parler du « centrum », parce que l'évêque ou le Pape sont « centre » en tant que « fondement ».

D'autre part, le principe d'unité de l'Eglise locale comme de l'Eglise universelle est en réalité le Christ ou l'Esprit-Saint. En conséquence, ne vaudrait-il pas mieux réserver au Christ le terme « principium unitatis »? Il faudrait donc remplacer dans la ligne 36 et la ligne 40 l'expression « centrum et fundamentum et principium » par « fundamentum et centrum ».

b) ligne 6 (pag. 24): comme il ne s'agit pas de l'ensemble du Corps épiscopal, le texte proposé n'est pas faux, mais il pourrait prêter à équivoque en laissant supposer que le pouvoir des évêques dérive radicalement du Pape. C'est pourquoi, il serait opportun de remplacer la formule « nisi ex participatione potestatis Romani Pontificis » par le texte suivant: « ... non habeant nisi in communi coniunctione cum Romano Pontifice et debita ei subordinatione, tamen erga... quae quidem etsi cum potestas iurisdictionis non implicat... ».

§ 16. *Collegium episcoporum.*

a) Ce n'est pas en dernier lieu, mais dès le début, qu'il faudrait parler du collège épiscopal qui, sous la conduite du Pape, jouit de l'autorité suprême dans l'Eglise, même en-dehors du Concile Œcuménique, comme l'affirme d'ailleurs le chapître VII, page 49, ligne 26-40.

b) ligne 28-32: si le pastorat du collège épiscopal est de droit divin, devant s'exercer évidemment sous l'autorité du Pape, il est impropre, sinon erroné, de dire que le collège épiscopal ne peut exercer son pastorat qu'à la suite d'une autorisation préliminaire du Souverain Pontife. Cela équivaudrait à nier que l'épiscopat est de droit divin.

Lorsqu'on rapproche ce qui est dit dans les lignes 30 à 32 de ce qui est écrit dans la ligne 6, on pourrait croire que ces textes tendent à faire définir d'une façon oblique: que le pouvoir des évêques n'est qu'une dérivation du pouvoir du

Pape; qu'ils ne peuvent user de leurs pouvoirs qu'autant que cela leur est concédé par le Pape.

L'autorité suprême du Pape et son rôle de régulateur et d'unificateur de l'Eglise universelle étant affirmés, il faut montrer que le pouvoir collégial des évêques n'en est pas pour autant supprimé. On ne peut accepter des formules qui pourraient faire croire qu'en-dehors de leurs diocèses les pouvoirs des évêques n'existent que par participation aux pouvoirs du Pape ou même par suite d'une délégation de celui-ci. Ce serait supprimer le droit divin de l'épiscopat. Le Concile Œcuménique ne serait rien d'autre que la Curie romaine ou un Synode diocésain étendu à l'Eglise universelle. Diverses expressions employées dans le schéma s'appliquent aux Patriarches ou aux Métropolitains qui, par délégation du Souverain Pontife, exercent une juridiction sur une région déterminée.

On peut dire qu'il n'y a qu'un seul pouvoir suprême sur toute l'Eglise. Il n'appartient pas au Pape en tant que séparé du collège épiscopal, pas plus au collège épiscopal séparé du Pape. Lorsqu'il est question des pouvoirs propres au Souverain Pontife qu'il tient « ex sese », il s'agit du pouvoir que le Pape possède en tant que *tête du collège épiscopal.*

c) ligne 34-36: les évêques titulaires font partie du collège épiscopal par suite de leur consécration et possèdent de ce fait juridiction lorsqu'ils interviennent dans un Concile. Le texte du schéma (ligne 34) ne semble pas les compter parmi les membres de droit du collège épiscopal.

PROGRESSION PROPOSÉE POUR UN SCHÉMA DE L'EGLISE.

N. B.: Ce plan voudrait se limiter à préciser la mission de l'Eglise et à résoudre quelques problèmes doctrinaux plus actuels.

Prooemium.

I - *La mission de l'Eglise*: *ce que Dieu a voulu.*

1. *Le Christ au service du dessein de Dieu.*

D'après Ephésiens 1, 1-13, et Philippiens 2, 6-11. Le point de départ des intentions toutes gratuites de Dieu se trouve « ante constitutionem mundi ».

L'Incarnation a pour fin la « filiation adoptive » et la « sanctification » des hommes et donc leur réunion en « famille de Dieu », en « Temple saint de Sa Présence ». C'est l'unité même de Dieu qui groupe ses fils d'adoption (cf. *Jn* 14 et 17). St Cyprien: « De unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».

Et cette unité atteint ses fils (« Toi en moi et moi en eux ») en les groupant, par le Baptême et par la Koinonia du Corps et du Sang de Jésus, en « Corps du Christ » sous l'autorité du Père.

Le Christ est venu et il est mort et ressuscité pour former « le peuple saint de Dieu » en nous transmettant tous les dons de Dieu (*Jn* 6, 54-58; *1 Petr.* 2, 4-10). Et c'est sa vie glorieuse de Ressuscité qui fonde sa puissance salvifique universelle.

2. *La Jérusalem céleste et l'Epouse du Christ.*

a) L'Eglise vient d'en haut. Elle est l'œuvre de Dieu qui appelle efficacement les hommes et organise les dons (cf. *1 Cor.* 12, 4-13).

Elle a le Christ avec elle, indéfectiblement présent et à l'œuvre en elle, jusqu'à la fin des temps.

Elle est animée par l'Esprit du Christ qui l'a « lancée » à la Pentecôte et la « conduit » dans son expansion.

b) L'Eglise « coopère » avec le Christ.

Sponsa et Mater. On pourrait développer ce thème en utilisant les exposés de St Augustin.

c) L'Eglise est donc *à la fois*: l'*organe* de la prévenance salvifique de Dieu et de l'appel efficace du Christ-Berger qui va *au-devant* des brebis à réunir; le *groupement* effectué des « fidèles » où, rassemblés institutionnellement, le Christ leur transmet actuellement, socialement, sacramentellement, « la vie » de Dieu.

II - *La figure éminente de l'Eglise*: *Marie.*

A la charnière de l'Ancien et du Nouveau Testament. Marie, Fille d'Israël (Flos Israël), Mère de Dieu et du Peuple de Dieu.

1. Au niveau de l'ontologie, l'Eglise c'est d'abord Marie. Marie est l'aboutissement de la vocation collective du peuple juif. Elle a été formée par la « Religion de l'Attente », si bien qu'elle a pu réaliser — d'une manière unique — le plan de Dieu sur elle et devenir la mère du Messie et du Peuple messianique.

2. En acceptant d'être « la servante du Seigneur » et en accueillant en elle le Verbe de Dieu fait chair, Marie entre la première dans la « Religion de la Présence » où elle va garder sa place de « Mère de Dieu » et de « Mère du Peuple de Dieu », avec tout ce qui en découle.

a) Dieu, en la personne du Christ, en même temps: nous donne Marie pour Mère et nous donne à Marie pour fils (c'est par le Christ que nous sommes rattachés à Marie).

b) Marie intercède auprès de Dieu comme seule peut le faire une mère. C'est une intervention de valeur unique et de nature distincte tant par rapport à l'intervention du Christ que par rapport à celle des chrétiens (qu'il s'agisse des saints canonisés ou de simples frères dans le Christ).

3. Tous les privilèges de Marie sont subordonnés à cette fonction de « Mater ». C'est pour devenir Mère de Dieu qu'elle a été conçue Immaculée. Et c'est pour pouvoir être efficacement la Mère des hommes qu'elle a eu le privilège de l'Assomption, afin de pouvoir nous rejoindre à travers le temps et l'espace.

Chapitre I: *Le collège apostolique.*

Introduction: A partir de Ephésiens 4, 11-16, indiquer que la source de la diversité des dons et des ministères est en Dieu.

1. *Les Douze et Pierre.*

a) Le groupe des Douze. La dispersion temporelle et spatiale de la mission du Christ exigeait un collège apostolique qui apparaît comme un « groupe » à maintenir dans sa « plénitude » (cf. l'élection de Matthias).

b) Les Apôtres, « centres personnels » du regroupement des croyants. En chacun des apôtres et en eux tous, l'Eglise demeure *une* et *unique* au sein d'Eglises « locales » ou particulières.

c) Pierre, le roc qui sert de fondement à l'Eglise. Pierre est chargé de les « unifier » et de les « consolider ». Mais Jésus précise que dans le peuple de Dieu, commander c'est « servir » (cf. *Mc* 10, 42-45). Pierre doit être « régulateur » par son témoignage, en montrant aux autres comment il faut avancer sur la route.

2. *Les grands « services » de la mission apostolique.*

A) *Le pastorat.*

Le Pastorat de l'Eglise a sa source et son modèle en Dieu « Pasteur » (cf. *Ez.* 33, 11-16; 34, 23-31; *Is.* 40, 11). Dès l'Ancien Testament, Dieu se présente comme voulant être le Pasteur d'un « troupeau » qu'il aime efficacement et pour lequel il veut mettre en place tous les instruments de cet amour efficace.

C'est pourquoi le *Médiateur,* celui en qui et par qui le Dessein du Pasteur Suprême « prend corps », s'est présenté lui-même comme *le Pasteur* d'un troupeau pour lequel il est, à la fois, le *Recruteur actif,* le Berger qui « guide » et qui « fait vivre », *et* la *Bergerie* qui accueille en soi et regroupe dans son unité « les enfants de Dieu dispersés » (*Jn* 10, 11-16; cf. *1 Petr.* 2, 25; 5, 4).

Le collège apostolique se présente comme un groupe de pasteurs, qui servent d'instrument visible et durable à la démarche prévenante du Christ Berger, et ils instituent à leur tour d'autres pasteurs (cf. *Act.* 14, 23) qui n'ont pas d'autre but que de réunir dans l'amour éternel de Dieu tout le troupeau.

Par son pastorat, l'Eglise, qui va au-devant des hommes, est donc essentiellement *missionnaire.*

B) *Les différentes charges du pastorat.*

a) Comme organe de la Parole de Dieu. L'Eglise est lectrice authentique de la Bible. L'Eglise « enseigne » la foi du croyant. L'Eglise guide le comportement du croyant par un acte qui peut revêtir toutes les formes de l'« imperium » (s'adressant à la conscience).

b) Comme organe de « l'action transformante » de Dieu. L'Eglise fait pénétrer la vie du Christ à l'intérieur du chrétien par le ministère des sacrements.

c) La Messe est le point de convergence de toutes ces charges, dans le double service de la Parole et de l'Eucharistie.

C) *L'infaillibilité dans l'Eglise.*

Dieu ayant voulu se servir d'instruments humains ne pouvait exposer son intervention de Salut à être inefficace. Il fallait donc que son Eglise, considérée au niveau de son universalité, soit dotée d'une forme d'indéfectibilité. Le privilège de l'infaillibilité accordé par Dieu à l'Eglise universelle garantit la vérité de son enseignement. L'action sacramentelle « ex opere operato » empêche l'intervention divine d'être mise en échec par les hommes.

Enfin il y a une assistance divine garantissant la rectitude des commandements proclamés par le Magistère apostolique et empêchant l'Eglise universelle d'errer sur le plan de la vie morale.

D) *Au service de la perfection assignée par Dieu comme idéal de la vie chrétienne.*

La mission des pasteurs est de susciter et de réunir des imitateurs de la Perfection divine: « Estote perfecti... » (*Mt.* 5, 48), et cela à l'intérieur d'une Eglise en mission. Pour remplir cette mission et acquérir cette perfection, les

chrétiens doivent respecter non seulement l'ordre des préceptes — qui culmine dans le commandement de la charité fraternelle — mais ils doivent aussi prendre au sérieux l'ordre des conseils évangéliques qui sont proposés à tous, précisément en vue d'un meilleur « service ».

E) *Dans l'Eglise, tout est « service » du peuple de Dieu.*

C'est l'esprit de service qui doit animer tous les possesseurs de la charge apostolique et dans chacune de leurs fonctions. Tout exercice de l'autorité — au niveau de l'Eglise universelle ou d'une Eglise locale —, toute intervention pastorale: Parole de Dieu, Lois, Sacrements, tout est service du Peuple de Dieu, tout est intrinsèquement œuvre de pasteur. Cette marque pastorale n'est pas une sorte de qualification extrinsèque, ou encore la dénomination d'un certain secteur de l'activité ecclésiale. Dans l'Eglise tout est essentiellement et intrinsèquement pastoral, parce tout y est l'œuvre du Pasteur suprême et que l'Eglise est irrévocablement, selon ses deux aspect, un « corps de pasteurs » et un « troupeau de brebis ». Le souci des brebis, leur service immédiat ou médiat, voilà l'unique Loi du pastorat et le critère suprême de son activité.

Chapitre II: *Le collège épiscopal.*

1. *Le corps épiscopal et sa tête.*

A) Le collège épiscopal, qui succède au collège apostolique, n'est pas un corps d'administrateurs mais un collège de pasteurs authentiques, « ordonnés » par Dieu à paître son peuple unique et qui ont collégialement la charge « concertée » de tout le troupeau.

B) L'unification du collège apostolique à travers le temps se réalise par la « succession » apostolique. Son unification à travers l'espace se réalise par l'évêque de Rome qui en est la tête. Le Pontife romain a la gérance suprême de la charge épiscopale dans le but d'en assurer la cohésion à tous les plans de l'exercice de cette charge. Il faut que tous les évêques s'accordent sur les mêmes buts et soient soudés les uns aux autres pour réaliser l'unité du peuple de Dieu. C'est le successeur de Pierre qui rend ce « service » en tant qu'unificateur et régulateur universel.

N. B.: Il y a souffrance lorsqu'un évêque est séparé du collège épiscopal et du successeur de Pierre. Le schisme blesse l'Eglise au flanc car elle est atteinte dans sa vie même.

2. *La sacramentalité de l'épiscopat.*

L'élection « sacramentelle » des dépositaires de la charge épiscopale se fait par Dieu et par l'Eglise.

a) Le sacrement de l'épiscopat est *un acte de Dieu* par lequel quelqu'un est mis par Dieu au service de son peuple.

Le caractère « sacramentel » de l'épiscopat se justifie radicalement parce que l'homme qui en est revêtu voit « modifier » son être et sa position par rapport à Dieu, au Christ, et par rapport aux hommes. De simple croyant (fidelis), « répondant » à la prévenance divine et « groupé » en Dieu par le Christ et dans l'Eglise, l'ordonné devient en outre et à la fois: la voix de Dieu, qui vicarialement guide, *et* la main de Dieu, qui sacramentellement change les cœurs; le centre « personnel »

en qui se re-groupent les hommes pour être membres du Corps du Christ et de la Famille de Dieu. (C'est toujours Dieu qui, socialement et sacramentellement, réunit en Lui les hommes, en se donnant ces centres « prévenants » de regroupement que sont les évêques).

b) Le sacrement de l'épiscopat est aussi *un acte ecclésial* qui « transmet » une charge (par succession) et intègre, de droit divin, dans le collège épiscopal. On ne reçoit pas la consécration épiscopale à la manière d'une « possession individuelle », on entre dans un « corps ».

3. *Eglises particulières et Eglise universelle.*

A) *L'Evêque, fondement et centre de l'Eglise locale.*

L'Eglise une et unique du Christ est réalisée dans des Eglises particulières. L'Eglise locale a été première (Paul parle de l'Eglise de Philippes, de Laodicée, etc., puis de l'Eglise qui séjourne à...). Les Eglises locales sont authentiquement l'Eglise. Elles ont surgi autour d'un évêque auquel on a dit: voilà votre peuple. C'est autour d'un évêque que le Christ unifie chaque Eglise particulière (dont chacune est détentrice de tous les moyens de salut).

L'Eglise épiscopale dépasse donc le plan de la simple administration. Elle a une consistance divine.

En tant que successeur des Apôtres — parce que membre du collège épiscopal qui succède au collège apostolique — l'évêque représente et incarne localement le collège apostolique et la Tradition du Christ confiée solidairement « à Pierre et à ceux qui sont avec lui », afin que cette Tradition, quoique unique, ne soit pas abstraite, désincarnée, mais réponde aux problèmes et aux besoins de chaque peuple et région (St Cyprien).

B) *Intégration des Eglises particulières dans l'Eglise universelle.*

L'Eglise universelle n'est pas une association d'Eglises particulières, ni une Eglise universelle adéquatement distincte et séparée des Eglises particulières, *mais* une Eglise proprement *une* dans l'intégration authentique (sans annihilation d'aucune sorte de ses composantes) de toutes les Eglises épiscopales. L'unité de l'Eglise universelle résulte de ce que le même et unique Christ unifie, à la fois, chacune des Eglises locales et les « surunifie ». Cette « surunification » s'accomplit par la médiation du Pontife romain. C'est précisément parce que l'Eglise universelle est composée d'une multiplicité d'Eglises épiscopales que son *unité visible* d'Eglise une et universelle doit trouver son principe unifiant suprême dans le Siège épiscopal de celui qui est l'unificateur du corps épiscopal.

C) *Les évêques et le Pape.*

a) *L'exercice du Pastorat.* Il appartient: au niveau de l'Eglise universelle, « personnellement » au chef du corps épiscopal, « collégialement » au corps épiscopal tout entier (Concile Œcuménique et exercice ordinaire); au niveau de l'Eglise particulière, « personnellement » à l'évêque de cette Eglise (dont la charge d'âme atteint chaque fidèle personnellement), « personnellement » aussi au Chef du corps épiscopal (mais qui est responsable avant tout de la mise en place des grandes conditions du développement de la foi).

b) *Articulation et interdépendance des pouvoirs.*

C'est au nom de l'Eglise universelle et en tant que membre du collège épis-

copal qu'un évêque se voit confier l'administration d'un diocèse. C'est le sacrement de l'épiscopat qui donne à l'évêque ses pouvoirs, mais c'est le Pape, en tant que tête du collège épiscopal, qui attribue à l'évêque la portion de l'Eglise sur laquelle s'exercera sa mission pastorale.

Le Pape a un pouvoir immédiat — dit épiscopal — sur toutes les Eglises, mais il n'est pas personnellement l'évêque de tous les fidèles des diocèses au même sens que les évêques de ces diocèses. Toutefois, « le pouvoir du Souverain Pontife non seulement ne contredit pas, mais assure, fortifie et défend le pouvoir de l'épiscopat » (Mgr Zinelli à Vatican I).

Si les évêques ne peuvent exercer leur mission qu'en communion avec le Souverain Pontife et sous sa dépendance, celui-ci ne peut exercer sa lourde charge de Pasteur suprême de l'Eglise universelle qu'avec la coopération du corps épiscopal dont il est la tête. C'est en vertu de sa fonction de « tête » qu'il a personnellement la charge et le souci de l'expansion universelle de l'Eglise et du maintien de l'Institution chrétienne.

Chapitre III: *Les coopérateurs du collège épiscopal.*

Le collège épiscopal se démultiplie en se donnant des coopérateurs sans lesquels il ne pourrait assurer concrètement sa tâche.

L'évêque possède le sacerdoce dans sa source. Il en communique une participation aux presbytres et aux diacres qu'il s'associe.

1. *Le sacerdoce du second rang.*

Par l'ordination les presbytres sont rattachés au collège épiscopal lui-même: « sint providi cooperatores Ordinis nostri » (Préface de l'Ordination). C'est pourquoi, même s'ils sont dispersés pour accomplir leur ministère, ils doivent l'exercer à l'intérieur d'un pastorat collectif qui se réfère au collège épiscopal.

a) Le corps presbytéral diocésain.

Le presbyterium. A l'intérieur de l'Eglise épiscopale particulière, l'évêque groupe autour de lui et unifie en lui un « corps presbytéral » de coopérateurs. Les presbytres, étant appelés à coopérer à la mission de l'évêque qui est de rassembler les fidèles en une « communauté », doivent accomplir leur ministère dans une perspective communautaire. Ce ministère reste d'une manière permanente en dépendance ontologique et administrative de l'épiscopat. Il serait donc erroné d'établir un parallèlisme entre le « collège des presbytres » et le « collège des évêques ». Un synode diocésain n'a rien d'un concile. Si les prêtres d'un diocèse n'ont pas seulement pour mission de célébrer l'Eucharistie, mais ont, collégialement et avec l'évêque, la responsabilité de l'ensemble du diocèse, ce n'est cependant pas au même titre que l'évêque, dont ils ne sont que des coopérateurs.

La paroisse. L'Eglise particulière, que l'évêque unifie en sa personne, se réalise concrètement par sa « spécification » en paroisses dont la gérance est confiée par l'évêque à tels de ses coopérateurs (curati). Les paroisses ne sont pas des Eglises mais les modalités qu'une Eglise épiscopale prend pour épouser les divers contours (géographiques ou sociologiques) de son peuple. La ramification en paroisses est donc d'un tout autre ordre que la « distinction » de l'Eglise universelle en Eglises particulières.

b) Les coopérateurs presbytéraux inter ou supra-diocésains. Les chefs des Eglises épiscopales et le Chef de l'Eglise universelle se donnent des « coopérateurs épiscopaux » au plan des activités inter ou supradiocésaines au service de l'unique Eglise universelle.

c) Le diaconat. Les diacres reçoivent par l'ordination une extension sacramentelle du sacerdoce. La mission traditionnelle des diacres est d'être des ministres secondaires de la vie sacramentelle et de la Parole de Dieu et d'organiser les liens de charité dans l'Eglise, soit par des fonctions d'administration, soit par le service des pauvres.

2. *La mission des religieux dans l'Eglise.*

Les religieux sont des coopérateurs du collège épiscopal selon la « spécialité » de leur Ordre. Ils viennent mettre à la disposition des évêques des divers diocèses les ressources pastorales qui leur sont propres.

Leur collaboration à la pastorale diocésaine peut s'exprimer ainsi: Travailler ni en dehors du clergé diocésain et de l'évêque, ni à la place du clergé diocésain et de l'évêque, mais avec le clergé diocésain et sous le pastorat de l'évêque, en apportant les services propres de leur Ordre.

3. *La place et la fonction des « théologiens ».*

Le rôle des théologiens, pris comme tels, est différent de celui des pasteurs dont la mission est d'interpeller, d'animer, de sanctifier et de grouper les fidèles. Les « théologiens » (dont la tâche ne doit pas être confondue indûment avec celle des pasteurs-prédicateurs) exercent seulement dans l'Eglise une fonction de « réfléchissants ». Cette fonction est très utile et importante pour manifester l'intelligibilité de la vie de l'Eglise et pour aider la maturation de toutes les autres fonctions ecclésiales. Cependant c'est une fonction seconde, parce que nécessairement située « hors » de *l'acte* pastoral, comme tout acte de « réflexion ».

(Il faut écarter avec fermeté l'illusion dangereuse et stérilisante qui transforme les pasteurs proprement dits en simples « présentateurs » de vérités dont la détection serait laissée au soin des théologiens. Ce serait la mort de la fonction pastorale).

Chapitre IV: *Le peuple fidèle.*

1. *Les membres de l'Eglise.*

a) Les liens qui « situent » dans l'Eglise. La relation à Dieu s'établit par le Christ: par l'union effective au Christ ou par le « désir du Christ » (votum Christi). La relation au Christ se réalise nécessairement par l'Eglise ou au moins par le « désir de l'Eglise » (votum Ecclesiae). La relation à l'Eglise se réalise par les sacrements ou au moins par leur « désir » (votum Eucharistiae). Tout sacrement, même celui des schismatiques ou hérétiques, appartient à l'Eglise (« Non sunt sacramenta eorum ». St Augustin).

b) On appartient toujours à la fois au corps et à l'âme de l'Eglise. L'Eglise est à la fois spirituelle et institutionnelle. On n'appartient pas à l'âme de l'Eglise sans être rattaché, au moins dans une certaine mesure, à son corps. (Celui qui entre dans l'institution ecclésiastique, s'insère ipso facto dans le Corps mystique du

Christ. Et celui qui se rattache au Corps mystique du Christ participe toujours, dans une certaine mesure, à la vie de l'Institution).

c) Diverses formes d'appartenance à l'Eglise. On est simplement « membre » de l'Eglise, lorsqu'on a été rattaché à elle par des liens sacramentels définitifs (baptême). Ce sont des liens qu'on peut, certes, renier mais non détruire. On est « membre vivant » de l'Eglise, lorsqu'on vit de la vie de Dieu et qu'on grandit dans la Foi, l'Espérance et la Charité. On est donc d'autant plus pleinement membre de l'Eglise qu'on vit davantage sous l'influence de Jésus-Christ. Et lorsque l'influence de Jésus-Christ atteint un homme c'est, désormais, toujours avec la participation de l'Eglise, bien qu'invisiblement.

2. *Le service des laïcs.*

C'est leur insertion dans l'Eglise qui crée pour les membres du peuple de Dieu leurs tâches et devoirs spécifiques.

Ces devoirs peuvent être envisagés du point de vue de leur objet ou du point de vue de leur fondement.

A) *L'objet du service des laïcs.*

Le service de Dieu: le sacerdoce des fidèles (*1 Petr.* 2, 5, 9: ... devenir « un peuple saint », « un sacerdoce royal », pour « offrir des sacrifices spirituels » et « pour annoncer les louanges de Celui qui vous a appelés »...); le service des autres: la charité fraternelle, signe distinctif des chrétiens (*Jn* 13, 35). Les formes de cette charité: *1 Jn* 3, 11. 15-18; 4, 7-21; *Mt.* 5, 39-48. La charité fraternelle doit inspirer toutes les autres activités du chrétien.

B) *A quel titre servent-ils?*

Au titre de baptisés et confirmés. Par les sacrements d'initiation, les chrétiens sont engagés ipso facto dans l'œuvre apostolique de l'Eglise. Le chrétien n'est pas seulement un individu, il est membre responsable d'un corps.

Au titre d'associés par la hiérarchie à sa mission pastorale. Il y a donc un double enracinement du service apostolique des laïcs.

Chapitre V: *L'eglise au service du monde.*

1. *Appel à la plénitude adressé par l'Eglise.*

a) Aux chrétiens non catholiques: pour qu'ils complètent les biens chrétiens qu'ils possèdent en partie.

b) Aux non chrétiens: pour qu'ils reçoivent le Christ en qui est toute plénitude, et à partir duquel ils auront tous les biens chrétiens que totalise l'Eglise concrètement.

Tel est le but de l'effort missionnaire de l'Eglise: « pour qu'ils aient la vie et qu'ils l'aient en abondance » (*Jn* 10, 10).

2. *Assainissement des hommes blessés par le péché.*

a) Assainissement de l'homme comme tel. Pour arracher l'homme à l'égoïsme, à la sensualité, à la mesquinerie et à l'étroitesse des amours humains, l'Eglise

apporte l'aide et l'influence des vertus chrétiennes, en vue de rétablir ou redresser le sain fonctionnement de l'être humain.

b) Au secours de l'homme menacé par son milieu. Par son équipement doctrinal et moral, l'Eglise veut protéger l'homme contre toutes les entreprises de dépersonnalisation. Elle s'efforce de sauver l'humain dans l'homme, pour le sensibiliser ensuite à la véritable grandeur à laquelle Dieu le destine.

3. *Au service des institutions temporelles.*

A) *Apport positif de l'Eglise.*

L'Eglise a un double rôle: *a*) fonction doctrinale. Elle doit signaler les erreurs qui affectent soit les fins temporelles poursuivies, soit les moyens employés à les poursuivre. *b*) Fonction éducative. Le chrétien, possédant les ressources de la grâce et bénéficiant de la lumière projetée par l'Eglise sur les fins temporelles, sera un meilleur serviteur des fins temporelles du monde. Il aura conscience, plus qu'un autre, de l'importance et de l'urgence d'assumer des responsabilités temporelles.

B) *Respect de la valeur propre des fins temporelles.*

Cette intervention doctrinale ou éducative de l'Eglise doit s'accomplir dans le respect le plus absolu de la valeur propre des fins temporelles et de la souveraineté des autorités ou agents chargés de procurer ces fins.

L'Eglise ne doit pas chercher à « dominer » le monde temporel: elle n'est pas de ce monde. La cité temporelle, *dans son ordre,* est souveraine (cf. Léon XIII, Pie XI).

Elle a le devoir de respecter les idéaux concrets et contingents autour desquels se forment les communautés humaines: ce sont ces particularités qui confèrent aux diverses patries leur visage propre.

4. *L'Eglise des pauvres.*

L'Eglise reconnaît qu'elle a un champ d'action où elle se sent vraiment à l'aise et où les meilleures organisations de secours apparaîtront toujours insuffisantes.

C'est le plan où sa sympathie et son amour fraternel veulent apporter remède à tous les modes d'esclavage et venir en aide à toutes les misères (indigence, maladie, mépris) et à toutes les formes de blessures que causent les événements ou les hommes.

Imitant le Sauveur, elle doit être particulièrement accueillante et prévenante envers ceux qui cherchent un regard de compréhension ou de miséricorde, et elle aura le courage de soutenir ceux qui sont en quête de justice, de liberté et de paix.

Conclusion générale: *Sous la lumière et l'action de l'Esprit Saint.*

« Credo in Spiritum Sanctum... sanctam Ecclesiam catholicam ». Lorsque l'Eglise poursuit sa tâche, non seulement elle est au service de tous, mais elle est constamment ramenée à sa juste place de simple serviteur, parce qu'elle sait qu'elle agit comme instrument de l'Esprit Saint qui l'inspire et la guide.

De même que l'Eglise a pris son point de départ à la Pentecôte, elle reste, tout au long de son histoire, guidée par l'Esprit Saint; la discrétion de l'Esprit Saint donne à l'Eglise une vocation d'humilité.

C'est l'Esprit Saint qui donne à l'Eglise d'être comme une mère, attentive à servir tous les hommes et tous les biens au milieu desquels elle est placée.

C'est par l'Esprit du Christ que Dieu « assiste » la hiérarchie (cf. *Act.* 15, 28: « Il a paru bon à l'Esprit Saint et à nous-mêmes »). C'est en Lui et par Lui que Dieu « anime » et « unifie » son Eglise.

Tout « l'appareil » de l'Eglise et toutes les personnes qu'elle groupe, sont ainsi, à des titres divers, dans la « mouvance » et sous l'emprise de l'Esprit du Christ, qui témoigne avec notre esprit que nous sommes chacun fils adoptif de Dieu et tous ensemble le peuple des fils de Dieu.

Quand Dieu jugera atteint le terme fixé par Lui pour la mission terrestre de l'Eglise, il la dépossédera de sa fonction en tant qu'elle était l'Instrument de l'*Amour* prévenant et efficace de Dieu *et* de la réponse fidèle et soumise du peuple des fils adoptifs. Alors Dieu sera tout en tous, le rassemblement des hommes en Dieu étant désormais la Fin assurée et éternellement stabilisée de son Dessein de Salut.

Post scriptum. - *But poursuivi dans cette esquisse.*

1. Devant le désarroi des hommes actuels en présence de l'Eglise, et à cause de leur affligeante incompréhension de cet organisme ecclésial du Salut, le Concile devrait rédiger des textes capables de faire apparaître la magnifique « intelligibilité » de l'Eglise et de tout ce qui la compose. C'est pourquoi, au lieu de se limiter à une analyse « statique » de l'Eglise, de sa structure, de son équipement spirituel et institutionnel, il semble préférable d'en faire une présentation « génétique », montrant « le pourquoi » de sa fondation, de sa nécessaire unité et visibilité, de son organisation hiérarchique.

2. Nous ne pensons pas que le Concile ait à rédiger un « traité complet » de l'Eglise. Il doit exposer et préciser son enseignement concernant quelques points: Le mystère de l'Eglise (nature et mission de l'Eglise) - L'épiscopat (dans sa relation au collège apostolique et au Souverain Pontife) - Les coopérateurs du collège épiscopal (les prêtres dans leur relation à l'évêque) - Les laïcs - Les principes essentiels concernant « l'Eglise au service du monde ».

Il faudrait éviter tout développement concernant les problèmes qui seront traités dans des documents spéciaux, comme l'œcuménisme, les religieux, etc.

3. Il serait à la fois pastoral et œcuménique de prendre comme fil conducteur à travers tout le schéma le thème du « service ». Le Sauveur a donné l'exemple du « service ». Il a voulu l'Eglise « au service des hommes ». Il ne s'agit aucunement de minimiser la place et l'importance de l'autorité dans l'Eglise, il s'agit seulement de la situer dans son contexte évangélique pour mieux en faire ressortir le sens véritable et la vraie grandeur. De là l'importance accordée à la perspective du « Pastorat ». Dans le même but, il est nécessaire de rappeler que le *Christ demeure activement,* après son Ascension, le *recruteur* actif de son peuple et le *lien* qui réunit en Lui le peuple des fils adoptifs de Dieu. Sinon la relation entre l'Eglise et Celui qui l'a instituée, à un moment du passé, apparaîtrait trop « extrinsèque ».

4. Les thèmes sommairement indiqués dans les pages précédentes, devraient être précisés et développés en un langage assez biblique et concret, pour pouvoir être plus accessibles aux chrétiens non catholiques et aux autres hommes qui cherchent.

15

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

In *cap. I,* quod autem *placet iuxta modum,* ideoque proposuerim: *a*) titulus primigenius relinqueretur, scil.: De Ecclesiae natura.

Bene enim memor sum Patrem Congar proposuisse in commissione theologica praeparatoria additionem verbi: « militantis », quam vero permulti Patres expungere e schemate voluerunt, ex discussione in Concilio habita constat.

b) Figurae « Corporis mystici » nimis insistere non oporteret, sed aliae quoque figurae Ecclesiae paululum evolvi deberent, praesertim « populi Dei » et « sponsae Christi ».

Sub imagine « populi Dei » posset magis extolli idea caritatis, qua Christus nos facit omnes coram Deo aequales in Ecclesia. Ex ea quoque faciliter erui posset, quod et laici pertinent ad Ecclesiam. Praeterea figura populi Dei valde apta est, ut contraponatur « populus Dei » populo in sensu marxistico intellecto simulque ut exinde ob oculos ponatur libertas ac dignitas populi Dei in oppositione ad oppressionem atque degradationem personae humanae quae in populo marxismo imbuto contingit.

Sub figura Sponsae Christi Ecclesia posset describi magis sub aspectu eschatologico quo clarius mysterium Ecclesiae innotescat, quod vero multi Patres in Concilio postulaverunt.

Cap. II placet, quia brevitate, sapientia matura doctrinaque sobria vere excellit. Idem quoque dicendum est de *cap. III.*

Ut autem postulatis Patrum in Concilio factis satisfiat, proposuerim mutationem tituli *cap. II,* et in eodem capite ut titulus art. VIII praeponeretur toti capiti, scil.: « De necessitate Ecclesiae ad salutem ». Exinde necessario esse duco, ut sub luce huius novi tituli totum caput paulisper reformetur.

Caput IV.

I. Ad n. 13, pag. 22. *a*) Desideratur, ut aliquod verbum fiat etiam de episcopis auxiliaribus, quia hoc efflagitatum est a permultis quoque Patribus in Concilio. *b*) Textus S. Scripturae qui referuntur simpliciter videntur applicari non posse ad episcopos sub respectu exegetico, ideoque proposuerim ut omitterentur.

II. Ad n. 14 (*Primatus et episcopatus*).

A) Hic ut soluta proponitur quaestio, scilicet unde episcopus habeat suam iurisdictionem mediante nempe Pontifice Romano vel immediate a Christo.

Sed quaeritur an ut soluta proponi possit a Concilio. Certo certius permulti Patres, forsitan maior eorum pars, doctrinam expositam non agnoscent.

De cetero doctrinae expositae obstant haud parvae difficultates originem ducentes tum ex praxi longaeva Ecclesiae primitivae tum e quibusdam dictis Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum.

Quod attinet vero *ad praxim Ecclesiae primitivae* hoc notatu dignum est, scil. in ea praxi per plura saecula de doctrina exposita omnimodum silentium ha-

betur: episcopi nempe independenter ab ullo interventu S. Sedis singulis ecclesiis praeponuntur.

Inter *testimonia Patristica quaedam* reportare liceat.

Primum testimonium patristicum successionis ministerii et muneris apostolici in successores apostolorum invenitur in I epistola ad Corinthios in qua Clemens Romanus regulam tradit eiusmodi successionis futurae atque nullo modo mentionem facit de parte Petri eiusque successorum in hac regula: « *Apostoli* quoque nostri per Dominum N. I. Christum cognoverunt *futurum* esse de nomine *episcopatus* contentionem. Eam igitur ob causam, perfectam praecognitionem adepti, praedictos constituerunt, ac deinceps *ordinationem* dederunt ut, cum illi decessissent, *ministerium eorum alii viri probati exciperent* » (Ep. I *ad Cor.* 44, Funk, Patres Apostolici, I). Ex textu enim consequi videtur omnes apostolos immediate, non mediante Petro, haereditatem sibi a Christo commissam successoribus suis transmisisse atque hunc modum succedendi esse quid permanens in Ecclesia: « *ordinationem* dederunt ». Iuxta autem doctrinam in constitutione expositam ille modus permanens ab apostolis stabilitus, abrogatus esset vel saltem in illo inclusum quoque esset, quod apostoli mediante Petro haereditatem suam apostolicam successoribus transmisissent vel quod post mortem apostolorum eorumque successorum transmitteretur munus ministeriumque apostolicum in episcopos mediante Romano Pontifice, quae vero doctrina ex mea humili opinione non tam facile reperiri posse videtur ex textu reportato.

S. Ignatius Antiochenus scribit episcopum *unice* a Deo (quia excludit mediatores humanos) « obtinuisse ministerium regendi coetum »: « Hunc *episcopum* cognovi, non a *seipso* neque per *homines* neque ob inanem gloriam sed caritate *Patris et Domini Iesu Christi obtinuisse ministerium regendi coetum* » (*Ad Philadelphenses,* PG 698 A-B).

S. Irenaeus affirmat *omnes* apostolos et *non tantum Petrum* tradidisse suas ecclesias suis successoribus: « Qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos... quibus etiam ipsas Ecclesias committebant..., quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes » (*Adv. Haereses,* III, PL 7, 848 A); « Episcopi, quibus apostoli tradiderunt ecclesias » (*ib.,* 1177 A).

Iuxta autem Annales *scriptoris ecclesiastici Eutychii* patriarchae Alexandrini *patriarcha alexandrinus originem ducit* a *Marco Evangelista,* at *episcopi* alexandrini a *patriarcha alexandrino* Alexandro, qui vetuit ne deinceps patriarcham *presbyteri* (sic!) crearent et « decrevit » ut mortuo patriarcha convenirent episcopi qui patriarcham ordinarent (cf. PG 982 A-B). Nullum ergo verbum de principe apostolorum vel de S. Sede fit.

B) Profecto sunt haud parva testimonia et quidem sat clara pro doctrina exposita e. g. ex operibus S. Leonis I papae desumpta.

Quod vero attinet ad Leonem Magnum ausim notare eum quoque suo modo agendi commodare posse videtur argumentum sententiae oppositae. Anatolius enim, mortuo Flaviano, ad infulas constantinopolitanas evectus, Leonem Magnum certiorem tantum facit de modo suae electionis atque consecrationis (cf. *ep.* 53, PL 54, 853, B - 855 A). Leo papa *unice* neoelecto episcopo obiectat, quod nondum ei professionem fidei suae transmisit, qua seipsum a contagio erroris Eutychiani alienum ostenderet (cf. *ep.* 69, PL 54, 890 B et *ep.* 70, *ib.* 893 B). Dices forsitan ecclesiam constantinopolitanam « per legitimam consuetudinem » a S. Sede

numquam revocatam obtinuisse, ut simul atque ei episcopus consecratus fuerit, iurisdictione episcopali potiretur.

Ad quod vero respondendum esse videtur: legitima consuetudo supponit iurisdictionem illam iam fuisse a S. Sede concessam. Sed haud scio an historico quodam documento concessio illius iurisdictionis probari non possit.

Quibus prae oculis habitis proposuerim, ut quaestio relinqueretur in statu quo antea fuerat.

C) Ad pag. 23, linn. 15-35. Ibi sat pulchre loquitur de iurisdictione pontificia et episcopali, sed de relatione seu potius de modo conciliandi utramque potestatem textus omnino silet.

Textus enim loquitur quod episcopus deponi, transferri, restitui in suum officium a Pontifice potest, sed nullo modo indicat sub aspectu dogmatico casus quando id fieri potest.

Textus quidem extollit, quod Pontifex iurisdictionem episcopi ampliare vel restringere potest, sed nullatenus dicit quando id facere nequit.

Textus profecto ob oculos ponit iurisdictionem Pontificis esse immediatam et episcopalem in omnes ecclesias, immo etiam in omnes episcopos, sed omnino tacet quomodo se conciliari potest ac debet eiusmodi potestas Pontificia cum potestate immediata et episcopali episcopi.

Sane textus extollit, quod Pontifex abolere nequit potestatem episcopalem et quod auctoritate Pontificia iura episcoporum nullatenus minuuntur, sed si limites inter utramque non ponuntur auctoritatem, potestas episcopi ad nihilum, saltem primo intuitu, reduci videtur.

At limites ponendi sunt: *a*) quia episcopi sunt apostolorum successores, at inter apostolos et S. Petrum limes quidam certe exstabat; *b*) quia exstant verba quaedam Patrum e. g. S. Ignatii Antiocheni, S. Cypriani et S. Gregorii Magni, qui ut limites quidam describantur necessario expostulant.

Dicit enim S. Ignatius: « *Separatim* ab *episcopo nemo* quidquam faciat eorum quae ad ecclesiam spectant. *Valida* eucharistia habeatur illa, quae sub episcopo peragitur, vel sub eo cui *ipse* concesserit. *Non licet* sine *episcopo* neque baptizare neque agapen celebrare, sed *quodcumque* ille *probaverit, hoc* est et *Deo beneplacitum,* ut *firmum* et *validum* sit *omne quod peragitur* » (*ep. ad Smyrnaeos,* Rouet de Journel, *Enchiridium Patristicum,* 65).

S. Cyprianus extollit: « Unde scire debes *episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo* » (*ep.* 69, PL 4, 406 A-B).

S. Gregorius Magnus papa sincere confitetur: « Si unus universalis (episcopus) est, restat ut episcopi non sitis » (*ep.* 68, PL 77, 1005 A). « Si *sua unicuique episcopo iurisdictio* non *servatur,* quid aliud agitur nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus ordo *custodiri* debuit, *confundatur* » (*ib.* 1150 A ». « Absit hoc a me, ut statuta maiorum consacerdotibus suis in qualibet ecclesia infringam, quia mihi iniuriam facio, si fratrum meorum *iura* perturbo » (*ib.* 589 A).

Ideo humiliter propono, ut de relatione theorica (quia in hac parte agitur de re dogmatica) inter iura primatialia et iura episcopalia verbum quoddam inveniatur in constitutione, cui vero sat delicatae quaestioni elementa solutionis dari possint, si ob oculos ponantur: *a*) modus se habendi apostolorum erga S. Petrum et Petri erga apostolos; *b*) modus se gerendi episcoporum in ecclesia primitiva erga Pontificem Romanum et Pontificis Romani erga episcopos; *c*) decla-

ratio collectiva episcopatus germanici post Concilium Vaticanum I facta et a Pio IX approbata.

Ad *cap. V*: de statibus evangelicae acquirendae perfectionis. Quo magis episcopi, sacerdotes, reliqui fideles ad vitam sanctiorem exhortentur, humiliter proposuerim, ut in art. 19, pag. 13 s. extolleretur *omnes in statu perfectionis acquirendae inveniri qui in consiliis evangelicis etiam, privatim, se exercent.*

Rationes sunt sequentes:

a) Ut multis votis religiosis alligatis ob oculos ponatur scil. emissionem votorum in facie Ecclesiae parum ad sanctitatem conducere, si spiritus votorum non observatur. Quandoque pro dolor contingit, ut quidam votis non ligatus spiritum et reapse litteram consiliorum evangelicorum exercet, dum contra quidam in statu perfectionis ab Ecclesia iuridice constitutus nec litteram nec spiritum observat.

Cogitemus paulisper plures parochos nostros et multos episcopos, qui in permultis regionibus orbis terrarum ad duram quasi miseriam sunt condemnati et non inveniuntur in statu perfectionis acquirendae, quia vota paupertatis non emiserunt in facie Ecclesiae... In hoc campo ne consideremus rem sub aspectu iuridico — etiam eiusmodi oblivioni non est dandus — sed sub aspectu realistico et essentiali, scilicet is in statu perfectionis invenitur, qui reapse nititur, ut eam acquirat.

b) Ut in nostris institutis, et praecise in novitiatibus magis insistatur spiritui votorum.

c) Quae vero doctrina ex parte Ecclesiae sollemniter inculcata, multis magno animo praeditis, sacerdotibus et laicis, occasio erit, ut privationes suas oeconomicas; privationes affectus (e. g. multae puellae quae ob diversas rationes nubi nequeunt) facilius sustentent, quia bene scirent se via perfectionis proficisci posse, si libenti animo atque ex amore Christi eas susciperent. Sub aspectu psychologico, si aliquibus difficultatibus laboro, multum iuvat memoria tenere, quod non solum Christus Dominus verum etiam sponsa eius magni pendet labores ac dolores meos, si eos christiane tolero. Tali modo magnum periculum omnis laboris apostolici, utpote est derelictio ab hominibus, aliquantulum extenuari potest.

d) Eiusmodi doctrina esset maximi momenti praesertim pro sacerdotibus saecularibus qui, etsi vota non habeant, tamen secundum S. Thomam ad maiorem perfectionem adstringuntur tendendi vi ordinationis sacerdotalis, quam religiosi vi votorum.

e) In specie proponere audeo, ut Concilium, vestigia sequens a Pio XII demonstrata (cf. *Discours au 2e Congrès général des états de perfection,* du 9 décembre 1957 in *A.A.S.,* 1958, pagg. 34-43) declaret illos omnes sacerdotes et fideles in statu perfectionis inveniri, qui saltem privatim, individualiter et secrete obligantur, per vota, sequendi consilia evangelica paupertatis, castitatis et oboedientiae et qui a personis ab Ecclesia approbatis in hac via ducuntur.

Certus sum permultos, et forsan paulatim fere omnes, sacerdotes saeculares huiusmodi vota facturos esse, quod maximam utilitatem ipsis afferret et unionem inter clerum saecularem et regularem foveret: nam tali modo uterque clerus ad eundem statum perfectionis pertineret.

In cap. VII: *De Ecclesiae magisterio.*

Ad art. 30, pag. 47 s. Profecto doctrina in hoc articulo exposita undequaque orthodoxa esse videtur, sed de positione episcopi, de qua iam in Concilio Vati-

cano I aliquid statuendum desiderabatur, coram actibus Primatialibus Summi Pontificis et de positione episcopi coram actibus Curiae Romanae omnino siletur. Quo ex articulo profluere videtur, quod positio episcopi coram Pontifice Supremo eiusque Curia reducatur ad positionem cuiuscumque fidelis.

Nunc autem, coram Domino de hac gravi quaestione cogitans, et prae oculis habens votum quod tradideram commissioni theologicae praeparatoriae de modo sese gerendi Concilii Calcedonensis erga decretum dogmaticum s. papae Leonis I et alia quaedam facta historica, audeo aperire meam mentem. Quae dico per modum purae opinionis habenda sunt.

Prae oculis ergo habens: *a*) doctrinam quod episcopi sunt successores apostolorum; *b*) modum se habendi conciliorum ecclesiae primitivae erga decisiones S. Sedis, non tantum disciplinares verum etiam doctrinales; *c*) modum se gerendi Pontificum Ecclesiae primitivae erga episcopos, tum singillatim per orbem terrarum dispersos, tum collective in conciliis congregatos; *d*) examen quoddam peractum ab episcopis non tantum in conciliis, verum etiam extra concilia epistolarum dogmaticarum Summorum Pontificum; *e*) necessitatem ab ipsis Pontificibus assertam eas epistolas examinandi; *f*) exhortationem Romanorum Pontificum, non semel decursu saeculorum ad fratres separatos directas, ut in modo se habendi conciliorum et Patrum orientalium erga Petri Sedem exemplum praeclarum sese gerendi inveniant erga Petri successorem, sicuti videri potest in Encyclica f. r. Summi Pontificis de S. Leone Magno.

Positionem episcopi coram actibus S. Pontificis eiusque Curiae hisce verbis perstringere audeo, uti dixi, per modum opinionis: Episcopi tum collective sumpti in conciliis tum singillatim per orbem terrarum dispersi sunt veri iudices et authentici magistri in quaestionibus fidei et morum, *etiam tunc,* cum a supremo iudice et infallibili magistro, cui semper subditi manent, decisiones de quaestionibus fidei et morum emanantur ideoque *possunt* eas iudicare, scil. examinare et rationes decisionum petere, ad breve tempus assensum suspendere, quousque scil. eorum dubiis, intra limites tamen illius brevis temporis, satis non fiat — sed *dissentire episcopi* definitionibus Romani Pontificis non possunt, quia huiusmodi definitiones « ex sese irreformabiles » sunt et semper erunt.

Consectaria practica huiusmodi doctrinae.

1. Unitas in Ecclesia nullum detrimentum pateretur, immo ex ea magis ex die in diem augeretur, quia Pontifex ad lumen episcoporum frequentius recurreret, ut iudicium suum « plenius » semper fieret. (*N. B.*: Leo I papa iudicium conciliare etiam postquam emanavit epistolam dogmaticam, Tomum scil. ad Flavianum, quo damnaverat errorem Eutychianum suo « plenius » iudicio aliquatenus tenebat; cf. *ep.* 33, PL 54, 799 B). At episcopi praecepta eius promptius ad verum inter gregem perducerent, quia in decisionibus illis consilia quoque sua facilius perspicerent (quae doctrina esset maximi momenti pro unione cum Ecclesia orthodoxa).

2. Tali modo melius verificaretur unio episcoporum cum capite eorum visibili, episcopo nempe Romano, quae unio ante omnem aliam unionem est in hoc concilio facienda.

3. Practice haec unio forsitan posset obtineri per aliquam stabilem institutionem Consilii episcoporum, quod periodice locum haberet atque consilio supremo fungeretur Summo Pontifici, magistro summo et infallibili.

Ad pag. 60, lin. 35, scil.: « non autem suae potestatis fines superare » humi-

liter propono, ut aliquo exemplo illustretur quando praelatus aliique qui auctoritatem ecclesiasticam obtinent fines suae potestatis superant.

Ad pag. 61, linn. 20 s., loco: « Subditi et ipsi, pro scientia in rebus et auctoritate qua pollent, facultatem habent, immo aliquando et officium suam sententiam declarandi in iis quae ad Ecclesiae vel suae communitatis locum pertinent » expungatur: tum « *et auctoritate qua pollent* » tum « *immo aliquando* ».

Ratio est: ne discriminatio inter subditos statuatur (quae vero discriminatio iam sufficienter statuta est inciso « pro sua scientia »), cum bonum communitatis Ecclesiaeque sit omnium bonum. Itaque subditi magis ad cooperandum cum superioribus invitarentur at praelati in gubernatione Ecclesiae, quod non semper decursu saeculorum proh dolor evenit, cum suis consiliariis non isolarentur a realitate vitae ac circumstantiarum temporis.

Ad pag. 61, lin. 29, post verbum: « imitantur », proposuerim ut adderetur: « Praelati minime se male ob id habeant, immo gratos sese ostendant subditis itaque suo modo agendi patefaciant, aura sinceritatis se circumfundere velint » vel similiter.

Ratio est: in ambitu ecclesiastico non semper spiritu sinceritatis laborari videtur, quia subditus timet ne praelatus summa rerum cognitione ac ratione maneat offensus...

Ad pag. 61, quod attinet ad publicam denuntiationem, linn. 35 s., velim ut prae oculis habeatur doctrina tum Gregorii Magni tum S. Thomae.

Dicit enim S. Gregorius: « Utilius scandalum nasci permittitur quam veritas relinquatur » (*In Ezech. hom.* 7, PL 77, 324).

S. Thomas in hunc sensum scribit: « Sciendum tamen est quod ubi immineret *periculum fidei,* etiam a subditis publice essent praelati arguendi. Unde Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem, Petrum publice arguit, sicut glossa Augustini dicit: " Ipse Petrus exemplum maioribus praebuit, ut sicubi forte rectum tramitem reliquissent, non dedignentur etiam a posterioribus corripi " » (II-II, q. 33, a. 4, ad 2). Ulterius memoria teneatur in Medio Aevo denuntiatio publica frequenter in usu fuisse.

Ideoque, etsi theologi quidam moderni valde immoderati sunt cum publice denuntiant defectus Ecclesiae, tamen proposuerim ut in hac re largi essemus ne videremur nimis solliciti fuisse in nostra auctoritate defendenda.

Ad cap. IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.* Sat multum improvisum atque inopinatum hoc caput animum meum invenit, si prae oculis habeo munus principale Concilii esse ut pastorale fiat. Praecipuum autem pastoris est ut actualis sit. Iam vero hodie in multis regionibus existit Status in philosophia marxista fundatus in quo plusquam quinta pars catholicorum vivit et vivere debet, at Concilium hoc factum maximi momenti pro existentia Ecclesiae et pro vita aeterna suorum filiorum simpliciter ignorat. Romam nos contulimus ut nostris dubiis lumen in Concilio peteremus et proh dolor constatare debemus quod unica fere cura et sollicitudine maior pars concilii affecta est alicuius speciei oecumenismo. Profecto etiam haec quaestio non contemnenda sed haec quaestio nequit haberi principalis Ecclesiae quaestio. De cetero theoria marxista de statu non est tantum dolorosa realitas pro quibusdam ecclesiis particularibus, sed periculum fere imminens et inimicus Ecclesiae praecipuus ubique terrarum.

Qua re prae oculis habita, proposuerim: *a*) ut totum caput ex integro reficeretur; *b*) ut in expositione de relationibus inter Ecclesiam et Statum prae oculis

teneretur existentia status marxistae, qui sat multas quaestiones quotidie ponit in vita tum episcopis tum sacerdotibus tum vero fidelibus, quaestiones nempe quae conscientiam respiciunt; *c*) ut commissio quaedam specialis durante Concilio et eo absoluto inter Patres formaretur qui problematibus ex praesentia status marxistae exsurgentibus, operam darent et praecisas directivas se gerendi nobis transmitterent. In hanc commissionem post concilium invitari possint etiam fratres separati itaque viribus unitis principale malum et oecumenismi et christianismi oppugnare. Forsitan commissio quaedam in sinu S. Officii erigi possit « commissio de atheismo »; *d*) ut concilium in hoc capite sollemniter extolleret personam humanam esse sacram, itaque omnibus exploratum fieret amplius dari non posse locum ullius speciei colonialismo: nec oeconomico, nec politico nec nazifascistico nec marxistico quidem.

Si malum Ecclesiae principale timemus eique mederi in ovili nostro parum curamus, liceat mihi verba S. Cypriani, qui certe in circumstantiis melioribus non versabatur, nostris repetere: « Si ita res est... ut nequissimorum timeatur audacia et quod mali iure atque aequitate non possunt, temeritate ac desperatione perficiant, *actum est* de *episcopatus vigore* et *de ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate, nec christiani ultra durare aut esse possumus,* si ad hoc ventum est ut perditorum minas atque insidias *pertimescamus*... Non tamen idcirco cedendum est quia minantur... *Manere apud nos debet,* frater charissime, *fidei robur immobile et stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus atque impetus* oblatrantium fluctuum velut petrae obiacentis *fortitudine* et *mole* debet *obsistere* » (*ep.* 59, Hartel, pag. 667).

Ad cap. X: optime expositum et cohaerentia christiana conscriptum.

Ad cap. XI: *De oecumenismo,* liceat sequentia adnotare.

a) Humiliter exoptaverim ut in pag. 82, art. 52, lin. 14 « benevolenti animo », clare indicaretur modus quo benevolentia illa monstraretur, e. g. instituto permanenti secretariatu pro unione, inculcando fidelibus orationes pro fratribus separatis, praescribendo rectoribus seminariorum, ut in spiritu oecumenico alumnos suos instituerent, exhortando parochos, ut octavam pro unione in paroeciis introducerent et similiter.

b) Ad pag. 83, lin. 5, et praecise: « prudenter moderentur », humiliter rogo, ut indicetur modo saltem generali quid significet « prudenter » moderari, ne postea conscientia morderi debeamus in colloquiis oecumenicis nos imprudenter egisse. Ex mea humili sententia huiusmodi prudentia prae oculis teneri debet ne fideles nostri scandalizentur, ne periti nostri in fide sua debilitentur (ideoque ad hoc munus efficaciter obeundum non omnes theologi sunt vocati, sed viri et virtute praediti et scientia praeclari), ne ipsi quoque fratribus separatis, nostra facili commixtione in rebus religiosis indicio simus, quod veritas Christi completa ubique inveniatur. Si nos clare non indicemus etiam in oecumenismo promovendo ubi est veritas, noster oecumenismus potius confusionismus, sit venia verbo, debet vocari. Profecto et nostrae culpae in hoc labore *historicae* non sunt occultandae, immo aperte confitendae, quia confessio proprii peccati cor sinceri adversarii semper attrahit atque eum promptiorem ad nostra argumenta audienda facit, sed amica veritas manere semper oportet.

16

Exc.mus P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

I. Le Mystère doit être présent au décret, développant l'aspect eschatologique de l'Eglise et un concept analogue de son appartenance.

II. Le Concile doit à la vérité et à la justice de reconnaître dans la liberté de conscience un droit naturel. L'Eglise a encore des motifs surnaturels d'affirmer la liberté de conscience, puisque son divin Fondateur a refusé de s'imposer au monde par un messianisme temporel.

III. La collégialité de l'épiscopat peut seule surmonter l'opposition apparente entre les droits des évêques et les pouvoirs du Pape. Seule sa reconnaissance apaisera les craintes de nos frères orthodoxes, seule sa pratique leur ouvrira concrètement notre porte. Cette collégialité est enfin le seul régime de l'épiscopat adapté à la complexité croissante du monde moderne, tant pour la pastorale que pour l'évangélisation. Aussi demandons-nous que les chapitres 3 et 4 du premier schéma soient remplacés par le texte suivant, qui pourrait former toute une section ou une sous-section du décret.

De hierarchia episcopali.

Cap. I: De episcopali collegio.

1. Episcopale collegium collegio duodecim apostolorum succedit. Universos episcopos comprehendit, inter quos medius stat romanus episcopus cui necessarie cohaerent: Christus etenim Dominus disposuit nullam in Ecclesia auctoritatem exercendam, nisi in unione cum Petri successore.

2. Diaconatum et presbyteratum superans, episcopatus iure divino altissimus gradus est in sacramento Ordinis, per quod apostolica hierarchia « in aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 12) perpetuatur. Episcopalis consecratio sacramentum est quod apostolorum de tribus officiis sacerdotii, magisterii et pastoralis regiminis potestates et gratias tradit. Et ergo episcopatus plenitudo est sacerdotii, et auctoritatem a Christo directe et immediate accipit.

3. Episcopale collegium suprema in universa Ecclesia auctoritas instituitur. Episcopi « sollicitudinem omnium ecclesiarum » (*2 Cor.* 11, 28) communiter gerunt, id est quod ipsorum Ordo sive collegium et supremam in universam Ecclesiam potestatem habet, et ad fidem Ecclesiae definiendam infallibilitate pollet.

4. Oecumenica Concilia collegium episcoporum manifestius declarant et eorum unitatem fovent.

Cap. II: De Romani Pontificis primatu.

5. Quanquam Romanus Pontifex ceteris episcopis aequalis est in paris sacramenti susceptione et in pari Ordinis potestate, super eos tamen primatum habet non honoris tantum, sed auctoritatis iurisdictionisque, ad Ecclesiae unitatem promovendam.

6. Namque beatus Petrus a Christo Domino seu iure divino constitutus est universae Ecclesiae moderator, et Romanus Pontifex eodem iure divino beato Petro in eodem primatu succedit (cf. Const. *Pastor Aeternus,* cap. 2).

7. Romanus Pontifex, qui et Supremus quapropter dicitur, habet supremam, plenam, et immediatam iurisdictionis potestatem in universam Ecclesiam, in omnes ac singulas peculiares ecclesias, in omnes ac singulos pastores et fideles (cf. *ibid.* cap. 3). Ipse Oecumenica Concilia convocat, ordinat, confirmat.

8. « Romanus Pontifex, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » (cf. *ibid.* cap. 4); ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones irreformabiles sunt, nec alicuius aut coetus aut personae consensu indigent vel sanctione. Summus autem Pontifex vi privatae revelationis nullam ita docet veritatem. Quod definit, hoc videt, hoc quaesivit et invenit, assistente Spiritu Sancto, in Ecclesiae sensu et episcopatus doctrina.

Cap. III: *De Ecclesiae senatu.*

9. Senatus Ecclesiae seu Sacrum Collegium dicitur coetus ex praecipuis constans episcopis, patriarchis scilicet et cardinalibus, cui praeficitur Romanus Pontifex.

10. Iure praecedentiae in senatu Ecclesiae prae ceteris gaudent venerabiliores Orientalium patriarchae, sequenti ordine: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus. Ceteri vero patriarchae cardinalesve, iuxta ordinem eorum electionis. Senatui praeerit, si abest Romanus Pontifex, quem ipse designaverit.

11. Senatus Ecclesiae privatum consilium est Summi Pontificis in universa Ecclesia regenda. Quem Pontificem cum de omnium orbis regionum statu et sententia certum facit, omnium episcoporum sollicitudinem et collaborationem in unius et catholicae Ecclesiae bono promovendo manifestat. Quapropter Summus Pontifex, saltem quinto quoque anno, senatum Ecclesiae convocat in consistorium plenarium in quem omnes senatus Patres conveniunt ad vitam Ecclesiae per totum et per partes inspiciendam. Quod consistorium plenarium Summus Pontifex regulat et sancit.

12. Defuncto Summo Pontifice, senatus Ecclesiae ei dat successorem secundum legitima statuta.

Cap. IV: *De regionalibus episcopatus institutionibus.*

13. Episcopus extra suam peculiarem ecclesiam intervenit ut membrum institutionum hierarchiae, ut sunt varia concilia vel cetera « coordinationis organa ».

14. Ius agnoscit iurisdictionem conservatam aut acquisitam a quibusdam episcopis ultra eorum peculiares ecclesias. Qui episcopi sive metropolitae sunt, sive patriarchae et autocephales archiepiscopi.

15. Congregatio peculiarium ecclesiarum apud Orientales fit in patriarchatu, hoc est in communitate peculiarium traditionum a peculiari iure recta. Nec patriarcha se supponit pro residentialibus episcopis, nec pro Summo Pontifice, sed cum auctoritate, metropolitis adiuvantibus, cohaerentiam patriarchalis communitatis providet. Nihil enim aliud est patriarchatus, nisi determinatae regionis episcopatus, unificatus in persona praesidentis aut in synodo episcoporum, et omnibus

facultatibus ab apostolis obventis sine canonica obice pollens. Autonomia vero est ecclesiastica, salvo primatu Romani Pontificis.

16. Secundum canones Conciliorum, orientales patriarchatus ita primum locum post Romanam Sedem in Ecclesia tenent, ut eorum actualis ordo sit sequens: Constantinopolis, Alexandria, Antiochia, Hierosolymae.

17. Pastoralium necessitatum causa, Ecclesia potest novos patriarchatus aut novas regionales autonomias creare, eis peculiare ius tribuens quod nec episcoporum residentialium praerogativis obstet nec Summi Pontificis.

18. Propriae traditiones antiquorum patriarchatuum non impediunt quominus, novis rerum conditionibus attentis, sibi formam novam dent; immo eaedem traditiones vocant in primis ad unitatem iurisdictionis in Orientalium territoriis reducendam.

Cap. V: De episcopis residentialibus.

19. Ad evangelizationem et ecclesiasticam vitam provehendas cuilibet episcopo residentiali circumscriptum est territorium suum, et solus est qui iurisdictionem ordinariam necnon propriam in suam peculiarem ecclesiam permanenter exerceat.

20. Cum episcopus iure divino caput sit ecclesiae suae peculiaris, in ea debet praecedere omnibus, nisi suis propriis superioribus in hierarchia, scilicet suo metropolitae, suo patriarchae (aut archiepiscopo, aut primati), et Summo Pontifici vel eius legato a latere.

21. Quaedam facultates, intuitu unitatis in Ecclesia, ablatae sunt ab episcopis residentialibus et reservatae Summo Pontifici, aut patriarchae. Sed bonum universalis Ecclesiae cum non possit fundari super imminutionem peculiarium ecclesiarum, haec prudens potestatis limitatio in immodicam disciplinam non licet devenire.

17

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Agnitis optimis meritis schematis *de Ecclesia,* aliquas animadversiones imprimis in genere facimus, deinde in specie.

Animadversiones in genere.

1. Schema *de Ecclesia* est valde iuridicum, multum interest ut non sit nec tam iuridicum neque omnino dogmaticum, debet enim esse maxime pastorale.

2. Habet paragrapha nimis longa. Auferantur vocabula scholastica.

3. Aegrotat de nominato « triumphalismo ». Ecclesia catholica, de facto, non tantum est Ecclesia sanctorum sed etiam Ecclesia peccatorum et non adeo quia aliqua membra in peccatis versantur sed quia omnes peccatores sumus, ut Sacra Scriptura ait, Liturgia repetit et historia experientiaque cotidiana testantur. Non modo pauci christiani a Concilio peterent ut quandam publicam confessionem humiliter coram faciem terrae faciat, quod pergratum Deo esset et multum ad aedificationem hominum conferret, hierarchiam catholicam fateri nomine proprio populique catholici, non a culpa procul abesse in malis mundi, praesertim in christianorum schismate. Et hoc quidem salva sanctitate Ecclesiae, quia si Ecclesia coram

universo mundo se ut sanctam agnoscit, etiam ut poenitens apparere debet propterea quod nulla est sanctitas in hoc mundo quae non sit signata sigillo poenitentiae.

4. Simili modo non absonum foret aliqua dicere de Ecclesia pauperum, qui prae aliis Christi dilecti sunt. Oportet etiam de sobrietate et simplicitate in tota vita Ecclesiae loqui.

5. Habeat quoque Concilium erga fratres extra catholicam Ecclesiam errantes, erga iudaeos et infideles verba salutationis et plena verae caritatis.

6. Schema laborat spiritu misericordiae quo oratio instaurationis Concilii Ioannis XXIII innotescit.

7. Paternitatem spiritualem in exercitio auctoritatis inculcet.

8. Quaedam problemata modo aliquanto negativo agitantur. Nimis tractatur de prohibitis, et vitio indigentiae urbanitatis, praesertim erga fratres non catholicos laborat. Non adest ratio ut si qua porta clausa sit iterum claudatur, quod fortasse signum securitatis in doctrina non esset.

Animadversiones in specie secundum diversa capita.

Caput I.

Pag. 9, lin. 14. Vox « redemptores » aliquatenus extranea et non consona traditioni videtur. Substituatur voce « cooperatores ».

Pag. 9, linn. 19-23. Disputatur inter theologos de tripartitione vel bipartitione munerum Christi. Vitetur haec terminologia et loquatur simpliciter de missione Christi a praepositis participata.

Pag. 9, lin. 22. Vox « gubernare » locum det expressioni magis traditionali « pascere » Ecclesiam Dei. Idem dicatur de expressione « in apostolicitate gubernii » (pag. 10, lin. 6); mutetur in expressionem « in apostolicitate ministerii » (« ministerium apostolicum »).

Pag. 9, linn. 23-31. Melius esset loqui tantummodo de transmissione muneris salvifici Christi ad Ecclesiam, relinquendo tota haec quaestio ad caput de episcopis.

Pag. 10, lin. 12. Verbum « edicere » ambiguum est. Transeat si significat « convocare ». Sed hic, ex parallelismo cum actione Moysi (pag. 10, lin. 10) et ex ipsius verbi significatione ad calcem istius numeri (pag. 10, lin. 24) « nuncupare » significare videtur. Nunc vero, non constat utrum fuit appellatio a Christo posita an primaeva communitas Novum Israël nomine « ecclesiae » nominavit.

Pag. 10, linn. 11-15. Tota haec alinea alludit ad fundationem Ecclesiae a Christo. Primum quaeri potest num necessarium omnino sit repetere hanc doctrinam sufficienter dilucidatam tam in Magisterio ordinario (cf. *Iusiurandum Antimodernisticum,* Denz. 2145) quam in extraordinario (Conc. Vat. I, Denz. 1821).

Deinde, si talis doctrina denuo sanciri debet, innitatur in ipso conceptu Messiae qui secum necessario ferebat ideam Novi Populi: electi circum Electum. Nam magni momenti est munus messianicum Novi Populi Dei sublineare: mysterium Ecclesiae participat mysterium naturae Christi theandricae.

Denique notandum etiam est momentum ipsorum Duodecim intra voluntatem Christi Ecclesiam fundandi, tanquam vices gerentium populi duodecim tribuum et simul tanquam nucleum Novi Populi, unde notetur continuitas Vetus inter et Novum Foedus. Fundatio Ecclesiae supra apostolos, non solum supra Petrum, ut

reducitur in schemate (pag. 10, linn. 15-17) est datum Scripturae iam notatum in Vat. I et in Iureiurando antimodern. (*loc. cit.* supra) et in hoc puncto regredi non debet.

Pag. 10, lin. 22, « Regnum » non simpliciter de Ecclesia « praedicatur » sicut et reliquae imagines. Distinguendum enim est « Regnum Dei », ideale elevatum, possessio Patris ab eius in terris realizatione, Ecclesia, quae multas mixtiones, inquinamenta, peccata sustinet.

Pag. 10, linn. 25 ss. Abhinc totum cap. I reducitur ad analysim unius imaginis: Corporis Christi.

Notandum autem est quod ad naturam Ecclesiae penitus explicandam, reliquae figurae quae in fontibus habentur etiam evolvendae sunt. Praesertim illa populi Dei quae valde scripturistica est, quae ideam continuitatis cum populo Veteris Foederis servat, quae periculum nimiae fusionis membrorum cum Christo (periculum iam in Enc. *Mystici Corporis* damnatum) vitat, quae in explicatione peccati in Ecclesia valde adiuvat, quae fundamentum eorum quae sequuntur circa populum christianum esse debet.

Pag. 10, lin. 36. « eo ipso... cernitur ». Haec forma argumentandi nullatenus admitti potest. In toto n. 5 fiunt nimiae deductiones logicae cuiusdam imaginis qua Paulus utitur tanquam analogia et non univoce. Deest in hac parte genuinus sensus biblicus huius imaginis corporis. Non adhibet hic Paulus sensus ordinarius imaginis corporis, secundum quem potest appellari corpus omnis societas humana membris composita. Et proinde non recte deducitur ad ideam visibilitatis.

Pro Paulo Ecclesia Corpus Christi est quia mysteriose (mystice) sed realiter et intime identificatur cum corpore glorioso Christi in caelis triumphante, mediante eius corpore eucharistico.

Haec identificatio non est plena sed inchoata. Ideo non agitur de corpore iam facto sed « in fieri ». Ecclesia est Corpus quod crescit dum, incarnata in hac historia humana, adimplet vocationem et missionem quae ipsam historiam humanam transcendit: instaurare omnia in Christo.

Pag. 10, lin. 37. Ecclesia non est stricte « oculis » cognoscenda, sed melius « experientiae obvia », quia sensu strictissimo et proprio Ecclesia « visibilis » non est. Terminologia quae invenitur in manualibus valde ambigua est. De cetero, haec proprietas Ecclesiae iam sufficienter innotescit in Magisterio Ecclesiae. (Schema repetit phrasim Encyclicae *Mystici Corporis,* n. 14, quae vicissim est citatio Leonis XIII, *Satis cognitum, A.S.S.* 28, 710).

Pag. 11, linn. 5-10. Hoc paragraphum valde obscurum et indeterminatum apparet. Nullatenus admitti debet talis separatio inter connexiones externas-iuridicas et connexiones internas-spirituales. Potius apparere debet quomodo communio membrorum in Christi amore etiam in aspectibus externis et socialibus manifestatur.

Pag. 11, lin. 14. Nomen « anima » Spiritui Sancto applicatum non placet. Non invenitur in Scriptura et praeterea habet periculum suggerendi unitatem substantialem sicut illa naturalis quae datur inter animam et corpus hominis (cf. pag. 11, linn. 14-15: « in capite et in membris inhabitans, eius est Anima »; si inhabitat in membris ut Anima, dici deberet « Anima hominis iusti »!).

Sufficeret loqui de inhabitatione Spiritus in homine et in Ecclesia tanquam in templo suo. Praeterea Spiritus appareat velut Christi instrumentum in opere sanctificationis quia, secundum Pauli doctrinam, Spiritus est Spiritus Christi.

Pag. 11, linn. 24 ss. His verbis non solvitur problema de peccato in Ecclesia sancta. Sanctitas essentialis, de qua schema, est tantum sanctitas eschatologica ab Ecclesia hisce in terris tantum imperfecte participata, quia peregrinamur a Domino. Sanctitas, sicut et reliquae Ecclesiae proprietates, realizanda est, est quaedam vocatio divina quae fieri debet. Hinc, peccata membrorum vere afficiunt sanctitatem Ecclesiae.

Nunc locum dari deberet spiritui evangelicae simplicitatis et humilitatis, agnoscendo errores reales in historia Ecclesiae commissos, monstrando simul quomodo omnibus opus sit instare in exigentiam sanctitatis ut Regnum Dei citius adveniat. Etiam in hac parte schema videtur loqui de Ecclesia nimis « essentialistico » modo, obliviscendo dimensionem historicam, structuram temporalem Ecclesiae.

Pag. 12, linn. 22-23. Introducenda est idea aedificationis Ecclesiae super fundamenta apostolorum ac successorum eorum, et non tantum super petrinum fundamentum.

Pag. 12, lin. 24. Tollatur adiectivum « romana », ne videatur definiri romanitas qua talis ut proprietas institutionis divinae.

Caput II.

Titulus esse debet ordine inverso, magis logico. Praeterea non apparet ratio tractandi sub eodem titulo seu in eodem capite utramque quaestionem, inter se non tali unitate connexam.

Cum loquitur de necessitate Ecclesiae ad salutem, priusquam agatur de aspectu salutis individualistico, incipi debet loquendo de eius necessitate ad salutem totius generis humani qua talis, seu de Ecclesia unico fonte salutis pro genere adamitico — aspectus collectivus salutis.

Pag. 15, linn. 5-9. Ne videatur solvi quaestio sat intricata et discussa in theologia de salute parvulorum sine baptismo decedentium, statuatur simpliciter parallelismus inter necessitatem baptismi et Ecclesiae, sine ulterioribus determinationibus.

Cum loquitur de voto baptismi et Ecclesiae, indicari deberetur quomodo ipsum desiderium homini internum et subiectivum mutat realiter — quamvis inchoative et imperfecte — ipsam situationem obiectivam hominis relate ad gratiam (et gratia semper est gratia Ecclesiae!). Ne secus videatur simplex subiectiva mutatio substituere necessitatem obiectivam ordinationis ad Ecclesiam.

In quaestione de membris, Concilium vitare debet solvere controversiam actualem theologicam de appellatione membri in Ecclesia.

Omnes theologi concordes sunt circa situationem realem seu obiectivam diversarum categoriarum hominum relate ad Ecclesiam. Sed disputatur quoad nomen « membrum ».

Sunt qui teneant qualitatem membri esse indivisibilem neque gradus admittere.

Alii vero non admittunt talem positionem quia nimis « aprioristica » (stabilitur simpliciter a priori quid requiratur ut notio membri alicui personae applicari possit) quia nimis iuridica (applicat ad litteram realitatibus supernaturalibus quaedam comparatio cum corpore humano). Hi theologi, sistentes in efficacitate baptismi qui hominem inserit in Christum et in Ecclesiam, defendunt conceptum membri esse analogum, rationem membri non esse in indivisibili et ideo distinctionem a schemate factam inter membrum « vero et proprio sensu » et membrum

« voto » non esse exhaustivam. Diversae sunt habitudines hominum ad Ecclesiam quae diversos casus statuunt. Omnes isti pertinent ad Ecclesiam « vero sensu » (contra pag. 15, linn. 18, 20-21) quamvis non « pleno et perfecto sensu ». Scil. sunt membra Ecclesiae « vero et proprio sensu » sed secundum analogiam attributionis intrinsecam, secundum maiorem vel minorem sed intrinsecam pertinentiam ad unicam Christi Ecclesiam.

Consequenter: describantur positive diversi gradus pertinentiae realis ad Ecclesiam, considerando situationes concretas, et successive loquatur: *a*) de illis qui sine ulla restrictione ad Ecclesiam pertinent (catholici). Sed haec plenitudo pertinentiae non sufficit ad salutem, nisi quis plenam communionem cum Christo habeat in Spiritu Sancto et gratia; *b*) de illis qui sub diversis respectibus pertinent et separantur ab Ecclesia (fratres separati). Ut simul nobiscum quaerant realizationem voluntatis Christi de uno grege sub uno pastore et ita detur integratio illorum valorum positivorum quos possident in plenitudine gratiarum et mediorum salutis quibus Dominus Ecclesiam suam insignivit et quibus in Catholica frui possunt; *c*) de illis qui nondum christiano nomine gloriantur sed qui sunt membra in potentia, ut ait S. Thomas. Etenim post redemptionem Christi, situatio religiosa generis adamitici essentialiter mutata est. Ecclesia habet ut propriam missionem totum genus humanum vocare in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Capita III et IV.

Capp. III et IV non deberent esse separati, sed uniti sub titulo *de hierarchia populi Dei.*

Initium sumere deberet a munere sacerdotali Christi quod, cum sit unicum, participatur in collegio apostolorum. Ageretur successive de vocatione Duodecim quos instituit ut collegium, quia apostoli non ut individui vocantur sed ut membra collegii; de eius unitate in Petro firmata; de missione ad omnes gentes; de participatione missionis et potestatis Christi ut fierent fundamentum Ecclesiae. Quae cum sit perennis, ergo apostoli transmittunt sua munera certis successoribus qui Ecclesiam iam fundatam pascunt et regunt.

Et ita collegium episcoporum succedit collegio apostolorum in eorum missione, propriam auctoritatem exercens sub capite visibili, totius episcopatus vinculo visibili unitatis. Hic et non in fine totius tractationis agi deberet de collegio episcopali.

Postea veniret locus tractandi de natura sacramentali episcopatus. Consecratio episcopalis est culmen sacramenti ordinis et confert plenitudinem sacerdotii, et proinde auctoritas episcopalis, tam doctrinalis quam pastoralis, intime unitur cum eius potestate sanctificandi in ipsa consecratione recepta. Et hic tradatur doctrina schematis pag. 20, linn. 6-15.

Pag. 20, linn. 15-19. Haec tollantur e textu, quia hodie multi sunt theologi asserentes, sub luce solidorum argumentorum historicorum, Ecclesiam posse ponere conditiones valoris etiam validae administrationi sacramentorum.

Postea agatur de muneribus episcoporum in genere: hierarchia ut ministerium servitii pro populo Dei. Notari debet potestatem hierarchicam in Ecclesia aliquid transitorium esse quod tantum ad stadium viae pertinet. Dum populus Dei in via est, crescit et pervenit ad virum perfectum mediante hierarchiae sacro ministerio. Omnis potestas in Ecclesia confertur non pro se ipsa, sed ad aliquam missionem: est servitium amoris erga Ecclesiam. Ideo hierarchia ministrat populo

Dei panem evangelici sermonis, transmittit gratiam per sacramenta, pascit eum ut gregem a Christo commissum.

Nunc veniret tractatio de singulis muneribus episcoporum. Quae tractatio ut sit organica et completa includere deberet totam quaestionem de munere doctrinali et de auctoritate quae hodie ad cap. VII et VIII (cf. quae ibi dicuntur).

De munere pascendi quaedam sunt dicenda quae non placent in schemate.

Pag. 23, linn. 1-7. Hic solvitur quaestio inter theologos disputata, non dogmatica et aliunde sat obscura, scil. quod ordinatio confert iurisdictionem sed omne exercitium talis iurisdictionis invalidum esse potest. Quod difficulter intelligitur.

Pag. 23, linn. 7 ss. Et hic videtur solvi alia quaestio etiam legitime disputata utrum potestas episcopalis episcopi residentialis derivetur a potestate Romani Pontificis an talis potestas participetur immediate a potestate collegii — sub capite constituti! — supposita designatione personae a Romano Pontifice sancita.

Pag. 24, linn. 2-10. Iurisdictio episcoporum in totam Ecclesiam explicite negatur quod inde ab initio capitis innuebatur (pag. 22, linn. 6-7), restringendo potestatem episcopalem ad territorium dioecesanum, quod est aliquid mere ecclesiastici iuris. Consequenter regimen collegiale totius Ecclesiae negatur et reducitur ad aliquam sollicitudinem sat vagam pro tota Ecclesia (pag. 24, linn. 7-8).

Hoc est falsum quia totum collegium sub capite, licet dispersum, exercet sua munera in totam Ecclesiam. Ius divinum singulorum episcoporum fundatur in iure divino collegii episcopalis qua talis. Singuli enim episcopi participant potestatem ipsius collegii (haec potestas, ut patet, non potest considerari abstractione facta a potestate capitis ipsius collegii), et habent suam potestatem formaliter ut membrum collegii.

Hoc collegium regit totam Ecclesiam ante omnem divisionem territorialem. Caput et membra habent idem territorium, scil. totam Ecclesiam, sed respective, caput qua caput, membra qua membra Collegii; et hoc est iuris divini, dum divisio territorialis est iuris ecclesiastici. Hoc secum fert quod iure divino, ideoque semper, non tantum intra Concilium Oecumenicum, sed etiam extra Concilium, collegium episcoporum sub capite suprema pollet in universam Ecclesiam potestate.

Et cum dicitur Romanum Pontificem habere supremam potestatem in Ecclesia, subintelligitur de Summo Pontifice formaliter qua tali, i. e. qua capite collegii nunquam seorsim ab ipso collegio episcoporum, ita ut in capite sit semper iam praesens totum collegium.

Consequenter, singuli episcopi sunt primo et per se membra collegii regentis totam Ecclesiam, secundario pastores alicuius loci particularis. Ideo omnis episcopus, etiam titularis, differt a simplici sacerdote ratione potestatis in ordinatione acceptae. Nam vi solius ordinationis, ordinatus fit membrum collegii episcopalis et ideo participat ut membrum in potestate collegiali.

Pag. 24, linn. 28-32 (et cf. pag. 31, n. 17) collegialitas regiminis Ecclesiae identificatur cum Concilio Oecumenico quod facit ut character collegialis ordinis episcoporum extra Concilium evacuetur. Hoc est falsum quia practice negatur ius divinum regiminis et magisterii episcopalis collegialis. Collegium vero episcoporum est verum subiectum supremae potestatis in Ecclesia, et hoc etiam antecedenter ad omne Concilium Oecumenicum quod, qua tale, non pertinet ad structuram essentialem Ecclesiae.

Ergo absurdum est dicere subiectum verum et vera potestate instructum, potestatem suam non posse exercere nisi « modo extraordinario » (pag. 24, lin. 30).

Subiectum tale non potest cogitari nisi cum exercitio ordinario propriae potestatis, ideoque nullatenus requiritur nescio quae permissio Romani Pontificis ut collegium episcoporum exerceat actus proprios suae potestatis. Summus Pontifex non potest impedire actus proprios huius collegii quod est iuris divini. Sed hoc non opponitur veritati fidei secundum quam collegium semper et ubique suas functiones exercet cum capite et sub capite, praecise quia non est tale collegium nisi quatenus cum capite et sub capite coalescit.

Postquam factum fuerit de singulis muneribus episcoporum, agatur deinde de presbyteris, de diaconis et de ceteris ministris.

Indicetur presbyteros in illa plenitudine sacerdotii et sacramenti ordinis quae datur in episcopis imperfecte participare. Ut consequentia huius principii doceatur presbyteros unum corpus unanime circum episcopum efformare debere, quia singulo episcopo in singulis dioecesibus sunt signum efficax unitatis. Ideo quaerant semper inter se simul et cum episcopo, cuius sunt corona et senatus, illam collaborationem in caritate quae erit causa unionis totius populi christiani.

Pag. 20, linn. 29-30. Affirmatio haec de presbyteris minus recta videtur, quia sunt cooperatores collegii episcopalis. Locutio schematis refertur ad incardinationem (in presbyteris dioecesanis, cooperatoribus « episcopi competentis ») et ad exemptionem (in religiosis, cooperatoribus Summi Pontificis). Sed incardinatio et exemptio sunt realitates iuridicae, non theologicae.

Caput V.

Circa locationem huius capitis. Postquam in primis cap. locutum est de natura Ecclesiae et de membris in genere, agendum erit de variis classibus membrorum, sc. de hierarchia (de qua capp. III-IV) et de laicis (cap. VI). Tantum postea agi deberet de hac exigentia vitae perfectioris quae afficere potest tum ministros tum laicos; et ita appareret statum evangelicae perfectionis non constituere tertiam classem christianorum sed omnes talem statum profiteri posse.

Simul notetur oportet talem vitam perfectiorem etiam extra communitates possibilem esse (cf. pag. 33, linn. 2-5, 26-33, ubi hoc ne quidem insinuatur).

Caput VI.

In genere valde placet, tamen cap. V antecedere debet, propter rationes supra allatas.

Insuper brevis introductio oporteret de populo Dei laicis constituto.

Pag. 37, linn. 9-10. Sed sacerdotium universale fidelium non est tantum metaphora!

Pag. 37, linn. 25-35. De nomine « laici ». Hic contradistinguuntur laici ab illis qui ad « statum religiosum » vocantur. Sed relate ad cap. V datur ambiguitas in terminologia conciliari quae vitari debet. Supra (pag. 33, linn. 34-36) adhibetur alia acceptio laici, et etiam loquitur de « statu perfectionis », non de « statu religioso », expressione minus exacta.

Caput VII.

De magisterio opportunius loqueretur in cap. de episcopatu, cum agitur de diversis muneribus collegii episcopalis.

Pag. 47, linn. 6-11. Hoc si exclusive dicitur, ut primo intuitu videtur, non

est verum, quia subiectum traditionis non identificatur simpliciter cum magisterio. Infauste praescinditur hic et in reliquo capite a munere non solum passivo sed etiam activo totius Ecclesiae credentis in tradendo deposito fidei, utique nunquam sine magisterio ecclesiastico. Ita, quod asseritur pag. 46, linn. 32-33 est incompletum quia non tantum accipiunt fideles a magisterio, sed etiam datur influxus positivus fidei totius populi Dei in magisterium. Hic influxus non est auctoritativus ut patet, sed nihilominus est valde realis, ut monstratur in decursu historiae Ecclesiae. Hic est sensus charismatum, donorum nempe Spiritus quibusdam fidelibus in bonum Ecclesiae, quod bonum est imprimis bonum fidei.

Pag. 47, linn. 13-17 (et cf. etiam pag. 48, linn. 22-25). Ne videatur Concilium hic solvere quaestionem in schola libere disputatam, de distinctione vel non distinctione inter fidem divinam-catholicam et fidem ecclesiasticam.

Pag. 47, lin. 37 - pag. 50, lin. 2. Quaedam dicenda sunt in genere de ordine quo n. 30 procedit. Optime dicitur in introductione huius numeri: « quamvis a pluribus personis vel organis exerceatur, semper unum et indivisibile est ». Sumat ergo exordium a subiecto uno huius magisterii collegialis, nempe a collegio episcoporum sub capite Romano Pontifice. Deinde agat de magisterio Romani Pontificis qui semper docet qua caput huius collegii. Postea et non in fine, de magisterio singuli episcopi qua membri collegii in propria dioecesi. Tandem loquatur de magisterio singuli episcopi qua singuli in dioecesi. Ita tota materia de subiecto magisterii melius cohaeret.

Pag. 48, linn. 14-20. Quo clarius appareat primatum absolutum Verbi Dei, addatur his expressionibus tam episcopos, ut membra collegii, quam Romanum Pontificem, ut caput ipsius collegii, esse testes qualificatos fidei Ecclesiae, ideoque semper manifestari debere ut servos submissos Verbi Dei.

Pag. 48, linn. 21-22. Addatur in hac parte Romanum Pontificem ut cognoscat divinam veritatem in deposito fidei contentam, in consilium adhibere episcoporum collegium, quod vicissim testificat fidem totius Ecclesiae.

Pag. 48, linn. 26-30. Cum loquitur de magisterio authentico Romani Pontificis (i. e. de se non infallibili) schema loquitur nimis absolute cum exigat « intellectus obsequium » et non tantum voluntatis. Idem exigitur in casu magisterii authentici episcopalis (pag. 49, lin. 41) et in casu Congregationum Romanarum (pag. 50, linn. 16-18). Haec sententia particularis non admittitur ab omnibus theologis. Nam in casu magisterii non infallibilis potest accidere ut proponatur doctrina quae in decursu temporis apparet falsa. Quo in casu exigeretur religiosus assensus intellectus in non-veritatem. Praeterea, etiam pro illis qui admittunt talem assensum intellectualem, deberet distingui in his decisionibus magisterii inter documenta doctrinalia et documenta disciplinaria quae non exigunt assensum intellectualem.

Pag. 49, linn. 34-35. Modificetur ita: « ea etiam citra sollemnem definitionem eo sensu quo docentur tenenda sunt, et si tanquam divinitus revelata... ». Et hoc quia multae veritates olim videbantur a magisterio ordinario doceri et postea apparuerunt ut non « irrevocabiliter verae ».

Pag. 50, lin. 19 - pag. 51, lin. 15. Melius videtur de hoc argumento loqui in schemate de traditione. Hic consensus omnium theologorum habet quidem magnum valorem, sed tantum tanquam manifestatio traditionis Ecclesiae. Praeterea difficillimum est distinguere in casibus concretis quando theologi doceant « constanter et moraliter omnes per plura saecula » doctrinam absque ulla censura (pag. 50,

linn. 35-36) et doctrinam « tali modo connexam cum deposito fidei ut sine temeritate... negari nequeat » (cf. *Comment.* pag. 54, litt. *a* et *b*).

Caput VIII.

Ut totum schema magis organice procedat, materia huius capitis tractari deberet cum agitur de singulis muneribus collegii episcopalis sub eius capite, quia tantum sub hac luce theologica plene intelligitur.

Pag. 60, linn. 22-24. Hoc est omnino verum. Forte in fine aliquid addi potuisset de situatione subditi concreta (non tantum mere possibili sed multoties in historia Ecclesiae verificata; cogita v. g. de processu S. Ioannae ab Arcu) in qua auctoritas etiam concreta iubeat actionem peccaminosam vel quae a subdito ut peccatum habetur conscientia invincibiliter erronea. Tunc subditus teneretur dictamen propriae conscientiae sequi, etiam praeter mandatum superioris.

Caput IX.

Pag. 65, lin. 9. Hoc est verum si tale iudicium Ecclesiae sit iudicium infallibile. Sed non potest talia dici in casu iudicii prudentialis Ecclesiae, vel cum non ipsa Ecclesia sed aliqua auctoritas inferior Ecclesiae iudicat. Idem dicatur de pag. 66, lin. 17.

Pag. 65, lin. 34 - pag. 66, lin. 19. Si schema ipsum fatetur (pag. 64, linn. 4-9, 28-29; pag. 65, lin. 5) potestatem civilem finem non habere nisi ea quae ad felicitatem temporalem pertinent, quomodo componi potest cum hac affirmatione: « eos etiam adiuvare ut bona spiritualia ad vitam humanam religiose peragendam... »? (pag. 65, linn. 39-40).

Si hoc intelligitur eo sensu quod status non debet impedire quominus fideles propriae conscientiae religiosae pareant, hoc verum est. Sed directa prosecutio bonorum spiritualium, post Christi adventum, nonne competit tantummodo Ecclesiae? Praeterea, hoc adiutorium esset possibile in casu civitatis terrenae absolute christianae quae hodie non datur. Nam in societate pluralistica potestas civilis debet tractare omnes cives eodem modo et tunc non erit facile principiis christianis inniti. Schema loquitur de aliqua situatione abstracta quae non datur, quasi totus mundus esset catholicus. Sed si schema debet esse pastorale non debet loqui de aliqua idea abstracta status ut sic, sed de statu sicut hodie prostat. Cogitari enim debet non de situatione intra limites uniuscuiusque tantum nationis, sed de toto ordine mundiali.

Pag. 66, linn. 5-12. Societatem civilem debere Deo servire intra proprium finem, clarum est. Sed quid significat hic cultus socialis praestandus a societate civili qui in schemate contradistinguitur a cultu liturgico? Post institutionem Ecclesiae, tantum est cultus legitimus ille qui ab Ecclesia praestatur.

Pag. 66, linn. 20-33. Schema loquitur nimis absolute de situatione in qua « factum revelationis a civilibus acceptum sit ». Sed haec acceptatio nunquam erit totalis sed tantum maioris partis civium. Tunc illa plena libertas (de qua schema pag. 66, linn. 31-32) nunquam exerceri debet contra iura inalienabilia minoritatis, nempe contra iustam libertatem conscientiae religiosae, nec contra bonum commune societatis suprastatalis vel internationalis, nec contra illud bonum commune superius quod est bonum Ecclesiae universalis quod pati potest in aliquibus nationibus si in aliis libertas religiosa negatur.

Pag. 66, lin. 39 - pag. 67, lin. 3. Affirmatio quae non probatur. Etenim absque

dubio constare deberet hanc doctrinam Ecclesiae ad essentiam metaphysicam rerum referri, ut supponit schema, et non ad aliquam practicam applicationem alicui situationi concretae, certi temporis historici propriae, in quo datur aliqua forma status determinata quae, decursu temporis, mutare poterit (quod multi defendunt).

Caput X.

Pag. 74, linn. 4-5, 7-8, 12. Sed hoc mandatum missionarium non fuit datum solummodo apostolis eorumque successoribus; tota Ecclesia est missionaria, quia omnes christiani ratione baptismi obligantur ad propagationem Evangelii.

Pag. 74, linn. 27-28. Haec verba sonant ac si missionarii exempti essent a legibus civilibus nationum, dum nullibi in hoc capite fit mentio de obligatione missionariorum erga leges et auctoritates etiam non christianas.

Pag. 75, linn. 1-38. Tota haec pagella est sat dura, etiam dicerem offensiva pro nationibus non christianis qui missionarios recipiunt. Optimum esse potest sublineare libertatem Ecclesiae praedicandi Evangelium. Sed modus videtur imprudens et unilateralis.

Unilateralis, quia unice considerat iura Ecclesiae quae videntur definienda contra potestatem saecularem. Sed in conditionibus sic dicti « pluralismi » mundi hodierni, loqui de hac libertate nemo potest quin simul facie ad faciem intueri debeat problema de iuribus libertatis conscientiae religiosae individualis; et proinde problema de libertate ceterarum religionum, et consequenter problema de coexistentia cum confessionibus non-catholicis et religionibus non christianis. Haec sunt problemata acutissima et actualissima in universa Ecclesia pro quibus Sancta Synodus lumen afferre debet.

Praeterea expositio videtur imprudens. Magis loquendum videtur de firmo desiderio Ecclesiae collaborandi in sic dictam « promotionem » illorum populorum per Evangelium, quod tot beneficia affert generi humano; de eius sincero respectu erga patrias traditiones et leges, de gratitudine erga populos qui, more nationum excultarum, libertatem Ecclesiae concedunt.

18

Exc.mus P. D. ANGELUS HIDALGO IBAÑEZ
Episcopus Iacensis

In genere.

a) Optimum fundamentum. Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* optimum fundamentum praebet ad studium et discussionem doctrinae Concilii in hac materia, quae, inter themata diversa doctrinalia, principem locum obtinet.

b) Progressum significat. Schema doctrinam tradit eximiam, recipiens et in unum redigens dicta magisterii ordinarii; quoad alia, insuper, progressum significat notabilem, ratione habita ad praecedentia Concilia: in specie, ad Concilium Tridentinum quoad doctrinam de episcopis, ad Vaticanum I quoad omnia de Ecclesia argumenta.

Quaedam schematis capita memoranda sunt:

1. In cap. I, laudanda doctrina de Ecclesiae natura, qua duplex elementum harmonice exponitur, mysticum simul et sociale.

2. In cap. III et IV, agit de episcopis et de collegio episcopali, apostolo-

rum collegii successore. Complet, igitur, a Concilio Vaticano I traditum de Summo Pontifice, Petri successore.

3. In cap. VI, nunc primum Oecumenicum Concilium loquitur ex professo et cunctanter de laicis ac de eorum responsabilitate et participatione in munere pastorali Ecclesiae.

4. Consuetam de evangelicis consiliis ac de religiosis doctrinam exponit, modo tamen organico et concreto.

5. Alia etiam sunt in schemate doctrinae capita, quae noviter includuntur, scilicet, de auctoritate et oboedientia, de publica opinione, de oecumenismo, de habitudine inter civilem societatem et Ecclesiam etc.

c) *Plura corrigenda.* Plura tamen sunt a fundamento emendanda, alia addenda, alia tollenda, nonnulla accuratius exponenda, novo articulorum ordine in genere et in capitibus singulis.

In genere, duo haec pro schemate universo notabimus:

1. *Valor doctrinalis.* Apprime definiendus valor doctrinalis assertionum quae nunc, prima vice, a magisterio proponuntur.

2. *Canonica a theologicis distinguantur.* Agitur de « constitutione dogmatica ». Inde necessaria est accurata distinctio inter elementa eiusdem theologica (quae, nempe, attingunt constitutiva Ecclesiae immutabilia seu de iure divino) et canonica (quae varia esse possunt iuxta ordinationem Ecclesiae). Quatenus fieri possit, modalitas theologica sustineatur in conceptibus et formulatione, absque conmixtione cum canonicis.

Cap. I: De Ecclesiae militantis natura.

In genere.

1. In n. 1, ad finem, Ecclesiae constitutio describitur tanquam fructus redemptionis. Etiam explicite notandum proponimus mysterium Verbi Incarnati esse supremum exemplar et legem ipsius Ecclesiae structurae, divinae simul et humanae. Hoc modo, Ecclesia visibilis omnibus patebit tanquam signum efficax eiusdem internae realitatis (cf. Enc. *Mystici Corporis,* et n. 6 huius capitis).

2. Clarescat etiam melius et connexio et subordinatio externi elementi socialis elemento interno.

3. Desideratur insuper declaratio magis explicita finalitatis eschatologicae Ecclesiae militantis, vi cuius nullum ex elementis ipsius plene intelligitur, quin cognoscatur praesentem Ecclesiae statum in terris inchoationem esse consummationis in caelis.

In specie.

1. N. 1, linn. 14-15. Verbum « redemptores » bene sonabit auribus fratrum separatorum?

2. N. 2, lin. 23. Ubi dicitur « praeconiis », forsan melius diceretur « magistri », ex parallelismo cum lin. 19.

3. N. 2, pag. 10, lin. 7. Loco « iugiter perdurabit » ponatur « omnibus hominibus patebit », quia perduratio exprimitur verbis « ad finem usque saeculi » (lin. 5), et nova hac formulatione manifestatur Ecclesia ut signum inter nationes.

4. N. 4, linn. 25-27. Loco « ex omnibus tamen figuris... principem locum » ponatur « ... insignem locum », quia forsan aliae figurae exprimunt melius naturam Ecclesiae.

5. N. 5, pag. 11, lin. 6. Supprimatur verbum « iuridicis ».

6. N. 5, pag. 11, lin. 23. Loco « virtute fidei » dicatur simpliciter « fide », ut discussiones vitentur.

7. N. 6. Non clare exprimitur relatio inter hierarchiam et charismata. Paragraphum integram reformetur.

8. N. 7, linn. 23-24. Dicatur simpliciter « Ecclesia catholica », quin addatur « Romana ». Quia de facto Ecclesia catholica est Romana, sed disputatur an sit de iure divino.

Cap. II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.*

1. Relate ad nn. 9-10, opportunum videtur praescindere a *classificatione membrorum,* maxime disputata et theologice immatura. Melius videtur modos diversos insertionis Christo clare exponere, ita ut insertio haec non detur absque vinculo aliquo cum Ecclesia.

Aliunde, clare exprimatur realis insertio omnium baptizatorum, etiam separatorum, in Ecclesia, ita ut unio haec inter Ecclesiam et baptizatos non sit simplex votum aut pura potentia, prout de non christianis praedicatur. Haec insertio crescit in quantum fides plenius habetur et Ecclesiae constitutio recognoscitur.

Serventur dicta in n. 10, linn. 20-29.

2. N. 9, lin. 15. Loco « in ordine iuridico » dicatur « in ordine sociali ».

3. N. 9, lin. 18. Loco « proprio sensu » dicatur « pleno sensu »; in lin. 21 melius etiam « plene membra ».

4. N. 10. Locutio « Spiritus Sanctus... etiam extra venerandum illud corpus agit », nonne est explicanda?

Cap. III: *De episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio.*

Observatio generalis. Caput hoc ex inopinato advenit, sine ulla connexione cum capp. I et II, ubi de natura et necessitate Ecclesiae. Priusquam de episcopatu agatur ut supremo gradu sacramenti Ordinis, exponatur:

1. Potestas data apostolis a Christo (ordinis, iurisdictionis); speciatim potestas sacerdotii christiani, quae aliquo modo secum fert missionem sanctificandi, regendi, docendi.

2. Principium successionis potestatis apostolorum in Ecclesia.

3. Huius potestatis distributio gradatim (episcopi sub Petri successore, presbyteri, ministri).

4. Agatur de Romano Pontifice (prout in Conc. Vaticano I) ante expositionem de episcopis.

5. Doctrina de episcopis melius in ordinem redigatur, acta in unum quae in capp. III et IV.

6. De presbyteris et diaconibus agendum post expositionem de episcopis. Quae de presbyteris in n. 12 dicuntur, pauca sunt omnino et indirecte tradita. De diaconibus nihil dicitur in schemate.

Praecipuae assertiones. Caput hoc asserit:

a) Sacramentalitatem consecrationis episcopalis;

b) Characterem episcopalem, vi cuius episcopus « numquam simplex sacerdos fieri possit »;

c) Inammissibilitatem potestatis confirmandi et ordinandi;

d) Superioritatem episcopi relate ad presbyteros, « sola vi sacramenti suscepti... in hierarchiam ordinis »;

e) Annexionem potestatis magisterii et regiminis consecrationi (de his etiam in cap. IV, n. 14).

His assertionibus, schema longe superat magisterium Conciliorum praecedentium (cf. Conc. Tridentinum sess. 24, cap. 3 et cap. 4, can. 7).

Forsitan Ecclesia possit conditiones invalidantes ponere exercitio potestatis confirmandi et ordinandi, ut accidit in exercitio aliarum potestatum sacramentaliter receptarum.

Accuratius exponenda superioritas episcopi relate ad presbyteros ratione sacramenti ordinis, quia eiusdem interpretatio potest esse connexa cum potestate Ecclesiae in sacramenta.

Omnibus perpensis, sufficeret affirmare sacramentalitatem episcopatus, absque ulteriore determinatione.

Corrigenda.

1. Quatenus caput hoc plene servetur, prout est, interna formulatio melioranda.

2. N. 11, linn. 4-5. Asseritur potestatem docendi et gubernandi « natura sua arcto vinculo coniunguntur cum potestate sanctificandi, quae in sacramento ordinis confertur »; immo, in cap. IV, linn. 1-3, dicitur: « sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis... tribuit ». Hoc clarius explicandum. Nam, quid dicendum de episcopis mere electis, sine consecratione, et de episcopis auxiliaribus?

3. N. 12, « De presbyteris » reformetur et collocetur post tractatum de episcopis, prout dictum est.

Cap. IV: De episcopis residentialibus.

Observanda in genere.

1. In hoc capite, modo singulari, inveniuntur assertiones quae ex sensu canonico in dogmaticum vertuntur, ut ex dicendis patebit.

2. Schema procedit ab episcopis residentialibus singillatim ad collegium episcopale, cum processum inversum suadeant et ipsa Ecclesiae constitutio et materiae ordo, tam logicus quam historicus.

Configuratio possibilis. Ideo interna capitis configuratio ita disponi posset:

a) Initium sumat ab affirmatione collegii apostolici, ex quo concludat existentiam collegii successoris, nempe episcopalis, unum idemque collegium temporis decursu continuatum (cf. *Mt.* 28, 18-20; n. 16 schematis, linn. 22-23).

b) Unde, eadem est positio Petri respectu collegii apostolici et positio Summi Pontificis, Petri successoris, respectu collegii episcopalis.

c) Inde, explicentur facultates collegii apostolici quatenus collegium (diversae a facultatibus apostolorum personalibus) quae ipsae erunt facultates collegii episcopalis.

d) Facultates hae solidarie exercentur et respiciunt fines Ecclesiae universales (cf. *Mt.* 28, 18-20; n. 47 schematis, linn. 1-7).

e) Quoad exercitium huius facultatis solidariae, inde ab Ecclesiae initio distributio territorialis orta est (cf. *Rom.* 15, 20).

Ex dictis sequitur:

1. *Potestas ordinaria collegii.* Collegium episcopale gaudet potestate solidaria ut tale collegium; unde potestas haec est ordinaria seu ex officio, quod aperte traditur in schemate, n. 16, lin. 29. Tamen, ibidem, schema exercitium potestatis ordinariae collegii restringit ad modum extraordinarium, nempe ad Concilium Oecumenicum. Hoc autem illogicum videtur; immo, minime concordat cum his quae in n. 30 dicuntur de magisterio, ubi iteratur dogma Concilii Vaticani I, quod secum fert exercitium ordinarium potestatis in collegio episcopali (Denz., 1792). Nec haec restrictio adeo consonat cum verbis in n. 47, pag. 76, linn. 1 ss., ubi obligatio praedicandi evangelium in universo mundo tribuitur « ad corpus pastorum simul cum Christi vicario, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium ». Cf. etiam n. 15, pag. 24, linn. 2-3.

Credimus a Concilio Vaticano II nec omittendum nec obumbrandum principium possibilitatis exercitii ordinarii, quamvis principii applicatio difficultate non careat, eiusdemque formae in decursu temporis diversae esse possint.

2. *Sollicitudo universalis.* Cum agatur de potestate collegiali, solidaria, singuli episcopi, collegii episcopalis membra, partem habent in « sollicitudine omnium ecclesiarum » (*2 Cor.* 11, 18), quam fuse describit schema in n. 15. Tamen, descriptio haec est mera repetitio praxis canonicae vigentis, quin theologice exponatur relatio inter talem sollicitudinem et potestatem collegialem, de qua in n. 16. Sollicitudinem collegii esse verum officium ignorari non potest. Saltem non praepropere quaestio definiatur; unde verba « etsi potestas iurisdictionis non est » (pag. 24, linn. 8-9) omitti debent. Similiter, theologice interpretandum illud: « nisi ex participatione Romani Pontificis » (linn. 4-7), ita ut non excludatur collegialis potestas. Pari modo, in n. 47, pag. 76, linn. 1-6, principium collegiale dogmaticum missionis promulgatur, et quidem respiciens « ad corpus pastorum simul cum Christi vicario », tamquam « commune mandatum »... « imponendo commune officium », ex quibus concluditur: « omnes ergo episcopi... simul cum suo capite huius apostolici muneris... sint solliciti ». E contra, in subsequentibus eiusdem numeri, huius mandati adimpletio universaliter et exclusive reservatur Romano Pontifici, iuxta normam canonicam vigentem (can. 1350).

3. *Relationes Papa-collegium.* Pari vi et harmonice concordes duo haec stabiliri debent et primatum Summi Pontificis et episcoporum collegium.

a) In collegio primatus competit Papae, Petri successori, quem Christus, « ut episcopatus ipse unus et indivisus esset... instituit... unitatis principium ac visibile fundamentum » (Conc. Vaticanum I, Denz. 1821). Primatus admittendus, quoad extensionem et significationem, prout in Conc. Vaticano I exponitur.

b) Eodem modo, admittenda existentia et officium collegii episcopalis, quod « una cum capite suo, Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur » (n. 16, linn. 26-28).

c) Duo haec bene distinguenda: origo potestatis collegii et essentialis subordinatio eiusdem Papae. Theologi tradunt collegium apostolicum (continuo perseverans in collegio episcopali, cf. n. 16, lin. 24) recepisse immediate a Christo potestatem, Petro subordinatam, attamen non mediante Petro (cf. *Mt.* 18, 18; 28, 18).

d) Dicitur in n. 16, linn. 33-38: « nemo episcoporum... ad hoc collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel consensu tacito a successore Petri... in idem

assumptus sit ». Haec sententia, fundamentaliter vera, formaliter est canonica. Theologice et historice constat Summum Pontificem partes habere in electione et depositione episcoporum, sed non absoluta necessitate, quia de facto in multis defuit. Indubium est nullum episcopum collegio incorporari ipso renuente. Sed quaeri potest: talis interventio est conditio an causa incorporationis?

4. *De episcopis singillatim.*

a) Titulus generalis cap. IV, ex dictis iam in cap. III (n. 11, linn. 3-5) et in ipso cap. IV (n. 14, linn. 1-3) de consecratione episcopali, non apte restringitur ad episcopos residentiales.

b) Placet sententia in n. 14, linn. 1-3 contenta.

c) Loco citato et in n. 30 fit distinctio inter consecrationem, quae potestatem confert, et missionem, quae confert eius exercitium; quae distinctio clara est ex parte canonica, minime autem accurata ex parte theologica. Clarius determinandum esset utrum missio conferat proprie exercitium potestatis, an sit sola conditio ad eius exercitium. Talis distinctio indifferens ex parte canonica, ex parte theologica momentum habet; quia si aestimatur simplex conditio exercitii, sensu stricte theologico missio ipsa consecrationi tribueretur.

Quod additur de concessione missionis et de diversis eius formis, exaretur iuxta exposita de incorporatione collegio episcopali.

Corrigenda in specie.

1. N. 13, linn. 19-20. Verba « potestas iubendi per leges conscientiam obligantes » explicanda ratione aliqua theologica. Declaretur insuper, utrum agatur tantum de legibus declarativis praeceptorum divinorum, an etiam de legibus constitutivis mere ecclesiasticis.

2. N. 14, lin. 3. Verba « quibus iurisdictio constat » tollenda; nam bipartita vel tripartita divisio potestatis episcopalis in scholis disputatur.

Tandem, ex dictis in cap. III et IV, titulatio huius cap. IV sit: De episcopis.

Cap. V: De statibus evangelicis adquirendae perfectionis.

Notanda in genere.

1. Caput placet, in quantum forma organica et ecclesiologica exponit ea quae parata scimus in Conc. Vaticano I, at forma apologetica.

2. Multa tamen hic memorata sunt canonica, et amandanda potius ad schema de religiosis.

3. Huius capitis fundamentale elementum sint consilia evangelica, tamquam essentiale consectarium sanctitatis in Ecclesia, quin praevaleat instantia circa status perfectionis.

Possibilis capitis distributio. In genere, hanc proponimus distributionem. Initium fiat a vocatione omnium christianorum ad perfectionem, vi sacramenti baptismatis (cf. *Mt.* 5, 48; 5, 1-2; *Lc.* 6, 20-23).

Sic sternitur via ad consilia evangelica, forma canonica professa, tamquam materia propria huius capitis.

Vel alio modo; materia capitis sit vocatio generalis ad perfectionem, consilia autem evangelica tanquam modus peculiaris huius perfectionis. Intitulatio capitis esset: « De sanctitate in Ecclesia » vel « De perfectione christiana ».

Notanda in specie.

1. Terminologia « status perfectionis » est potius canonica.

2. N. 17, linn. 9-12. Aliis verbis significetur quod intenditur locutionibus « sine proprio », « in castitate », « oboedientiam eius ad Patrem ». Nec paupertas semper est carentia bonorum, nec de castitate sed de caelibatu agitur in *Mt.* 19, 11-12, nec oboedientia ad Patrem, sine addito, est consilium evangelicum.

3. N. 18, pag. 33, lin. 10. Loco « saepe quoque » ponatur « individuatim et in vita communi », ne nimis vita communis praeferatur.

4. N. 18, linn. 13-25. Est repetitio eorum quae in n. 17, pag. 22, linn. 6-7; n. 18, pag. 33, linn. 5-11.

5. N. 19, pag. 34, linn. 13-28. Quae dicuntur de exemptione religiosorum et de eorum relationibus ad hierarchiam, sunt potius canonica, et melius pertinent ad schema disciplinare.

Cap. IX: De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Notanda in genere.

Caput refert doctrinam classicam, at moderate loquitur, viam apertam relinquens diversis applicationibus iuxta mutabiles circumstantias et adiuncta diversa. In nn. 40-41 thesim exponit, in n. 49 hypothesim, et in n. 44 falsum laicismum damnat.

Doctrina haec summae gravitatis et momenti consideranda ob varias modernas opiniones eam impugnantes.

Sunt qui hypothesim vertant in thesim. Contra hanc sententiam valent rationes intrinsecae, optime in schemate expositae; valet etiam iuge et formale magisterium postremorum temporum, cuius documenta inveniuntur in *notis* capituli adnexis.

Alii nolunt hanc doctrinam proponere propter praeiudicia ordinis pastoralis; attentis enim circumstantiis regionum suarum, credunt non dari condiciones in societate civili thesi favorabiles. Immo, attento rerum statu mundiali, thesis, iuxta ipsos, vim suam amisit in nostro mundo.

Certe, in pluribus mundi regionibus impossibilis hodie evadit constitutio Status catholici. Forsan etiam bonum commune ipsius Ecclesiae possit commendare adaptationem statuum catholicorum subsistentium ordinationi in ceteris imperanti. Haec, tamen, est quaestio prudentialis et circumstantialis, dilucidanda in casibus particularibus, non modo generali; unde aliena est omnino a schemate, ut nobis videtur.

Sunt multi, etiam ex nostris, qui non bonis oculis considerant status catholicos actu existentes propter non levem errorem circa traditionalem doctrinam, quam nec intelligunt nec historice apte explicant.

In quacumque hypothesi, nullatenus admittendum doctrinam Ecclesiae, hac in re, definiendam esse habita ratione mere opportunitatis. Ecclesiae officium est, non confirmare positiones de facto imperfectas, sed viam ostendere superioris realitatis.

Insuper, non pauci duo graviter confundunt, utique intime connexa, at non identica, nempe: *a*) libertatem religiosam, libertatem conscientiae, iura, ut dicunt, humana et *b*) constitutionem ipsam status. Nonnullae declarationes et observationes, in lucem editae, quas prae manibus habuimus, quaestionem limitant cum pro-

blemate libertatis religiosae; quae quidem solutio est admodum simplex circa materiam vere implexam.

Omnibus perpensis, Concilium maneat in ordine doctrinali; principia proponat necessaria et universalia, quae semper et ubique valeant. Haec sint fundamenta vera et immutabilia declarationis conciliaris, non suppositum pragmaticum vel sociologicum, quod respicit melius provisionem practicam, schematis disciplinaris vel dispositionis particularis propriam.

19

EXC.MUS IOANNES IOSEPH McCARTHY

Archiepiscopus Nairobiensis

Pag. 11, linn. 5-20: pressius declaretur natura unionis quae existit inter Christum et membra eius, utrum sit moralis tantum an aliquid maius.

Lin. 24: exponatur quomodo peccata unius membri reliqua offendant — utrum malo exemplo tantum an ob aliquam unionem internam inter membra existentem. Talis explanatio ad applicationes pastorales desideratur.

Pag. 12, lin. 24: decretum fiat ut designatio « catholica apostolica romana » in catechismis, manualibus theologiae ceterisque libris ad usum scholarum atque in praedicatione adhibeatur, secus doctrina intenta ad populum non effective perveniet (cf. notam 50).

Pag. 15, lin. 26: doctrina enuntiata explicitius declarari debet inserendo in textu schematis id quod continetur in nota 5, nam multi catholici doctrinam de voto ingrediendi ecclesiam male intelligentes existimant acatholicos facile salvari posse atque ideo forte suam ascriptionem Ecclesiae verae non satis magni faciunt.

Pariter expedire videretur ea quae in nota 11 continentur in textu schematis referre ut doctrina magis explicite reddatur.

Pag. 15, lin. 20: in luce ponenda est excellentia unionis inter membra ecclesiae eiusque praestantia super omnia vincula naturalia atque proinde illustrare ligamen magis intimum inter catholicos diversarum gentium quam inter catholicos et acatholicos eiusdem nationis.

Pag. 23, lin. 7: in locum verborum « regimine ecclesiae supremo » reponantur verba « Vicario Christi » — ad excludendas Congregationes Romanas.

Pag. 24, lin. 7: ob experientiam vastam et variam qua gaudet collegium episcoporum redactio novi codicis eorundem animadversionibus subiici omnino debet.

Pag. 34, lin. 25: exemptio laicorum, v. g. in Institutis Saecularibus certis et bene definitis limitibus circumscribi debet.

Pag. 36, n. 21: optandum ut doctrina de sacerdotio laicorum magis explicite tradatur — ob rationes pastorales, ut patet.

Pag. 39, lin. 40: expediret ut normae dentur de relationibus fovendis vel minus inter catholicos et acatholicos relate ad societates laicales non religiosas, v. g. Societas a Cruce Rubra (vulgo: Red Cross), aut ut res iudicio episcopi relinquatur.

Pag. 46, cap. VII: in genere dicendum est declarationes explicitas de singulis desiderari ne scriptores catholici vires in controversiis dissipent sed potius ut veritatem profundius indagent.

Pag. 50, lin. 17: attentis erroribus utique rarissimis Romanarum Congregationum quomodo exigi potest assensus mentis internus earum declarationibus? Explicetur sensus exactus verborum « de se ».

Pag. 51, n. 33: optandum ut hic numerus (33) magis iuridice redigatur, minime excluso fine pastorali.

Pag. 55, lin. 4: ob rationes pastorales optandum ut verba « non omnia » amplientur atque in textu schematis inserantur.

Pag. 59, lin. 11: vox « vult » non videtur esse satis gravis.

Pag. 61, lin. 25: quaeritur num argumentum n. 38 etiam religiosis applicetur? Item pag. 61, lin. 3.

Pag. 64, lin. 6: inculcandum est bonum temporale cum bono materiali minime converti sed bonum quoque spirituale includere.

Pag. 64, lin. 16: includatur in textu schematis citatio a Leone XIII (Enc. Litt. *Immort. Dei* et *Sap. Christi*) memorata in nota 7 (pag. 69) de iure ecclesiae leges civiles iudicandi sub aspectu morali.

Declaretur tale iudicium non cuilibet episcopo sed collegio seu conferentiae episcoporum totius nationis competere.

Pag. 64, lin. 32: expressio ut redacta est minus negative. Inserantur in textu schematis citationes e Leone XIII et Pio XII in nota 5 relatae.

Explicetur, si non est iam factum, bonum temporale non esse mere materiale sed etiam et praesertim esse bonum morale. Et inseratur in textu citatio e Leone XIII (Litt. Encycl. *Libertas*) in nota 13 exhibita.

Pag. 76, lin. 15: quid de acatholicis baptizatis? Sunt-ne includendi? (Cf. schema *Ut omnes unum sint,* pag. 262, lin. 5).

Pag. 86, lin. 2: in locum verborum « auctoritatis ecclesiasticae » substituatur verbum « episcopi ». Tam grave iudicium Vicario Generali multoque minus parochis competere non deberet. Forte rem conferentiae episcoporum reservare expediret ad unitatem in agendo consequendam.

20

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

Cap. IV: de iis qui consilia evangelica profitentur.

Nimis celeriter intrat caput in medias res; et ex eo oriuntur tot ac tantae confusiones relate ad perfectionem eiusque media varia, ut appareat clarius perfectio ipsa sit vocatio omnium christianorum.

Propono ut 1. Scribatur clara paragraphus de hac universali vocatione ad perfectionem. Hic possunt citari sensu exacto textus varii S. Scripturae. Sicuti citantur in textu praesenti, ambiguitatem producunt: quia non exclusive applicari possunt religiosis neque aliis qui « consilia evangelica profitentur ».

2. Deinde ponatur paragraphus de consiliis et de eorum origine historico in evangelio et de constitutione « status perfectionis » ab Ecclesia. Sic potest melius intelligi sensus proprius huiusmodi status necnon eius magnae dignitatis, sine exclusione aliorum a via perfectionis (videsis textum episcopatus Germaniae pag. 33, par. 43).

De paragraphis 1 et 2. Dicunt quod in his paginibus agitur de « statu » per-

fectionis magis quam de ipsa perfectione seu de amore erga Deum et proximum. Clarius proinde fiat distinctio. Status, sicut vota, immo ipsa consilia, sunt tantum media ad perfectionem. Status perfectionis oritur ex prosecutione consiliorum sub obligatione votorum, quibus status constituitur. Differentia inter laicos et ii qui consilia profitentur, praecise est status seu via, forma specialis et facilior perfectionem prosequendi. Omnis ergo confusio inter *statum ipsum* et *ipsam perfectionem* videtur excludere a perfectione omnes qui non in statu perfectionis inveniuntur: v. g. linn. 13-14. Iterum iterumque sumitur in textu « professio » seu « status » (quae sunt media perfectionis) pro ipsa perfectione, quae exinde videretur propria tantum religiosis.

Amplius dicam: clare affirmetur distinctio inter media (status) et ipsam perfectionem, quia nimis in ascetica religiosorum praesertim monialium insistitur in *regula* sicuti ex eius tantum materiali exsecutione haberetur.

De par. 4, lin. 32. Videretur poni haec via uti unica via consiliorum, et unica quae ad perfectionem caritatis duceret. Evidens est ut omnes christiani non tantum ad perfectionem debent conduci, sed etiam aliqua via consiliorum, etiamsi non per canonicam professionem. Ideo melius dicendum « ad ipsam pertinet hunc specialem consiliorum statum ex votis ortum, qui expeditius etc. » vel quid simile.

Lin. 39: eadem ratione ponatur « canonice dicata ».

21

Exc.mus P. D. DANIEL MANNIX

Archiepiscopus Melburnensis

Animadversiones generales. Votum in schema *de Ecclesia* generale: *non placet,* propter rationes sequentes.

1. Schema magis sapit documentum legale quam proclamationem fidei religiosae spiritualem, immo et evangelicam; nimis enim tractat de aspectibus iuridicis Ecclesiae, quae fere exclusive repraesentatur ut societas iuridica potius quam participatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo. Ipsum etiam baptisma magis videtur considerari quasi fundans relationem iuridicam cum Ecclesia, quam ut Nova Creatio.

2. Schema nimis praeoccupatur cum dominio et iuribus Ecclesiae, potestatem et gubernium concupiscentis, sicut « reges gentium » qui « dominantur eorum » et semper « quaerunt quae sua sunt ». Tonus schematis quandam duritiam, quandoquidem forsan et superbiam, suggerit, magis aliquando redolens « tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum », quam « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde ».

3. Schematis « data » magis videntur esse dicta pontificalia recentiora quam verbum Dei in Sacris Scripturis, et scripta Patrum; methodus procedendi magis hauriri videtur ex logica formali quam theologia biblica; magis scatet conceptibus neo-scholasticis quam imaginibus biblicis; abstractionibus pariter scatet, tam conceptuum quam verborum, quae valde alienae sunt menti Anglo-Saxoniae, Africanae et Asiaticae, immo et ipsi Sacrae Scripturae.

4. Ideo, ne aspectus pastorales negligamus, schema debile fundamentum provideret catechesi, praesertim kerygmaticae.

5. Figura Ecclesiae fere unica adhibita est Corpus Christi mysticum; nimis

negliguntur omnes illae aliae figurae quas in utroque Testamento Providentia divina scribi habuit, et Christus Dominus in Evangelio proclamando sparsit: nimis scilicet negligitur Ecclesia sub figuris domus, populus Dei, plebs sancta, regnum Christi, sponsa Christi, palmites vitis, etc.

6. Laicis videtur nulla alia in Ecclesia functio tribui quam exsecutio mandatorum hierarchiae.

7. Doctrina de unione Ecclesiae et status valde inopportune proponitur.

8. Nihil dicitur de obligatione status libertatem religiosam providendi omnibus hominibus bonae voluntatis.

Cap. VI: De laicis.

Postulatur ut Concilium sequentia affirmet:

I - 1. Missio seu vocatio laicorum ad apostolatum oritur ex charactere in sacramentis baptismatis et confirmationis impresso. Eo enim ipso quod filii Dei sunt, ius et officium habent regnum Christi propagandi et aedificandi.

2. Laici tamen non ad eundem aspectum seu campum apostolatus vocantur ac sacerdotes; sive igitur habetur copia sacerdotum sive non, restat laicis munus eis proprium, scil. ordinis temporalis sanctificatio, regnum Christi in temporalibus aedificatio, seu « consecratio mundi ».

3. Licet vocatio laicorum ad apostolatum primo et per se ex charactere sacramentali oriatur, secundario et per accidens oriri potest ex inopia sacerdotum in quadam regione. Commendat igitur Concilium omnes illos fideles qui, ex invitatione et sub directione hierarchiae, seipsos dicant laboribus per se sacerdotalibus, praesertim formationi religiosae puerorum et catechumenorum, et visitationi pastorali domorum, nosocomiorum, et carcerum.

II - 1. Campus laboris apostolici laicis proprius invenitur ergo in ordine temporali: in vita politica, sociali, oeconomica. Laicos adlaborare oportet ut, ad mentem Evangelii et ad normas doctrinae socialis Pontificum, civitas terrestris transformetur in regnum iustitiae, amoris et pacis.

2. Nostris praesertim diebus officium laicis incumbit mundo industriali et laboris tribuendi formam et structuram christianam: ad quod non sufficiunt motiva religiosa et virtutes morales, sed etiam requiritur peritia practica et ingenium ab experientia derivatum in praxi politica et sociali eiusque strategia et methodis tacticalibus.

3. Laici qui, sive ut individui sive in organizationibus consociati, talem actionem apostolicam exercent in ordine temporali — sociali, politico, oeconomico — nullo modo eximuntur ab auctoritate Romani Pontificis et episcoporum in rebus fidei et morum.

4. In omnibus autem aliis aspectibus actionis eorum temporalis, sive de policiis practicis eligendis sive de methodis strategicis et tacticalibus praeferendis, laici agunt propria responsabilitate, et plena gaudent libertate, tam iudicii quam actionis.

Cap. VIII: De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.

1. Postulatur ut Concilium clarius affirmet auctoritatem in Ecclesia esse servitium humile et omnibus ministrationem, iuxta spiritum et exemplum Domini, qui servus pro nobis est factus: qui venit non ministrari sed ministrare, et pedes lavit apostolorum in exemplum eorum successoribus.

2. Nullo modo concipiantur vel repraesententur hierarchiae adiutores apostolici, sive clerici sive laici, ad modum instrumenti, « quod non movetur nisi quatenus ab agente principali movetur »: omnes enim christiani adulti requiruntur initiativum demonstrare, et propriam providentiam et responsabilitatem exercere.

3. Postulatur ut Concilium leges ferat obligantes omnes auctoritates in Ecclesia, sine ulla exceptione, ut neminem unquam condemnet nisi prius extenderint personae accusatae opportunitatem accusationem audiendi et considerandi, et seipsum contra eam defendendi. Praeterea, si condemnetur, semper publicetur ratio quando condemnatio est publica. Omnino enim amplectitur et in respectu habet Ecclesia istud adagium, « non sufficit fieri iustitia; requiritur praeterea ut fieri videatur »; grave enim esset scandalum si observatio iustitiae inferior in Ecclesia esse videretur quam in tribunalibus profanis.

Cap. IX: De relatione inter Ecclesiam et Statum.

I. Postulatur ut Concilium sequentia affirmet:

1. Licet omnes, nullo excepto, amore suo redemptivo Christus Dominus sit amplexus, praedilectionem specialem semper exhibebat erga pauperes et afflictos, et omnes « laborantes et oneratos »: quod sui Fundatoris exemplum Ecclesia semper ut normam habet, tam doctrinae quam praxis suae.

2. Commendat igitur et benedicit Ecclesia omnes illas societates, sive clericales sive laicales, quae pauperum, aegrotantium, captivorum et aliorum quovis modo afflictorum visitationem, solamen et assistentiam prosequuntur: non modo cum individui adiuvantur, sed etiam nationes minus evolutae adhuc in statu provectionis industrialis.

3. Omnibus commendatur doctrina socialis a Romanis Pontificibus et hierarchiis nationalibus proposita. Licet enim lege naturali et iuribus stricte humanis sit innixa ista doctrina, et ea proclamat quae stricta iustitia requirit, in illam asserendo Pontifices fuerunt spiritu Evangelii inspirati, et caritate Christi in pauperes et laborantes compulsi.

4. Nullum ordinem socialem approbat Ecclesia, etiamsi « legitima auctoritate constitutum » se praetendit, in quo viget magna discrepantia inter luxum et divitias paucorum privilegiatorum, et miseriam et indigentiam materialem multitudinis. Falsum est assertum, ab inimicis religionis quandoquidem divulgatum, Ecclesiam catholicam semper identificari cum « statu quo » seu ordine existenti, vel divites et classes privilegiatas (etiam Ecclesiae generosas) semper supportare, vel in suspicionem habere partitas politicas quae ad reformationem socialem operam dant.

5. Commendat igitur et benedicit Ecclesia omnes illas societates et organizationes, sive fidelium solorum sive fidelium cum aliis christianis immo et non-christianis consociatorum, quarum finis est ordinem socialem instaurare et reformare, et sortem opificum meliorem reddere. Liceat enim campus earum actionis in ordine temporali et politico habeatur, et auctoritate Ecclesiae propria nec fundentur nec gubernentur, apostolatum sensu proprio exercent quatenus spiritu vere christiano et Evangelii inspiratione imbuuntur. Istis enim est missio mundo industriae et laboris tribuendi formam et structuram christianam, quae missio digne nuncupatur « consecratio mundi ». Huius generis activitas apostolica — practica, realistica: ex caritate quidem supernaturali inspirata, sed in ordine temporali exercita ab hominibus versatis et peritis in eius methodis et praxi technica — est absolute neces-

saria, si unquam est realizandum istud ab Ecclesia exoptatum « regnum iustitiae, amoris et pacis ».

II. Postulatur et petitur ut relationem bonam quae existit inter Ecclesiam et potestates civiles in multis regionibus Concilium nullo modo perturbet vel etiam in periculum ducat, definitionem ferendo de necessitate unionis alicuius formalis inter Ecclesiam et statum. In multis enim locis — in Australia quidem et Nova Zelandia, sicut in America Septentrionali, in Hibernia, et pluribus regionibus Europae Septentrionalis — quamvis adsit separatio theoretica, adest in praxi harmonia et aequilibrium inter potestatem spiritualem et temporalem, Ecclesia plena libertate et independentia gaudet, et quidem in multis rebus gaudet favore iuris et gubernantium.

Non placet igitur definitio in schemate proposita, quatenus talem relationem bonam perturbare facile potest; et quatenus praeterea omnibus imponere tentaret conceptionem excogitatam pro situatione ideali quae revera nullibi existit.

III. Postulatur ut Concilium clare affirmet officium et obligationem qua Status tenetur libertatem religiosam omnibus suis civibus praestare et procurare, tam catholicis quam illis qui non sunt verae Ecclesiae membra sed conscientiam propriam bona fide sequuntur.

Affirmetur praeterea ista libertas esse extendenda, non dumtaxat ut minus malum eligendum — v. g. ad dissidium civile vitandum, vel ad persecutionem catholicorum in aliis regionibus avertendam — sed ut ius strictum: quod quidem ius proxime innititur obligatione uniuscuiusque conscientiae propriae dictamina, bona fide formatae, fideliter prosequendi; profundius vero fundatur in respectu erga personam humanam in imaginem Dei creatam, quam ipse Deus in respectu habet et amore amplectitur, etiamsi donum verae fidei ei adhuc non praestitit.

22

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Schemate *de Ecclesia* attente perpenso, vellem hanc observationem modeste propositam:

Per totum decursum schematis, doctrina de Ecclesia fere exclusive proponitur et evolvitur sub prospectu metaphorae paulinae Corporis Christi; prospectus est quidem revelatus, profundus ac divitissimus; non tamen unicus, ut apposite a non paucis Patribus fere statim notatum est.

Forte manifestabatur menti graecorum et latinorum, ad quos S. Paulus directe spectabat, specialiter aptatus; crederem illum ad alias nationes non ita sponte appellare. Nunc vero officium incumbit successoribus apostolorum et Petri doctrinam revelatam de Ecclesia omnibus gentibus exponendi, etiam non graecis nec latinis, idque cum pari sollicitudine de apta accommodatione ad omnes et singulas, vel non graecas nec latinas.

Hinc aestimarem rationem habendam esse in textu schematis, non tantum de prospectu paulino supra revocato, sed etiam de aliis prospectibus, non sine intentione a Deo revelatis, et qui forte multarum gentium et individuorum mentem profundius percellunt ac cor vividius attrahunt. Nonnulli Patres attentionem appellarunt in doctrinam de Ecclesia, ut novo populo Dei ac novo Israële; exop-

tarem alium aspectum in luce debita positum: aspectum quidem in Vetere Testamento iam adumbratum, in Novo autem ac in toto decursu traditionis fere ubique indigitatum, serene illucescentem et irradiantem; non quidem ad modum synthesis organice ordinatae, ut in expositione paulina de Corpore Christi, sed ad modum realitatis ubique diffusae et praesentis; tam obviae ut omnes eam spontanee agnoscant; simul vero tam familiaris, ut vix ad eam specialiter attendant; aspectum omnibus hominibus, cuiusvis sint gentis et culturae, plene aptatus; integris vero populis — cogitemus de oriente — quasi unice appellantem; de quo tamen ne mentio quidem fit in textu schematis; nempe Ecclesiam esse filiorum Dei adoptivorum in Christo familiam.

Familia humana, prius in Adam instaurata — magnum iam sacramentum in Christum et in Ecclesiam (*Eph.* 5, 32) —, per Adae lapsum a Deo separata est et in seipsa divisa. Sed en consilium Dei miserentis: « Ubi venit plenitudo temporis, misit... Filium suum, factum ex muliere » (*Gal.* 4, 4), qui, ut novus Adam (*Rom.* 5, 14 sq.; *1 Cor.* 15, 22. 45...), sua morte « filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Io.* 11, 52); familiam initio mirabiliter conditam, mirabilius denuo reformaret. Ipse autem « veniens evangelizavit pacem (iis), qui longe..., et pacem iis, qui prope, quoniam per Ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem » (*Eph.* 2, 17-18); nec iam ut hospites et advenae, sed ut veri filii, in domum paternam redintegrati: « videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii nominemur et simus...; carissimi, nunc filii Dei sumus » (*1 Io.* 3, 1); filii quidem « in Filio » (*1 Io.* 2, 24), « quoniam Filium suum Unigenitum misit Deus..., ut vivamus per eum » (*1 Io.* 4, 49). « Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi » (*Rom.* 8, 17; *Io.* 14, 2. 3). En realitatem concretam, unice profundam, Dei Patris Consilii, per Filium in Spiritu adimpleti; realitatem totam Ecclesiam permeantem. Quomodo vero eam appellabimus, nisi denominando Ecclesiam Familiam, Familiam nempe filiorum Dei in Christo; iam in terris inchoatam, ibique omnes filios prodigos ac fratres seiunctos ad se convocantem; consummandam finaliter in caelo, in domo paterna, in qua « mansiones multae sunt » (*Io.* 14, 2).

De facto, sic Christus Regnum suum in terris — iam sub simili prospectu in V. T. adumbratum —, haud raro proposuit et descripsit: « simile est Regnum caelorum homini patrifamilias... » (cf. parabolas de invitatis, de duobus filiis, de filio prodigo... etc..) Similiter realitates et habitudines Novae Oeconomiae denominativas saepius exposuit sub eodem prospectu familiali: « Unus est Pater vester » (*Mt.* 23, 9); et sic Eum orabitis: « Pater noster, qui es in caelis » (*Mt.* 6, 9). Christus est Frater noster (*Io.* 20, 17); « omnes vos fratres estis » (*Mt.* 23, 8).

Quae quidem denominationes, redemptione a Christo peracta, sensum obtinuerunt eminenter plenum: « ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum; ... vade... ad fratres meos » (*Io.* 20, 17); et deinceps transierunt in unum communem et tritum: sufficiat attendisse ad epistolas apostolorum, S. Pauli aequaliter ac ceterorum, nonobstante eius speciali expositione de Corpore Christi. Mutuas habitudines inter fideles, ex instinctu fidei, sub hoc prospectu iam transponunt: « Frater cum fratre in iudicio contendit? » (*1 Cor.* 6, 6); « ne scandalizetur frater... » (*1 Cor.* 8, 13; *Rom.* 14, 15); « Qui diligit fratrem... in lumine manet; qui odit fratrem suum, in tenebris est » (*1 Io.* 2, 10); « Si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano... » (*Iac.* 2, 15-16) etc. Nec aliter subsequenter in Ecclesia locuti sunt pastores, mortuis Apostolis, ita ut pagani, in exordiis Eccle-

siae, mirarentur, dicentes: « Eorum Fundator eos persuasit se omnes esse fratres ». Et sic adhuc, nostra aetate loquimur.

Sic loquitur et Liturgia in venerabilibus et antiquis collectis missarum de tempore, immo in culmine actionis liturgicae, ante consecrationem. Liceat perpauca retulisse: in Triduo Sacro: « Respice, quaesumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua D. N. I. C. non dubitavit... crucis subire tormentum... ». In vigilia paschali: « Conserva in nova familiae tuae progenie adoptionis spiritum » (item Dom. V post Epiphaniam, Dom. I Quadragesimae, feria III post Dom. I Quadragesimae, feria II post Dom. II Quadragesimae, Dom. I Passionis etc.). Et in missa, ante consecrationem: « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae... ».

Liceat, de cetero, recoluisse quantopere haec realitas totam Ecclesiam ab intus quasi transfigurans, respondeat principiis fundamentalibus doctrinae revelatae; v. g. de effectu iustificationis in Christo, seu de filiatione adoptiva; de sacramento baptismi, quo fideles non tantum ut membra in Ecclesiam incorporantur, sed simul regenerantur et in eam ut filii introducuntur, filii « in Filio » (*1 Io.* 2, 24), mutuo fraterne consociati, in fraternum commercium, ac fraternum convivium ad eamdem mensam familialem, ubi Corpore et Sanguine Christi pasti, mysteriosa affinitate coniunguntur cum ad Christum, tum inter se — in pignus futurae resurrectionis. Nec praetermittendum eumdem sensum importari in terminologia officialiter consecrata, ubi de Oecumenismo; si christiani separati fratres seiuncti denominandi sunt, simul correlative catholici ut fratres adunati habendi sunt, in divino-humana familia, quae est Christi Ecclesia.

Crederem hunc prospectum tam profundum simul ac traditionalem, quo indoles Ecclesiae et indoles relationum fidelium cum ad Christum tum inter se tantopere illuminatur, ne dicam transfiguratur, non esse in schemate praetermittendum. Eo minus quod singulariter respondet scopo primario Concilii, doctrinali quidem, sed sub angulo magis directe pastorali, nempe sic indolem Ecclesiae exponere, secundum divinam veritatem, ut omnes ad eam quasi sponte attrahantur; ut doctrina directe omnibus aptetur, non tantum doctis, sed et pueris, iuvenibus et senibus, vel catechumenis et paganis; nec tantum in aliqua mundi parte sed in toto orbe, in omnibus gentibus et culturis.

Iamvero, aestimarem prospectum revelatum de Ecclesia, ut divino-humana familia, spontanee fere omnibus debite accommodari ac intime loqui; illum simul hodiernae adspirationi ad authenticam pacem profunde respondere; ex ipso non parum luminis transfundi in totam vitam liturgicam et socialem fidelium, eam nempe imbuendo intimo sensu pietatis: pietatis erga Patrem, pietatis erga Filium Unigenitum et Primogenitum, pietatis erga Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, pietatis erga B. V. M. Matrem simul Filii Primogeniti ac filiorum adoptionis; pietatis erga sanctos, ut fratres nostros glorificatos; et, cum nota respective conducente, erga superiores, aequales et inferiores, omnes authentice fratres...

Haec seriae considerationi humiliter proposuisse mihi concedatur. Si dicere licuit em.mo Patri spiritum paupertatis in Ecclesia Christi pauperis urgenter desiderari, forte aequo modo addidisse licebit, et spiritum familialem ad quem restaurandum Christus ad nos descendit, esse exoptandum.

23

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Cap. I: De Ecclesiae militantis natura.

1) Prologus: Dei Patris consilium; 2) Consilii Patris per Filium exsecutio; 3) Israël Dei indoles, voce Ecclesiae variisque figuris expressa; 4) Figura Corporis Christi; 5) Enucleatio figurae Corporis; 6) Ecclesia societas est mysticum Christi Corpus; 7) Ecclesia Catholica Romana est mysticum Christi Corpus.

Observationes et suggestiones.

1. Hoc in capite ordo conceptuum praecellens est et vere logicus, sed multoties unica tantum oratione exprimuntur plures diversique conceptus. Valde optandum est ut unusquisque conceptus brevi periodo exprimatur, verbisque minus classicis exponantur aeternae veritates. Brevitas enim et simplicitas in loquendo multo adiuvat ut doctrina evadat lucida et omnibus facilis intellectu.

2. Loci citati signis parenthesis intercalati in corpore schematis mentis attentionem distrahunt; proinde in calce, sub titulo « Notae » collocentur.

3. Hae observationes et suggestiones pro omnibus huius schematis capitibus valent.

Cap. II: De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.

8) Necessitas Ecclesiae ad salutem; 9) Quinam membra sensu proprio; 10) Unio cum separatis.

Suggestio: Distinctio inter acatholicos in bona fide et in mala fide plane clareque dilucidetur, ut omnes ambiguae interpretationes devitentur.

Cap. III: De episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis et de sacerdotio.

11) Episcopatus ut sacramentum; 12) De presbyteris.
Quid de diaconis?

Cap. IV: De episcopis residentialibus.

13) Episcoporum munus et dignitas; 14) Primatus et episcopatus; 15) Relatio episcoporum ad totam Ecclesiam; 16) Collegium episcoporum.

Observationes et suggestiones. Quoniam archiepiscopi et episcopi auxiliares non habent proprias iurisdictiones, sed tantum coadiuvant in administratione confirmationis sacramenti, quae hodierno tempore committi potest sacerdotibus, et cum hi archiepiscopi et episcopi possint bene regere dioecesim, optandum est ut unusquisque eorum habeat propriam suam dioecesim; et unaquaeque provincia civilis proprium suum episcopum habeat et ab ipsis dirigatur. Ratio est quia seminaria ita facile eriguntur, ac numerus sacerdotum secure multiplicatur.

Si episcopi residentiales senescant, illis debet permitti onus ministerii relinquere et sufficientem recipere pensionem usque ad mortem, quia senes iam non possunt per se dioecesim administrare et sacramentum confirmationis conferre.

Quoniam, ut n. 13 huius capitis bene constat, « Episcopi non solum dirigere possunt et debent per consilia, suasiones, exempla, sed etiam veram et proprie dictam potestatem habent, quae non tantum est fori interni et sacramentalis, sed

etiam externi et publici; habent enim potestatem iubendi per leges conscientiam obligantes, et quidem non in iis dumtaxat quae ad doctrinam et mores, ad cultum et sanctificationem spectant, sed in iis quoque quae ad disciplinam et administrationem ecclesiasticam externam pertinent », ac praeterea, quia unusquisque episcopus, in sua dioecesi constitutus, melior prae aliis potest iudicare de necessitatibus et particularibus adiunctis suae dioecesis vel regionis, maxime optandum est ut unusquisque episcopus ampliorem et firmiorem potestatem obtineat sequentibus in casibus:

1. In dioecesano seminario maiori minorive erigendo;

2. In dioecesano seminario regendo, praesertim in officiales et professores selegendo, in regulas instituendo circa seminarii alumnorum vacationes a studiis, aliisque huiusmodi;

3. In instituta religiosorum vel religiosarum erigendo quae ad iudicium episcopi maximam utilitatem adducerent suae particulari regioni vel dioecesi. Accidit enim ut propter multifaria requisita a Santa Sede obtinenda et propter moram temporis valde dilatatam in adprobatione a Sancta Sede acquirenda, impeditur progressus institutorum ab episcopo erectorum vel iam adprobatorum.

Cap. V: De statibus evangelicae acquirendae perfectionis.

17) De consiliis evangelicis; 18) De momento statuum perfectionis in Ecclesia; 19) De positione statuum perfectionis in Ecclesia.

Suggestiones. Communitates vel instituta religionis eorumque membra magis ac magis temporibus actualibus sese accommodent, praesertim in apostolatu pro animarum salute in dioecesibus penuria clericorum plagatis; quocum tamen apostolatu includatur oppositio magis manifesta spiritui mundi.

Cap. VI: De laicis.

20) Principium; 21) De sacerdotio universali et de sacerdotio ministeriali; 22) Quinam nomine laicorum veniant; 23) De iuribus et officiis laicorum; 24) De vita salutifera Ecclesiae a laicis active participata; 25) De collaborationis laicorum principalibus formis; 26) De sana autonomia civitatis terrenae; 27) Adhortatio.

Observationes et suggestiones. Diversi gradus ignorantia, etiam crassa, religionis veritatum et obligationum fundamentalium vitae christianae vere est lamentabilis hodiernis diebus in christifideles. Quapropter, urgendum est ut membra « Actionis Catholicae » et omnes sodales consociationum uniuscuiusque dioecesis et paroeciae strictam habeant obligationem de rebus dogmaticis et moralibus et de apologetica christiana lectiones addiscendi. Et iam bene instructi, de erudiendo alios satagant.

Cap. VII: De Ecclesiae magisterio.

28) De existentia et natura magisterii authentici; 29) De obiecto magisterii authentici; 30) De subiecto magisterii authentici; 31) De organis subsidiariis magisterii authentici; 32) De munere et auctoritate theologorum; 33) De magisterii in pastorali munere auxiliaribus; 34) De cooperatione omnium fidelium cum Ecclesiae magisterio; 35) De erroribus praecavendis.

Suggestio ad n. 33. Cum vicarii parochiales multoties sese onerant laboribus sine sufficiente emolumento, et parochi multis in casibus occasionem quaerunt paroeciam relinquendi quia fere omnia ministeria sacerdotibus vicariis possunt com-

mittere, valde optandum est ut officium vicarii parochialis supprimatur. In magnis paroeciis circumscriptiones erigantur ita ut quilibet sacerdos ad servitium ecclesiae in qualibet dioecesi sit parochus bene constitutus in propria paroecia. Sic cura animarum in tota dioecesi melius attendetur.

Cap. VIII: De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.

36) De crisi et vera notione auctoritatis; 37) De origine et natura auctoritatis in Ecclesia; 38) De relatione inter praepositos et subditos et de iure criticae liberae; 39) De opinione publica in Ecclesia.

Observationes. Membra hierarchiae ecclesiasticae sese magis vere pastores et patres praebeant animabus sibi commissis fideique etiam catholicae advenis. Ad hoc mundano luxu, nimia pompa et actibus sic dictis « protocol » qui magis terrenam legationem sapiunt, pro posse sese denudentur.

Ad simplicitatem apostolici temporis revertamur, dignitatem divinae legationis servantes magis in virtutum exercitio resplendentem quam in humanis artificiis. Auctoritas et dignitas patris et pastoris certe magis trahunt animas ad Christum Dominum quam humana pompa et artes sic nuncupatae « diplomatia ».

24

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

§ 1. *In genere* schema, Patribus propositum, doctrinam valde utilem continet, praesertim quidem de potestate episcoporum, de magisterio ordinario Summi Pontificis et episcoporum et de ratione laicorum in Ecclesia. In duobus tamen apparet insufficiens:

a) *Forma* eius, quamvis *nimis prolixa,* videtur simul *nimis canonica,* nec satis in Scripturis fundata et ad actionem pastoralem ordinata. Ortum etenim sumit a Patris consilio, quod nobis non innotescit nisi per Incarnationem; prosequitur tamen loquendo de Incarnatione: unde non pauca inutiliter repetantur. Immoratur etiam in quasdam inutiles et minoris momenti quaestiones. Tandem non satis ostendit quomodo doctrina de Ecclesia fundamentum habet in Scripturis et cum Incarnationis et Redemptionis mysteriis connectitur.

b) *Non* habet *sufficientem unitatem*: scil. non satis indicat connexionem internam inter varias affirmationes vel capitula. Quae dicuntur, ordine quidem logico ordinantur, scil. clare apparet quare hoc post hoc ponitur; non tamen quomodo unum ex altero profluit et cum illo intime cohaeret. Tandem non omnia connectuntur cum aliqua veritate seu mysterio fundamentali ex quo unitatem et ligamen haberent, v. g. non apparet quomodo secum cohaerent in episcopis iurisdictionis potestatem et ordinis.

Emendationes propositae. Ad hos defectus vitandos, simulque ad schema *de Ecclesia* melius ordinandum et illo lumine illustrandum de quo const. *Dei Filius,* « mysteriorum ipsorum, scilicet, nexus inter se » (Denz. 1796), tota doctrina de Ecclesia videtur exponenda ortum sumendo a divinarum missionum mysterio ex quo Ecclesia originem, finem, potestatem unitatemque suam recipit.

Non aliunde siquidem sumit *originem* Ecclesia quam a missione Filii, cuius missio apostolis et per eos Ecclesiae collata est continuatio: « Sicut misit me

Pater et ego mitto vos... », et a missione Spiritus Sancti a quo iidem apostoli « Virtutem ex alto » receperunt ad missionem a Christo collatam rite implendam.

Finis etiam Ecclesiae non est alia quam obiectum ipsum missionis Filii in mundum missi ad salvandos homines et obiectum missionis Spiritus Sancti ad eosdem sanctificandos.

Potestas Ecclesiae non est nisi participatio potestatis Christi cui « data est omnis potestas in caelo et in terra », potestas scil. quam spernentes « condemnabuntur »; participatio etiam virtutis « ex alto » collatae a Spiritu Christi.

Unitatem tandem accipit Ecclesia ab unitate Patrem inter et Filium, ad quam unitatem imitandam invitantur fideles « ut sint unum sicut et nos » donec consummationem habeat in caelis cum Christus « tradiderit Regnum Deo et Patri » (*1 Cor.* 15, 24).

Tali illustratum lumine, schema *de Ecclesia* clarius patebit in Scripturis fundatum, clarius apparebit eius indoles apostolica et oecumenica, clarius denique relationes inter diversas potestates, iurisdictionis scil. et ordinis enucleabuntur.

a) Magis apparebit *in Scripturis fundatum* cum saepe saepius in Evangelio agitur de missione Filii ad salvandos homines, de missione Spiritus Sancti ad eosdem sanctificandos.

Magis etiam in *traditione* et *magisterio,* cum haec doctrina pervulgata in scriptis Patrum, nostris quoque diebus non semel a Summis Pontificibus edocetur, a Leone scil. XIII, in Enc. *Divinum illud* (« L'Eglise », n. 618),[1] a Pio praesertim XII, sive in Enc. *Mystici corporis* (« L'Eglise », n. 1026-1033; *A.A.S.,* 35, 1943, pp. 204-207), sive in Nuntio radiophonico omnibus mundi monialibus directum (2 augusti 1958) ubi clare e missionibus Divinarum Personarum, missionis Ecclesiae originem, obiectum potestatem Pontifex eruebat (« L'Eglise », n. 1551; *D. R.* XX, p. 269).

Originem scil. his verbis: « Cette mission vient du Père: " Dieu a tant aimé le monde qu'il lui a donné son Fils unique pour que tous ceux qui croient en lui ne périssent pas mais aient la vie éternelle. Car Dieu n'a pas envoyé son Fils dans le monde pour juger le monde mais pour que le monde soit sauvé par lui " (*Io.* 3, 16-17). La mission est transmise par le Christ: " Comme mon Père m'a envoyé, je vous envoie " (*Io.* 20, 21). " Toute puissance m'a été donnée sur le ciel et sur la terre. Allez donc et enseignez tous les peuples et baptisez-les...! Je suis avec vous pour toujours jusqu'à la fin du monde " (*Mt.* 28, 18-20). La mission se fait dans le Saint-Esprit: " Vous recevrez la force du Saint-Esprit qui descendra sur vous et vous serez mes témoins... jusqu'aux extrémités de la terre " (*Act.* 1, 8). Cette mission apostolique de l'Eglise procède donc primordialement de la Trinité, Père, Fils et Saint-Esprit et nul ne peut en concevoir de plus haute, de plus sainte, de plus universelle, dans son origine comme dans son objet ».

Prosequitur Pontifex, indicando *obiectum* huius missionis seu finem Ecclesiae: « Quel est en effet l'objet de cette mission, sinon de faire connaître aux hommes le vrai Dieu, un dans la Trinité des Personnes, le dessein de la Rédemption

---

[1] Citationes documentorum pontificium pertinent ad collectionem voluminum « Les Enseignements Pontificaux, édités par les moines de Solesmes ». Numerus cuiusque citationis idem est in editione gallica (apud Desclée, Tornaci) et in editionibus anglica et italica (apud Pia Società San Paolo, Romae).

qu'il a opérée par son Fils, et l'Eglise fondée par le Christ pour continuer son œuvre? ».

Tandem ex transmissione missionis Christi ad Ecclesiam deducit *potestatem* Ecclesiae: « L'Eglise a reçu dans sa totalité le dépôt de la foi et celui de la grâce, toute la vérité révélée et tous les moyens de salut légués par le Rédempteur: le baptême (*Mt.* 28, 19), l'eucharistie et le sacerdoce: " Faites ceci en mémoire de moi " (*Lc.* 22, 19), la communication du Saint-Esprit par l'imposition des mains des apôtres (*Act.* 8, 17), la rémission des péchés: " Recevez le Saint-Esprit. Ceux à qui vous remettrez les péchés, ils leur seront remis " (*Io.* 20, 23), le gouvernement des fidèles par le pouvoir de juridiction exercé au nom du Christ et avec l'assistance permanente du Saint-Esprit (*Io.* 21, 16-17). Voilà évoquées en quelques mots les richesses divines dont le Seigneur a doté son Eglise pour qu'elle puisse accomplir ses tâches apostoliques parmi les vicissitudes de la vie terrestre et traverser ainsi les siècles sans que jamais les portes de l'enfer prévalent contre elle (*Mt.* 20, 16. 18) ».

b) Melius patebit Ecclesiae indoles pastoralis et apostolica, ex eo ipso quod finis missionis eius videbitur una cum fine missionis salvificae Christi et missionis sanctificatricis Spiritus Sancti, et ex hoc ipso ordinata ad omnium hominum salutem secundum illud: « Ite, docete omnes gentes... usque ad consummationem saeculi ».

c) Denique, quod maximi est momenti, ex relatione missionis Ecclesiae cum missionibus divinis, habebitur principium ex quo poterit erui tum origo diversarum potestatum Ecclesiae, iurisdictionis scil., magisterii et ordinis, tum inter eas connexiones et relationes.

Origo quidem: missio etenim a Christo collata « confert auctoritatem » (S. Albertus M.) seu iurisdictionem iis qui mittuntur (legitime per successionem apostolicam): « Quodcumque ligaveritis erit ligatum... », « Qui non crediderit condemnabitur ».

Missio autem Spiritus Sancti confert *potestatem seu virtutem instrumentalem requisitam* (ordinis quidem; cf. can. 333) et dotes (assistentia ad veritatem docendam) ad missionem auctoritativam rite adimplendam et fructuose exercendam: « Cum venerit Paraclitus, ille vos docebit... suggeret omnia... », « Sedete hic donec induamini virtute ex alto ».

Ex hoc eodem fonte eruitur *connexio inter utramque potestatem*. Sicut enim missio Filii non est missio nisi Filii spirantis Spiritum seu amorem (S. Th. I, q. 43, 3, ad 2) (et proinde eum mittentem); nec missio Spiritus Sancti est a Patre solo, sed semper etiam a Filio, sic neque missio data a Filio potest fructuose impleri nisi virtute Spiritus Sancti collata, nec potestas seu virtus a Spiritus Sancti missione derivata potest legitime exerceri nisi ab eis qui ab haeredibus missionis Christi legitime mittuntur.

His animadversionibus addantur aliqua alia, specialiter de episcopis.

De episcopis. Plura in hac re, ad actionem pastoralem et apostolicam rite et ordinate exercendam clare enucleanda videntur, sive de potestatis episcoporum origine et titulo, sive de eorum auctoritate tum in propria dioecesi tum extra fines proprii territorii, sive de relatione potestatis episcopalis cum Romani Pontificis potestate.

Ad hoc notata sunt quae sequuntur:

A) Ex Evangelio, clare apparet potestatem in Ecclesiam primo Petro solo col-

latam esse, deinde tantum omnibus apostolis, sed non sine Petro. Ut enim scribit Innocentius III ad patriarcham constantinopolitanum: « Quod si omnibus etiam apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributum esse cognoscens ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis » (PL 214, 760).

Notandum insuper, duodecim illi, cum Christus eis tradidit potestatem, non fuisse acervum quoddam inorganicum, sed collegium seu corpus iam organice constitutum, capite scilicet constans et variis membris (cf. Mansi, 52, 713-715; cf. etiam infra, n. B).

Nec dicatur, ex eo quod, Christo omnes interrogante, Petrus solus respondit, potestatem tunc collatam, collatam fuisse Petro personam duodecimorum gerente et proinde duodecimorum nomine exercendam, seu a Petro ut caput duodecimorum. Etenim:

a) ex eo quod omnibus interrogatis, Petrus solus respondit, satis apparet ipse eorum caput fuisse.

b) Modus loquendi Christi potestatem conferentis ostendit eum Petrum allocutum esse non tamquam aliorum personam gerentem sed ut personam individuam: eum vocat nomine proprio, Simon, et nomine patris sui Bar Jona, quod sane nihil habet commune cum relatione ad duodecim; beatum affirmat ex eo quod Pater revelavit, non quidem omnibus (secus dixisset: revelavit vobis) sed ipsi « tibi ».

Dat ei nomen Petri quod indicat gradum singularem et quidem unicum in Ecclesia cum agitur de rupe super quam aedificabitur aedificium ecclesiae super « fundamentum apostolorum » et quod super hanc rupem ponebitur, de rupe ex qua proinde totum aedificium firmitatem obtinebit (Vatican I, discours du 15-VI-70).

c) Quod Petrus nomine aliorum respondet Christo ostendit eum caput et ducem eorum, mediatorem (médiateur né) inter eos et Christum; nullo modo autem eum recepisse potestatem nomine aliorum ut supra nec exercere eorum nomine, sed Christi nomine. (Exemplum habebis ex parocho qui, data visitationis pastoralis occasione, episcopum alloquitur nomine fidelium, nullo modo autem auctoritatem suam eorum nomine exercet, sed nomine episcopi).

B) Sedulo distinguendum inter *collegium* et *collectionem* aliquam *individuorum,* etiam inter se per fidei et caritatis communionem unitorum.

Collegium quidem est *totum organicum,* membris constans inter se diversis et hierarchice connexis. Qua tale actionem habet propriam diversam ab actionibus singulorum membrorum etiam simul agentium.

Actionem hanc propriam collegii locum habere non potest ubi collegium non agit collegialiter, quod requirit actionem *in solidum* saltem membrorum essentialium. Unde nequit haberi collegium episcoporum apostolorum successorum, nisi adest Petrus eorum caput nec actio collegialis si non in solidum cum Petro exerceatur (Vatic. I, discours de Mgr Zinelli, 5-VII-70).

Nec sufficit ad talem actionem simplex communio cum Romano Pontifice. Communio quidem, ut indicat nomen, est connexio fidei, caritatis, oboedientiae, quae quidem requiritur ut unusquisque episcopus possit, etiam in sua propria dioecesi, manere unitus Christo, per unionem ad suum Vicarium et ad alios Ecclesiae episcopos; nullo modo sufficit ad collegium constituendum. (Si adhuc vis exemplum,

habes sacerdotes varios in uno congressu adunatos, in communione quidem cum oratore aliquo eos alloquente; et ex alia parte capitulum quoddam actionem unam efficientem ut una persona moralis).

Cum plures vel etiam multi episcopi inter se concertant ad normas similes in sua quisque dioecesi ponendas habes quidem decisionem *concertam,* non collegialem; quae concerta non habet vim in unaquaque dioecesi nisi illam quam proprius episcopus huius dioecesis ei confert, nullam autem in dioecesibus in quibus episcopi proprii eam non promulgant.

Si autem aliqui, etiam non multi, episcopi regulariter convocati in concilio plenario et simul cum legato Papae aliquam legem pro natione ferant, lex illa, etiam renuentibus aliis episcopis, vim habebit obligatoriam in omnibus dioecesibus huius nationis. Procedit enim non actionis plurimorum concertae sed vere alicuius *collegii* qua talis agentis et vim habentem pro omnibus ad quos auctoritas collegii se extendit.

Actio autem vere collegialis episcoporum locum habere nullo modo potest dum abest Papa (adesse potest sive per se sive per legatos sive legem a congregatione latam auctoritate sua firmando) (cf. Mansi, 32. 1110).

C) *Qua ratione vel titulo aliquis constituitur membrum collegii episcopalis?* Sola consecratione episcopali, scil., an missione canonica?

Praenotanda:

1. *Consecratio episcopalis* seu gradus supremus sacramenti ordinis confert, sicut omnis ritus sacramentalis, « quod significat ». Significat autem, tum ex materia quae est impositio manuum, tum ex forma cuius haec sunt verba essentialia: « Comple in sacerdote ministerii tui summam et ornamentis totius glorificationis instructum caelestis unguenti rore sanctifica » (Const. *Sacramentum Ordinis* 30-11-1947; *A.A.S.,* 1948, pag. 7) quam verba prima impositionis manuum « Accipe Spiritum Sanctum » illustrant, collationem aliquam Spiritus Sancti, ad spiritualem quamdam potestatem conferendam, vi cuius consecratus habet « potestatem aliquam spiritualem » et quidem instrumentalem seu ministerialem, quae, ut ait D. Thomas, « nihil est aliud quam potentiam activam tradendi ea quae pertinent ad cultum Dei » (III, q. 63, a. 2 et 3).

Consecratione igitur episcopali consecratus constituitur in supremo gradu hierarchiae spiritualis et fit *potens* consequendi ea quae sunt huius sacri ministerii scilicet sanctificandi fideles (virtute Spiritus Sancti) et eos recte docendi (cum assistentia eiusdem Spiritus Sancti), non confert autem mandatum potestatem exercendi.

Haec enim consecratio nihil apparet aliud esse quam continuatio in episcopis missionis Spiritus Sancti apostolis factae in die Pentecostes.

2. *Missio autem canonica* e contra apparet continuatio missionis Filii transmissae apostolis tum quando eis datur potestas ligandi et solvendi tum quando dixit eis Christus ante Ascensionem « Sicut me misit Pater et ego mitto vos... euntes ergo docete... ».

Non est quidem sicut potestas ordinis, potestas instrumentalis sed auctoritativa secundum illud S. Alberti Magni: « Missio confert auctoritatem » (*In Luc.* IV, 17, ed. Borguet, XXI, 366), auctoritatem quidem et ad subditos (ligandi) et ad illos ad quos dirigitur missio (omnes gentes), et implicat imperium exercendi actus necessarios ad missionem implendam (actus ad quos ponendos consecratio confert potentiam). His in memoriam revocatis:

1) *Sola ordinatio* nequit constituere aliquem membrum collegii episcopalis, suprema auctoritate in Ecclesia praediti. Etenim:

a) collegium est totum organicum cum vinculo hierarchiae subordinationis inter sua membra. Consecratio autem episcopalis constituit aequales nec dat inter eos vinculum subordinationis;

b) consecratio episcopalis dat potentiam aliquod munus ministeriale exercendi, non dat munus, dat gradum hierarchicum, non dat auctoritatem in aliquos subditos, nec, ut aiunt, « mandatum ». Non subditos, quia non dat iurisdictionem, nec indicat ad quos mittet cum non implicat de se missionem. V. g. nec sacerdos sua ordinatione sola habet auctoritatem sed solum gradum hierarchicum, nec fidelis, baptismo et confirmatione aggregatur ipso facto actioni catholicae sed requiritur mandatum quod correspondet missioni (cf. Pius XI, Lettre du 13-XI-28 au Card. Bertram, *Le Laïcat,* n. 473, voir le texte latin cité en note). Potest (consecratio episcopalis) quidem officium caritatis imponere erga eos qui indigent bonorum spiritualium et qui potestatem accepit potest seipsum ultro offerre ad eos sublevandos; non autem officium iustitiae quae erga solos concreditos obligat.

c) potestas ordinis episcopalis (a consecratione collata) potestas est instrumentalis constituens aliquem ministrum (instrumentum animatum) ad quosdam actus exercendos. Non autem dat potestatem propriam qualis est potestas suprema ecclesiastica cuius gaudet collegium episcoporum in solidum agens cum successore Petri. Potestas iurisdictionis est potestas regendi nomine proprio, supponit missionem. Potestas ordinis requiritur quidem ad munus rite obsequendum (unde can. 333) sive ad sacramenta administranda sive ad assistentiam Sancti Spiritus ad fructuose docendum.

2) *Missio autem canonica* dat *auctoritatem* in subiectos et ad alios ad quos missio dirigitur. Unde ad aggregationem ad collegium proprie dictum, i. e. iurisdictione praeditum, requiritur:

a) sive missio canonica qua aliquis deputatur ad ecclesiam regendam in tali dioecesi — ipso facto aggregatur collegio eorum qui in solidum cum successore Petri supremam potestatem accipiunt in Ecclesiam (ad hos actus supremos requiritur tamen actio *in solidum* cum Summo Pontifice, secus est actio membrorum collegii, non est actio collegialis);

b) missio aliqua specialis qua quis potentia episcopali pollens *vocatur* ad partem aliquam sollicitudinis universae sive in concilio sive extra concilium.

Ad argumenta in sensu opposito proposita.

1. Ex Scriptura: Petrus nomine aliorum respondet Christo, ergo potestatem suam exercet nomine aliorum. *R.*: Iam supra, in A, responsum dedimus. Cf. Relatio episcopi Calvensis in Vaticano I, die 13 iunii 1870.

2. Arguitur ex primitiva Ecclesia et ex missione itineranti Timothei et Titi. *R.*: Nullo modo probat actionem collegialem sed tantum auctoritatem apostolorum delegatam esse legatis qui visitationem ecclesiarum et episcoporum residentialium effecerunt sicut hodie delegati apostolici in regionibus missionum.

3. Arguitur ex conciliis. *R.*: Argumentum valet, sed tantum ad probandum collegialitatem episcoporum *a*) in conciliis coadunatorum; *b*) in solidum agentium cum Petro aut saltem ex eius approbatione vim expectantes suarum decisionum.

Etenim vero *a*) primum exemplum actionis collegialis sensu stricto apostolorum, et quidem unicum, est Concilium Hierosol. in quo Petrus praesidebat. *b*) Qui hoc argumentum afferunt concedunt decisiones conciliorum particularium non

habere vim ex seipsis sed ex promulgatione uniuscuiusque episcopi in sua dioecesi. Quod denotat actionem quidem concertam ut supra notavimus nullo autem modo collegialem sensu iam dicto.

4. Textus affertur Encyclicae *Fidei donum* Pii XII. *R.*: *a*) Hic agitur de dilatatione Ecclesiae in regionibus missionum, scil. erga nondum baptizatos. Non potest proinde agi de stricta iurisdictione quae nequit existere nisi in subiectos Ecclesiae. Ecclesia enim non iudicat de iis qui foris sunt. Neque proinde de collegialitate sensu stricto. *b*) Expressis verbis invitantur episcopi ad *caritatem* exercendam et opem praebendam operibus missionalibus sive S. Sedis sive episcoporum in ditionibus missionum positorum. Non de actione collegiali obliganti ad rationem reddendam *in iustitia*. *c*) Idem apparet ex his quae ab episcopis expectantur, scil. ut sacerdotes et munera sponte praebeant ad missiones augendas. Quae quidem sunt opera caritatis nullam actionem collegialem importantes.

In summa. In schema de episcopis, bene distinguenda:

a) Quae ab ordinatione seu *consecratione* episcopali conferuntur; quae a *missione* canonica, sive in ecclesiam particularem, sive ad opem praebendam actioni communi aliorum episcoporum, sive praesertim Sanctae Sedis.

b) Quid intelligitur per actionem collegialem, quid per actionem concertam.

c) Quaenam sit potestas episcoporum in solidum cum Papa agentium, quaenam sine Papa, sed tantum in communione cum ipso manentium.

25

EXC.MUS P. D. THOMAS ROBERTS
Archiepiscopus tit. Sugdaeus

Cum in secundo schemate, distributo mense decembri 1962, agitur de *usu auctoritatis*, haec proponuntur.

Inter Ecclesiam Romanam ceterosque christianos, divisiones fundantur in quaestione auctoritatis, quippe quae istis appareat vel usurpata, vel exaggerata, vel abusibus plena. Unde suggeritur Concilium debere statim, ut rem summi momenti, tales abusus *investigare*, ut 1) fiducia habeatur Concilio; 2) appareat Concilium serio velle reformationes instituere; 3) via aperiatur tum sacerdotibus tum laicis filialiter exponendi necessitates suas atque querelas.

Ergo: 1) Rogetur Concilium suffragium ferre de instituenda commissione ad hunc finem assequendum; cuius commissionis scopus sit 2) accurata examinatio curiarum matrimonialium, et Rotae Romanae et curiarum dioecesanarum. (Haec res nimis urget quam ut expectetur revisio Codicis Iuris Canonici); 3) examinatio administrationis iuris, in causis et criminalibus et contentiosis; 4) investigatio S. Officii: cum sibi vindicet auctoritatem supremam, cuius decisiones non raro Vicarium ipsum Christi implicant, num revera aut habet aut meretur fiduciam talem qualis omnino necessaria est in omni gubernatione bona.

Num mutato nomine ab « Inquisitione » ad « S. Officium » (1908) revera mutata est methodus essentialis? Licet hodie vitam ipsam libertatemque tollere nequeat, quid tamen de iure quodam non minus fundamentali bona fama?

Num modus agendi *secreto* aut fiduciam aut reverentiam promovet? Quomodo modus agendi comparari potest cum programmate Dominico (uti citatur in sche-

mate II ex *Mt.* 18, 15-17) quoad iustitiam? caritatem? Ius ne quis damnetur inauditus? Nonne debet auctoritas christiana vitare vel umbram suspicionis actionis arbitrariae et tyrannicae? 5) *Pars laicorum in Ecclesia.* Examini subiciatur et ius et officium filialiter repraesentandi ea quae pertinent ad fundamentalia quatenus sunt sponsi et sponsae, parentes, iurisconsulti, scriptores, editores, etc. 6) *Privilegium fori.* Exemptio clericalis a iurisdictione civili *de facto* finem fere habet; forte debet Commissio pensare num debeat et *de iure* aboleri, eo quod *a*) sanctiones mere ecclesiasticae vix videantur hodie efficaciam habere; *b*) tales sanctiones aedificationem vix augeant in regionibus ubi sanctiones civiles vere efficaces sunt contra quemlibet abusum auctoritatis; *c*) vitari debeat rixa inter civilem et ecclesiasticam legem, qualis hodie viget in Anglia, ubi catholicus si a praelato infamiam patitur, excommunicationi subiacet si sibi vindicat ius quod cuilibet alio apertum est. 7) Stricte examinetur, nullo habito personarum respectu, libertas communicationis inter ipsum Summum Pontificem suosque episcopos. Immo qualem responsabilitatem habeant cardinales congregationibus praefecti circa ea quae subditi sui faciant.

26

Exc.mus P. D. MAURITIUS PAULUS ROUSSEAU

Episcopus tit. Ausafensis

In cap. I: *De Ecclesiae militantis natura.* N. 1. In hac paragrapho omnino retineatur mentio de peccato Adami protoparentis necnon de redemptione per oblationem Christi. Haec enim essentialia sunt mysterio Ecclesiae militantis super terram. Christus missus est in hunc mundum et fundavit Ecclesiam non tantum ut diffunderet divitias sapientiae et sanctitatis, sed imprimis ut genus humanum misere delapsum a peccato redimeret. Omissio huius muneris redemptivi, sub specie cuiusdam reditus ad theologiam Patrum orientalium, constitueret gravissimam amputationem in doctrina fidei de Christo Salvatore et de ipsa Ecclesia.

N. 2. Optime asseritur Unigenitus Filius Dei factus homo esse novum caput totius generis humani cum triplici magistri, sacerdotis et regis per se et per electos a se praepositos exercituro munere. Sed peropportunum videtur addendum esse tale munus non tam in quadam praelatione honorifica quam in humili servitio sive ipsi Christo sive toti communitati christianae redditur.

In finem huiusmet par. 2 brevis mentio fiat de Ecclesia triumphante ad quam constituendam, natura sua, Ecclesia militans ordinatur. Quae caelestis Ecclesia, praeter membra Ecclesiae militantis quae in statu gratiae de hac vita decesserunt, omnes angelos bonos, omnes sanctos qui ab Adamo usque ad ipsum Christum vixerunt, immo omnes homines etiam non baptizatos qui, cum speciali gratia Christi, sincere usque ad mortem adimplere desideraverunt voluntatem Dei, amplectatur.

N. 5. Retineatur etiam expressa mentio de *visibilitate* Ecclesiae militantis super terram. Loquendo de connexione interna membrorum (pag. 11, lin. 8) declaratur quod talis connexio non solum *conformitatem,* sed *realem participationem* naturae ac vitae cum Christo implicat. Parabola etenim vitis ac palmitum ostendit vitam supernaturalem non tantum imitare vitam ipsius Christi, sed ab ea derivari ut a fonte proprio.

In eadem pag. 11, lin. 22, post verbum « aegrota », addatur « vel etiam quasi

mortificata ». Sic Concilium apertam relinquet controversiam de modo loquendi circa hunc punctum. S. Thomas ipse, III Pars, q. 8, art. 3 ad 2, illos christianos qui « peccatis subduntur » comparat cum membris *mortificatis* qui adhuc moveantur aliqualiter ab homine.

In cap. II: *De membris Ecclesiae militantis.* N. 9. Quamvis conservanda sit doctrina ex Litteris Encyclicis Pii XII *Mystici Corporis,* non tamen strictior illius interpretatio in Concilio promulgetur. Libertatem theologis relinquatur circa modum loquendi de « membris » Ecclesiae militantis.

Ad hunc finem obtinendum, ita emendatur textus schematis (pag. 15, lin. 14): « Etsi plures relationes reales existunt in ordine iuridico et sacramentali, immo exsistere queunt in ipso ordine *gratiae sanctificantis aliorumque donorum supernaturalium,* quibus omnis *homo* baptizatus cum Ecclesia *connecti potest,* et, *sensu latiore et incompleto, membrum eius etiam vivum dici queat*: tamen ii soli, ex antiqua traditione *pleno* ac proprio sensu Ecclesiae membra vocantur, ex quibus ipsa Ecclesia, ut est una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis, in unitate fidei, sacramentorum et regiminis, coalescit. Ii igitur *plene* et proprie membra Ecclesiae dicendi sunt, *praeter omnes pueros quocumque modo valide baptizatos ad aetatem rationis nondum perventos, homines adulti* qui, regenerationis lavacro abluti... etc. ... compage seiuncti sunt. *Sensu latiore et incompleto membra, etiam viva, Ecclesiae adhuc dici possunt alii adulti baptizati qui, speciali Dei gratia, vitam spiritualem in corde retinent.* Voto autem ad Ecclesiam ordinantur... etc. ».

Certum etenim videtur homines, qui baptismum validum inter sectas haereticas receperunt, remanere, pleno sensu, membra viva Ecclesiae usque dum ad aetatem rationis pervenerint, et ipsimet, usu rationis adepto, remanere adhuc membra viva (etsi sensu incompleto) eiusdem Ecclesiae quoadusque gratia baptismalis per peccatum grave et voluntarium destructa non sit in eis.

In cap. III: *De episcopatu.* N. 11. Recte enuntiatur sacramentalitas ordinis episcopalis.

In cap. IV: *De episcopis residentialibus.* N. 14. (Pag. 23, lin 3): Expungantur verba « quibus iurisdictio constat ». Haec sententia enim, quamvis vera et sat communis inter auctores, adhuc controvertitur. Facilius ab omnibus admitteretur haec formula: « *munera quoque magisterii et regiminis in quibus, saltem pro parte, Iurisdictio collocatur* ». Etenim recentiores theologi non pauci putant onus magisterii episcoporum, de iure divino, extendi ad ipsos infideles super quos tamen nullam habent iurisdictionem.

Placet valde distinctio inter « potestas » quae confertur et quidem iure divino, per sacram ordinationem, et « exercitium » eiusdem potestatis, quod licitum fructuosumque non est sine missione a regimine supremo accepta.

N. 16. Plura dicenda essent de collegio episcoporum. Retineatur principium fundamentale iuxta quod actus vere collegialis episcoporum haberi non potest sine participatione actuali Summi Pontificis, sive per seipsum, sive saltem per delegatum. Sub n. 16 unice tractatur de collegio universali episcoporum, sive de Concilio oecumenico, cuius potestas est ordinaria et de iure divino. Exercitium tamen huius potestatis, coadunationem consensumque omnium episcoporum una cum Romano Pontifice in uno eodemque actu cooperantium complectens, non nisi extraordinario modo fieri potest, ut ipsa experientia demonstrat.

Si vero de aliquo collegio particulari episcoporum (v. g. unius nationis, vel provinciae) ageretur, actus vere collegiales adhuc exerceri possent dummodo Sum-

mus Pontifex, sive per seipsum, sive per delegatum, conventui praefuisset. Quamvis tales actus collegiales frequentius faciliusque exerceri possint, non tamen videntur unquam constituere modum ordinarium exercendi munus sive regiminis, sive magisterii in aliqua parte Ecclesiae.

Actus tandem a sola congregatione quorumdam episcoporum eliciti (etiamsi omnes in communione cum Sede Apostolica permanent) per se nunquam dici possunt collegiales. Effectum suum etenim non obtinent nisi per expressam approbationem Summi Pontificis vel saltem, pro unaquaque dioecesi, episcopi proprii. Tales vero approbationes iam amplius non sunt actus collegiales.

In cap. V. Nihil obiicitur, nisi forsan quod caput istud remitti posset ad constitutionem peculiarem de religiosis.

In cap. IX. Quae dicuntur sub n. 42 circa officia religiosa Potestatis civilis omnino placent et retinenda sunt ad repellendam invasionem laicismi etiam inter populos usque nunc christianos.

Item placet principium generale applicationis sub n. 43 enunciatum.

Cap. X videtur remittendum esse ad unicum schema *de unitate christianorum.*

27

Exc.mus P. D. LAURENTIUS SATOSHI NAGAE
Episcopus Urawaensis

Desideratur nova redactio schematis *de Ecclesia,* quod melius respondeat normis a Summo Pontifice in sermone 11 octobris et iterum in ordine agendorum 5 decembris datis et votis multorum Patrum in Concilio expressis. Praesertim curandum est quod schema spiritu pastorali-oecumenico redigatur sive quoad materiam tractandam sive quoad formam expositionis.

Materiae praecipue tractandae erunt: 1) de natura Ecclesiae, eiusque necessitate et missione; 2) de structura essentiali Ecclesiae nempe de episcopis et de populo christiano.

I. *De natura Ecclesiae.*

1. Ante omnia illustretur Ecclesiam esse *mysterium-sacramentum* in quod populus Israël (*Mc.* 4, 11-13) et gentes (*Eph.* 3, 3) convocantur ad salutem obtinendam (*Didachè,* XI, 11; *Const. Ap.* I, 8, c. 1, n. 1). Ecclesia est realitas divina originis caelestis sub signis visibilibus nobis communicata, nostram sanctificationem constituens. Per sacramentalitatem Ecclesiae etiam eius duplex elementum scil. charismaticum et visibile illustrari posset. Cum Ecclesia sacramentum cosmicum sit, patet eius necessitas pro genere humano ita ut non baptizati non tantum voto subiectivo individuali sed ratione quadam obiectiva et quidem ut quid totum collectivum ad Ecclesiam ordinentur.

2. Deinde ope imaginum et figurarum biblicarum natura et aspectus essentiales Ecclesiae profundius explicari possunt.

a) *Populus Dei*: qua figura consilium Dei aeternum in historia generis humani in realitatem deductum apte illustrari potest. Hisce relatio inter Ecclesiam et *regnum Dei* explicanda est ut eius character socialis, culticus, sanctus et eschatologicus appareat.

b) *Corpus Christi*: qua figura praesertim unio intima et stricta subiectio

Ecclesiae ad Christum explicatur. Omnino evitandum est ut explicatio ad conceptum secundarium alicuius organismi visibilis restringatur sed insistendum est in aspectu primario doctrinae paulinae Corporis Christi qua illustratur participatio nostra in passionem, mortem et resurrectionem Christi, maxime in coena eucharistica, sacramento centrali, sacramentaliter realizata.

c) *Sponsa Christi*: Qua imagine illustratur aspectus praesertim eschatologicus et vocatio Ecclesiae decursu temporis magis magisque se perficienda et etiam se purganda ut tandem aliquando coram Patre apparere possit « sine ruga et macula ».

d) Hae imagines et aliae ut *domus, templum Dei, grex, ovile, columna veritatis* se invicem complent ideoque simul considerandae sunt, neque obliviscendum est agi de imaginibus et non de conceptu abstracto.

3. Tandem breviter et sobrie firmiterque affirmetur Ecclesiam esse in statu terrestri societatem visibilem et hierarchicam, usque ad finem mundi permansuram, unam, sanctam, catholicam et apostolicam.

II. *De necessitate Ecclesiae ad salutem.*

1. Ex ipsa natura Ecclesiae elucet eius necessitas ad salutem. Nemo enim salvatur nisi per coniunctionem cum Christo Salvatore. Haec autem coniunctio non potest haberi sine coniunctione cum Ecclesia ut patet ex doctrina Corporis Christi. Ea quae dicitur de necessitate baptismi, asserenda est etiam de Ecclesia.

2. Omnes homines ergo ad Ecclesiam pertinere debent ut salventur, etsi de facto non omnes, qui salvantur, eodem modo ad eam pertineant. Gradus autem pertinentiae difficile exprimitur terminis scholasticis qui praecisionem exigunt. Ad evitandam discussionem interminabilem, potius describantur concrete et sine istis terminis varii casus, qui diversimodam relationem hominis ad Ecclesiam spectant. Id facile fieri potest absque ulla obscuratione veritatis.

3. Evitetur terminus « membrum Ecclesiae », cum de eo disputent theologi. Neque ponantur baptizati acatholici in eodem gradu cum non-christianis, qui voto mere implicito ad Ecclesiam referuntur (ut fieri videtur in schemate pag. 15, linn. 30 sq.). Exhibeatur potius positive vera unio supernaturalis, etsi imperfecta, baptizatorum acatholicorum bonae fidei cum Christo Capite, quae quoad rem ab omnibus theologis catholicis agnoscitur (*Summ. Theol.* III, q. 8, a. 3 et a. 6). Agnoscantur etiam dona supernaturalia extra Ecclesiam visibilem a Deo hominibus sinceris Christumque amantibus collata. Quae dona sunt apud ipsos vestigia Ecclesiae.

4. Declaretur etiam ardens desiderium Ecclesiae Matris ut omnes qui christiano nomine gloriantur, cum ipsa perfecte uniantur. Deinde asseratur sincerus animus apostolicus Ecclesiae erga homines non-christianos, annuntiandi nempe ipsis « Evangelium gratiae Dei » (*Act.* 20, 24) et inserviendi voluntati Dei salvificae erga eos.

III. *De episcopis et de sacerdotibus.*

1. Apud catholicos et apud multos etiam acatholicos magna habetur exspectatio quod Concilium Vaticanum II completurum sit doctrinam Concilii Vaticani I circa sacram hierarchiam per ampliorem tractationem de episcopis.

2. Expositio initium sumat ab institutione collegii 12 apostolorum, cui Christus sacras potestates contulit et cuius caput Petrum constituit, prout refertur in

Novo Testamento. Cui collegio 12 apostolorum successit *collegium episcoporum* unitorum cum suo capite Romano Pontifice, successore Petri.

3. Cum de praerogativis Romani Pontificis peculiariter actum fuerit in Concilio Vaticano I, nunc fusius de episcopis agendum est. Ostendatur ergo quod sacrae potestates a Christo Domino collegio apostolorum collatae, in collegio episcoporum perseverant, debita distinctione facta inter potestatem ordinis et illam iurisdictionis; et quomodo per consecrationem episcopalem legitime acceptam habetur insertio fundamentalis et sacramentalis in istud collegium.

4. Ostendatur ulterius quomodo episcopi ut successores apostolorum (et quidem non singulorum certorum apostolorum, sed membrorum collegii apostolorum) exerceant sacras potestates erga portionem gregis Christi singulis ut veris pastoribus commissam et quomodo *collegialiter* et uniti cum capite collegii habeant munus doctrinale-pastorale pro universa Ecclesia, quod munus maxime apparet in Concilio Oecumenico, etsi non unice ad hoc limitetur. Haec positive et lucide exponantur, ita ut plena luce appareat figura episcopi catholici: et ut summi sacerdotis, veri doctoris ac boni pastoris populi sui, et ut membri totius collegii episcoporum collaborantis ad aedificationem universalis Ecclesiae.

5. Desideratur insuper ut etiam in textu doctrinali habeatur mentio de principio generali structuram iuridicam Ecclesiae respiciente nempe de organo centrali regiminis et de conferentia episcopali. Unde sequentia proponuntur:

a) Cum regimen iuris divini collegiale Ecclesiae extra Concilium Oecumenicum minus visibile evadat, maxime expedit ut quoddam *organum permanens, episcopatum universum quodam modo repraesentans,* instituatur ita ut exercitium Primatus harmonice cum regimine collegiali componi possit.

b) Ut regimen collegiale etiam in nationibus efficax evadat, valde desideratur conferentia episcopalis vel nationalis vel regionalis ut *organum permanens potestate deliberativa-exsecutiva praeditum.* Necessitas instituendi tale organum iam clare patet ex schemate *de sacra Liturgia* fere unanimiter a Patribus approbato. Aliunde ex experientia constat conferentiam episcopalem in can. 292 contemplatam cuius deliberationes vi carent obligatoria, non sufficere ad rem moderandam in hodiernis rerum adiunctis. Necessitas dicti organi maxime urget in missionibus sicut in Iaponia ubi agitur de convertendo intero populo alicuius nationis. Tunc enim iam non sufficit ut singuli episcopi independenter et singillatim curam habeant de propria parva dioecesi, sed requiritur ut totae activitates missionales sub consilio aspectuque nationali ab omnibus episcopis collegialiter examinentur, coordinentur et promoveantur personis et mediis simul collatis.

6. Tandem sermo fiat *de presbyteris* ut adiutoribus episcoporum. Etiam haec expositio sit positiva et illustrans sublimitatem ordinis sacerdotalis, in quo etiam presbyteri sunt « ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1) pro salute populi, ita ut sacerdotes hanc declarationem Concilii legentes, in amore sanctae vocationis roborentur. Utiliter addi potest quod presbyteri, secundum antiquam traditionem constituunt quasi senatum episcopi vinculis intimis cum eodem uniti ad bonum Ecclesiae procurandum.

7. Si quid ulterius dicendum videtur *de magisterio,* hic addi potest. Declaratio tamen sit brevis et concinnata, ne repetantur quae iam omnibus sufficienter notae sunt. Similiter si sermo faciendus sit *de auctoritate et obedientia* in Ecclesia, hic fieri potest breviter et positive exponens doctrinam de natura et dignitate obedientiae. Evitandae sunt tamen enumeratio errorum et condemnationes.

IV. *De populo christiano.*

1. Post tractationem de sacra hierarchia statim sermo fiat de populo christiano. Non videtur hic locus esse tractandi de statu perfectionis (sicut fit in schemate), quia status perfectionis non est aliquis gradus intermedius, divinitus constitutus, inter clerum et laicos.

2. Ne fiat definitio laicorum imprimis negative (ut in schemate pag. 37, linn. 25 sq.), sed magis positive ostendatur eorum dignitas *ut populi Dei.* Quae dignitas peculiari modo resplendet in *sacerdotio universali,* quo omnes baptizati active participant in cultu et in opere sanctificationis mundi. Certe indicanda est distinctio inter hoc sacerdotium universale omnium baptizatorum et sacerdotium ministeriale per sacramentum Ordinis collatum.

3. Illustretur situatio specifice laicalis seu vocatio laicalis i. e. vita saecularis ut talis in mundo, qua laicus legitimo fine mundano inseritur ex una parte, et nihilominus situatio specifice christiana constituitur ex altera parte. Hoc magni momenti est ut nobilitas christiana in statu laicali appareat ita ut laici non se considerent massam subiugatam.

4. Tandem breviter tangi potest de apostolatu laicorum sub aspectu doctrinali. De hac re tamen consulendum est schema aliud ut discordantiae et repetitiones evitentur.

V. *De perfectione christiana.*

1. Cum totum schema *de Ecclesia* non sit redigendum ad instar tractatus iuridici de variis statibus in Ecclesia, instituendus non est sermo specialis de statu religioso in capite separato. Expedit tamen expositio de perfectione christiana in genere, quae clericos, laicos et religiosos spectat.

2. Ante omnia sermo habeatur de perfectione christiana quae consistit in caritate perfecta, ab omnibus sive clericis sive laicis appetenda et acquirenda. Deinde explicanda sunt consilia evangelica tanquam media ad perfectionem sive clericis sive laicis proposita ut media in se meliora non autem absoluta.

3. Valor status perfectionis in quo publice profitetur observantia consiliorum, ut via ad perfectionem ab Ecclesia agnita, recognoscatur et simul agnoscenda et commendanda est vita illorum qui perfectionem consiliorum extra communitates religiosas prosequuntur.

4. Aspectus propheticus et eschatologicus illorum qui consilia evangelica sive intra sive extra instituta religiosa prosequuntur, illustretur.

VI. *De relatione inter Ecclesiam et Statum.*

1. Si Concilium de hac materia agere velit, respicere debet status praesentes, quales in concreto de facto existunt; secus tractatio tota manet in ordine ideali et abstracto sine valore pastorali pro nostra aetate.

2. Exclusis quibusdam statibus, magna pars civium non sunt catholici in multis statibus. Unde inutile est loqui de officiis religiosis potestatis civilis. Potius loquendum erit de *libertate conscientiae, cultus, apostolatus* eiusque summo valore pro prosperitate societatis civilis, de obligatione *cooperandi ad bonum commune* ex parte christianorum et de similibus.

3. Cum non agatur de relatione inter Ecclesiam et Statum sub omnibus aspectibus, titulus mutandus erit: De libertate religiosa.

VII. *De obligatione Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus.*

1. *De missione* Ecclesiae Concilium alio modo loqui debet quam fit in schemate cap. X, pagg. 74-76. Nam expositio in schemate facta est valde unilateralis, offensiva.

2. Schema respicit missionem sub aspectu iuridico affirmans et extollens iterum iterumque ius Ecclesiae ad praedicandum. Etsi ius praedicandi implicite contineatur in verbis Christi apostolos suos mittentis ad omnes gentes, necessitas annuntiandi Evangelium iam ex ipsa natura regni caelorum deducitur. Natura sua regnum caelorum crescit et est in incremento. Granum est sinapis quod fit arbor, ramos eius extendens ad terram universam (*Mt.* 13, 32; *Dan.* 4, 9. 18). « Ultro enim terra fructificat... usque ad messem » (*Mc.* 4, 28 s.). Praedicatio Christi, quae ab Ecclesia perficitur, apparuit et nunc quoque hominibus apparet sicut lux solis post noctem: « Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam, et sedentibus in regione mortis lux orta est eis » (*Mt.* 4, 18).

3. Christiani, si vere christiani sunt, non possunt non illuminare mundum sua luce: « vos estis lux mundi... non potest civitas abscondi etc. » (*Mt.* 5, 14-18). Lux autem nostra quae gentes illuminat, in operibus bonis praesertim in caritate habetur.

4. Ergo missio Ecclesiae non est tractanda primarie sub aspectu iuridico et particulari respicienti relationem inter Ecclesiam et potestates civiles (ut fit in pag. 75) sed sub aspectu spirituali et universali nempe instaurandi omnia in Christo ita ut in luce ponantur vigor iuvenilis et sollicitudo materna quibus Ecclesia aspirationes legitimas honestaque conamina hominis et populi hodierni recognoscit et benedicit eorumque doloribus et aerumnis subvenit. Ab omnibus exspectatur sermo magistralis speque plenus Concilii circa missionem Ecclesiae in mundo hodierno in quo agitantur et in dies crescunt nova problemata et difficultates ordinis moralis, culturalis, scientifici, socialis etc.

5. Tandem sermo consolatorius habendus est. Lux nostra magis clarescit quando persecutionem patimur et a nobis confessio fidei exigitur (*Mt.* 5, 11), et tunc enim hora est boni testimonii et incrementorum spiritualium Ecclesiae (*Mt.* 10, 19 s.). Certe, in temporibus nostris, inter homines qui revera sub umbra mortis sunt, a Concilio exspectatur non proclamatio iurium, sed sermo consolatorius qui ex medulla Evangelii procedit.

VIII. *De Oecumenismo.*

Cum aliud schema praeparetur, hic nihil dicendum est.

IX. *De Beata Maria Virgine.*

1. Si Concilio placet addere quaedam de B. Maria V., hic poterit sermo fieri de Ea uti *typo Ecclesiae* exemplari et eschatologico, utpote Mater et Virgo singularis. Desideratur tamen ut totum praesentetur quasi complementum tractatus de Ecclesia et sine intentione pronuntiandi nova dogma. Haec intentio de qualificatione theologica clare manifestetur oportet, ne postea inutiles dubitationes et discussiones oriantur.

2. Suadendum est ut non tantopere insistatur in titulo et munere *mediatricis omnium gratiarum,* sicut fit in schemate. Praesertim quia explicatio de mediatione Mariae, diversa ab illa Christi et ab illa ministrorum Christi, non est satis clara.

Videtur totam argumentationem potius causare confusionem doctrinalem inter catholicos simpliciores et reddere difficiliorem intellectu mariologiam.

3. Omittenda est mentio de integritate corporali in partu incorrupta et illibata, praesertim ratione prudentiae pastoralis.

Nota finalis. Desideratur ut tota constitutio *de Ecclesia* concipiatur sub aspectu *missionis* quam Ecclesia habet in mundo hodierno. Omnes exspectant ut Ecclesia mentem suam manifestet circa problemata maiora quae hodie in toto mundo homines anxios reddunt uti e. g. circa iustitiam socialem, circa pacem et iustitiam inter gentes, circa iuvamina populis minus evolutis miseriaque oppressis praebenda, circa arma atomica. Etsi in constitutione *de Ecclesia* de his gravissimis problematibus directe sermo fieri non possit, tamen haec problemata semper prae oculis habenda sunt in redigendo textu constitutionis. Secus enim tota tractatio et quoad materiam et quoad formam manebit in ordine ideali et abstracto sine valore pastorali pro hominibus hodiernis.

28

Exc.mus P. D. ALBERTUS SOEGIJAPRANATA
Archiepiscopus Semarangensis

Omni qua par est reverentia eminentiam vestram certiorem reddere liceat nos modo tantum audisse ab exc.mis ac rev.mis DD. episcopis esse requisitum, ut si quae haberent observanda de schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* ea Romam mitterent versus finem huius mensis februarii.

Dolendum est hunc nuntium ad nos serius pervenisse — idque non immediate a secretariatu Concilii Vaticani II, sed aliunde — quam ut possimus nunc longe lateque exponere defectus haud leves, quibus hoc schema (licet sub quibusdam respectibus laudem mereatur) laborare arbitremur, et propter quos schema, nisi prius penitus recognoscatur funditusque emendetur, nobis placere nequeat.

Speramus fore ut eminentia vestra benigne nobis ignoscat, quod propter difficultates, quas hic in Indonesia experimur in litterarum cursu publico (servizio postale), non statim animadversiones nostras ad particularia descendentes Romam mittere valeamus. Eas autem post schema diligentius accuratiusque adhuc examinatum resque maturius perpensas quam primum cum eminentia vestra rev.ma communicabimus, idque nomine omnium Indonesiae RR. DD. episcoporum.

Interim vero expedire iudicamus obiectiones nostras in genere tantum et breviter delineare.

1. Schema deficere iudicandum est quoad indolem pastoralem qua hodie etiam decretum doctrinale praestare oportet, necnon quoad spiritum catholice oecumenicum.

2. Schema caret structura organica et perspicua sicut et recto capitum inter se ordine.

3. Schema non satis prae se fert cognitionem exegeticam quoad ecclesiologiam, neque sufficienter traditionis de Ecclesia Christi doctrinam effert. Tacet insuper de qualificatione theologica, quam toti schemati et singulis sententiis adscribere velit.

4. Quoad ipsam doctrinam praecipue deficit:

a) in exponendo naturam Ecclesiae et doctrinam de Ecclesiae membris.

b) In explicanda doctrina de collegialitate episcopatus universi, propter

quod et schema gravi quadam incertitudine et incohaerentia laborat respectu doctrinae de hierarchia, quae certo praecipuis huius Concilii quaestionibus est annumeranda.

c) In elaboranda doctrina de obedientia ecclesiastica (ubi nempe non satis ponderari videntur concretae nostri temporis difficultates).

d) In determinando relationem Ecclesiam inter et statum, quae — sicut in praesenti schemate exhibetur — neque situationem neque indigentias concretas satis respicit, quae hodie quoad hanc doctrinae materiam considerandae omnino sunt, praesertim cum schema prorsus taceat de iusta conscientiae religiosae libertate.

e) In exponenda Ecclesiae missione apud gentes non-christianas; quae schematis doctrina caret vera aestimatione stationis talium gentium earumque gubernii.

Iamvero cum schema nostro iudicio tot tantisque defectibus laborare videatur, *neque* interim voto « placet iuxta modum » accipi potest, quia — si tali voto schema constitueretur « in possessione » — emendationes absolute necessariae vix aut ne vix quidem possent obtineri.

Pro momento ulteriorem harum animadversionum explicationem et elaborationem in posterum remittentes, speramus nos satisfecisse muneri nobis iniuncto.

29

Exc.mus P. D. FELICISSIMUS STEPHANUS TINIVELLA

Episcopus tit. Canensis, coad. Taurinensis

Osservazioni generali.

1. L'attuale schema sulla Chiesa appare un'introduzione dottrinale sintetica, ai vari schemi messi in programma per i lavori conciliari.

I capp. 3 e 4 sono in rapporto con lo schema X.
Il cap. 5 è in rapporto con lo schema XI.
Il cap. 6 è in rapporto con lo schema XII.
Il cap. 7 è in rapporto con lo schema XV, cap. 5.
Il cap. 9 è in rapporto con lo schema VII.
Il cap. 10 è in rapporto con lo schema XVIII.
Il cap. 11 è in rapporto con lo schema XX, cap. 4.
Così come si presenta, lo schema non offre una chiara idea della Chiesa.

2. Per ottenere questo sembra più conveniente presentare la Chiesa:

I. *come popolo di Dio* (descrivendo le condizioni di vita comune a tutti senza alcuna distinzione, per le quali tutti sono, allo stesso modo, fedeli);

II. *diretto da pastori* (episcopato);

III. *presieduto* da un capo supremo (di quest'ultimo non vi è che qualche accenno, spesso ripetuto, senza che abbia però il rilievo che merita. Il fatto che il Concilio Vaticano I abbia trattato ampiamente questo argomento non sembra motivo sufficiente per non metterlo, come capitolo a parte, in tutto il risalto che merita).

Uno schema così proposto non vuole essere un trattato teologico sulla Chiesa, ma vuole corrispondere al progetto chiaramente inteso dal Concilio Vaticano I ar-

restatosi con il tema sul Sommo Pontefice (per i motivi storici che tutti conoscono) alla « Constitutio I de Ecclesia ».

3. Bisognerà evitare che di alcuni schemi successivi non si dia più la premessa dottrinale, perchè già posta nel presente schema della Chiesa, mentre altri siano preceduti da tale premessa, nonostante che essa sia già stata posta qui e forse con mentalità e terminologia diverse (per esempio: tema dell'*Ecumenismo* qui al cap. XI e nello schema XX).

4. Senza qualificare ognuna delle dottrine proposte, perchè questo non rientra nella prassi conciliare ma è affidato ai teologi che commenteranno gli atti del Vaticano II, è opportuno precisare il modo di presentazione di una dottrina che sia di fede (credenda) o di assenso irreformabile (tenenda).

5. Perchè il discorso sulla Chiesa sia più efficace, soprattutto riguardo ai Fratelli separati, sembra indispensabile precisare di più, parlando della natura e dei fini della Chiesa, i termini biblici di: servizio, ministero, apostolato e simili, in modo che risulti chiaramente il carattere di servizio dell'autorità (*Mt.* 20, 24-28) a favore della salvezza dei fedeli e la presenza operante di Gesù Cristo e della sua grazia, amministrata nella Chiesa, in virtù dello Spirito Santo. Ma tutto ciò non può essere fatto solo come si sono richiamate nel cap. I le principali figure bibliche, perchè non si tratta soltanto di una questione letteraria (ricordare i termini biblici più importanti) ma di una questione di contenuto da approfondire.

6. Lo schema risente di un giuridismo, che potrebbe essere qua e là utilmente evitato o ridotto (cf. infra).

Osservazioni particolari.

Cap. I, pag. 9, titolo: 1. « *De Ecclesiae natura* », si aggiunga « *et finibus* » (e questi vengano poi chiaramente enunziati).

2. Il termine « *militantis* », può essere omesso qui ed anche in seguito come superfluo e non opportuno: *a*) sia perchè esso non esprime l'aspetto principale, sotto cui la Rivelazione presenta la Chiesa (cf. pag. 10, lin. 23 ss.); *b*) sia perchè imposta, fin dall'inizio, il discorso sulla Chiesa da un punto di vista troppo giuridico.

Cap. II, pag. 15, lin. 8: « per votum Baptismi », si aggiunga subito « commune et explicitum vel implicitum et inscium » (cf. pag. 15, linn. 26 e 30). Pag. 15, linn. 9, 26: non è ammesso da tutti che chi ha il voto (esplicito o implicito del battesimo) *sia solo ordinato verso la Chiesa.* Esiste, al riguardo, una controversia molto animata ed il Concilio non può, quasi solo per transennam, avvalorare una delle due sentenze. Chi ha un voto del Battesimo tale che risponda ad un vero e proprio battesimo di desiderio, per alcuni, appartiene *di fatto* alla Chiesa e non è solo potenzialmente ordinato ad essa, quantunque sia fuori dubbio che la sua appartenenza non è perfetta.

Pag. 16, lin. 25: « qui reapse ». L'espressione, afferma ed insinua che anche chi non è eretico o scismatico in senso formale (cioè colpevolmente tale) non è realmente membro della Chiesa. Altro è *a*) non essere perfettamente membri della Chiesa, *b*) altro, non essere reapse membra Ecclesiae.

Si accenni chiaramente alle due posizioni: 1) appartenenza attuale alla Chiesa, contraddistinta dalla non appartenenza attuale e dalla sola ordinazione ad essa. 2) Appartenenza attuale e perfetta alla Chiesa, contraddistinta dalla appartenenza anch'essa attuale, ma imperfetta.

Questo punto è di incalcolabile importanza per una dottrina della Chiesa e per un dialogo ecumenico. La soluzione proposta da qualcuno (« Notre texte ne parle des membres de l'Eglise, qu'au sens vrai et propre. Si quelqu'un entendait donner à ce mot un sens impropre, il n'en serait pas empêché par la presente Constitution », relazione poligrafata Fr. Mr Gagnebet, O.P., Rome, le 2-12-1962, pag. 6) non rappresenta una concessione notevole della prima alla seconda posizione, ma è una conferma che si nega la qualità di membro a chi è fuori della Chiesa Cattolica.

Una affermazione nella relazione sopra citata (pag. 5, linn. 26-28) sembra confondere il valore dottrinale delle Encicliche che prese collettivamente costituiscono il magistero ordinario della Chiesa, con quello di *una Enciclica.* Se di fatto il Conciilo si rifiutasse di fare questo (per assurdo) bisognerebbe concludere che non solo esso si pone contro il magistero ordinario della Chiesa, ma che, quello proposto, non era il magistero ordinario della Chiesa.

Cap. III, pag. 20, titolo: La contrapposizione tra episcopato come supremo grado del sacramento dell'Ordine ed il sacerdozio, non è ben espressa nel titolo. Dal titolo infatti sembra che l'episcopato non sia sacerdozio, ed il sacerdozio non sia dovuto al Sacramento dell'Ordine. Si propone come più opportuna la tradizionale espressione: « Sacerdozio del primo ordine » (episcopato) e « sacerdozio del secondo ordine » (presbiterato). Ottima l'intenzione di definire l'ordinazione episcopale come il supremo grado del sacramento dell'ordine.

Sembra opportuno aggiungere *la dottrina* sul rapporto tra vescovo e sacerdoti, vista da un punto dogmatico, che offra il fondamento a quanto si dirà sui rapporti giuridici e pastorali tra vescovo e clero.

Cap. IV, pag. 23, n. 14: Primatus et episcopatus. Certamente l'aspettativa che è nella Chiesa di veder approfondita la dottrina del rapporto tra Primato ed Episcopato non potrà essere soddisfatta da quanto è espresso in questo n. 14. L'aspetto sotto il quale è trattato il rapporto è prevalentemente giuridico ed è espresso con una dottrina ormai divenuta comune (missione, deposizione, trasferimento, giurisdizione, ecc.). La terminologia e lo spirito di S. Leone Magno e di S. Gregorio Magno (citati nel testo) danno un saggio del modo come la questione dovrebbe essere diversamente trattata e presentata. Si veda l'osservazione generale fatta sopra, *foglio 2, n. 5.*

Cap. IV, pag. 24. Se questo capitolo deve essere una premessa *dottrinale,* dello schema pratico disciplinare (schema decreti de episcopis et dioeceseon regimine) bisogna stabilire *qui* la dottrina che sottostà: 1) ai rapporti tra vescovi e SS. Congregazioni della Curia Romana; 2) all'istituto giuridico dei vescovi coadiutori ed ausiliari; 3) alle conferenze nazionali episcopali.

In ogni caso anche se si volesse rimandare allo schema X la determinazione dottrinale (come sembra risulti, fin d'ora, almeno per il n. 3 « Conferenze nazionali episcopali » dall'elenco degli schemi) la trattazione non può essere qui tralasciata, perchè non si può trattare il rapporto Primato-Episcopato senza tener conto della Curia Romana, nè del collegio dei vescovi e loro rapporto con la Chiesa, senza estendere il discorso, in un piano dottrinale (in attesa di quello pratico), sulle Conferenze Episcopali Nazionali e sui vescovi coadiutori.

Cap. V, pag. 33, linn. 29-30: « motiones Sancti Spiritus *assidue secundans* »; espressione di quel « trionfalismo » già denunziato, che può essere utilmente evitata

o attenuata. Pag. 33, lin. 38: communio, aggiungere « in caritate », per ricordare la dottrina comune nella Chiesa che pone la perfezione nella carità.

Cap. VI, pag. 37: « *De laicis* ». Laici non è qui, evidentemente, sinonimo di « fedeli », ma bisogna dirlo espressamente.

La successione dei capitoli manifesta una mentalità giuridica, che dovrebbe essere attenuata e ridotta ai limiti dello stretto necessario e conveniente.

Non è possibile fare un discorso sulla Chiesa senza presentare la Chiesa *prima di tutto* come una comunità di *fedeli,* dove cioè tutti sono chiamati a credere, sperare ed amare; dove la distinzione, da questo punto di vista, non è data da chi ha autorità (Pontefice, vescovi, presbiteri, ordinati) o chi ha un posto speciale nella Chiesa (stati giuridici di perfezione), ma unicamente da chi crede, spera, ama, di più o di meno. Papa, vescovi... sono prima di tutto dei *fedeli.*

Anzi potrebbe essere utile presentare il Sommo Pontefice, per un carisma speciale di Dio, come il primo credente, espressione visibile e modello supremo magistrale della fede della comunità e nella comunità.

La stessa considerazione potrebbe essere estesa all'episcopato.

Pag. 40, linn. 14-15. Sembra più opportuno stare al primitivo rigore della commissione preparatrice dello schema, evitando il termine « *Azione Cattolica* ».

Cap. VII, pag. 48. *De Ecclesiae magisterio.* Se l'indefettibilità è promessa alla Chiesa (*Mt.* 16-18), si dovrebbe qui trattare del rapporto tra Maestro supremo (Sommo Pontefice) e maestri (episcopato) infallibili che non possono condurre la Chiesa nell'errore, e la Chiesa stessa, come popolo di Dio, che non può cadere nell'errore. In che senso la Chiesa come comunità è infallibile? Qual è il valore dottrinale del sensus christianus? Ritorna la stessa osservazione fatta sopra foglio 1, n. 2, 1.

Cap. IX, pag. 64: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.* Quantunque il principio generale enunziato del rapporto tra Chiesa e Stato sia di estrema importanza e rappresenti la prima dichiarazione del genere, mai fatta finora espressamente in alcun documento pontificio, tuttavia potrebbe essere utilmente determinato.

Queste determinazioni dovrebbero tener presenti i paesi cattolici, quelli non cattolici, quelli religiosamente pluralisti.

Cap. X, pag. 74: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi...* Si parla di necessità o *dovere* che la Chiesa ha di predicare, per concludere, giustamente, al potere ed al *diritto* che Essa ha di essere ascoltata e, rispettivamente, al *dovere* che tutti gli uomini hanno di sentire, credere e ubbidire.

Tutto questo è vero, ma non è l'unico aspetto, nè il più pastoralmente adatto, soprattutto in terra di missione o in nazioni non cristiane. Si parli piuttosto di Chiesa al servizio degli uomini.

Cap. XI, pag. 80: *De oecumenismo.* Quantunque il capitolo sia redatto assai bene ed abbia meritato, a suo tempo, gli elogi della commissione centrale per l'ampiezza delle sue vedute e la sua apertura ai problemi più recenti, tuttavia, in un argomento così complesso, si propone di collocare qui come presupposto sintetico dottrinale sull'ecumenismo anche le eventuali considerazioni che verranno più ampiamente presentate nello schema XX tutto quanto dedicato allo stesso soggetto.

30

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO

Archiepiscopus tit. Aprensis

Praenotandum. Inaugurando Concilium Oecumenicum Vaticanum II enixe exhortabatur Summus Pontifex Ioannes XXIII Patres conciliares ut ad sacros originis Ecclesiae fontes redirent ad verius mysterium Ecclesiae adumbrandum. Nam, via per historiam ad factum Ecclesiae ducens melius quam ulla alia apta esse videtur ad inficiendos labores supradicti Concilii spiritu pastorali et oecumenico. Iamvero historicus sibi proponit investigare factum fundationis Ecclesiae a Christo, qui dicebat Petro: « Tu es Petrus et super hanc petram *aedificabo* Ecclesiam meam ». Quaeritur igitur quo modo et qua ratione Christus Ecclesiam suam aedificaverit, quam diversis designat nominibus scil. regnum Dei, domum Dei, ovile, vitem etc. Ab initio fundationis Ecclesiae Christus pergit aedificando ipsam usque ad consummationem saeculi.

1. *Christus est fundamentum Ecclesiae.* Vocabulum « Ecclesia » designat populum congregatum vel convocatum, nam Ecclesia est populus Dei seu « Israël Dei », qui vocatur etiam « populus acquisitionis ». Populus acquisitionis qui prius sedebat « in umbra mortis » et erat subiectus peccato, et quem Christus acquisivit sanguine suo. Ipse Christus factus Pontifex obtulit Deo Patri sanguinem suum ad redimendos peccatores liberando eos a peccato et a morte et promerendo pro eis adoptionem filiorum Dei in die suae gloriosae resurrectionis.

Igitur populus Dei, « Israël Dei » constituitur ex hominibus praeditis libertate « qua liberavit nos Christus » et privilegio divinae adoptionis, qua « particeps divinae naturae » efficitur.

2. *Christus aedificat Ecclesiam suam.* In ipsa die suae resurrectionis cepit Christus aedificare Ecclesiam suam inaugurando regnum Dei. Etenim Christus est « Petra anguli » supra quam aedificatur Domus Dei, scil. Ecclesia. Ipse est etiam bonus pastor qui « venit salvare quod perierat » et congregare homines in uno ovili. Iterum ipse est caput quod aedificat corpus suum.

Sed Christus aedificator, iam a tribus annis elegit duodecim homines quibus dedit nomen « apostoli », scil. « missi ». « Mitto vos sicut misit me Pater ». Nam, Christus, « testis Patris », manebit invisibilis cum sua Ecclesia et mediante Ecclesia sua omnibus hominibus intendit proponere Evangelium, scil. nuntium aeternae salutis.

Ipse Christus missurus est Spiritum Sanctum qui testimonium perhibebit de illo. Dicebat etenim discipulis suis in die suae gloriosae Ascensionis: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos et eritis mihi *testes* in Ierusalem et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae » (*Act.* 1, 8).

Die Pentecostes « repleti sunt » apostoli « Spiritu Sancto et ceperunt loqui ». Spiritus Sanctus consecravit illos *testes* Christi. Iam, mediantibus apostolis Spiritus Sanctus testimonium perhibebit de Christo.

« Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione quae sub caelo est. Facta autem hac voce venit multitudo et mente confusa est quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes » (*Act.* 2, 5-6). Prior omnibus apostolis loquitur Petrus quia ad ipsum dicta sunt haec verba a Christo:

« Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Pasce oves meas... Tibi dabo claves regni caelorum... Confirma fratres tuos ». Cum venit Petrus ad resurrectionem Christi adiunxit dicendo: « Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos videtis et auditis » (*Act.* 2, 32-33).

Spiritus igitur loquitur per os Petri, Spiritus quem « videtis et auditis »; sermo ergo Petri est « sermo Dei qui est vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus... » (*Hebr.* 4, 12). Proinde testimonium Petri est ipsum testimonium Spiritus Sancti. Sine mora operatus est Spiritus Sanctus conversionem audientium testimonium quod perhibebat de Iesu labiis Petri. « His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: " Quid faciemus, viri fratres? ". Petrus vero ad illos: " Paenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu in remissionem peccatorum vestrorum et accipietis donum Spiritus Sancti " » (*Act.* 2, 37-38).

« Qui ergo receperunt sermonem eius, baptizati sunt; et appositi sunt in die illa animae circiter tria millia » (*Act.* 2, 41).

Iste est novus Israël, populus Dei, a Christo convocatus mediante testimonio Spiritus Sancti qui per os apostolorum loquitur multitudini adstantium. Coetus seu collegium apostolorum est instrumentum quo Spiritus Sanctus perhibet testimonium de Christo. Ergo testimonium apostolorum nihil aliud est quam testimonium Spiritus Sancti hominibus manifestatum. Sequitur quod sermo apostolorum eorumque testimonium est verum ministerium. Etenim post electionem septem diaconorum Petrus dixit adstantibus: « Nos vero, orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 4).

Paulus autem dicebat: « Deus posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo » (*2 Cor.* 5, 20).

Primum, apostoli repleti sunt Spiritu Sancto et facti sunt testes resurrectionis Christi. Deinde, ministerio apostolorum, tria millia hominum receperunt Spiritum Sanctum et « appositi sunt » coetui apostolico ad formandum quasi nucleum Ecclesiae.

Ipsi autem apostoli conscii sunt de legatione qua pro Christo funguntur atque de eorum ministerio quia « repleti sunt de Spiritu Sancto », propterea in primo illo concilio hierosolymitano scribebant ad fideles ex gentilitate conversos: « Visum est Spiritui Sancto et nobis » (*Act.* 15, 28). Conscii sunt enim cooperatores esse Spiritus Sancti.

Audiatur et alius testis, apostolus Ioannes, qui scribebat in prima sua epistola: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris; quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et vita manifestata est et vidimus et *testamur* et annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis; quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis ut et vos societatem habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo » (*1 Io.* 1, 1-3).

Proinde, mediante testimonio apostoli fideles societatem habent cum coetu apostolorum omnesque simul, scil. apostoli et fideles, societatem habent cum Patre et Filio eius, Iesu Christo. Sed cum testimonium apostoli nihil aliud est

quam testimonium Spiritus Sancti, haec duplex societas scil. apostolorum et fidelium cum Patre et Filio eius est opus Spiritus Sancti.

Redeamus ad Actus Apostolorum et videamus quo modo Petrus exponit suam agendi rationem disceptantibus fratribus de Cornelio ad fidem vocato. « Cum autem cepissem loqui, dicebat Petrus, cecidit Spiritus Sanctus super eos sicut et in nobis ab initio. Recordatus sum autem verbi Domini, sicut dicebat: Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Si ergo eamdem gratiam dedit illis Deus, sicut et nobis qui credidimus Iesum Christum, ergo quis eram ut possim prohibere Deum? » (*Act.* 11, 17-18).

Unde sequitur quod tota Ecclesia, totus populus, apostolorum congregatio et fidelium eumdem Spiritum Sanctum receperunt.

Tota igitur Ecclesia in suis membris regitur a Spiritu Sancto, apostolo testante: « Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult » (*1 Cor.* 4-8).

Existit igitur in Ecclesia aliqua aequalitas inter omnia membra eius et vera unitas essentialis, cum omnes eumdem donum Spiritus Sancti acceperunt et omnes Spiritu Dei aguntur cum omnes sunt filii Dei, quia « in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudaei sive gentiles sive servi », et potest adiungi, « sive apostoli sive fideles ».

Sed super omnes divisiones gratiarum, ministrationum, operationum et ceterorum charismatum eminet donum caritatis. « Aemulamini, dicebat Paulus ad Corinthios, charismata meliora. Et adhuc excellentem viam vobis demonstro » (*1 Cor.* 12, 31 et 13, 1). Si charismata omnia transibunt, « caritas numquam excidit ». « Nunc autem manent fides, spes et caritas, tria haec; maior autem eorum est caritas » (*1 Cor.* 13, 13). « Caritas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis ». Sequitur inde quod in Ecclesia omnia ministeria, omnia dona, omnes operationes unum et idem scopum habent, fovere, nutrire, augere et defendere caritatem.

Audiatur iterum Dominus: « Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem » (*Io.* 13, 35).

Et discipulus prosequitur: « Si diligamus invicem, Deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus et ipse in nobis quoniam de Spiritu suo dedit nobis » (*1 Io.* 4, 12-13). « Deus autem *lux* est et tenebrae in eo non sunt ullae » (*1 Io.* 1, 5). Filii ergo Dei, sunt filii lucis et proinde debent fugere opera tenebrarum, scilicet peccatum et omnia quae ad peccatum proripiunt scilicet mundum « quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae » (*1 Io.* 2, 16).

Populus Dei est « gens sancta », scilicet gens separata a peccato et a mundo, quia haec duo non possunt coexistere cum caritate. De his omnibus optime tractat Ioannes in sua epistola prima. Insuper populus Dei est « regale sacerdotium » qui participat sacerdotio Christi. Populus Dei « est sacerdotium sanctum » quod debet « offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo ».

Quae sunt illae « spirituales hostiae » nisi complexus operum quorum radix est fides quae per caritatem operatur. « Animas vestras — scribebat Petrus —

castificantes in obedientiam caritatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius, renati non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum » (*1 Pet.* 1, 22-23).

Si intendimus hodie attentionem hominum captare simulque cum fratribus separatis dialogum instituere et prosequere, debemus insistere super aspectum spiritualem Ecclesiae non excludendo aspectum socialem et iuridicum. Ratio est quia Christus unum tantum signum distinctivum dedit Ecclesiae suae scil. caritatem, dicendo: « In hoc cognoscunt *omnes,* quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem ». Dilectio autem est donum Spiritus Sancti. Unde, ductu Spiritu Sancto, tota Ecclesia debet perhibere testimonium de caritate quae superat omnia alia charismata, omnes alias gratias et omnes alias operationes. Denique dicendum est quod ipsa unitas visibilis Ecclesiae quam vocant hodie socialem est argumentum insufficiens per se, si separata invenitur a caritate, ad alliciendum fratres separatos.

Sequitur quod in schemate de Ecclesia Concilium debet insistere super aspectum spiritualem Ecclesiae cum hodie tam apud catholicos quam apud non catholicos expectatur magis aspectus spiritualis Ecclesiae quam socialis quae est quasi pars technica Ecclesiae. Videtur quod ipsa moles technici progressus minatur proterere dignitatem humanam simulque libertatem. Consequens est quod homines intendant effugere e servitute technicismi vertendo se ad res spirituales.

31

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

A) *In genere.*

Schema, generaliter loquendo, mihi placet. Liceat tamen sequentes animadversiones facere.

1. Enixe desideratur ut schema *de Ecclesia* magis respondeat normis directivis expressis a Summo Pontifice in sermone diei 11 octobris a. D. 1962 in occasione solemnis aperturae Concilii Oecumenici Vaticani II et votis multorum Patrum in congregationibus generalibus expressis. Schema, prout iacet, non est satis pastoralis, missionaria et oecumenica. Et prae oculis habere oportet conditiones et circumstantias hodiernas vitae populorum ideologice, psychologice et sociologice valde mutatas.

2. Schema tacet de qualificatione theologica, quam toto schemati et singulis sententiis adscribere velit. Quamvis pateat nullatenus omnia in eo accipi posse tamquam doctrinam irreformabilem, clare declarare oportet Concilium Oecumenicum non velle imponere novas definitiones dogmaticas.

B) *In specie.*

De cap. I: De Ecclesiae militantis natura.

a) Post expositionem de natura Ecclesiae, statim succedere potest doctrina de *necessitate Ecclesiae,* non autem de membris Ecclesiae.

b) Post brevissimam mentionem variarum imaginum et figurarum, quibus in S. Scriptura natura Ecclesiae significatur, schema statim transit ad figuram *corporis* tamquam figuram principalem. Iamvero hae imagines se mutuo illustrare

debent ideoque simul considerandae sunt. Immo hic « corporis » non satis sensu biblico sed primarie in conceptu alicuius organismi visibilis intelligitur.

c) Terminus « militantis » potest intelligi ab acatholicis in sensu intolerantiae.

d) Hoc schema loquitur, in multis locis, acsi Ecclesia esset aliqua essentia abstracta, non vero vivens in vicissitudinibus historicis.

e) Loco termini « rex » (pag. 9, lin. 23) dicatur « pastor » et loco « gubernii » (pag. 10, lin. 6) autem « ministerium ».

De cap. II: De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.

a) Titulus huius capitis debet esse: De Ecclesiae necessitate. Et in alio capite sermonem instituat de membris Ecclesiae, hae duo satis disparata sunt. Quae hoc in capite exponuntur, habent ordinem inversum ac ordo tituli.

b) Cum adhuc disputetur inter theologos de membris Ecclesiae, primo evitetur terminus « membrum » Ecclesiae, secundo melius esset contemplari diversos casus, in quibus aliquis diverso modo, perfecte vel imperfecte, Ecclesiae Christi incorporari potest.

De cap. III: De episcopatu ut supremo gradu sacramenti Ordinis et de sacerdotio.

a) Schema dicit: « Sancta Synodus declarat episcopos, etiam sola vi sacramenti suscepti, presbyteris, in hierarchia nempe Ordinis, superiores esse » (pag. 20, linn. 19-21), sed tacet de *natura interna differentiae* inter episcopum et simplicem sacerdotem ratione potestatis in Ordinatione acceptae.

b) Fortasse etiam presbyteri in quadam collegialitate considerari possent. Presbyteri non sunt singuli cooperatores sui episcopi tantum, sed quasi « senatum » sui episcopi constituunt, caritate inter se et cum episcopo coniuncti.

De cap. IV: De episcopis residentialibus.

a) Schema recte dicit potestatem episcopalem esse « potestatem propriam, ordinariam » (pag. 23, lin. 25), immo esse « iuris divini » (pag. 23, lin. 28), ita ut episcopi omnes dicantur esse « vicarii Christi » (pag. 22, lin. 7) et una cum capite « unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » (pag. 24, lin. 27). Haec vero potestas episcopalis a schemate videtur sub n. 15 negari et ad territorium dioecesanum restringi et ad aliquam sollicitudinem pro tota Ecclesia limitari.

b) In cap. VII, ubi est sermo de magisterio ipsius collegii episcoporum cum eius capite, schema dicit, etiam extra concilium oecumenicum, collegium, licet dispersum, cum et sub capite eius, munus magisterii infallibilis exercere posse. In cap. III et IV, quod munus vocatur potestas iurisdictionis (quae complectitur et magisterium et regimen pastorale). Sed huiusmodi iurisdictio in universam Ecclesiam, ut iam dictum est, sub n. 15 negari videtur. Quid dicendum est de hac expositione apparenter contradictoria?

De cap. V: De statibus evangelicae acquirendae perfectionis.

a) Ut schema quidem dicit statum perfectionis non esse intermedium inter clericalem et laicalem conditionem, vocatio religiosa dirigi potest ad clerum et ad laicos. Fundamentaliter sunt in Ecclesia duae categoriae hominum iuris divini, i. e. clericatus et laicatus. Ideoque hoc caput ponendum est immediate post cap. VI.

b) In schemate accuratius loquendum esse videtur etiam de vita christianorum qui consilia evangelica prosequuntur *extra communitates religiosas*. Schema

videtur potius abstractam naturam vitae perfectionis describere, quin eius realizatio concreta in circumstantiis concretis statuatur. Sunt quoque personae in sic dictis institutis saecularibus quae vivunt in spiritu paupertatis, castitatis et oboedientiae, etsi votis religiosis non nuncupentur, et quae laborant multum pro Deo et Ecclesia.

De cap. VI: De laicis.

a) Fere exclusive hoc caput schematis considerat laicos sub respectu cooperationis eorum cum apostolatu hierarchiae Ecclesiae.

b) Post sermonem de s. hierarchia, statim sermo fiat de laicis ut iam dictum est. Cum habeatur discussio inter theologos de termino « laicus », in titulo expresse evitetur terminus iste. Alibi autem eum adhibere potest, si commode describi nequeat. Potius « populus christianus » simpliciter adhibeatur.

c) Cum laici sint elementum constitutivum Ecclesiae, magis positive ostendentur eorum status et dignitas ut populus Dei N. T.

d) Ut consonantia habeatur et inutiles repetitiones evitentur, habitudo huius capitis ostendatur ad schemata de apostolatu laicorum praeparata a commissione praeparatoria de apostolatu laicorum, et de confraternitatibus praeparato a commissione praeparatoria de disciplina cleri et populi christiani.

De cap. VII: De Ecclesiae magisterio.

a) Sermo sit de hac re statim post caput « de episcopis residentialibus ».

b) Quaestiones adhuc disputatae inter theologos, vel aperte relinquendae vel cautius dicendae sunt.

c) De auctoritate theologorum (pag. 50, linn. 19-26) non deberet fieri sermo hoc in capite. Missione canonica etc. possent quidem theologi participare in munere doctrinali ipsius hierarchiae (pag. 50, linn. 26-29). Eorum auctoritas utique specifice differt ab auctoritate episcopi. Auctoritas mere doctrinalis (pag. 50, linn. 19-26), est auctoritas humana, quam etiam laici eruditi possunt habere. Attamen valde commendantur labores theologorum ad progressum cognitionis fidei assequendum, ita ut evangelizatio necessitatibus temporis bene respondere possit.

De cap. VIII: De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.

a) Generatim loquendo, schema bene loquitur de ista materia tanti momenti. Cum haec materia habeat intrinsecam connexionem cum capite praecedente, potuisset agi hac de re in ipso capite praecedente.

b) Exoptatur ut in hoc capite magis spiret animus collaborationis inter eos, qui hierarchice inter se distinguuntur.

De cap. IX: De relationibus inter Ecclesiam et Statum.

Hoc caput hanc materiam tractat potius in ordine ideali. Ideoque vix habere potest valorem practicum pro nostra aetate. In statibus Asiae, exceptis Insulis Philippinis, maxima pars civium neque sunt catholici neque christiani. Etiam in sic dictis statibus christianis, maior pars civium non pertinet ad Ecclesiam catholicam (ut in Anglia, U.S.A., Germania, etc.). In ceteris statibus praedominans esse videtur character laicalis status et voluntas admittendi quamlibet religionem. Ideoque inutile esset nimis insistere officiis religiosis potestatis civilis. Loquendum potius est de iusta libertate conscientiae, de libertate cultus et apostolatus eiusque fructibus, et de obligatione catholicorum cooperandi ad bonum commune. Status hodierni huiusmodi sermonem intelligere possunt et uberiorem fructum cooperationis Ecclesiae obtinere valent.

De cap. X: De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.

Ex iam dictis de natura Ecclesiae et de eius necessitate in cap. I et II, patet obligatio Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus. Attamen, si vero tractari oporteat de hac materia, omnino prorsus alio modo exponenda videtur quam fit in schemate, cap. X, pagg. 74-76. Expressio in schemate est unilateralis et inadequata et sic offendere potest animum populorum et guberniorum non christianorum, quorum hospitalitate missionarii catholici gaudent. Schema intendere supponitur inculcare et defendere iura Ecclesiae contra potestatem saecularem. Ista suppositio falsa est relate ad populos et status non christianos, in quibus, uti in Iaponia, missionarii omni libertate gaudent et religio etiam catholica, sicut ceterae religiones, variis privilegiis legalibus fruitur. Debemus gratum animum exhibere erga talia gubernia et nationes. Modus loquendi autem in schemate adhibitus graviter offendere potest animos populorum et guberniorum non christianorum.

In schemate, nulla mentio fit de obligationibus missionariorum erga societates civiles non christianas, earum legitimas auctoritates et leges et consuetudines. Immo aliqua expressio in schemate ita sonat ac si Ecclesia se consideret exemptam a legibus civilibus. Totum schema alio modo conficiendum est. Ex una parte demonstrandum est munus Ecclesiae Evangelium annuntiandi omnibus populis cum omnibus suis beneficiis, ex alia parte appellandum est ad libertatem conscientiae quam omnes gentes modernae excultae agnoscere et tueri profitentur. Simul parum loquendum est de iuribus Ecclesiae, et declaretur sincera aestimatio Ecclesiae erga populos non christianos voluntasque contribuendi ad eorum progressum et felicitatem.

De cap. XI: De oecumenismo. Quae dicuntur, generatim loquendo, theoretica et plus minusve auctoritativa sunt. Schema continet etiam quasdam expressiones, quae aliquomodo offendere possunt animum fratrum separatorum.

Redactio huius capitis committatur secretariatui pro fovenda unitate christianorum.

De B. Maria Virgine, Matre Dei et Matre hominum. Schema in genere mihi placet. Sed mihi videtur sermo de B. M. V. fieri debere in eadem constitutione *de Ecclesia,* tamquam complementum tractationis de Ecclesia et sine intentione definiendi nova dogmata. Nam B. M. V. est typus et membrum praeeminens Ecclesiae utpote Mater Dei et hominum, specialibus privilegiis exornata.[1]

32

Exc.mus P. D. IOSEPH ZIMMERMANN

Episcopus tit. Ceryniensis, aux. Augustanus

Ad cap. I. Verissima de corpore Christi mystico doctrina vix recte intelligi posse videtur, nisi prius sermo fiat de corpore mystico in genere et de corpore mystico Adae in specie.

I. *De corpore mystico in genere.*

Corpus *mysticum* distinguitur a corpore *physico* et a corpore *morali*. Corpus *physicum* (quod in casu supponitur vivum), pluribus partibus materialibus com-

---

[1] *Subsignavit etiam*: Petrus Matsuoka, ep. Nagoyaensis.

positum, unico per se animatur principio vitali, quod actiones membrorum in bonum totius dirigit ita, ut membra qua talia propria individualitate careant. Membra non sunt pro se sed pro toto. Succus in plantis, sanguis in animalibus totum corpus physicum pervadit. *Signum,* unitatem corporis physici demonstrans, praeter unitatem externe apparentem est unicum systema circuitus sanguinis, unicum systema nervorum, ordinata organisatio membrorum, quae evidenter in bonum totius et speciei operari cernuntur. Signum *vitae* corporis physici est nutritio, incrementum, propagatio, sensatio, motus ab intrinseco etc. Membrum a corpore physico abscissum, cum ratione essendi pro se careat, vitam per se perdit. (Membra essentialiter operari in bonum totius non minuitur eo, quod accessorio modo seu accidentaliter adhibeantur in bonum aliorum).

Corpus *morale* habetur, si plures personae sese in associationem quandam plus minusve arcte coniungunt ad finem aliquem communiter attingendum, puta ad musicam colendam. Membra corporis moralis individua cum dignitate personali manent et una communi idea quasi principio vitali connectuntur, quin libertatem amittant. Membra corporis moralis primo et per se non sunt in bonum totius, sed tota associatio est in bonum singulorum. Membrum igitur a corpore morali discedens perdit quidem rationem membri, sed nec vitam neque individualitatem. (Item patet, rationem essendi corporis moralis esse bonum uniuscuiusque membri non mutari eo, quod finis associationis statuatur cura infirmorum vel aliquid huiusmodi, quia persona individua sibi hunc finem proponit et ad hunc finem melius assequendum membrum fit associationis). *Signum* unitatis corporis moralis est tum communis et visibilis cooperatio membrorum in finem, tum ordo associationis certis legibus statutus cum praeside, secretario etc.

Corpus *mysticum* tum corporis physici tum corporis moralis elementa in se coadunat ita, ut partim cum eis consonet, partim ab eis discrepet. Ad huius rei intelligentiam adducatur insigne corporis mystici naturalis exemplum, quod est familia. Membra familiae non coniunguntur inter se quadam idea tantum, sed realitate physica, quae est tum copula genitorum tum generatio prolis, qua transmittuntur dispositiones hereditariae et constituitur unio sanguinis. Finis quoque familiae invenitur non libere electus, sed natura praefinitus: generatio prolis et mutuum adiutorium. Coniuges enim natura sua ad hunc finem aptantur. Ex altera parte membra corporis mystici familiae personae sunt, propria dignitate et libertate gaudentes, sicut habetur in corpore morali. Omne membrum proprio principio vitali animatur, quod tamen eiusdem speciei est. Propter hanc dignitatem humanam membra familiae non sunt in bonum totius familiae tantum, sed totum quoque est in bonum uniuscuiusque membri personalis. *Signum* visibile unitatis corporis mystici familiae invenitur complexum, nempe similis constitutio corporalis, indoles, saepissime et facies filiorum et genitorum, vita communis sub uno tecto et victus in una mensa, mutuum in caritate adiutorium et praeprimis ordo in familia vigens, qui item non arbitrarie, sed ex natura rei statuitur, quo pater est caput cum omnibus capitis iuribus et officiis.

Corpus hoc bene nuncupatur mysticum ob tensiones in corpore hoc exsistentes, quae non quidem ratione sed praxi tantum solvi possunt. Membra familiae simul etenim ligamine physico generationis et sanguinis *iuncta* et propria individualitate *separata* sunt; voce sanguinis ad mutuum adiutorium vocantur et voce individualitatis ad « sacrum egoismum» impelluntur; finis membrorum est bonum familiae simulque finis familiae est bonum singulare membrorum; singula membra

proprio animantur principio vitali (sc. anima), attamen omnes animae unius eiusdemque speciei sunt (sc. imitationes concretae seu realisationes unius animae rationis in Deo), etc.

II. *De corpore mystico Adae.*

Corpus mysticum Adae est ipse Adam simul cum toto genere humano ab eo descendente. Quae de similitudine et dissimilitudine familiae singularis respectu corporis physici et corporis moralis dicta sunt, modo ampliato de hoc mystico Adae corpore seu de familia gentium valent. Quare enarrationem singulorum omittere liceat. Quoad *signum* unitatis generis humani notandum est, hoc inveniri in aequali omnium hominum constitutione in essentialibus et in societate diversimoda ab hominibus in civitatibus, in nationibus, immo et in toto terrarum orbe impulsu naturali fundata. Societas universalis, omnes homines et nationes complectens, evidens esset signum unitatis generis humani. Ordo civilis cuiusvis formae ita necessario cum genere humano connectitur, ut anarchia contra naturam sit.

Corpus Adae mysticum ab initio miseram subiit ruinam. Hoc ut probe intelligatur, sciendum est, protoparenti non tantum finem naturalem datum fuisse, sc. multiplicationem generis humani et dominium terrae, sed Deum primo homini etiam communicationem vitae divinae tribuisse eumque cum omnibus descendentibus ad vitam aeternam vocasse. Per Adae peccatum et ipse et omnes generationes mysticum corpus formantes cum eo, denudati sunt in supernaturalibus, vulnerati in naturalibus.

Propter leges peccati, erroris et mortis post primum peccatum vigentes et propter dominationem satanae generi humano impossibile erat et est, finem naturalem et beatitudinem naturalem propriis viribus consequi, quod de fine supernaturali per se patet. Non datur redemptio propriis viribus seu autosoteria. Hominibus nostri temporis instanter inculcandum est, eorum pugnam individuam et communem contra leges peccati, erroris, doloris, calamitatis et denique mortis optimam esse, sed « paradisum terrestrem » vane et frustra exspectari. Addendum est, conamina ad validam omnium nationum unionem instituendam omnino laudanda esse, et multa mala, ut bella, fames etc. ita supprimi, sed et hoc medium inefficax ad omnimodam pacem et felicitatem hominum adducendam esse sine redemptione per Filium Dei incarnatum, qui regnum Dei appetentibus etiam cetera bona promittit.

Quis est *membrum* mystici corporis Adae? Distinguendum est inter corpus ipsum et eius signum. Signum supremum unitatis corporis mystici Adae esset societas seu status omnes homines complectens, subdivisos in regna, communitates, familias. Sed, proh dolor, regnum contra regnum surgit et unio omnium regnorum per saecula omnino non existens ea non pollet auctoritate et virtute, ut signum clarum unitatis generis humani elucescat. Membrum igitur corporis Adae mystici qua talis omnis omnino homo est, a capite per generationem descendens. Haec membri ratio amitti nequit. Omnis homo per se membrum quoque signi huius corporis mystici Adae, societatis nempe nationum esset. Sed ex una parte hoc signum deficit, ex altera parte plura regna separata exsistunt, immo vivunt etiam homines, quos nullum regnum ut cives suos agnoscit. Sic fit, ut quis membrum perfectum generis humani sit, sed membrum certi alicuius regni omnino non sit.

III. *De corpore Christi mystico.*

Iesus Christus, Filius Dei, naturam humanam, quoad corpus origine Adamitico formatum, assumpsit. Sic vere membrum generis humani evasit. Sed hac sua in corpus mysticum Adae insertione non eo ipso illud redemit, sed omnibus et singulis generis humani membris viam ad salutem aperuit, vocans illos, ut ipsi tamquam capiti novi corporis coniungantur. Quae coniunctio non fit per generationem et nativitatem carnalem, sed per regenerationem et novam nativitatem in aqua et Spiritu Sancto. Baptismo omnis homo, pro posse in Christum credens, fit palmes in vite Christi, charactere indelebili insignitur, gratia habituali Christi perfunditur, eius corpore et sanguine nutritur, mandatum Christi accipit, quod est caritas. Sic non totum Adae mysticum corpus in novum Christi mysticum corpus transformatur, sed singula corporis Adae membra sub Christo capite novum corpus mysticum supernaturale efformant.

Christus Dominus corporis sui mystici *signum* visibile voluit societatem ordinatam, positiva voluntatis actu et expressis verbis Ecclesiam fundans. Hanc Ecclesiam suam instituit ut *signum demonstrativum* unitatis corporis sui mystici, fundans eam super Petrum, primatum tenentem, et collegium apostolorum in unione cum Petro. Quod igitur in corpore mystico Adae misere perditum est et vario tentamine appetitur, in corpore mystico Christi indefectibiliter per voluntatem capitis habetur, perfecta societas externa. Christus Ecclesiam suam triplici ornavit munere, sc. munere regendi, sua auctoritate fulcito et in Petro unito, ut unitas fidelium in operatione haberetur; munere docendi, infallibilitate dotato, ut unitas fidei in veritate servaretur; munere sacerdotali, virtute Spiritus Sancti repleto, ut unitas sacrificii et sacramentorum exsisteret. Ita Ecclesia non tantum signum demonstrativum unitatis corporis mystici Christi sed etiam *signum effectivum* huius unitatis efficitur. Baptizati in fide et sanctitate servantur et augentur, lapsi reconciliantur, omnes homines ad salutem invitantur, ut ita in dies crescat et aedificetur corpus Christi. Hoc signum Christi in gentibus est Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica. Haec Ecclesia ita cum corpore Christi mystico coniuncta est, ut signum sacramentorum cum gratia significata et effecta. Ecclesia est corpus Christi mysticum visibile.

IV. *De membris Ecclesiae* (ad cap. II schematis).

Omnino tenendum esse videtur, omnem hominem rite et valide baptizatum, vero et proprio sensu esse et manere membrum mystici corporis Christi, etsi membrum mortuum, si propria culpa gratia sanctificante careat. Cum unica Ecclesia a Christo Domino fundata signum unitatis corporis sui mystici sit, baptizatus omnis eo ipso non solum membrum huius corporis, sed etiam membrum unius Ecclesiae fit. Atvero dum ad rationem membri mystici Christi baptismus sufficiat, ad rationem membri Ecclesiae utpote signi *visibilis* huius corporis ultra requiritur, ut baptizatus fidem huius Ecclesiae profiteatur, communionem sacramentorum vivat et regimini huius Ecclesiae qua tali se subiciat.

In corpore mystico *Adae,* i. e. in genere humano naturali, signum visibile unitatis huius corporis ob defectibilitatem hominum valde offuscatur et quasi destruitur, cum societas omnium nationum vel non exsistat vel multa regna eius membra non sint, quamvis membra esse deberent. Membrum talis regni separati non est membrum nec alterius regni nec societatis universalis, quamvis membrum

generis humani semper sit. Ob eandem hominum, etsi baptizatorum, defectibilitatem signum quoque unius corporis Christi in ratione signi non quidem destrui, sed minui potest et minutum est. Sunt enim in nomine Iesu baptizati, qui culpabiliter vel sine culpa, cum peccato formali vel tantum materiali, singulariter vel communiter unicam Christi Ecclesiam non agnoscant. Omnes hi, membra corporis mystici Christi semper manentes, Ecclesiae catholicae membra non sunt. Non tamen ab Ecclesia separati sunt ut ramus ab arbore secatus vel ut saxum a monte excisum vel ut fragmentum a vase abruptum; cum membris Ecclesiae enim et ipsi membra corporis Christi mystici sunt. Immo cum partim etiam eandem fidem vel aliquas Ecclesiae veritates profiteantur, vel omnia aut saltem aliqua Ecclesiae sacramenta credant et recipiant, vel etiam quandam auctoritatem in nomine Christi agnoscant, plus minusve etiam signa unitatis Christi corporis sunt, quamvis utique dolendum est, hos baptizatos signum unitatis a Christo capite desideratum offuscare. Hac deplorabili separatione occasio scandali tum fidelibus tum maxime infidelibus praebetur. Ecclesia catholica et aliae ecclesiae separatae non aequiparandae sunt regnis mundi ab invicem separatis, sed societati supremae gentium, cui aliqua regna aggregata non sunt. Christus enim unam fundavit Ecclesiam, quae in ratione signi obscurari potest per separationem baptizatorum ab ea, praevaleri vero non potest ita, ut tamquam vera Christi Ecclesia dignosci amplius nequeat. Fatendum quidem est, etiam membra Ecclesiae catholicae a ratione signi perfecti deficere, si unicam fidem non fortiter confitentur vel stulte falsa loquuntur, si sacramentis parum utuntur, si hoc vel illud mandatum hierarchiae despiciunt, si verbum Dei negligunt, si caritatem Christi non habent, si graviter peccant contra leges decalogi. Granum et zizania miscentur. Libenter insuper concedimus, fratres baptizatos separatos, uti membra corporis Christi mystici, cooperante Spiritu Christi virtutibus christianis excellere vel membra Ecclesiae catholicae, gratiam Christi respuentia, virtute superare posse et superare. Cum vero dubitandum non sit, christianis omnibus valde prodesse, si eisdem quoad substantiam mandatis obligentur, si eadem fidei veritates omnibus infallibiliter praedicentur, si omnia sacramenta certe valida omnibus pateant, liquet separationem non tantum scandalum pro mundo sed et detrimentum pro ipsis christianis esse, praeprimis pro separatis.

In cap. II, nn. 8 et 9, sermo est de « voto » Ecclesiae. Verbum hoc multiplicem habet sensum. Clarius mihi dicendum videtur, axioma illud « Extra Ecclesiam nulla salus » significare « Extra corpus Christi mysticum, quod de se est Ecclesia, nulla salus ». Qui vero sine propria culpa Ecclesiae ut signo visibili huius corporis non adiunctus est, sed corpori Christi mystico per baptismum coniungitur, salvari potest. Qui vero sine culpa nec baptizatur, huic Corpori per actum caritatis perfectae, qui a Spiritu Sancto inspiratur et quo ab eodem Spiritu gratia sanctificans donatur, adiungitur. Actus desiderii « sincere implendi voluntatem Dei et Creatoris » sufficere non potest, cum etiam peccator timore punitionis motus hoc desiderare potest, quin sanctificetur. (Hic actus caritatis seu deditionis perfectae praeprimis a Iudaismo et Mohametanismo suis asseclis commendari videtur).

33

EXC.MI PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
ditionis apostolicae centro-orientalis in Gallia

Em.mus card. Gerlier, arch. Lugdunensis; exc.mi de Bazelaire, arch. Chamberiensis; Socquet, arch. tit. Selymbrianus (olim Uagadug.); Villot, arch. tit. Bosporanus (coad. Lugdunen.); Lebrun, ep. Augustodunensis; Ancel, ep. tit. Myrinensis (aux. Lugdunensis); de La Chanonie, ep. Claramontanus; Fourrey, ep. Bellicensis; Fougerat, ep. Gratianopolitanus; Dozolme, ep. Aniciensis; Bontems, ep. Maurianensis; Maziers, ep. tit. Augustopolitanus (auxil. Lugdun.); Sauvage, ep. Anneciensis, qui convenerunt Lugdunum, die 4 et die 5 februario, anno 1963, suas proprias observationes de Ecclesia et de B. Maria Virgine, postquam eas quisque eorum etiamque etiam consideraverat, communiter unanimiterque composuerunt, quas ad tuam em. rev.mam mittunt.

I. *Observationes generales de schemate « De Ecclesia ».*

1. Putamus constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* habendam esse Concilii Vaticani II laborum rem summam et cupimus eam quam perfectissime constitutam esse.

Itaque cupimus hoc schema iterum conscriptum esse, secundum normas generales a Romano Pontifice datas (cf. *Ordo agendorum...* 5 dec.), habita ratione observationum quae iam in aula factae sunt et, earum observationum quas hodie praebemus.

2. Cupimus, praecipue, hoc schema, quod maximum erit quod attinet ad visibilem omnium christianorum unitatem, conscriptum esse dicendi vere oecumenico genere, nullo manifesto detrimento authenticitatis doctrinae. Quam ob rem, cupimus, ut hoc schema conscribatur, sententias secretariatus de unione christianorum fovenda rogatas esse.

3. Scimus enim fore ut hoc schema diligenter legatur non solum a christianis sed etiam a multis hominibus quibus non eadem fides est ac nobis, quibus saepe sunt praeceptiones adversus Ecclesiam, qui tamen eam magis cognoscere velint.

Necesse est igitur hunc textum « ea ratione qua tempora postulant nostra » (S. S. Ioannes XXIII) scriptum esse, conservata semper perpetua cura eorum qui procul ab Ecclesia absunt et, ut statuant de ea, Concilii doctrinam exspectant.

Itaque cupimus commissionem textui huic scribendo ad consilium peritos, sacerdotes vel laicos, adhibere, qui possint esse adiumento ad diligentius scribendum.

4. Petimus ut hoc schema, universe et singillatim, Ecclesiae doctrinam praebeat, a Scriptura Sacra atque traditione graeca et latina, ut eo exprimatur fides vivens Ecclesiae hodiernae.

Nitendum est ut mysterium ipsum Ecclesiae in lucem proferatur, quod non potest simpliciter haberi simile formulae iuridicae, qua Ecclesia canonice constituitur, quodam historiae suae tempore vel in quadam Ecclesiae regione.

5. Quod ad ordinem qui servandus est in capitibus pertinet, petimus ut id adiungatur ad caput « de episcopatu », quod dicitur de episcopi magisterio et de eius missione annuntiandi Evangelium.

Atque etiam petimus ut transferantur in schema *de episcopis et dioeceseon*

regimine ordinationes pastorales vel disciplinariae, quae in nostra constitutione dogmatica sunt.

6. Petimus ut constitutio *de Maria Virgine Matre Dei et Matre hominum* misceatur cum schemate *de Ecclesia.*

II. *Observationes de diversis capitibus.*

Cap. I: De natura Ecclesiae.

Cupimus hoc caput Ecclesiae mysterium praebere totum; eo capite nos introduci in historiam salutis hominum, per Christum qui perficit in mundum consilium Dei Patris (cf. *Io.* 11, 52); eo capite nobis ostendi Christum non solum Ecclesiae suae conditorem, sed etiam solum et unicum caput, quoniam Christus ipse ipsam eam et docet, et sanctificat, et gubernat atque eo modo aedificat Corpus suum ad Patris gloriam; eo capite in lucem proferri partes Spiritus Sancti, qui et a Patre Filioque est missus, et Ecclesiae vivens unitatis sanctificationisque principium, et fons missionarii impulsus exsistit; eo capite nobis ostendi Ecclesiam non solum militantem his in terris, sed etiam ad ultimum Christi adventum spectantem; eo capite nobis intellegi institutionem eius iuridicam ordinatam esse totam ad mysterium amoris, quod ei semper est declarandum.

Cap. II: De membris Ecclesiae.

Cupimus, ab huius capitis initio, id distincte pronuntiari quod « Deus vult omnes homines salvos fieri » (*1 Tim.* 2, 4) et cuique dat « salutis media », in fide et in Ecclesiae coniunctione.

Atque etiam cupimus eo capite significari, non solum modo iuridico sed quoque mystico, quid sit incorporatio Christi, et praesertim vis baptismi quod attinet ad eam incorporationem.

Denique cupimus pro certo affirmari quid intersit inter et copulationem pagani cuiusdam « bona voluntate » cum Ecclesia, et incorporationem in Ecclesia christiani cuiusdam qui, bona fide, ab ea iuridice est seiunctus, et incorporationem christiani cuiusdam qui eius est totus. In duabus his rebus, notandum est ut etiam quid intersit, quod ad Ecclesiae incorporationem attinet, inter et homines qui in Christi sunt caritate, et eos qui cum Christo nullo alio modo nisi fide et spe iunguntur.

Cap. III: De episcopis, presbyteris diaconisque (cf. olim capp. IV, VII, VIII, X).

1. Cupimus id solemniter proclamari quod episcopatus est sacramentum et distincte exponi tres potestates, quae in eo episcopatu insunt, esse quod ad missionem apostolicam pertinet, sacramentali natura: scil. potestatem docendi, potestatem sanctificandi, potestatem gubernandi.

Potestas episcopi non est, ipsa in se, participatio potestatis Summi Pontificis. Ea potestas est episcopi, propter ipsam consecrationem eius, etiam si exercitium iurisdictionis, in territorio determinato vel ad fungendum munere, ei a Summo Pontifice deferri debet.

Potestas docendi pertinet non solum ad fidelem populum, sed etiam ad infideles apud quos episcopi Christi evangelium praedicare debent.

2. Cupimus etiam ab apostolica successione id distincte affirmari quod episcopi sunt unum et idem collegium, idque iure divino.

Pronuntiamus etiam nos, sincere et vehementer, Concilii Vaticani I de primatu et infallibilitate Romani Pontificis, S. Petri successoris, doctrinae adhaerere. Nos

idem, secundum id quod iam optatum erat priore Concilio Vaticano, cupimus primatum Summi Pontificis in intimo collegio episcopali inesse, cuius unitatis est fundamentum, neque adhiberi omne verbum quod a collegio episcopali Summum Pontificem secernere videretur.

Item, dum aperte confitemur Summi Pontificis infallibilitatem fidelium et episcoporum consensu necessarie non egere, cupimus hanc infallibilitatem non ita proclamari ut eam infallibilitatem Ecclesiae a Christo datam non attingere videatur. Etenim, sicut docet Concilium Vaticanum I, personalis Summi Pontificis infallibilitas est certo infallibilitas qua Christus voluit Ecclesiam suam instructam esse, in definienda doctrina de fide vel moribus.

Denique, dum agnoscimus Summo Pontifici ius esse utendi organo centrali ex se emanante, velimus id simul affirmari, iure divino, collegium episcopale solum sociari cum Petri successore in tanta cura Ecclesiae universalis suscipienda; quin etiam cupimus collegium episcoporum, quod ex Pontificis Romani primatu unitatem haurit, congruenter huius temporis necessitatibus constitui et aperte significari posse.

3. Cupimus in constitutione dogmatica *de Ecclesia,* presbyteratui maiorem locum esse et partem; velimus, praecipue, hoc Concilio non solum munus liturgicum sacerdotis sed etiam ministerium pastorale eius in lucem proferri; nos idem velimus presbyteratum magis haberi cum episcopi missione et cum aliis sacerdotibus presbyterii intime coniunctum, ut presbyteri magis intelligant quonam modo debeant in Ecclesia Dei se gerere.

4. Cupimus tandem textu conciliari praeberi doctrinam dogmaticam de diaconatu et eius ministeriali natura in Ecclesia.

Cap. IV (olim cap. VI): *De laicis.*

1. Cupimus Concilium praebere textum dogmaticum de statu et officiis, quae laici ex baptismo et confirmatione in Ecclesia capiunt. Hic textus in orbe terrarum exspectatur et tam perspicue et integre est conscribendus, ut ad omnia vota respondere possit.

2. Res maximae et ad commune fidelium sacerdotium et ad eorum actuosam liturgiae participationem et ad eorum apostolicum officium pertinebunt.

Cap. V: *De statibus perfectionis.*

Cupimus in lucem magis proferri vim ecclesialem statuum perfectionis et, praecipue, proprium officium quod religiosis praestandum est, ut sunt Christi et Ecclesiae eius apostoli.

Cap. VI (olim cap. IX): *De praesentia Ecclesiae in mundo.*

Putamus necesse esse, priusquam tractatae sint relationes inter Ecclesiam et statum, de relationibus inter Ecclesiam et mundum loqui. Nam relationes, quae necesse est inter Ecclesiam et statum existere, pendent ex relationibus inter Ecclesiam et mundum.

34

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

quinque ditionum apostolicarum in Gallia
(Angers, Avignon, Bordeaux, Paris, Lyon [1])

I. *Animadversiones generales.*

1. De cap. I: De mysterio Ecclesiae.

a) Quoad munus pastorale Concilii, notandum est Ecclesiam hodie a multis non intelligi, immo obstaculum praebere pro fide. Ratio est ignorantia quoad eius mysterium et quoad eius universalitatem. Unde Ecclesiam praesentare oportet in tota sua amplitudine (Avignon). Ideoque:

Imprimis *Eph.* 1, 4-10, ubi exponitur consilium aeternum Dei ita ut Ecclesia appareat ut recapitulatio per Christum et in Christo universorum hominum et totius creationis (Bordeaux, Lyon, Avignon);

Praeparationem commemorare Ecclesiae in populo Veteris Testamenti (Bordeaux);

Christum ostendere perficientem consilium Patris, caput factum Ecclesiae, et in lucem proferre missionem Spiritus Sancti (Lyon);

Ad Ecclesiam caelestem referre totum consilium divinum, sine qua non potest intelligi (Bordeaux, Avignon).

b) Quoad membra Ecclesiae « cupimus eo capite significari non solum modo iuridico, sed quoque mystico quid sit incorporatio Christi et Ecclesiae. In specie qui voto ad Ecclesiam ordinantur, pertinentne ad eam ontologice annon? Videtur quod non, secundum litteram textus propositi, quae membra definit tantum ex elementis extrinsecis. Sed si supponatur hominem in statu gratiae extra Ecclesiam, secundum theoriam hanc salvaretur sine Ecclesia, quod patet esse falsum. Unde necessarium doctrinam profundius enucleare » (Lyon, Avignon).

2. De cap. II: De institutione hierarchica.

a) Unanimes episcopi peroptant ut in schemate recognito magis luceat *collegialitas episcopatus* et generalis de *episcopatu* doctrina, in unum colligendo notas per capita dispersas et illas referendo ad *sacramentalem* cuiusque episcopi, vel residentialis, vel titularis, ordinationem (Paris, Bordeaux, Avignon, Lyon, Angers).

b) Principia proponantur doctrinalia quibus existentia et activitas coetuum definiti territorii episcopos adunantium ad collegialitatem episcopatus referantur (Paris, Avignon, Bordeaux).

c) Cupimus in constitutione *de Ecclesia* presbyteratui maiorem esse locum et partem (Bordeaux, Paris, Avignon, Angers, Lyon).

II. *Animadversiones particulares.*

1. Ne dicatur de Spiritu Sancto quod est « anima Ecclesiae ». Modus siquidem loquendi scholasticus, minime vero theologicus (Avignon).

2. Imprudens nobis videtur affirmare quod « nemo episcoporum ad collegium episcoporum pertinere, nisi dedita opera vel consensu tacito a successore Petri, capite collegii, in idem assumptus est ».

---

[1] In his quinque « regionibus » includuntur plus quam 60 episcopi.

35

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI LOMBARDIAE

Poichè per comune consenso il tema della Chiesa *Lumen gentium* è il tema fondamentale del Concilio Ecumenico Vaticano II, per la positiva volontà del Santo Padre, per le attese dei fedeli e dei cristiani acattolici, per le necessità attuali del mondo intero, per questo appare necessario che la costituzione dogmatica *de Ecclesia* — che è destinata a manifestare la coscienza che la Chiesa Cattolica ha di se stessa e della propria missione nel mondo — acquisti uno sviluppo ed una forma pienamente adeguati per illustrare a tutti questa sua dottrina.

Si suggeriscono pertanto alcuni criteri ed alcune indicazioni concrete, che sembra necessario la Commissione « De Fide et moribus » abbia a tener presenti nella rifusione dello schema, per raggiungere lo scopo detto.

I. *Osservazioni generali.*

1. Lo schema non potrà contenere soltanto alcuni capitoli staccati relativi a vari aspetti della realtà della Chiesa; ma, pur senza assumere la forma di un trattato, dovrà presentare una dottrina organica e ben coordinata circa tutti gli aspetti fondamentali che riguardano la natura, la vita e la missione della Chiesa, sottolineando e sviluppando maggiormente quelli che appaiono più richiesti dal momento presente.

2. Nel modo di ordinare e di presentare la materia, senza minimamente venir meno alla esattezza dottrinale, dovrà preoccuparsi di presentare un testo che sia intelligibile agli uomini di oggi, così come fece Nostro Signore che, nel proclamare le verità eterne, ha studiato di proporle in modo che divenissero comprensibili per i suoi uditori.

3. Per raggiungere gli scopi così delineati appare necessario completare lo schema proposto con l'aggiunta di alcuni argomenti essenziali e di mutarne un poco l'ordine.

In particolare sembrano necessari le seguenti aggiunte e sviluppi dottrinali:

a) Un paragrafo iniziale che esprima la fede della Chiesa nella divinità di Gesù Cristo, suo Fondatore e suo Capo, e nella di Lui universale ed unica missione di salvezza per gli uomini di tutti i tempi.

In seguito sembra opportuno collocare la Chiesa nel disegno divino di salvezza universale, sia per alimentare negli uomini la certezza dell'amore salvifico di Dio, che per illustrare la Chiesa come mezzo scelto da Dio per attuare questa salvezza nel tempo che va dall'Ascensione alla Parusia. Troveranno così il loro fondamento connaturale i capitoli successivi circa la missione salvifica, l'autorità e la necessità della Chiesa.

b) La presentazione della natura della Chiesa — che opportunamente prenderà lo spunto dai principali insegnamenti e dalle principali immagini bibliche sull'argomento — dovrà soprattutto avere per scopo di illustrare la natura divino-umana della Chiesa ed i suoi molteplici rapporti di dipendenza da Gesù Cristo, suo Capo invisibile perennemente vivo ed operante in cielo, così che la Chiesa appaia come l'organo diretto invisibilmente da Gesù Cristo ed animato dal Suo Spirito per la salvezza del mondo. Le Encicliche *Satis cognitum* di Leone XIII e

Mystici corporis di Pio XII offrono tutto il necessario per una esatta ed efficace esposizione di questa dottrina.

c) Un paragrafo particolare dovrà essere dedicato ad illustrare la triplice missione della Chiesa: di magistero, di santificazione sacramentale, di disciplina pastorale, presentandole come la continuazione storica e la manifestazione visibile della perenne azione salvifica di Gesù Cristo, Maestro, Sommo Sacerdote e Buon Pastore, e come il principio perennemente fecondo della vita soprannaturale della Chiesa.

d) Sembra opportuno che venga chiaramente affermata in un paragrafo apposito la unicità della Chiesa e la sua riconoscibilità attraverso le note di cui Gesù Cristo l'ha dotata, e che la Chiesa si è sempre riconosciuta nel « Credo ».

Non sembra inutile infatti che la Chiesa, mentre invita tutti a sè con animo materno, dichiari pure umilmente ma fermamente la propria certezza d'essere la vera Chiesa di Gesù Cristo, e colleghi questa certezza anche con la relazione indissolubile con il « fondamento » della Chiesa stabilito da Gesù stesso (*Mt.* 16, 17).

e) Sommamente opportuno sembra pure un paragrafo che illustri le diverse fasi della Chiesa, Corpo Mistico del Signore: qui in terra, nella purificazione ultraterrena e nella pace beatifica, e delinei con chiarezza il rapporto fra il momento terreno ed il momento escatologico della vita della Chiesa.

II. *Alcune osservazioni particolari.*

1. Viene desiderata una maggiore chiarezza e completezza nella esposizione della dottrina relativa alla appartenenza alla Chiesa ed alla sua necessità per la salvezza.

La Chiesa, Corpo mistico del Signore, durante la sua fase terrena è contemporaneamente comunità di vita soprannaturale fondata sulla unione con il Padre ed il Figlio per opera dello Spirito Santo (cf. *1 Io.* 1, 3), e comunità visibile e gerarchica fondata da Gesù Cristo per la salvezza del mondo: il primo aspetto durerà in eterno, il secondo è proprio della fase terrena. In ognuno di questi aspetti esistono diversi principii di unione e diversi gradi di unione con Gesù Cristo, Capo della Chiesa, e conseguentemente diversi modi e diversi gradi di unione con la Chiesa, Corpo di Cristo e comunità visibile di salvezza: l'Enciclica *Mystici corporis* nella sua seconda parte contiene tutti gli elementi di questa dottrina.

Si dovrà pertanto affermare il principio tradizionale che la appartenenza perfetta alla Chiesa come comunità visibile di salvezza richiede le condizioni fissate dall'Enciclica *Mystici corporis* e che soltanto coloro che le realizzano sono da considerare giuridicamente e di pieno diritto « membri della Chiesa ». Ma altrettanto fermamente bisogna affermare che ognuno è *realmente* unito con la Chiesa come comunità di vita soprannaturale secondo la misura della propria unione con Cristo, Capo e sorgente della vita soprannaturale della Chiesa, e che questa unione è quella decisiva in ordine alla vita soprannaturale attuale ed alla salvezza eterna.

2. Circa la costituzione e la missione della Chiesa — tenendo presente il duplice aspetto di comunità soprannaturale fondata sui Sacramenti e sui doni di grazia, e di comunità visibile fondata sulla missione apostolica — sarà opportuno affermare che tutti i membri della Chiesa possono e devono concorrere alla sua vita ed alla sua missione, secondo i doni soprannaturali ricevuti; ma con funzioni ed

autorità diverse, secondo il diverso modo di partecipazione alla missione apostolica. Così si prepara opportunamente la successiva illustrazione dei compiti propri dei diversi « ordini » della Chiesa: Gerarchia, religiosi, laici.

Sembra però opportuno che nella costituzione dogmatica questi due ultimi argomenti, cioè i compiti dei religiosi e dei laici, vengano esposti più sinteticamente, nella loro funzione essenziale e permanente per la vita e la missione della Chiesa, rimandando alle rispettive costituzioni pastorali e disciplinari uno sviluppo più ampio ed approfondito delle forme di attuazione dei loro compiti propri.

3. Uno sviluppo particolare dovrà avere la dottrina dell'episcopato, sia per la sua importanza dottrinale ed ecumenica, sia come fondamento di tutte le disposizioni organizzative. Per questo essa dovrà tendere quanto possibile alla completezza ed alla chiarezza, affrontando anche i problemi più difficili per raggiungere ed esporre più esattamente e compiutamente il pensiero ed il volere di Cristo Signore.

Seguendo il metodo tenuto dalla costituzione *Pastor Aeternus,* la esposizione dovrebbe iniziare da quanto sappiamo che Gesù ha voluto e gli Apostoli hanno fatto: la istituzione del collegio apostolico come fondamento della Chiesa, e la sua continuazione nel corpo episcopale. Pur senza entrare in questioni controverse o non sufficientemente mature, dovranno però essere sufficientemente esposti e chiariti i seguenti punti:

a) il valore sacramentale e gli effetti propri della consacrazione episcopale, quali risultano dalla tradizione liturgica e patristica;

b) i compiti ed i poteri dei vescovi in quanto membri del corpo episcopale, rispetto alla Chiesa universale, sia nell'esercizio ordinario come nell'esercizio straordinario delle loro funzioni;

c) le relazioni tra le funzioni del corpo episcopale ed i poteri personali del Sommo Pontefice;

d) le funzioni ed i poteri dei singoli vescovi rispetto ai loro fedeli.

In questo capitolo potrà venir assunta, migliorandola, una parte della dottrina esposta nel capitolo « De Ecclesiae magisterio » (n. 30) e nel capitolo « De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium » (n. 47).

4. Sembra opportuno che venga mantenuto il capitolo « De Ecclesiae magisterio », ma sviluppandolo un po' diversamente come un capitolo « De fide et magisterio Ecclesiae», per illustrare la vita di fede della Chiesa come risultante dalla collaborazione tra la grazia data a tutti i fedeli e la funzione direttiva e normativa del magistero autentico e dei suoi organi secondari ed ausiliari.

Accanto a questa parte, che dovrebbe essere la principale, è opportuno che vengano mantenute le dichiarazioni dottrinali riguardanti l'oggetto del magistero autentico, le sue manifestazioni principali con il rispettivo valore.

5. Osservazioni simili sembra di dover suggerire anche per il capitolo « De auctoritate et obedientia in Ecclesia» .

Lo scopo principale di questo capitolo dovrebbe essere di illustrare come l'esercizio dell'autorità e l'obbedienza cristiana sono un'altra forma essenziale della vita e della missione salvifica della Chiesa, riproducendo nei membri del Corpo mistico l'autorità salvifica e l'obbedienza redentrice del Capo. Contemporaneamente è opportuno delineare, come cerca di fare il testo, che l'esercizio di

questa autorità e di questa obbedienza, pur comportando un aspetto misterioso, sono però perfettamente rispettosi della personalità umana e cristiana dei sudditi.

6. Ci si deve pur domandare se non sia opportuna, allo scopo di completare la esposizione della dottrina riguardante la vita della Chiesa, l'aggiunta di un capitolo riguardante la funzione propria dei Sacramenti, e particolarmente di ciascuno di essi, nella edificazione della Chiesa e nella sua azione diretta alla salvezza e alla santificazione dell'umanità. Una tale dottrina infatti potrebbe avere una notevole importanza per richiamare costantemente alla mente l'indole soprannaturale dell'azione salvifica della Chiesa, e per illustrare esattamente i rapporti tra i mezzi soprannaturali e le iniziative umane nell'apostolato.

III. *La Chiesa e il mondo moderno.*

Il capitolo IX « De relationibus inter Ecclesiam et Statum » è un brano separato di un problema più vasto, che potrebbe avere per titolo « De actione salvifica Ecclesiae in mundo hodierno », e dovrebbe comprendere vari aspetti: l'azione salvifica rispetto ai cristiani separati (« De oecumenismo catholico »), l'azione missionaria (« De iure Ecclesiae evangelium annuntiandi omnibus gentibus »), l'azione salvifica rispetto a tutte le realtà ed i valori naturali (i singoli popoli, la comunità umana, la società civile, la scienza e la cultura, il progresso tecnico ed economico, l'arte).

Lo scopo dovrebbe essere di mostrare che la dottrina cattolica e l'azione della Chiesa non soltanto non distruggono nessuno di questi beni naturali dell'uomo, ma inserendoli nell'ordine soprannaturale li purificano e li arricchiscono, per un bene più grande anche terreno sia dell'umanità intera che dei singoli popoli ed individui. Per questo motivo sembra che anche il problema dei rapporti tra la Chiesa e la società civile non debba essere isolato dagli altri e visto sotto un profilo prevalentemente giuridico, ma debba venire esposto in una visione più profondamente teologica; come un caso particolare del problema generale dei rapporti tra le realtà naturali e l'ordine soprannaturale, che ha nella Chiesa la sua compiuta manifestazione ed attuazione terrena.

Nella esposizione di questi aspetti della dottrina della Chiesa, che più direttamente si dirigono anche al mondo non cattolico, dovranno essere dominanti la preoccupazione ed il linguaggio « missionario »: per far comprendere ed accettare la dottrina cattolica a non cattolici o non credenti sarà necessario partire quanto possibile da principii accessibili pure ad essi, cioè da principii di diritto naturale, ed eventualmente dalla dottrina biblica per i fratelli separati.

IV. *Conclusione.*

Presentando umilmente questi nostri suggerimenti alla commissione « De fide et moribus » siamo persuasi della difficoltà del compito ad essa affidato dalla fiducia del Santo Padre e del Concilio intero: per questo ci sia permesso esprimere un ultimo desiderio.

Per la importanza e la difficoltà della materia, per la necessità di tener conto, specialmente nella trattazione dell'ultimo punto, di diverse mentalità e di diverse situazioni, ci sembra opportuno (per non dire necessario), che lo schema *de Ecclesia* venga rielaborato congiuntamente dalla commissione « De fide et moribus » e dai Padri del segretariato per l'unione dei cristiani; in particolare è necessario che vi abbiano a collaborare alcuni Padri che rappresentino le chiese orientali

unite, mentre non ve n'è nessuno nella commissione « De fide et moribus» . Inoltre sembra necessario che la commissione non risparmi nessuno sforzo per consultare e per servirsi degli uomini più preparati alla trattazione di un così fondamentale argomento. Soltanto così si potrà sperare lo schema raggiunga quella maturità che lo renda accetto senza grosse difficoltà alla maggioranza dei Padri conciliari, e possa restare nei secoli come il dono più prezioso del Concilio Ecumenico Vaticano II alla Chiesa.

36

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Conferentia Episcoporum Neerlandica (simul referens ad generaliora de schemate *de Ecclesia* ab ea in genere iam prolata in congregationibus generalibus) his litteris satisfacere velit voto vestrae Eminentiae ut ante finem mensis februarii animadversiones particulares, de capite in caput huius schematis, ad secretariatum Status mittantur.

Quoad singula capita Conferentia Neerlandica sequentia notare velit.

Relate ad cap. I: *De Ecclesiae militantis natura.*

I. *Quoad principaliora.*

1. Titulus huius capitis « Ecclesia militans » (utpote saepius male interpretatus) mutetur in « Ecclesia peregrinans ». Ratio est: ultima haec vox est magis biblica et oecumenica, insuper discretior et humilis.

2. In definiendo Ecclesiam ut « corpus Christi » cap. I unice insistit in usu metaphorico vocis « corpus ». Expedit vero, ut ex una parte nomen « corpus Christi » sumatur sensu biblico, secundum quem Ecclesia, modo tamen « mystico seu sacramentali » *quodammodo* sit ipsum corpus gloriosum Christi, ex quo derivatur demum sensus secundum quem Ecclesia sit etiam quidam organismus vitalis ex variis membris coadunatis. Ex altera vero parte aspectus Ecclesiae qua « corporis Christi » subordinetur aspectui universaliori Ecclesiae qua « populi Dei »; eo enim positio Ecclesiae in historia salutis clariore in luce videtur, insuperque vitatur possibilitas alicuius « monophysitismi ecclesialis », qui rationem reddere nequit manifestationis empiricae Ecclesiae.

3. Licet Spiritus Sanctus ipsum populum Dei, corpus Christi quod est Ecclesia, vivificet et coadunet, terminologia inter theologos adhuc discussa — nempe « Spiritus Sanctus est *anima* Ecclesiae » (pag. 11, linn. 13-15) — potius relinquatur. Imago enim « unionis corporis et animae » relate ad Ecclesiam potius confusiones gignit.

4. Effatum « Ecclesia catholica (Romana) est ipsum mysticum Christi corpus » (pag. 12, n. 7) non sine maiori quadam perpolitione affirmari potest, praesertim si character eschatologicus Ecclesiae fere prorsus in hoc contextu siletur, et, quod gravius est, si siletur relatio inter Ecclesiam et regnum Dei. Manifestatio enim terrestris Ecclesiae viatoris seu peregrinantis non plene et sub omni respectu potest identificari cum Corpore mystico, quippe quod sit realitas eschatologica.

II. *Quoad quaedam magis particularia.*

1. Pag. 9, lin. 19. Tripartitio muneris Christi est inventum protestanticum ex saeculo XIX. Melius esset ut haec distinctio reducatur ad duplicem distinctionem, prophetae nempe et sacerdotis, quae catholice magis est traditionalis et melius convenit distinctioni classicae inter potestatem iurisdictionis et potestatem ordinis.

2. Pag. 9, lin. 23. Vitatur expressio secundum quam episcopus dicitur « rex ». Cum traditione biblica Ecclesiae melius dicatur *pastor*.

3. Pag. 11, linn. 24 s. Pauca dicta de peccato in Ecclesia quaestionem hanc non satis adaequate solvunt. Ex dictis Patrum multa afferri possent quae modo humiliori de Ecclesia peccatrice loquuntur. Haec quaestio sub respectu oecumenico est maximi momenti. Aspectus experimentalis ipsius verae sanctaeque Ecclesiae siletur in hoc capite.

Relate ad cap. II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.*

1. Quaestio de necessitate Ecclesiae et quaestio de membris Ecclesiae non sunt in eodem capite tractandae. Quaestio de membris Ecclesiae potius referenda est ad capita sequentia, ubi agitur de membris Ecclesiae: i. e. de clericis (Papa, collegium episcopale, presbyteri, et diaconi) et ex altera parte de laicis; quo facto insuper melius relatio inter clerum et laicos enucleari potest.

2. Quae dicta sunt de necessitate Ecclesiae ad salutem secundum schematis tenorem generalem libenter accipimus. Ex altera parte, pag. 15, sub n. 8, schema loquitur nimis de voto subiectivo, dum siletur realis et obiectiva seu « historica », licet imperfecta, ordinatio ad Ecclesiam omnium hominum vi « redemptionis obiectivae ». Proinde diversa relatio hominum ad unam Ecclesiam non adaequate indicatur in schemate.

3. Ex animadversione praecedenti sequitur necessitatem *Ecclesiae* et necessitatem *baptismi* non sub omnibus respectibus identificari posse (n. 8, linn. 5-9).

4. Non placet solutio sub n. 9 data quaestioni: « quinam membra Ecclesiae dici possint », cum quaestio satis abstracte consideretur et ratio membri consideretur ut « stans in indivisibili ». Potest quis enim membrum esse Ecclesiae proprio et vero sensu, sed imperfecte, scil. secundum maiorem vel minorem sed intrinsecam approximationem ad integram veramque Ecclesiam Christi. Esse membrum Ecclesiae « sensu vero et proprio » non est identificandum cum eo quod dicitur « sensu pleno et perfecto ». Proinde: pag. 15, linn. 18 et 20-21 loco « vero et proprio sensu » ad minus dicatur « pleno et perfecto sensu ».

5. Mirum est quod schema, loquens de necessitate Ecclesiae, loquatur de ea tantum sub respectu salutis individualis, sileat vero de Ecclesia ut « sacramentum mundi ».

Relate ad cap. III: *De episcopatu.*

1. Cap. III non debet tractari seorsim a cap. IV et cap. VII, in quibus agitur de hierarchia sub vario respectu.

2. Posset disputari an cap. III exordium debet sumere ab ordinatione sacramentali. Theologice maxime expediat, ut exordium sumat a consideratione naturae ipsius muneris sacerdotii in Ecclesia. Proinde statim sermo fieri deberet de collegio episcoporum, successore collegii apostolorum. Prius tractandum esset de ipso collegio apostolorum a Christo instituto et de huius successione in collegio episcoporum. Postea tantum schema loquatur de charactere sacramentali collationis muneris episcopalis seu de ordinatione. Demum tractandum esset de variis muneribus huius ministerii episcopalis de quo nunc loquuntur cap. IV et cap. VII.

3. Sub n. 12 siletur et ipse character collegialis presbyterorum ut « collegium

cooperatorum » ordinis episcoporum. Munus presbyterale in hoc numero nimis « individualiter » definitur.

Relate ad cap. IV: *De episcopis residentialibus.*

I. *Quoad generaliora.*

1. Cf. dicta sub n. 2 animadversionum in caput praecedens.

2. Non placet centralis affirmatio huius capitis, secundum quam episcopi videntur praeprimis ut *singuli* vocari ad munus episcopale. Ratio primaria vocationis episcopalis potius in hoc est, quod episcopus natura sua est *membrum collegii* episcopalis. Singulus episcopus non habet suam potestatem propriam nisi ut membrum collegii episcopalis regentis una cum Papa totam Ecclesiam, et nonnisi secundarie est Ordinarius loci.

Proinde priori loco, non ultimo (n. 16) sermo fieri deberet de collegio episcoporum, quod una cum Papa pollet suprema auctoritate in Ecclesia, etiam extra concilium oecumenicum. Iam age, non negantur dicta in pag. 24, linn. 4-7, quippe cum in hoc contextu non agatur de collegio qua tali, sed de simplici coadunatione singulorum vel plurimorum episcoporum ut *contradistinctorum* a Romano Pontifice. Aliter tamen est quaestio, si agatur de toto collegio episcoporum qua unito cum suo capite, Summo Pontifice. De hoc respectu cap. IV prorsus silet, quo silentio fiunt inadmissibilia ea quae in schemate sunt dicta, pag. 24, linn. 28-32 (collata praesertim animadversione in annotatione 17 pag. 31). Ratio huius est sequens: si enim regimen Ecclesiae est *iuris divini* collegiale cum et sub capite Summi Pontificis, immerito diceretur collegium hoc munere fungi posse tantum cum permissione antecedenti Summi Pontificis.

Hoc esset negatio ipsius iuris divini. Utique cum Summus Pontifex sit caput istius collegii, ipsius est concretum *modum* exercitii huius collegii statuere, illudque exercitium dirigere; sed nefas esset dicere hoc officium collegiale exerceri non posse nisi ex antecedenti permissu Summi Pontificis. Proinde etiam extra concilium oecumenicum hoc collegium munere suo collegiali fungi debet (quod ceterum ipsum schema concedit in cap. VII loquenti de magisterio ordinario Ecclesiae, quod in cap. IV schematis merito vocatur exercitium potestatis iurisdictionis).

Cap. IV proinde funditus est recognoscendum, cum sit regressus per respectum ad ipsum Concilium Vaticanum I. Hoc caput *non placet.*

II. *Quoad particularia quaedam.*

Pag. 23, linn. 1-7, aliqua habentur obscura intellectu. Non enim videtur, quomodo ipsa ordinatione iurisdictio dari possit, si insimul exercitium huius iurisdictionis evaderetur invalidum sine nova missione ecclesiastica. Dicendum videtur vel ipsa ordinatione qua tali non dari iurisdictionem, vel, si detur (dato non concesso), tunc eo ipso etiam dari legitimum exercitium.

Relate ad cap. V: *De statibus acquirendis evangelicae perfectionis.*

1. Sermo de statibus perfectionis evangelicae sane in schemate de Ecclesia deesse nequit. Sed meliorem locum obtinebit in capite seu sectione tractante de charactere eschatologico Ecclesiae.

2. Insuper maiorem attentionem schema videtur tribuere concretae organisationi evangelicae perfectionis in societatibus religiosis quam ipsi characteri *ecclesiologico* perfectionis evangelicae, ex quo sequitur quod sub nn. 17-19 potius siletur vita perfectionis evangelicae extra quamcumque societatem particularem.

Tali modo procedendi ex una parte character charismaticus vitae evangelicae perfectionis aliquomodo obscuratur et ex altera parte significatio characteris institutionalis huius vitae in aliqua societate minus clare in lucem proditur.

Relate ad cap. VI: *De laicis.*

1. Supra iam diximus hoc caput potius esse in unum redigendum cum expositione de clericis seu subiectis muneris ecclesialis, sub titulo « de membris Ecclesiae ».

2. Nomen « laicus » nimis sumitur sensu quodam empirico nec theologico, i. e. consideratur laicus in contradistinctione cum clericis et membris alicuius status perfectionis evangelicae. Talis ambiguitas oportet vitetur (n. 22).

3. Licet hoc caput perpulchra habeat, nimis tamen considerat apostolatum laicorum sub respectu horum cooperationis directae cum apostolatu hierarchiae, et minus sub respectu populi Dei habentis munera specifica.

4. In expositione de s. d. « Actione Catholica » schema, sepositis perpolitionibus iam a Pio Papa XII factis, regressum facit ad terminologiam Pii Papae XI. Melius relate ad Actionem Catholicam sermo fieret de « *cooperatione* (ab hierarchia organizata) cum apostolatu hierarchiae » quam de quadam *participatione.*

5. Pag. 37, linn. 9-10, loco « proprii quoque nominis sacerdotes » dicatur « ministeriales sacerdotes ». *Ratio*: sacerdotium fidelium non est simplex metaphora, sed sacerdotium verum, licet non ministeriale.

Relate ad cap. VII: *De Ecclesiae magisterio.*

1. Thema huius capitis, sicut iam diximus, potius tractetur una cum ceteris muneribus collegii episcoporum sub capite Summi Pontificis.

2. Pag. 47, calce n. 28, videtur dicere solum magisterium esse subiectum traditionis, cum tamen subiectum traditionis non identificetur cum magisterio, quod suo modo tradit insuperque solum est iudex traditionis. Deest in hoc capite expositio clarior muneris activi totius populi fidelis in fide custodienda et tradenda sub iudice magisterii ecclesiastici. Non sufficiunt proinde dicta in pag. 52, linn. 7-23 et pag. 62, linn. 4-14.

3. Dictum in pagg. 47-48, n. 30 regimini iuris divini collegiali Ecclesiae non satis rationem reddit. Loquitur schema prius de magisterio (fallibili) singuli episcopi in eiusdem dioecesi, quam loquatur de magisterio episcopi qua membri collegii. Quod est consideratio praepostera.

4. Quando agitur de magisterio fallibili (pagg. 48-49 et pagg. 49-50), schema delicatam hanc quaestionem nimis rigorose tractat, neglegens distinctionem inter doctrinalia et disciplinaria.

5. Quod in pag. 51 sub n. 32 de valore « consensus communis theologorum » dicitur sane verum est, sed neglegit haec consideratio factum quod datur etiam « traditio humana » in theologia, ita ut quae olim communi et constanti traditione a theologis sint proposita, postea prorsus derelinquantur.

6. Pag. 50, linn. 19-26, agitur de auctoritate doctrinali theologorum, sed siletur eam esse auctoritatem *humanam.*

Quaedam adhuc particularia sunt animadvertenda:

1. Pag. 46, linn. 27-28, textus ex *Lc.* 10, 16 secundum exegetas ad omnes Christi discipulos videtur esse directus. Oecumenice non praestat uti talibus textibus sensu arctiori.

2. Pag. 47, linn. 26-29: potius dicendum est quod iudicium Ecclesiae, in quantum est *positivum,* de revelationibus privatis et aliis similibus non dare nisi certitudinem prudentialem humanam, nec postulat assensum internum, sicut traditio constans docet.

3. Pag. 49, lin. 15: inserendum est: « ut singuli » (infallibilitatis praerogativa non pollent).

4. Pag. 49, linn. 31-37 omnino vera sunt. Sed perpolitiori modo sunt tractanda, cum plurima *videantur* doceri a magisterio ordinario disperso in mundo, dum tamen postea patere potest ea non esse infallibilia. Datur enim *etiam* traditio mere humana, constans perdurantibus forsan saeculis, quae postea — mutante « visione mundi et hominis » — patent esse tantum involucrum seu modus cum quo veritates exprimuntur.

5. Pagg. 50-51 (n. 32): desideratur in hac expositione commendatio Ecclesiae positiva laboris scientifici theologici, cui theologi operam navant ut bonum nuntium Christi reapse respondeat necessitatibus hodiernae vitae fidelium. In hoc munere sat periculoso theologis opus est non tantum admonitione et castigatione, sed et adhortatione et stimulo auctoritatis ecclesiasticae.

Relate ad cap. VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.*

1. Non bene videtur, cur caput separatum a praecedenti proponatur de obedientia, quae enim correlatio dictorum est in capite praecedenti.

2. De auctoritate hoc schema durius loquitur, acsi omnia membra Ecclesiae fundamentaliter non uniantur vinculo fraternae caritatis in Christo.

3. Pag. 60, linn. 11-24 problemata practica, quae haberi possunt et interdum habentur, in hoc textu nimis simplificantur. Verum est fidelem non habere iudicium ultimum, sed ut ita dicam habet iudicium penultimum, cum in talibus contextibus fidelis non dispensetur a proprio iudicio ultimo-practico de honestate concrete morali actionis quae iubetur.

4. Quae dicta sunt in pag. 60, linn. 40-41, de consultatione subditi sunt minimalistica. Agitur enim non tantum de opportunitate quadam, sed interdum de necessitate christiana, v. g. si secus praepositus rectum iudicium de re efformare nequeat.

5. Dicta in pag. 61, linn. 34-39, de « publica denuntiatione malorum in Ecclesia » deberent valere tam de subditis erga praesuppositos, quam de praesuppositis erga subditos. De hoc ultimo schema silet.

Relate ad cap. IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

Hoc caput minime placet.

1. Agit de quodam abstracto ideali rerum statu cum Ecclesiae tum status. De libertate religiosa et civili prorsus siletur, dum haec quaestio in hodiernis rerum adiunctis est difficultas palmaris.

2. Problema coarctatur ad relationem inter Ecclesiam et statum, dum latius patet, et tractandum etiam esset de relatione inter Ecclesiam et civitatem terrenam, quae non identificatur cum potestate civili.

3. In afferendis textibus e documentis magisterii anteacti temporis schema sese habet acsi illa documenta officialia in omnibus *essentiam* rerum descripsissent, dum obliviscitur quod in istis documentis Ecclesia non semel tantum practicam suam habitudinem erga concretas condiciones (seu « situationes »), tunc temporis

definivit. Melius proinde esset, si Concilium doceat quae relatio concreta et praedicabilis exsistat inter Ecclesiam et statum, qualis hodie est et Ecclesia vult eam esse.

4. Quae in pag. 66, linn. 7-11 dicta sunt, difficulter probari possunt, quia cultus socialis nomine humanitatis Deo praestitus et praestandus ab ipsa Ecclesia praestatur. In hac re Ecclesia, et non potestas civilis, humanitatem repraesentare potest.

5. Dicta in pag. 66, linn. 18-19 (sicut in multis aliis locis huius capitis) videntur ignorare characterem pluralisticum status moderni.

6. Quae in pag. 66, linn. 23-26 dicuntur sunt prorsus abstracta plenaque difficultatibus in hodiernis adiunctis.

7. In pag. 66, linn. 30-33 schema obliviscitur quod libertas Ecclesiae informandi civitatem secundum principia catholica restringitur libertate conscientiae religiosae, etiam bona fide errantis sine incommodo boni publici; quod restringitur etiam habitudine Ecclesiae ad societatem internationalem et condicionibus Ecclesiae in aliis nationibus. Insuper actio Ecclesiae et fidelium in istis semper mensurari debet rationibus pastoralibus et prudentia christiana.

Votum. Maxime toti Ecclesiae et expectationi totius mundi Concilium consuleret, si « iura hominum » solemniter affirmet, ea exponendo in prospectu christiano.

Relate ad cap. X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.*

1. Hoc caput non placet, cum sicut praecedens tractet de hac re sine prudentia pastorali, loquens acsi mundus esset in quodam statu ideali, obliviscens characteris pluralistici gentium quibus Ecclesia bonum nuntium affert, insuper offendens non semel hospitalitatem qua missionarii apud gentes gaudent.

Schema unilateraliter loquitur de iuribus Ecclesiae, defendendis contra potestatem saecularem, quae ex parte sua non raro missionarios nostros privilegiis cumulat. Loco expressionis sincerae gratitudinis erga illas gentes earumque praepositos, schema iterum iterumque iis offendit (v. g. pag. 75, linn. 1-23 et 27-38).

2. Ex altera parte nullum verbum habetur de obligationibus missionariorum erga societates civiles eos hospitalizantes. Loquitur acsi missionarii essent exempti a legibus civilibus (cf. pag. 74, linn. 27-28); immo pag. 75, linn. 27-30 verba proposita intelligi possent (etsi false) de resistentia cruenta contra auctoritatem civilem quae missioni impedimenta afferret.

Si schema hoc admitteretur, difficultates in missionibus catholicis a promulgatione huius schematis tunc demum exordium sumentur! Schema proinde prorsus est recognoscendum, ex una parte laudibus efferendo munus eximium annuntiandi Evangelium Christi omnibus gentibus, exponendo beneficium hac annuntiatione gentibus afferendum, et ex altera parte affirmando maximum bonum libertatis religiosae.

Relate ad cap. XI: *De oecumenismo.*

Cum pro hac quaestione a Summo Pontifice specialis secretariatus est constitutus, potius placita huius secretariatus exspectanda sunt, ita ut coordinatio huius capitis cum schemate secretariatus pro unione fovenda facilius evadat.

Et haec quae relate ad schema *de Ecclesia* Conferentiae episcoporum Neer-

landicorum visa sunt in Domino esse proponenda, ut disceptationi et operi emendationis a commissione faciendae inserviantur.

[*Subsignaverunt*:] Em.mus card. Bern. Alfrink, arch. Ultraiectensis; P. J. A. Moors, ep. Ruremondensis, W. M. Bekkers, ep. Buscoducensis, J. M. Bluyssen, ep. aux. Buscoducensis, tit. Aetensis, M. A. Jansen, ep. Roterodamensis, Ios. Baeten, arch. tit. Stauropolitanus, G. De Vet, ep. Bredae, T. G. A. Hendriksen, ep. tit. Eumenensis, aux. Ultraiectensis.

37

EPISCOPATUS POLONIAE

Caput I: *De Ecclesiae militantis natura.*

1. In titulo cap. I Ecclesia vocatur « militans ». Nomen hoc, etsi praeterito tempore saepissime usurpatum, hodiernibus in conditionibus minus aptum videtur. Matri etenim non convenit esse militantem; potius vivificantem, peregrinam vel similiter.

2. Singulae propositiones huius capitis nimis sunt longae necnon in alias vertendas linguas sat difficiles. Attento vero fine pastorali decretorum Concilii, magis conveniens videtur, ut veritates enucleandae brevioribus et clarioribus propositionibus exprimantur.

3. Optime quidem Spiritus Sanctus « Anima Corporis Christi » nuncupatus est. Cur tamen silentio praeteritur persona B. Mariae Virginis, quae alio in loco (Schema de B. M. Virgine, par. 94 n. 2) « in ipsomet centro Ecclesiae » collocatur, nam « in corpore Christi mystico condendo partem habuit » et « super omnes post Filium suum obtinet quemdam primatum ». Si enim natura Ecclesiae describitur, non est praetermittenda mentio de B. M. Virgine, quia hoc esset eam « in peripheria » Ecclesiae collocare, quod merito in schemate supradicto (loc. cit.) reprobatur.

Caput II: *De membris Ecclesiae militantis eiusdemque necessitate ad salutem.*

1. *Titulus.* Expedit ut congruentia inter titulum et argumentum capitis inducatur. In titulo enim imprimis dicitur de membris Ecclesiae et deinde de eiusdem necessitate ad salutem. In argumento vero vice versa, imprimis est sermo de necessitate Ecclesiae ad salutem (pag. 15, linn. 1-13) et demum postea de eiusdem membris (pag. 15, linn. 14 s.).

2. *Quaestio de adultis.* Videtur, quod agitur solum de necessitate Ecclesiae ad salutem pro adultis. Schema enim utitur vocabulis, quae nonnisi adultis applicari possint. Pag. 15: sciens (lin. 3), renuat (lin. 5), ponat obicem (lin. 7), per votum (lin. 8). Opportunum igitur videtur, ut explicite adulti a parvulis distinguantur.

3. *Problema parvulorum.* Quaestio parvulorum, eorum salutis et aggregationis ad Ecclesiam, attento praesertim eorum numero immenso, animum movet et explicationem postulat.

Primo: multitudo liberorum sine baptismo decedentium (8%)?

Deinde quo modo res se habet, si agitur de parvulis in schismate vel haeresi baptizatis, sint illi membra Ecclesiae necne?

Si vero sint, quando membra esse desinant? Num tunc, cum pubescendo fidem

suam haereticam profiteantur, vel tunc demum, cum voluntarie Ecclesiam catholicam reiciant?

Et tandem, hodie ecclesiae dissidentes constant ex hominibus baptizatis, qui ab infantia in eisdem adoleverunt. De aliqua aversione vel hostilitate erga Ecclesiam catholicam potest sermo esse nonnisi ex parte moderatorum istarum ecclesiarum.

4. *De convenientia Ecclesiae.* Praeprimis expedit, ut perspicuo modo et clare exponatur et convenientia Ecclesiae in se ipsa spectatae, et convenientia ad eandem pertinendi ex parte hominum. Hoc est praesertim optabile attento facto, quod ex una parte ipsa aggregatio ad Ecclesiam — salutem non reddit certiorem (pag. 15, lin. 10), ex altera vero, illi, qui tantum voto ordinantur ad Ecclesiam — salvari possunt (pag. 15, lin. 9).

Num igitur aggregatio ad Ecclesiam ad hoc tantum servit ut homo in futuro severius iudicetur (prout affirmari videtur pag. 16, lin. 29).

5. *Necessitas Ecclesiae.* Optabile videtur, ut condiciones ad salutem necessariae expresse distinguantur a condicionibus, quae requiruntur pro aggregatione ad Ecclesiam (cf. pag. 15, lin. 12).

Tunc enim clare apparebit, utrum aggregatio ad Ecclesiam sit una ex condicionibus ad salutem vel non.

Utrum baptismus in eodem gradu ac aggregatio ad Ecclesiam ad salutem necessarius sit? Id in textu schematis suggeri videtur, pag. 15, lin. 3 - pag. 15, lin. 6, et praesertim vocabulum: « sicut » (pag. 15, lin. 5).

6. *Distinctiones.* Oportet separare textum, qui disserit de aggregatione ad Ecclesiam *vere et proprie* (pag .15, lin. 20) a textu respiciente illos, qui ad Ecclesiam « voto ordinantur » (pag. 15, lin. 26).

7. *Definitio.* Tautologia esse videtur, si affirmatur illos solum membra Ecclesiae esse (pag. 15, lin. 17 « ii soli ») ex quibus ipsa Ecclesia coalescit (pag. 15, linn. 18 et 20).

Insuper definitio haec suggerit, quod Ecclesia a suis membris suscipiat, ut una et indivisibilis, indefectibilis et infallibilis sit (cf. pag. 15, lin. 19), attamen agitur de proprietatibus, quibus ipse Christus Dominus Ecclesiam suam dotavit.

Descriptio: in unitate fidei, sacramentorum et regiminis (pag. 15, lin. 20) — non est clara, quia nescitur an habitum vel activitatem significet — porro de quanam activitate dicitur, regiminis vel fidelium?

Denique explicatio verae aggregationis ad Ecclesiam minus recta videtur, Antiquissima traditio (dogmatica an humana?).

Caput III: *De episcopatu ut supremo gradu sacramenti Ordinis et de sacerdotio.*

1. *Episcopatus.* Tota descriptio potestatis et dignitatis episcopi potest remanere excepta ultima parte (pag. 20, linn. 19-21), quae omitti potest, quia videtur quasi transeunter decidere in quaestione adhuc inter theologos disputata.

2. *Sacerdotium.* Articulus de sacerdotio tractans non est debite explanatus et potius appendici minoris momenti assimilatur.

a) *Principium*: Episcopi Summo Pontifici subordinati esse debent. Nihilominus Papa non potest totum episcopatum auferre. Hoc enim aequiparari posset mutationi ipsius internae structurae a Christo Domino Ecclesiae concessae. *Sacerdotes* episcopis subordinati sunt. Sed episcopi non possent omnes sacerdotes eliminare, nisi quod tot essent episcopi quot parochi.

b) *Applicationes*: Propterea assertio, quod sacerdotes sunt solummodo ad adiumentum operis (pag. 20, lin. 23) episcoporum, rectum non est et essentiam rei non exprimit. Vera functio et activitas sacerdotum in opere sanctificandi et salvandi homines in Ecclesia, est multo magis essentialis, interna et necessaria. Positio eorum in officio pastorali est multo maioris momenti, quam id exprimunt schematis verba, asserendo, quod sacerdotes ratione suorum ordinum *nullam* curam animarum obtinent (pag. 20, lin. 28). Ipsa inhabilitas ad amittendos ordines et socialis ex natura functio sacerdotii aliquid aliud docent.

Et propterea proponitur, ut omittatur sententia, quae prout videtur, functiones sacerdotales nimis restringit (pag. 20, linn. 27-31).

Ceterum ratio huius diminutionis desumptae ex Pontificali et symbolis Veteris Testamenti insufficiens et non convincens videtur.

Cap. IV: *De episcopis residentialibus.*

1. *Potestas episcopalis.* Expositio potestatis episcopalis debet textibus S. Scripturae inniti. Attamen citationes S. Scripturae nec qua basis recte inductae, nec quoad argumentum rite explanatae sunt, ita ut videantur potius appendices marginales esse, quasi occasionaliter tantum memoratae. Praesertim non est explorata nec theologice interpretata fundamentalis instructio Christi Domini de modo exercendi potestatem in Ecclesia (*Mat.* 20, 20-28).

2. *Connexus ordinum iurisdictione.* Quidam connexus ordinationis episcopalis cum muneribus magisterii et regiminis est quidem notatus (sacra ordinatio ... munera magisterii et regiminis tribuat, pag. 23, linn. 1-33). Non est tamen declarata natura huius coniunctionis et quomodo iurisdictio in ordinatione continetur.

3. *Cura episcoporum de Ecclesia.* Totus articulus (n. 15) disserit de necessitate ex parte omnium episcoporum curam habendi de tota Ecclesia (pag. 23, lin. 36 - pag. 24, lin. 21). Non apparet tamen, quanam de causa haec cura episcoporum debet esse alia, quam cura de Ecclesia, quae omnibus fidelibus incumbit.

Fragmentum hoc in forma proposita sine peculiaribus argumentationibus, propriis pro episcopis, non est in hoc loco necessarium, et potius in schemate missiones respiciente collocari, omnesque coetus in Ecclesia actuosos comprehendere possit.

4. *Functiones Concilii Oecumenici.* Munera et auctoritas Concilii Oecumenici nimis in schemate deminuuntur. Quis scit, utrum Concilia magis necessaria non sint, quam hucusque viderentur. Doctrina Actuum Apostolorum fortasse adhuc non est rite appretiata. Propterea proponitur, ut ex schemate eliminentur verba: « nonnisi modo extraordinario » (pag. 24, linn. 29-30).

5. *Collegium episcopale.* Iuxta schema ad gremium collegii episcopalis pertinent ii soli, qui cum expresso vel tacito consensu Papae, ad illud vocati sunt (pag. 24, linn. 32-38).

Et quid de episcopis ab haereticis ordinatis? Num attento connexu consecrationis episcopalis cum muneribus episcopalibus, etiam illi ex tacito consensu Papae ad collegium episcopale pertineant (cf. pag. 23, linn. 1-2)?

Caput VI: *De laicis.*

1. Totum caput necessarie in schemate « De Ecclesia » manere debet, quia de populo Dei agitur, qui primarium elementum constitutivum Ecclesiae Christi scilicet est: propositiones contrariae omnino reiciendae sunt.

2. Aliquae tamen et profundae correctiones necnon abbreviationes introducendae sint.

3. Nonnullae ideae ac praecipue piae admonitiones potius in schema XII *de laicis* transferantur, ubi « de apostolatu laicorum in actione ad regnum Christi directe provehendum atque de apostolatu laicorum in actione caritativa et sociali » tractatur.

4. Quaedam etiam cohaesiones, vel — ut ita dicam — « pontes », inter cap. VI schematis *de Ecclesia* et schema *de laicis* ita faciendi sunt, ut hoc ultimum — veluti consequentia et fructus de fonte et principiis cap. VI exeat.

5. Praecisa quoque definitio laicorum i. e. sensu stricto atque modo scientifico suadenda non est, quoniam — sicut e. g. ipsius Ecclesiae Christi definitio — ita etiam haec valde difficilis esse videtur; certae potius differentiae specificae atque quaedam signa distinctiva laicatus numerandae sunt.

6. Principia autem ascetica pro laicorum in mundo degentium vita (« Instituta saecularia » — ut aiunt) magis de ipso Domini nostri Iesu Christi evangelio, quam de variis scholis asceticis, historicis vel monasticis seu modernis sumenda sunt. In hac autem materia, generalissima evangelica principia pro christianis saecularibus eligenda sunt, sed praecipue ea, quae circa professionem fidei in variis vitae circumstantiis atque circa responsabilitatem laicorum pro Dei Ecclesia atque de huius mundi rebus fiant.

7. Officia laicorum iuraque in Christi Corpore (quod est Mater Ecclesia) accuratius definiri debent; quorum saltem praecipua enumerentur.

8. Quaedam etiam propositio pro pastoribus cuiuscumque gradus in Ecclesia ponenda est, qua ad diligentiorem curam laicatus moverentur; id enim activum in Ecclesia elementum atque in pastorali ministerio ita necessarium, — adhuc parvi pretii fuit.

Caput VII: *De Ecclesiae magisterio.*

1. *Magisterium.* Totum argumentum huius partis restringi posset ad declarandum magisterium authenticum, derelicta praerogativa infallibilitatis. Et in hoc casu illud coniungatur possit cum cap. X (De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum).

2. *Infallibilitas Ecclesiae.* Materiam infallibilitatis:

a) *vel silentio praetermittere* attenta acerbitate huius quaestionis pro fratribus dissidentibus. Et hoc optimum videtur;

b) *vel obiter animadvertere,* hoc esse privilegium vel attributum magisterii ecclesiastici, quod in summa intensitate relative raro se manifestat et quidem in casibus definiendi vel indubiam veritatem revelatam, vel veritatem cum revelatione indissolubiliter connexam;

c) *vel fortius colligare* cum viva fide totius Ecclesiae. Fortius et clarius appareri debet *infallibilitas Ecclesiae* credentis. Pastores quidem (non excepto Papa) pariter homines credentes sunt. Et docendo, id tantum tradunt, quod et ipsi credunt

Universa Ecclesia cum grege et pastoribus credit. Magistri Ecclesiae fidem penetrant, interpretantur, praedicant et proponunt. Populus audit, accipit, meditatur, in veritates fidei se immergit. Utrique de fide Christi testimonium perhibent. In materia fidei conveniunt. Unusquisque fidelium veritatem revelatam anhelat. Magistri fidei eandem vi missionis Christi tradunt.

Schema de hoc connexu semel tantum et obiter mentionem facit (pag. 46, linn. 33-34, in utroque ut de fide sua testimonium reddant).

Insuper in schemate magisterium authenticum ita expositum est, quasi ipsa fide superius sit et iam totam veritatem revelatam, exacte et singulatim cognitam haberet.

3. *Munus theologorum.* In schemate non est demonstratum, quod Ecclesia permanenter in veritates revelatas penetrat et continuo in eisdem cognoscendis progreditur. Et sciscitationes has de facto et in maxima parte ope suorum theologorum persolvit. Factum hoc in schemate debito modo non est ostensum.

Ideo nimis arcta videtur thesis, quod solus episcopus in Ecclesia auctoritate magistri gaudet (quippe qui solus nomine Christi doceat, pag. 50, lin. 32). Equidem theologi pariter veritatem revelatam interpretare — utique non suo sed Christi nomine — volunt.

Non constat quam significationem habent verba: ceteris paribus (pag. 50, linn. 26-27). Res est enim valde difficilis immo et impossibilis talis ponderatio valorum internorum, ut de eorum paritate concludere liceat.

Qualificatio magisterii omnium sacerdotum quasi tantum subsidiarii, minime recta videtur (pag. 51, linn. 20-21).

4. *Schola domestica parentum.* Nimis parum accentuatum est magnum munus, gravis obligatio et incessabilis cura parentum de religiosa educatione suae prolis. Unica sententia (pag. 51, linn. 36-39) impar est omnibus problematibus de hac materia in toto mundo de die in diem accrescentibus.

5. *Iura peritorum.* Iure meritoque declarata sunt iura peritorum in variis scientiae generibus, ut suas adeptiones cum principiis fidei compositas, sive in dictis, sive in scriptis publicare valeant.

6. *Declinationes.* Modus redigendi huius paragraphi (de erroribus praecavendis pag. 52, linn. 24-37) impressionem facit, quasi magisterium Ecclesiae de scientia theologica suspiciose invidum sit et in admittendis ad eam hominibus non facile se praebat.

Caput VIII: *De auctoritate et oboedientia in Ecclesia.*

Opportunum videtur cap. VIII « De auctoritate et oboedientia in Ecclesia » ad instar cuiusdam corollarii cap. VII « De Ecclesiae magisterio » adiungere et fortasse stylo magis concinno exponere.

Nihilominus quaestiones quae in cap. VIII proponuntur, ob plures hac in materia grassantes errores, haud sine magna utilitate esse videntur.

Caput IX: *De relationibus inter Ecclesiam et Statum.*

Animadversiones generales.

1. Schema principium evolvit Ecclesiam et Statum esse societates sub respecto iuridico perfectas. Negotia pure religiosa exclusive Ecclesiae subduntur, negotia vero stricte saecularia ad Statum privative spectant.

2. Mutuas inter utramque societatem relationes quod attinet, schema temperate innuit theoriam mediatae Ecclesiae super Statum potestatis, qua in re maiorem canonistarum numerum sequitur et praxi Ecclesiae est consentaneum.

3. Schema defendit Ecclesiam etiam contra possibilem obiectionem Illam temporalia quoque negotia Suae potestati subiicere velle. Sed mediata Ecclesiae potestas saecularibus non vult dominare negotiis, si fidei et moribus non opponuntur.

Cum Ecclesiae genus humanum docere est et ita etiam curam pastoralem exercere, in hoc schemate hominibus principalia historiae relationum Ecclesiam inter et Statum danda sunt lineamenta, ut evolutivus harum relationum character bene agnoscatur.

Itaque primaevos christianos iuxta scriptores, utraque potestas proprio in activitatis campo ab altera independens est. Ideo v. g. S. Augustinus (saec. IV et V) postulabat mutuum et fraternum illarum adiutorium, stante earum independentia. Ideo conversionem armorum auxilio condemnabat, unde celebre effatum « Ecclesia abhorret a sanguine ». « Curate — S. Augustinus scribebat — ut idola prius in paganorum cordibus destruatis, et illi priores vobis idolorum simulacra in hortis suis destruent ». Infidelium bona et personae inviolabiles esse debent. Adhuc saec. IX Nicolao PP. I similis erat doctrina, cum agnoscebat Christum Dominum, ipsum regem et sacerdotem, pro semper in societate humana utramque potestatem divisisse, et exegisse solum, ut mutuo se adiuvent.

In fine Aevi Medii, cum super antiqui Romani Imperii ruinas novae politicae surrexissent potestates, cumque altera ex parte spiritualis Ecclesiae potestas magis magisque augeretur, doctrina eius quoad duarum potestatum relationem funditus mutata est, cuius mutationis essentia in doctrina dominationis Ecclesiae super Statum, etiam in rebus pure saecularibus, consistit. Inde exoritur celebris theoria illa dicta theoria duorum gladiorum, quorum alter movetur ab Ecclesia, alter vero pro Ecclesia.

Postea novae successerunt inclinationes et theoriae de dominatione Status super Ecclesiam.

Nunc vero, saltem in Ecclesia, denuo revertuntur conceptus priorum christianismi saeculorum, singuli autem Status Ecclesiam sibi subdere desiderant.

Ad problemata relationum Ecclesiam inter et Statum melius illustranda, considerandae sunt actuales huius quaestionis solutiones, uti sunt concordatum et separatio inter Ecclesiam et Statum. In variis vitae conditionibus unaquaeque haec solutio positivas aut negativas partes habet.

Bonae Concordati partes. Concordatum melius necessitatibus Ecclesiae et Status satisfacit, melius doctrinae ecclesiasticae respondet et saepe multa removet mutuarum relationum impedimenta.

Defavorabilis Concordatorum aspectus. Concordata saepe nimis Ecclesiam a Statu sub respectu materiali pendere faciunt; liberalitatem fidelium erga Ecclesiam minuunt; Statum promptiorem faciunt ad ingerendum in intimam Ecclesiae vitam; cum Ecclesia spirituali sub respectu maiorem acquirat independentiam, Concordata solvi et rumpi possunt, quod difficilibus in conditionibus ponit Ecclesiam; saepissime vero Concordatorum stipulationes a Statu non tenentur.

Malae partes separationis inter Ecclesiam et Statum. Non praestatur ullum auxilium Ecclesiae ex parte Status, quod bonos quoque aspectus habere posset; ansam non raro praebet persecutioni Ecclesiae propter praetensam accusationem illam Statum in Statu creare velle.

Favorabiles eiusdem separationis aspectus. Si haec separatio rite instituta est et non idem sonat ac Ecclesiae persecutio, bonos effectus sortiri potest. Hac in conditione Ecclesia a mutabilibus politicis et systematibus organicis atque a momentaneis Status impressionibus magis independens est; magis Ecclesiam cum fidelibus coniungit, qui auxilium Ei praestant, non respicientes adiutorium ex parte Status.

Separatio magis independentem clerum reddit, qui officiis suis fungitur sine ulla ex parte Concordati obligatione.

Animadversiones particulares.

N. 40, linn. 1 et 2. Titulus capitis textui eiusdem adaequate non respondet. Praeterea verba « et subordinatio finis Civitatis fini Ecclesiae » fortasse alia forma sunt exprimenda, et huic subordinationi principem locum non esse dandam. Verba haec dogmatico gaudent fundamento, possunt tamen aures hominis laici praecipue in campo materialistarum offendere.

Adnotandum est praeterea, verborum praefatorum conceptum bene et sufficienter exprimi in versibus 31 et 32: « Quare finem civitatis civilis nunquam esse appetendum excluso vel laeso fine ultimo, salute videlicet aeterna ».

N. 41. 1. Opportunior videretur taxativa enumeratio, quid intelligi debeat expressionibus res spirituales, res temporales et res mixtae.

In praxi hac in re haud parvae dantur difficultates, nam potestas civilis tendit, ut suae competentiae non solum res mixtae sed et spirituales subdantur.

2. Officia Ecclesiae erga Statum et Status erga Ecclesiam potius per singula puncta enumeranda sunt. Stricte iuridica expositio maxime opportuna videretur, schema enim haec problemata non satis perspicue exponit.

3. *v. 16.* Loco expressionis « nullum non probat » melius videtur utendum verbis « nullum impugnat ».

4. *N. 42 v. 10.* Loco verborum « cultus liturgicus » aliis fortasse utendum erit. Negotia pure spiritualia ad Ecclesiam spectant. Num censendum est fore, ut potestas saecularis in cultum liturgicum incumbat? Ulterior expositio clare explicat, quid a schemate his verbis intelligatur.

5. *N. 43.* Principium generale relationis Ecclesiae ad Statum clare in hoc capite applicatur.

Caput X: *De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum.*

1. *Argumentum.* Quod argumentum attinet totum cap. X (De necessitate Ecclesiae annuntiandi Evangelium omnibus gentibus et ubique terrarum) reapse iustum verumque est.

2. *Modus.* Nihilominus modus conficiendi huius capitis manifeste iurisconsultum prodit. Etiam non parum aggressivum videtur. Certo non apparet in eo ille spiritus lenitatis, qui praedicatorem Evangelii Christi ornare debet.

3. *Propositio.* Rigida affirmatio iuris Ecclesiae ad omnino liberam ubique terrarum praedicationem Evangelii, potest in praxi novum nobis impedimentum in evangelizando producere.

Potest enim contingi, quod nonnulla gubernia civilia animadvertendo in hoc iure quandam comminationem pro suo supremo dominio, missionarios in suum territorium non admittere possint.

Valde est etiam dubium, ut tam rigide affirmatum ius Ecclesiae, illa gubernia ad obsequium inducere possit.

Et ita huiusmodi declaratio negotium missionariorum non solum facilius non reddet, sed vice versa illud valde aggravare potest. Opportunum igitur videtur, ut caput hoc prorsus eliminetur.

Caput XI: *De Oecumenismo.*

Unio omnium ecclesiarum christianarum pro omnibus fidelibus ardens desiderium est. Ad scopum hunc obtinendum necesse est omnes vias possibiles temptare.

1. *Via praxis.* Personales contactus moderatorum omnium ecclesiarum. In his contactibus necesse est ab omnibus respectibus dignitariis se abstinere. Visitatio personalis ipsius Papae apud singulos patriarchas aliosque moderatores optimum effectum habere posset. (Opinio quaedam privata).

2. *Via doctrinalis.* Dicitur, quod maximum impedimentum pro unione ecclesiarum in differentia *doctrinae* consistat. An reapse ita sit?

Membra Ecclesiae catholicae veram doctrinam profitentur. Attamen articuli huius doctrinae in sua praecisa et definitiva conceptione a pusillo tantum grege fidelium cum recta conscientia cognoscuntur et creduntur. Etenim in tota sua apprehensione ad conscientiam omnium fidelium non perveniunt et ideo dictu difficile est an et quomodo in eorum vitam spiritualem efformandam influxum habeant.

Re igitur perpensa et habitis prae oculis principalibus ecclesiis christianis, affirmari potest, fidem christianam in condicione populi fidelis, *fundamentaliter et practice eandem esse.*

Immo etiam sustineri potest, illam etiam in gradu *universalis instructionis* eandem esse, quoniam sacerdotes et praeceptores in sua catechesi, doctrina evangelica nituntur et saltem in maxima parte eamque in paraphrasibus declarant et explicant.

Differentiae apparent demum in campo theologicarum sciscitationum et declarationum. Mutuae discussiones et accurata cognitio rationum, quibus adversarii nituntur, certo ad tollendas gradatim has differentias conferre possent.

Difficile est etiam stabilire, utrum instructiones theologorum catholicorum ad efformandam vitam spiritualem fidelium, in praxi maiorem effectum, quam instructiones theologorum dissidentium habeant.

Optabile igitur videtur, ut omnes theologi securo fundamento Sacrae Scripturae nitantur et ex hoc divino fonte coniunctim veritatem Christi hauriant (positio provisoria et opinio personalis).

II

1

Em.mus P. D. MICHAEL card. BROWNE

Circa partem primam.

1. In pag. 7, linn. 5-7 (i. e. in introductione), dicitur: « ... Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum seu *veluti sacramentum totius humani generis unitatis eiusque cum Deo unionis* ». Dicerem potius: « ... veluti sacramentum amoris eius erga totum genus humanum quod ipse ad unionem cum Deo trahere indesinenter cupit... » vel aliquid analogum.

2. In pag. 8, lin. 18, occurrit expressio: « *Eam super Petrum et apostolos aedificans* ».

Haec expressio sine dubio potest recte exponi. Spiritus enim Sanctus in duobus locis Novi Testamenti loquitur de apostolis ut quodam fundamento Ecclesiae, scil., ep. ad *Ephes.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 14.

In priori textu ita habetur: « ... (Vos Ephesiani) superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum... ». Ratio fundandi indicatur ut communis et apostolis et prophetis, proinde, ut videtur, prout utrique praedicaverunt (Ephesianis) verbum evangelicum, vel si, in casu, agatur de prophetis Veteris Testamenti, prout ipsi verbum evangelicum (ab apostolis nuntiatum) prae-annuntiaverunt.

Tamen, ut patet, haec ratio fundandi non est ex omni parte univoca cum illa S. Petri prout quis intelligere possit ex nuda phrasi schematis, scil. « eam super Petrum et apostolos aedificans ».

Alter textus scil. ille Apocalypseos sonat: « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni ». In primo loco notanda est natura mysteriosa plurium eorum quae in hoc libro continentur, quae suadet ut textus ex eo desumpti adhibeantur cum magna prudentia.

Civitas de qua in hoc textu agitur sine dubio apte accipitur ut typus Ecclesiae, sed nomina apostolorum inscribuntur in muro qui eam circumdat, non proprie in fundamentis ipsius civitatis. Quidquid sit, sumus in quadam distantia a ratione fundandi Ecclesiam quae Petro convenit.

His omnibus non obstantibus textum schematis non reicerem. Exponi enim potest in sensu vero.

3. In pag. 13, lin. 15 (i. e. in par. 10), vox « *efficaciter* » proprie loquendo non esset ponenda. Omitti potest. Ibidem in lin. 22 dicerem: « ... ad Corpus Christi *mysticum...* ».

4. In pag. 23, lin. 10 (i. e. cap. II par. 11), habetur phrasis: « ... (Dominus Iesus) ... super Petrum rupem ac super apostolos fundavit (Ecclesiam suam) ». De hac phrasi fere idem esset dicendum ac supra dictum est sub n. 2. Exponi potest in sensu vero.

5. In pag. 24, lin. 40 - pag. 25, linn. 1-6, invenitur phrasis: « Sicut autem permanet potestas a Domino singulariter *Petro ut* primo apostolorum et duci

collegii concessa et successoribus eius transmissa... ». In hac phrasi particula *ut* esset supprimenda. Haec enim potestas ei conceditur non *ut* primo apostolorum et duci collegii sed conceditur primo apostolorum et duci collegii *ut* vicario Christi in terris.

Reliqua verba citata possunt retineri. Caput enim collegii apostolici ille revera est cui haec potestas fuit collata. Phrasis citata tunc prosequitur dicendo: « ... ita servatur potestas totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore sacrato episcoporum exercenda... ».

Haec expressio est ambigua. Prout sonat *posset* accipi ut vindicans corpori episcoporum ex suis propriis ius pascendi universalem Ecclesiam. Hoc verum esset *unice* in casu in quo ad hoc libere invitantur a Romano Pontifice sicut in Concilio Oecumenico.

6. In pag. 26, linn. 17-18 (i. e. par. 15), habetur: « Circa episcopum, coetum coaptatum et concordem constituentes, agnoscant presbyteri cuncti, *etiam religiosi,* quot et quanta bona sibi ex hac intima coniunctione obveniant. Per episcopum enim missionem ab ipso Christo accipiunt... ». Absolute loquendo haec verba possent remanere ut modo quodam generico intelligenda. Tamen quoddam periculum videtur adesse ne sensu pressiori accipiantur et ita dogmatice praevenire quaestionem de iure exemptionis religiosorum.

Presbyteri enim missionem a Christo accipiunt non solum per episcopum sed etiam per Romanum Pontificem.

Saltem vellem dicere in fine: « Per episcopos enim missionem... » ut non excludatur episcopus Ecclesiae catholicae.

7. In eadem pag. 26, linn. 39-41, habetur phrasis de diaconis: « Quo in casu *ad praepositos Ecclesiae* spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne. Melius diceretur: « ad Ecclesiam spectat... ».

8. In pag. 27, linn. 29-30, melius esset ut supprimatur vox « *extraordinario* ». Concilium enim est modus ordinarius quo collegium episcoporum sub Romano Pontifice exercet supremam auctoritatem in Ecclesia.

Alter modus quo in mundo dispersus hoc facit, invitante Romano Pontifice, potius extraordinarius videtur esse.

9. In pag. 30, linn. 18-21, in phrasi: « Ad quam rite... *adhibito etiam consilio theologorum et exegetarum* sedulo applicant », melius saltem esset — ut puto — ut verba sublineata omitterentur. Indicant sine dubio regulam prudentiae valde necessariae, sed non deberent quasi praeceptive poni in constitutione conciliari dogmatica.

Potest quidem dici: « *adhibito pro opportunitate* etiam consilio... » vel aliquid consimile.

Nota: Conceptus iurium collegii episcoporum in hoc schemate propositus, si rigorosius accipiatur, tenderet ad excludendum cardinales non-episcopos, abbates generales, superiores generales Ordinum religiosorum clericalium a Conciliis Oecumenicis. Tamen traditio in occidente iam a Medio Aevo ipsis favet. Episcopi suo modo sunt etsi non consecrati. Plures eorum gubernant magnum numerum presbyterorum qui auctoritate Romani Pontificis immensa opera curant in bonum animarum.

2

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Pars I. In pag. 30, lin. 10, post verba « tamquam doctor et pastor Ecclesiae universalis », addatur: « *caputque collegii episcoporum* ».

Rationes: 1. Hoc modo expositio fit magis exacta et completa, quia etiam in hoc casu Romanus Pontifex agit ut caput collegii episcoporum. Quod indicatur in ipso schemate, eadem pag. 30, lin. 1, et expresse declaratum erat in antiquo schemate, pag. 48, lin. 17.

2. Ita doctrina de infallibilitate Romani Pontificis facilius intelligitur et acceptatur a fratribus separatis, specialiter orientis.

3

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

Placet iuxta modum.

Ad n. 7. Quae heic asseruntur de Ecclesia catholica tamquam unica atque vera Christi Ecclesia et praestantia et opportunitate maxime valere videntur et firma manere optandum est.

Ad n. 8. In commentario negatur mens esse Concilii definiendi quaestiones inter theologos agitatas « de valore et extensione vocabuli membri ». His verbis enervatur omnino praeclara doctrina in eodem n. 8 tradita atque libera declaratur opinio, quam Encyclica *Mystici Corporis* reprobat, scilicet haereticos quoque membra esse Ecclesiae.

Ad n. 9. Cum agnoscatur, recte quidem, Spiritus Sanctus etiam extra Ecclesiam operans, decet actionem hanc praedicari simul non tam copiosam atque effusam quam in Ecclesia.

Ad n. 14. Asseritur episcopatus esse « procul dubio » sacramentum et in commentario adiicitur quaestionem hanc ita esse instructam quae affirmative decidatur. Iamvero, plures theologi clarae famae aliter sentiunt, argumentis innixi quae condemnanda non videntur.

Ad n. 15. De episcopis qui sacerdotibus, in quos manus imponunt « gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfunduntur ». Verba haec, quibus in notis nullum validum fundamentum assignatur, non omnino clarescunt perperamque intelligi possunt.

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Pars I. Sermo huius schematis non gaudet alacritate sermonum qui inveniuntur in schemate *de divina revelatione.*

In n. 1, pag. 7, lin. 3, vox « caligine » forsan severa videbitur in Concilio

quod se praebet, cum anima pastorali, ut conversum ad hodiernas mentes. Sufficeret scribere « in hoc saeculo viventes ».

Nam *mysterium ipsum Ecclesiae* magis elucescit in hoc textu quam in schemate praecedenter proposito. Apparet melius actio Spiritus Sancti et relationes ad Sanctam Scripturam feliciter numerosae sunt. Mentio quaedam adest caritatis, sed adhuc insufficiens (cap. I, n. 5, pag. 9, lin. 30).

Diversa *symbola et signa Ecclesiae* sunt potius iuxtaposita quam in integrum argumenti inclusa.

Valde mihi videntur *opportuna, vocabula assumpta ab hoc schemate* ad determinandum relate ad Ecclesiam statum catechumenorum (n. 8, lin. 15, pag. 12), non catholicorum (id. 9), tandem non christianorum (id. 10).

Forsan, pag. 13, lin. 1, deleatur vox « purificati » si non catholici in bona fide adsunt. Sufficeret vocabulum « renovati ».

De collegialitate episcoporum mihi videtur satis opportuna expositio tradita. Bene notatur pag. 46, lin. 19, 3 par. quod de assensu ad magisterium authenticum in actibus non infallibilibus ulterius tractabitur. Haec quaestio etenim non est sine momento.

Peroptima affirmatio de *praestantia Missae episcopalis et de speciali reverentia* quae adhuc debetur episcopo in actionibus liturgicis (pag. 30, n. 20).

Quaestio de *diaconatu* cum prudenti mente exponitur in pag. 26, cum facultate pro episcopis decernendi de eorum caelibatu. Tunc diaconatus non considerari debet ut ordo progrediens ad presbyteratum.

Omnibus perpensis, non mihi videtur quod, in hoc novo textu, apparet sufficienter et enucleate originem potestatis episcopalis sistere in sacramentali consecratione episcopali, ita ut, si certo nullus non potest devenire episcopus sine consensu Summi Pontificis, non tamen dicendum est quod episcopi habent simpliciter potestatem derivatam a suprema potestate pontificali.

Sic melius manifestaretur fundamentum collegialitatis inter episcopos sub auctoritate Summi Pontificis et potestatis radicalis episcoporum ad regendam et docendam Ecclesiam, in connexione cum Papa, etiam extra Concilium Oecumenicum.

Opportuna forsan apparet quaedam explicatio de potestate suprema atque infallibili Pontificis Romani qui, e Vaticano I, agit « ex sese, non autem consensu Ecclesiae ». Quidam putabant haec verba significare quod Pontifex Romanus potest definire res quae non iam ullo modo in fide Ecclesiae essent. Aliqua praecisio utilis videtur ut christiani separati bene intelligant talem propositionem simpliciter declarare: Pontifex maximus Romanus non habet, pro valida definitione, consensus vel approbationis ab episcopis.

Pars II. Cap. III mihi videtur optimum et bene positum inter omnes considerationes de Ecclesia, adeo ut modo solemniori laicorum status declaretur.

Attamen, in n. 23 cap. III, pag. 6, lin. 16, existimo quod vocabula « aequalitas, quoad dignitatem et actionem », explanationem aliquam postulant. Etenim nulla est aequalitas inter « dignitatem et actionem » laicorum et aliunde sacerdotum vel episcoporum, si communitas vera adest quoad originalem dignitatem christianam e baptismo et quoad influxum quem omnes laici possunt exercere, sicut clerici in evangelizatione. Dignitas sacramentalis ex ordine et actio ministerii sacerdotalis repugnant cum ista aequalitate prolata. Expressio allata a textu recognoscatur.

Praeterea, in n. 24 non satis forsan apparet submissio necessaria laicorum erga magisterium. Ideoque pag. 8, lin. 23, verba « a magisterio ducitur ac sustentatur » mutanda sunt sic: « a magisterio ducitur ac comprobatur ».

De cap. IV, nihil dico, quia clarum et bene ordinatum. Exopto solum quod vox « charisma » in n. 31, pag. 20, lin. 24, mutetur. Periculum est alicuius fanaticae interpretationis. Melius dicendum: « secundum propriam suam spiritualem tendentiam » vel alia verba...

5

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMER CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Pars I. While I am very pleased with the development of the notion of membership in the Church contained in this document, and find it far superior to the schemata previously presented, I wonder if the treatment of Catholics has not been slighted to some extent. I feel that there should be some reference to the Priesthood of Laity in this context.

At the same time, I am not satisfied with the indication that Baptism alone is the rite of full initiation into the Church. Rather, it would seem that Baptism, together with Confirmation and the Eucharist together constitute full initiation for the Christian.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Observationes fient servato ordine articulorum; quaedam generalia si opus est in fine ponentur.

Cap. I: De Ecclesiae mysterio.

N. 2, linn. 24-25, dicitur: « Ecclesia universalis quae ab Abel... ». Hoc non respondet veritati, quia mysterium Ecclesiae non incipit ab Abel, sed ab Adam. Hoc sensu textus est corrigendus.

N. 3, lin. 18: textus habet: « ... eam (Ecclesiam) super Petrum et apostolos aedificans ». Affirmatio repetitur: n. 7, linn. 16-17; *ib.* linn. 21-24; n. 8, lin. 6; n. 11, lin. 10. *Haec affirmatio aequivoca evadit.* Etenim: alio sensu dicitur « Petrus fundamentum Ecclesiae », quia primatum habet, quia de eodem uti « fundamento » sensu omnino speciali sive in Scriptura, sive in traditione semper actum est; alio sensu apostoli dicuntur « fundamentum Ecclesiae », eo nempe qui convenit his qui sunt sub primatu et qui « plures » sunt. Atqui: illud quod duplici sensu accipi potest est aequivocum.

Conceditur elementa quibus distinguitur ratio fundamenti in Petro a ratione fundamenti in apostolis « passim et clare » enunciari in textu, in contextu.

Tamen, textus de quo hic sermo fit manet aequivocus et uti aequivocus repetitur.

In textu conciliari aequivoca dicenda non sunt, eo magis si aequivocum est circa veritatem maxime necessariam.

Textus posset ita enunciari: « ... super Petrum in primatu et etiam super apostolos sub primatu aedificans ». Quod faciendum est etiam in aliis citatis textibus.

Haec repetitio aequivoci omnino placere non potest.

N. 5, lin. 9: textus habet: « Vita enim Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur ». Hic textus est verus, sed non est « adaequate completus ».

Etenim vita, quae in membra Ecclesiae diffunditur, primam suam causam habet in passione et morte Domini.

Tacere de fundamentali causa redemptionis et gratiae non est valde congruens cum traditione et devotione catholica.

Proinde desideratur ut textus ita corrigatur vel compleatur: « Vita enim Christi crucifixi et glorificati... ».

N. 8, pag. 12, lin. 18 ss.: textus, accensens catechumenis ceteros ne catechumenos quidem, ita edicit: « Suo modo *idem valet* de illis qui nescientes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam... ».

Quaeri potest: « quid est quod *idem valet?* ». Equidem ex consecutione sermonis praecedentis « idem valet » refertur ad hoc: « ... iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia ». Et sub hoc respectu nihil esset observandum.

Tamen textus posset quibusdam superficialiter legentibus innuere aliquid minus rectum circa necessitatem Ecclesiae et necessitatem fidei ad salutem et ideo esset, ad praecavendum periculum, melius declarandum v. g. hoc modo: « Suo modo et firma semper veritate de necessitate Ecclesiae et fidei ad salutem consequendam, idem valet etc. ».

N. 10, linn. 16-21: textus refertur aliquo modo ad eandem quaestionem de qua egi nuper circa n. 8 et redeunt observationes ibi factae ob eandem rationem.

Affirmatur enim de his qui sine culpa Ecclesiam ignorant etc. quod bene operando et gratia ornati « aeternam salutem sperare possunt » (lin. 19). Quod est verum. Tamen, ut hoc verificari possit, necesse est ut per operationem bonam et influxum gratiae deveniatur ad adimplendas condiciones, quas ponunt et requirunt veritates de necessitate Ecclesiae et de necessitate fidei. Secus textus posset male intelligi, quod non est conveniens in documento conciliari.

N. 13, de episcopis successoribus apostolorum: in hoc articulo nihil dicitur de « non successione » episcoporum respectu apostolorum in his quae ad extraordinariam missionem pertinent eorundem apostolorum. Hoc desideratur ad claritatem et meliorem definitionem argumenti. Equidem sufficienter in articulo et seqq. edicitur episcopos succedere apostolis in munere universali non uti singulos sed simul sumptos uti collegium et quidem uti collegium, quod tale est solummodo si est cum Petro. Tamen res mihi, uti dixi, complenda apparet. Sermo reassumetur occasione art. 16.

N. 15, pag. 26, linn. 39-41: textus, qui ita sonat: « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne» videtur *demendus*. Etenim: nullo modo est necessarius et iam de diaconatu sat dictum est; mentio non necessaria de possibili abolitione caelibatus infra presbyteratum potest dare locum spei quam maxime periculosae in his qui debiliores sunt; eadem mentio non necessaria nec utilis argumento potest aperire sat periculosam quaestionem de duplici clero in singulis ecclesiis.

Nihil est contra veritatem utique, sed est aliquid non parvum contra opportunitatem.

N. 16: hic textus de collegialitate episcopatus est maximi momenti. In eodem textu nihil inveni, quod sit contra veritatem et omnia accipi possunt, absolute loquendo.

Tamen, in textu tanti ponderis, attendenda sunt: proportio inter diversas affirmationes (quid dicent cras theologi si de aliqua veritate multum dissertatum est et de alia solummodo quasi per transennam?), illationes possibiles non tantum a re dicta sed etiam a modo dicendi, conamina alicuius consectarii quod iam lateat in mente quorundam. Enimvero: dixi de necessitate proportionis. Solemnis et vera est iuridica natura episcopatus a Christo Domino statuta; sed solemnior est, vera et quidem unica, natura primatus Romani Pontificis. Dixi de illationibus possibilibus et consectariis. En consectarium de quo audivi, quod est quidem in mente plurium etiamsi de eo sermo non sit in textu, sed quod posset cras forsan proponi per cavillationes ab ipso textu. Agitur nempe de co-gubernatione Ecclesiae a Papa et ab episcopis peracta.

Sermo est ergo faciendus aperte de hac *co-gubernatione*. Haec asserenda censeo. Hic habetur terminus aequivocus. Etenim duos potest habere sensus: *a*) co-gubernatio in qua aliqui participant gubernationem superioris modo congruenti collegio et quidem « sub » Romano Pontifice, sicuti fuit et est in traditione Ecclesiae; *b*) co-gubernatio in qua supponitur quoddam ius ad participandum universale gubernium Summi Pontificis, quamvis « sub » eius regimine. Priore sensu res sustineri potest. Altero sensu res non iam sustineri potest; si quis ius habet ad participandum officium Papae actum est de ipso primatu. De natura primatus est ut Papa possit solus omnia nec a quolibet limitari vel obligari possit. Si parvum ius admittitur, cetera admittenda sunt. Iste conceptus co-gubernationis nullo modo componi potest cum constitutione *Pastor Aeternus* a Concilio Vaticano I lata, immo est cum eadem contradictorius; terminus aequivocus assumi nequit in textu conciliari et in veritate quomodolibet extra Concilium exprimenda, quia semper habet secum virtualem errorem, praeter possibilitatem periculi errandi; ideae aequivocae ad hoc inserviunt: ut sensim sine sensu errores et haereses inducantur.

Veritas primatus enervari nequit. Sine primatu Ecclesia rueret, quod est — Dei gratia — impossibile.

Ergo censeo, saltem, necesse esse ut textus istius numeri sistat lin. 37 cum verbo « invitet », ceteris linn. usque ad 39 amandatis. Sed optandum est ut totus iste articulus recognoscatur, una cum insequenti n. 17.

Sola veritas integra de primatu sine surreptione vitare potest in Ecclesia ut sint factiones et alia, quae mundo utique sed non regno Dei, consentanea sunt.

N. 19, pag. 30, linn. 23-29: aliquid in hoc textu apparet deesse circa magisterium ordinarium, non solemne, Romani Pontificis. Etenim: cum Romanus Pontifex loquitur ordinario modo, generatim exprimit id quod iam est in consensu Ecclesiae, iuxta normas, quas omnes sufficienter periti didicerunt in tractatu theologico de « locis theologicis »; ipse persaepe reassumit cum loquitur totam Ecclesiam iam de veritate secura; cum Romanus Pontifex loquitur generatim « theologicum consensum generat ».

Propterea cum R. Pontifex loquitur ordinario modo aliam habet vim ac ceteri, qui tamen in magisterio ordinario partem habent.

N. 21, linn. 14-17: non video rationem cur expresse dicatur in Concilio episcopos « non esse vicarios R. P. ». Res est utique vera, sed sufficienter et adaequate exprimitur cum dicitur « eam potestatem episcoporum esse propriam et non vicariam ». Mentio expressa Romani Pontificis cum non requiratur, prodit aliquid, quod apparere posset odiosum.

7

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Pars I. Miratus sum quod in cap. II adhuc invenimus in n. 15, linn. 33-41 pag. 26 suggestionem de diaconatu permanente seu stabili instaurando. Hoc est schema constitutionis *dogmaticae*. Secundum normas a nostra commissione datas, hoc in loco dogmatice agendum est de diaconis et de eorum munere in genere. De diaconatu in quantum est gradus inferior in ministerio hierarchico Ecclesiae iam satis actum est in linn. 28-33 huius paragraphi. Cur igitur mentio tam explicita diaconatus stabilis? Procul dubio, materia de diaconatu stabili non est dogmatica sed disciplinaris. Ideoque in constitutione dogmatica minime inveniri debet.

Alia quaestio oritur, nempe, utrum a Concilio Vaticano II alibi haec res tractanda sit. Mea opinione, responsum huic quaestioni debet esse negativum. Non est munus Concilii Oecumenici agere de aliquo instituto quod in futuro sine ulla practica probatione fortasse instaurandum est. Praeterea non opus est Concilii Oecumenici facere vel in solemni constitutione laudare huiusmodi quod potest gignere magna incommoda Ecclesiae.

Diaconatus permanens seu stabilis per saecula in Ecclesia latina non viget. Cum hoc institutum olim vigens decursu annorum obsolevit, non instaurandum est antequam diligenter inquirimus in rationes cur obsolevisset. Praeterea, inquirere debemus in difficultates quae ex hac instauratione evenire possint.

Itaque, diaconi stabiles debebunt sese gerere ut ministri Ecclesiae et coram fideles et coram acatholicos. Ad opus suum perficiendum debebunt esse satis praeparati. Attamen in multis regionibus vix possibilis est aedificare et sustentare seminaria pro candidatis ad sacerdotium. Quomodo ergo etiam aliae obligationes erga domus formationis pro diaconis nunc sumi possunt?

Praeterea, diaconi stabiles, praesertim si caelibatus lege non adstringantur, possunt causare magnam admirationem et confusionem apud populos tum catholicos tum acatholicos.

Deinde gratis asseritur necessitas diaconatus permanentis. Religiosi et sodales institutorum saecularium magnopere pro bono animarum, illis in locis ubi necessitudines Ecclesiae sunt maximae, laborant. Praeterea, annis recentioribus magis et magis crescit numerus laicorum qui servituti Ecclesiae illis in locis per aliquot annos sese devovent.

Omnibus his perspectis, in actis Concilii nihil debet inveniri de diaconatu permanente seu stabili instaurando.

Pars II. Finis proprius Concilii Oecumenici Vaticani II est essentialiter pastoralis. Mihi pergratum est invenire in hoc schemate partis secundae constitutionis dogmaticae de Ecclesia verum spiritum pastoralem. Per verba huius schematis, egregie a commissione mixta praeparati, Patres conciliares possint edocere et exhortari omnes christifideles ut bonum pastorem in via caritatis sequantur.

Unam animadversionem, tamen, facere velim. In n. 25 *c*), cap. III (in pagg. 9-10) actum est de relationibus inter opera fidelium in campo religioso et in campo civili. Meo iudicio, prima pars huius paragraphi (a lin. 37 pag. 9, usque ad lin. 7 pag. 10) hoc in loco in constitutione dogmatica de Ecclesia bene posita est in quantum agit de operibus saecularibus filiorum Ecclesiae quae seipsos

aliosque sanctificare possunt. Forsitan secunda pars huius paragraphi (a lin. 7 usque ad lin. 14 pag. 10) tamen, melius ponatur in schema de praesentia efficaci Ecclesiae in mundo hodierno ubi, spero, tota quaestio de relationibus inter Ecclesiam et statum et quaestio de libertate religiosa fusius et profundius secundum exigentias hodiernas tractabuntur.

Suffragium fertur quoad cap. I, *placet*; cap. II, *non placet*; cap. III, *placet*; cap. IV, *placet*.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES HIERONYMUS ADAM

Archiepiscopus Liberopolitanus

Pag. 29, n. 18. Nihil hic invenitur de ampliore paupertate et simplicitate, de nimiis pompis vitandis, quod multi christiani exspectant.

9

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Pars I. Pag. 11, n. 7, linn. 19-24: sic legerem: « Haec igitur Ecclesia, *cui promissa fuit indefectibilis successio usque ad consummationem saeculorum,* et *contra quam portae inferi non praevalebunt* (*Mt.* 16, 16-18; 28, 20), vera omnium mater et magistra, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, est Ecclesia catholica, a Romano Pontifice et episcopis in eius communione, directa, *quae effulgit tanquam signum in nationibus levatum, per suam visibilem unitatem perseverans unitatem a Domino inditam collegio apostolorum coniuncto cum ipsorum corypheo seu capite Petro.* Licet extra totalem compaginem *huius Ecclesiae catholicae* elementa plura sanctificationis inveniri possint, *hae tamen* ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt. Ut sacramentum etc. ».

Additiones sunt lineis subscriptae. Hic, ubi dicitur et proclamatur Ecclesiam Christi esse praecise Ecclesiam Catholicam a Romano Pontifice directam, necesse est sub clariori formula praecisare rationem propter quam « Haec igitur Ecclesia... est Ecclesia catholica » Romana et non alia. Nonne haec ratio residet in facto quod sola ipsa figuram authenticam praesefert collegii apostolici? In ipsa observatur et conservatur diligenter ratio unitatis hierarchicae collegii apostolici, apostolorum scil. cum capite eorum, cui solo contulerat Christus suam Ecclesiam. Sic mihi videtur quod assertio constitutionis fulcitur ratione principali, contra quam fratres separati nil poterunt obiicere, si nolunt denegare ipsum Evangelium vel corrumpere eius interpretationem.

Pag. 26, n. 15, lin. 30: assertio huius incisi, quod diaconi sint « ministri extraordinarii solemnis baptismi » non videtur posse dici traditio Ecclesiae universalis. In oriente hoc non patet. Ergo expungendus videtur hic incisus.

Pag. 27, n. 16, lin. 5: initio huius lin. 5, expressio « inter se coniunguntur », mihi videtur parum felix, quia nimis debilis. Pro maiore nexu huius periodi nonne melius erit ita formulare: « Sicut in Evangelio, statuente Domino, S. Petrus et alii apostoli unum collegium apostolicum constituunt, eadem ratione successor Pe-

tri, R. Pontifex et episcopi, successores apostolorum, *unitatem eiusdem Collegii perseverant in Ecclesia*»?

Ibidem, linn. 9-11: formula ista in sua negatione minus felix est. Melius erit formulare sic: « Collegium autem seu corpus episcoporum *non intelligitur sine suo capite,* scil. Romano Pontifice, successore Petri; ideo auctoritatem non habet *nisi cum eo* ».

Puto quod idem dicitur, sed cum explicatione: cur episcopi, seiunctim a Romano Pontifice, non habeant auctoritatem.

Pag. 27, n. 16, linn. 30-34: iste periodus « Romani Pontifices etc. ... saltem receptum », mihi videtur tanquam aliqua digressio superflua, quoniam hic non agitur de Concilio Oecumenico, nec praecise de omnibus praerogativis Romanorum Pontificum. Expungendo hanc periodum, conceptus sub linn. 28-30 melius connectitur cum periodo sub nn. 34-39.

Pag. 28, n. 17, linn. 19-21: potius quam fideles, clerus ipse et religiosi deberent saepe saepius edoceri de « amore totius Corporis Christi mystici». Non sunt fideles ipsi qui laborant illo malo *campanilismi,* qui prohibet habere sensum Ecclesiae universalis, quam pastores eorum: clerici et religiosi. His spectat officium edocendi fideles suo exemplo amoris erga emolumenta et exigentias totius Corporis Christi, absque tendentia nimis particularistica suae paroeciae, aut dioecesis aut nationis aut ritus, cum exclusione aliorum.

Pag. 30, lin. 19, linn. 7-10: « Quando enim R. Pontifex aliquam veritatem de fide definit, non ut persona privata sententiam proponit, sed doctrinam fidei catholicae, divinitus Ecclesiae commissam, tanquam *caput,* doctor et pastor Ecclesiae universalis exponit vel tuetur ». Hic adderem adhuc, tanquam explicatio superioris formulae Vaticani I, formulam hanc: « *Ideo non ex quodam actu collegiali episcoporum vel Ecclesiae irreformabiles sunt, sed simpliciter ex actu capitis in quo charisma totius Ecclesiae recapitulari intelligitur* ».

Deinde prosequitur periodus in n. 11: « Idem facit corpus... » etc.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS BAGNOLI
Episcopus Fesulanus

Pars I. Nn. 5 et 6: imagines, quae notionem Ecclesiae illustrant, se invicem complentes, ampliori et magis organica connexione forsan essent enucleandae.

Imago vitis melius post completam corporis mystici explanationem locanda videtur.

In n. 5, 41, ut clarius pateat quae sit actio Christi, ut causa efficiens nostrae sanctificationis, et Spiritus Sancti ut causa formalis, expressio sic complenda videtur: « Dominus Iesus, ut vitis vera, *per Spiritum suum,* palmitibus etc. ».

N. 6, 32: « ... Spiritus Sancti qui... confortat et illuminat... ». Antequam asseratur « confortat », melius forsan esset adiungere « vivificat ».

N. 7, 12 et 13: videtur hic haberi quandam... tautologiam.

Si societas et corpus sunt una res, quomodo *socialis organismus* in aedificando *corpore* inservit?

Clarius ergo videtur explicanda analogia inter mysterium Ecclesiae et mysterium Incarnati Verbi.

N. 8, 11 ss.: haec pia exhortatio in constitutione dogmatica videtur non opportuna.

Adnotandum praeterea: hic pro « omnes Ecclesiae filii » intelliguntur solummodo catholici, dum in n. 7, 20 Ecclesia vocatur « Mater omnium ».

N. 11, 5 et 6: « Quicumque e populo Dei sunt, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent... ».

Haec affirmatio, modo nimis generali confecta, plene non videtur veritati respondere. Etiam hebraei in Veteri Testamento « populus Dei » erant quin essent « christiani ». Melius forsan dicendum esset: « Quicumque e *novo* populo Dei sunt eo ipso etc. ».

N. 12, 4: « ... omnes populos... ». Forsan melius esset dicere « omnes creaturas », ne hoc quod sequitur « regerent » male interpretetur de quadam cupidine temporalis dominii.

N. 12, 9-14: « ... Ecclesiam extruunt universalem etc. ». Habetur hic sat infelix compositio. Nam *apostoli* dicuntur extruere, id est *aedificare* Ecclesiam quae iam *aedificata est* super Petrum, fidelibus « *superaedificatis* » super fundamentum *apostolorum* etc.

Forsan melius dici posset: « Ecclesiam exstruunt universalem fundatam super Petrum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ».

N. 13, 21: « ... annuntiandi laetum nuntium et manifestandi mysterium Christi... ».

Verba « laetum nuntium » non sunt nisi traductio verbi « evangelium ». Sed Evangelium complectitur manifestationem mysterii Christi, cum debeat esse « in Ecclesia totius vitae principium ». Ergo forsan melius concinne dici posset: « ... Christum annuntiandi... ».

N. 13, 3: « ... a corpore sacrato episcoporum exercenda... ». Forsan maiori praecisione dicendum esset: « ... a corpore sacrato episcoporum una cum suo capite exercenda... ».

N. 15, 38 ss.: « Ecclesia » hic significare videtur « competens auctoritas in Ecclesia ». Expressio apparet nimis indeterminata, sicut etiam alia quae sequitur: « ad praepositos Ecclesiae spectat ».

N. 16, 12: « Romanus Pontifex habet in Ecclesia *per se* plenam et universalem potestatem».

Ne praeiudicia fratrum orientalium foveantur melius esset dicere: « ... *vi sui muneris...* ».

11

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN

Patriarcha Ciliciae Armenorum

Pars I. Pag. 7, n. 1, lin. 9: optime dicitur: « praecedentium Conciliorum argumento instans », ut cesset, una vice pro semper, aliquorum pretensio revisionis Concilii Vaticani I.

Pag. 9, n. 5 (De Ecclesia ut mystico corpore Christi): nimis breviter et generaliter loquitur schema de hac veritate speciatim post encyclicam Pii XII *Corporis Mystici.* Clarior et amplior determinatio multarum quaestionum, quae agitabantur inter auctores, desideratur.

Pag. 12, n. 9 (De nexibus Ecclesiae cum christianis non-catholicis): schema, hac de re, timide loqui videtur. Non audet dicere quod christiani non-catholici sint membra Ecclesiae, vel qualia sint; quomodo vocandus sit nexus de quo fit sermo.

Videtur quod vocabula « haereticus », « schismaticus » non amplius existunt. Si ita est, nonne doctrina Pii XII, in *Corporis Mystici,* reiicitur, quia ibi alio modo determinantur membra Ecclesiae, et clare excluduntur membra ecclesiarum separatarum.

Clarior expectatur expositio, hac de re; ibique dicendum est quod de essentia Ecclesiae Christi est *unitas magisterii et regiminis* cuius centrum et fundamentum est primatus Romani Pontificis.

Cum autem ecclesiae non-catholicae reiicient unitatem hoc sensu, ideo sunt extra hanc unitatem et extra veram ecclesiam. Nec sunt verae ecclesiae Christi, cum non habeant elementum essentiale Ecclesiae Christi. Non sufficit dicere quod habent unitatem imperfectam, si non additur quod illa imperfectio est rei essentialis.

Pag. 11, n. 7, linn. 13-25: hic exprimitur perfectus actus fidei de Ecclesia Christi, qui solatium dat catholicis cum Ecclesia sentientibus et ipsis acatholicis qui animo sincero scire volunt quaenam sit revera fides catholica circa Ecclesiam Christi.

Pag. 30, n. 19: opportunum esset ad finem, mentionem facere de obsequio praestando congregationibus Curiae Romanae, per quas Romanus Pontifex exercet regimen et magisterium Ecclesiae.

Pag. 31, n. 21, lin. 10: dicere: « ... licet a *Romano Pontifice,* supremo Ecclesiae capite, exercitium eiusdem... ».

Pars II. Pag. 5, n. 23 (De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate): schema videtur multa dicere de aequalitate membrorum in Ecclesia, et pauca de eorum inaequalitate.

Affirmatur quidem inaequalitas, sed fere tamquam quid secundarium, et statim conatus fit eam ad sat pauca reducendi.

Dicitur enim, pag. 6, n. 23, lin. 13: « Et si quidam ex voluntate Christi ut doctores, mysteriorum dispensatores et pastores super alios constituuntur, vera tamen inter omnes viget aequalitas quoad dignitatem et actionem cunctis fidelibus communem» .

Num praeter hanc dignitatem et actionem omnibus communem, doctores et dispensatores mysteriorum, constituti voluntate Christi, non habent aliam dignitatem et actionem, quae superant primam dignitatem et actionem, et quae causant magnam inaequalitatem?

Eadem pag. 6, lin. 17, schema addit: « Distinctio enim quam ipse Dominus inter hierarchiam et populum posuit, simul est coniunctio, cum pastores et alii fideles inter se communi necessitudine devinciantur; Ecclesiae praepositi populo inserviant, populus autem pastoribus et doctoribus suis obediens, ad salutem communem cooperetur ».

Num ex eo quod pastores et subditi devinciuntur inter se, praepositi populo inservientes et populus obediens eis, aequalitas an inaequalitas sequitur?

Comparationem quamdam addit schema, quae potius contrarium indicare videtur. Ait enim: « Fideles autem sicut ex dignatione divina fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare,

ita etiam fratres habent eos qui, in sacro ministerio positi, auctoritate Christi et docent et sanctificant et pascunt... ».

Iamvero sicut fideles, licet habeant Christum fratrem, sunt tamen ei subordinati et consequenter non sunt ei aequales, ita fideles subordinantur pastoribus et doctoribus suis, et consequenter non sunt eis aequales.

Conatus ostendendi quod fideles habent obligationem apostolatum exercendi non debet celare vel mitigare realitatem distinctionis fidelium a pastoribus.

Nonne opportunius esset, initio huius schematis, exponere breviter clare et distincte veritatem catholicam, scil.: « Vera Ecclesia Christi est societas hierarchica, proinde inaequalis, et ita a Christo auctore constituta ut alii doctores, alii discipuli, alii praepositi, alii subditi, alii mysteriorum dispensatores, alii sanctificandi, licet omnes ad eundem finem ultimum tendant. Praepositi autem ac doctores sunt ut ministrent, subditi autem et discipuli ut ministrentur, etsi hi etiam solliciti esse debeant de proximi salute et ad apostolatum communem cum pastoribus cooperari ».

Haec veritas est de fide, ex variis definitionibus Ecclesiae, v. g. Concilii Tridentini (cf. Denz. n. 960).

Haec autem constitutio Ecclesiae est de iure divino, scil. ipse Christus ministerium ecclesiasticum instituit, non ita tamen ut omnes fideles, eo ipso quod sunt fideles, fruantur iuribus propriis huius ministerii, sed instituit ministerium distinctum a reliquo coetu fidelium, illique tribuit, independenter a fidelibus, ideoque immediate, auctoritatem regendi, docendi et sanctificandi fidelium coetum.

Iuvat haec omnia clare exponere, ut vitetur error Protestantium et aliorum dicentium: « plenitudinem potestatis esse penes fidelium coetum, qui, cum non possit per se implere munera sacerdotio et magisterio adnexa, delegat peculiares ministros ad haec munera obeunda, qui ministri proinde dirigunt et docent auctoritate a fidelium coetu accepta ».

Notandum est quod in schemate Patribus Concilii Vaticani I proposito dicebatur: « Christi autem Ecclesia non est societas aequalium, ac si omnes in ea fideles eadem iura haberent; verum est societas inaequalis, et hoc non ideo tantum, quia fidelium alii clerici sunt alii laici; sed propterea quod maxime in Ecclesia est potestas divinitus instituta, qua alii ad sanctificandum, docendum et regendum praediti sunt, alii destituantur ».

Et can. 11 sic enuntiabatur: « Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tamquam societatem coaequalium, ab episcopis vero haberi officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat, quaeque ab iisdem sit libere exercenda, anathema sit ».

Pag. 7, n. 24 (De sacerdotio universali): ne errores, per falsas interpretationes textus (*1 Pet.*, 2, 4-10 et *Apoc.* 1, 6 et 5, 9-10) renascantur quoad sacerdotium universale eiusque consectaria, optandum est ut doctrina magisterii ecclesiastici magis evidenter ponatur, tanquam firmissima veritas, adducendo, v. g. id quod Concilium Tridentinum statuit: « Quod si quis omnes christianos promiscue Novi Testamenti sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali praeditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quae est ut castrorum acies ordinata, confundere » (Denz. n. 960).

Perutile erit quoque, hac de re, in memoriam revocare id quod Summus Pontifex Pius XII dicebat in Litteris Encyclicis *Mediator Dei et hominum* diei 20 novembris 1947: « Quod tamen christifideles Eucharisticum participant Sacrificium,

non idcirco sacerdotali etiam potestate fruuntur. Id quidem vestrorum gregum clare prae oculis ponatis omnino necesse est.

« Sunt enim, venerabiles fratres, qui hodie ad iam olim damnatos errores accedentes, docent in Novo Testamento, sacerdotii nomine id solum venire, quod ad omnes spectat, qui sacri fontis lavacro expiati fuerint; itemque praeceptum illud, quo Iesus Christus in novissima Coena id apostolis commiserat faciendum, quod ipse fecerat, ad cunctam directo pertinere christifidelium Ecclesiam; atque exinde, deinceps tantum, hierarchicum consecutum esse sacerdotium. Quapropter populum autumant vera perfrui sacerdotali potestate, sacerdotem autem agere ex delegato a communitate munere » (*A.A.S.*, 2 decembris 1947, pag. 553)...

« Quantopere captiosi huius generis errores iis contradicant veritatibus, quas iam asseveravimus, de gradu tractantes quo sacerdos in mystico Iesu Christi Corpore pollet, explanare supervacaneum est ».

Pag. 8, n. 25 (De vita salutifera et apostolica laicorum):

Pag. 9, lin. 29, dicitur: « Ad quam apostolicam navitatem Ecclesia suos filios instanter appellat, praesertim laicos, qui variis opportunitatibus datis maiore cum efficacia uti possunt, praecipue per contactus suos personales ».

Pag. 10, n. 26, lin. 27, dicitur: « Laici itaque pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent, immo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent ».

Ne his et similibus aliis verbis laici, nimis exculti, tententur aliquo modo contemnere praepositos minus doctos et agant independenter ab eis, iuvat, ante omnia, clare et distincte, exponere quod essentiale est doctrinae catholicae circa apostolatum laicorum, v. g. referendo haec quae Summus Pontifex Ioannes XXIII dicit in Litteris Encyclicis *Mater et Magistra*: « At si forte contingat, ut de hac causa sacrae auctoritatis ordines aliquid praeceperint vel decreverint, palam est huic sententiae esse ab hominibus catholicis proxime parendum. Ecclesiae enim non tantum ius et officium est tueri principia ad religionem et ad morum integritatem spectantia, sed etiam pro sua auctoritate sententiam suam pronuntiare, cum de principiis iisdem agitur ad effectum adducendis ».

Pag. 23, n. 36, lin. 11: optime ponuntur haec verba « vel in monte contemplantem », quibus magis magisque ostenditur necessitas vitae contemplativae, quae fundamentum constituit veri apostolatus.

12

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX

Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere.

I. *Adnotatio generalis.* Si prae oculis habemus totum schema in genere, sane cum renovatione ecclesiologica contemporanea congruit. Magnopere ex Scriptura inspirationem suam ducit, perbelle variis figuris eiusdem utitur, sermone bene accommodato modis cogitandi hominis hodierni exaratur et vero animo oecumenico refertur eminetque.

Hoc schema igitur bene cum praecipuis desideratis Patrum Concilii in ultima sessione expressis congruit. Quocirco, mihi *omnino placet.*

Attamen, quasdam observationes emendationesque addendas esse opinor quibus quidam complementarii aspectus schematis maiore in lumine exhibeantur.

II. *Animadversiones criticae generales.*

1. *Populus Dei.* Inter biblicas figuras in schemate usitatas ad multiplices mysterii Ecclesiae divitias elucidandas, imago privilegiata *Corporis* qua exprimitur aspectus mysterii transhistoricus, non sufficienter ab altera etiam privilegiata figura complementum sumit, i. e. imago « Populus Dei ». Passim sub nn. 1-4, mentio quaedam eius fit, sed nonne totam paragraphum specialem de hoc themate biblico oporteret adhibere? Quod, ut mihi videtur, melius continuationem magni divini consilii ac propositi necnon et condicionem Ecclesiae peregrinantis accuratius manifestaret.

2. *De diversitate in Ecclesia una.* Mirandum prorsus, videtur, quod in hoc schemate, cui titulus *constitutio dogmatica,* Ecclesiae particulares orientales parvi ducuntur, nec exinde exhibeatur Ecclesia in tota amplitudine sua nec in nativa rituum varietate, i. e. disciplinae, liturgiae, culturarum et traditionum. A temporibus apostolicis enim, Ecclesia magnam particularium traditionum varietatem paulatim complectitur, ita quod, in decursu saeculorum per rituum elaborationem atque permanentiam, praesertim apud orientales gentes, mirabilis catholicitas sua omnibus elucescit. Ipsa Ecclesiarum in Christo varietas, eo quod divisiones gratiarum, eumdem autem Spiritum proclamet (cf. *1 Cor.* 12, 4), mysterium Ecclesiae reconditum aptius declarare valet.

Ecclesia vero, legitimas mores culturasque gentium servans, in gremio suo omnes populos trahit, ut ex eis in Christo unus populus Dei efficiatur. Quam missionem divinitus datam Ecclesia maiore in lumine exhiberet, si Concilii Patres prae oculis haberent quod Ecclesia iugiter *una* et *catholica,* sibi semper perfecteque identica, in omnibus et singulis ritibus *suis* permanet.

3. Recursus ad *patrologiam orientalem.* In tractando *de Ecclesia* inspirationem ex traditione patristica orientali magis ducere deceret. Orientales quam pulchre de Ecclesia locuti sunt, insuper melius ipsum conceptum « mysterii » Ecclesiae adservaverunt. Si saepius traditione orientali utimur, efficacius Ecclesiam in toto suo mysterio et in lingua minus ex mente et ingenio particulari pendente, exprimere et declarare absque dubio poterimus. Praeterea, sic agendo, facilius appropinquatio ad Ecclesias orientales pararetur cum catholicas, tum orthodoxas, etiamque ad communiones ex Reformatione ortas.

4. *Usus verborum* mutandus aut melius seligendus.

A) *Romanus Pontifex.* Summopere deceret ubique substituere vocabulo « Romanus Pontifex » vocabula seu locutiones sequentes aut eisdem similes: « Papa » (*de Ecclesia,* pag. 27, lin. 35; pag. 28, lin. 9); « Summus Pontifex » (*de Ecclesia,* pag. 12, lin. 6); « Supremus Pontifex »; « Vicarius Christi »; « Praesul seu princeps collegii episcoporum »; « Pastor Ecclesiae supremus »; « Primus episcoporum »; « Dux collegii episcopalis »; « B. Petri successor »; « Episcopus Romae », etc. Loco « sub auctoritate », melius utitur « sub ductu », « arbitro Summo Pontifice »...

Rationes: 1. Ad *veritatem* pertinentes: Non prout *Pontifex Romanus,* etiamsi est episcopus Romae, non prout primas Italiae aut patriarcha occidentis, sed prout successor Petri, electus ex duodecim ad fratres suos confirmandos, Summus Pontifex seu Papa universali munere curae animarum auctoritateque in ceteros episcopos potitur.

2. Ad *prudentiam* et *caritatem* pertinentes: Maximi momenti est ut nostri et *cogitandi* et *loquendi* modi tales sint ut, veritate salva, « ne quod offendiculum demus Evangelio Christi » (*1 Cor.* 9, 12; cf. etiam *Rom.* 14, 13; *1 Cor.* 9, 9; etc.). Porro, multi sunt christiani, scil. orientales cum catholici tum orthodoxi et alii, Anglicani, Lutherani aliique multi ex Reformatione orti, quibus maxime displicet vocabulum « Romanus » semper coniunctum cum vocabulo « Pontifex ». Neque Ecclesiae orientales, neque Ecclesiae afro-asiaticae (etsi multae sunt ritus latini) neque communiones anglicanae et lutheranae, unitate obtenta, idcirco sunt aut erunt « Romanae ». Illud vocabulum fuit semper permanetque ut petra scandali omnino inutilis in recuperanda unitate secundum Christi voluntatem, quae unitas ab uniformitate essentialiter contradistinguitur et est imago diversitatis admirabilis ipsarum trium personarum unicae Trinitatis, perfectaeque multitudinis attributorum divinorum simulque infinitae diversitatis rerum creatarum. Licet potuisset, redemptor noster neque nasci ex matre romana, neque vicarium suum ex populo romano seligere neque prima lineamenta cultui Corporis sui mystici romana adscribere voluit.

3. *Ex usu sumptae*:

a) Non parum interest ad rem referre quod S. Thomas in *Summa Theologica* locutione *Summus Pontifex* 27 vicibus, at vocabulo *Romanus Pontifex* tantum 11 vicibus usus est.

b) Sensim sine sensu, in documentis e S. Sede prolatis, voci « Romanus » substituitur vox « Summus ». Exemplum unum tantum proferam (licet *plurima* addere possem) scil. documentum pontificale cui titulus « *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* » (*A.A.S.*, 54, 1962, pp. 609-631). Cum in loco C.I.C. ad quem *Ordo* se refert, Papa semper nominatur « Romanus Pontifex », hic semper vocabulum « Summus Pontifex » adhibetur.

B) Quod hic dicitur de vocabulo « Romanus Pontifex » aeque debet dici de Congregationibus, Dicasteriis, Curia quae Papam in perfungendo munere suo curae animarum et gubernationis totius Ecclesiae adiuvant, quae tamen infeliciter vocantur « Romana ». Item, loco « Sedes Romana », multo anteponimus « Sancta Sedes » aut « Apostolica Sedes ». Itaque, vocabulum « Romanus » adhiberetur tantum relate ad dioecesim aut patriarchatum occidentalem ipsius Romae.

C) *Sub Romano Pontifice.* Verbum « sub », Summi Pontificis auctoritatem conspicue et eximie designat, sed nonne simul intimum ministrationis et caritatis ligamen cum fratribus in episcopatu constitutis in umbra relegat? Nonne partes vivificantes Summi Pontificis in episcopatus et Ecclesiae operibus melius indicantur per sequentes locutiones, pleniore significatione praeditas: « Episcopatus coadunatus una cum Petro », vel « duce Petro », « collegium episcopale adunatum una cum capite suo », « Episcopatus in communione cum Petro », vel « una cum Summo Pontifice ».

D) *Collegium episcopale et Papa.* Quotiescumque agitur de episcopis quorum caput est Summus Pontifex, decet, ut mihi videtur, primum mentionem facere huius collegii et deinde Papae. Hic modus procedendi manifeste declararet capita sequentia: prioritatem in tempore constitutionis collegii apostolorum relate ad primatus Petri collationem; primatus Summi Pontificis exercetur non ab externo sed ab interno ipsius collegii; haec auctoritas non est dominatio in collegium sed Papam constituit tanquam praecessor in episcopis sicut ministrator (cf. *Lc.* 22, 25-27) et in primatu positus ut unitatis collegii effector sit.

5. *Ordo* materiae tractatae.

a) In cap. II, *De constitutione hierarchica Ecclesiae,* novus ordo paragraphorum videtur instituendus, ut sequitur: n. 13, n. 16, n. 17, n. 14, n. 18, n. 19, n. 20 et n. 21 (prima adlinea); denique, secunda adlinea n. 21, per modum conclusionis, sed sub numero proprio, n. 22, ponatur.

b) N. 15 (De presbyteris et diaconis) aptius collocaretur vel in fine huius cap. II, vel post cap. II in quo de episcopatu tractatur et ante capitulum sequens in quo de laicis tractabitur.

In specie.

Cap. I: *De Ecclesiae mysterio.*

Pag. 7, n. 2, lin. 20: membrum sententiae « Intuitu Christi... creaturae (*Col.* 1, 15) » relocandus est et inserendus immediate post « ac bonitatis suae consilio » ex lin. 17. Clarior ea mutatione redderetur sensus sententiae meliusque elucidaretur quo modo Pater totum suum consilium in Filium et in Filio perfecte effecit.

Pag. 7, n. 2, lin. 26: substituantur verba « sua morte et resurrectione redimeret » (cf. *Rom.* 4, 24 s.) verbis « sua morte redimeret », ut melius manifestetur mysterium paschale.

Pag. 8, n. 3, lin. 16: post referentiam *Act.* 20, 28, addendum videtur « Ac dextera Dei exaltatus (cf. *Act.* 2, 32-36) » quibus verbis declaratur Christum esse Dominum. Hic videtur memorandum summum imperium seu dominium Christi in Ecclesiam et mundum.

Pag. 8, n. 3, lin. 18: substituantur verba « super apostolos Petro duce aedificans » verbis « super Petrum et apostolos aedificans », ut clare significetur Petrum vere esse unum ex duodecim quorum dux constituitur.

Pag. 9, n. 5, lin. 6: verbum « adoptionis » substituatur verbo « adoptivos », ut servetur accurate significationem biblicam peculiarem et propriam; nam « filius adoptivus » connotat terminum adoptionis, cum « filius adoptionis » demonstret gratuitatem actionis Dei hominem ad dignitatem filii veri vocantis.

Pag. 11, n. 7, lin. 13 s.: commoveor inveniens sententiam sollemnitate refertam, quae hic certo non requiritur. Multo simpliciorem sententiam proponere liceat: « Haec est unica Iesu Christi Ecclesia, quam... ».

Pag. 11, n. 7, lin. 33: nonne hic addenda esset adlinea quae prae oculis ostendat futuram « Parousia » ut rememoretur populum Dei in hoc saeculo esse incarnatum ideoque in servitute humanarum passionum constitutum cum in membris tum in institutis suis. Ecclesia absque ullo dubio omnia media perfectionis possidet, at non perfectionem ipsam, dum peregrinatur. Licet ipsa sancta sit, membra eius gravia onera suarum plurimarumque imperfectionum et macularum Eae imponit, quae excutere et expiare absque intermissione debet. Splendor Ecclesiae in tota sua propria perfectione « sine macula nec ruga » (cf. *Eph.* 5, 27) non invenietur nisi in termino.

Pag. 11, n. 8, lin. 34: titulus (De fidelibus catholicis) non est idoneus, et in devium sensum potest flecti. Ratione materiae tractatae habita, multo aptior titulus esset: de adhaesione Ecclesiae.

Pag. 11, n. 8, linn. 34-40 ad pag. 12, n. 8, lin. 2: ut non potius proponatur aspectus iuridicus legis aut necessitatis impositae ab externo, sed evidentius appareant divitiae ipsae communionis vitae et sanctitatis, quae communio reapse est Ecclesia instituta et data a Domino ad ministrationem et salutem humanitatis pec-

catricis, textus refectus sequens proponitur: « Ecclesia, tamquam Christi dilecta sponsa atque eius vivum salutis instrumentum et universale sacramentum, divinam misericordiam actu et efficaciter, humanis condicionibus modo accommodato, applicat. Exinde, a traditione apostolica semper ut medium ad salutem necessarium proponitur, et est. In Ecclesia enim, fides quae per caritatem operatur (cf. *Gal.* 5, 6) et fidei sacramentorum praxis vim et virtutem a Christo sumunt exindeque Ecclesiam ipsam usque ad Christi staturam aedificant. Ideo, qui Ecclesiam catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam ad salutem esse conditam agnoscunt eae ipsae adhaerere debent. Evangelio Dei credentes, per baptismum, cuius ad regnum Dei introitum et ad salutem necessitas ab ipso Christo declaratur (cf. *Io.* 3, 5; *Mc.* 16, 16), vitaliter inseruntur in Christo passo et resuscitato ac de Corpore Ecclesiae efficiuntur (cf. *Conc. Flor.*: Denz. 696) ».

« Reapse et simpliciter loquendo... » ut in textu pag. 12.

Pag. 12, n. 9, linn. 24-27: hanc sententiam paragraphi ita mutare oportet: « Omnes illos qui, baptizati, christiano nomine decorantur, integram autem fidem vel unitatem communionis in B. Petri Cathedra non profitentur, Mater Ecclesia plures ob rationes fratres et filios iure appellat » (cf. Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 1959, p. 515). *Ratio*: Magnopere refert, ad oecumenicam unitatem fovendam, ut magis manifestentur vincula interna et spiritualia vigentia inter omnem valide baptizatum, etiam acatholicam, et ipsam Ecclesiam.

Pag. 12, n. 9, lin. 30: post « plures eorum » inserenda essent verba haec: « aliqua communione in apostolorum successione fundata, vinculum quoddam regiminis proinde retinent, ... ». Ita exprimuntur maximae divitiae spirituales et ecclesiales quas fratres nostri orthodoxi fideliter adhuc conservant quasque maximi faciunt pretii.

Pag. 12, n. 9, lin. 37: substituenda sunt verba « in uno ovili et pastore » verbis « in uno grege sub uno pastore ». Verba enim substituta arctiorem sensum biblicum praebent (cf. *Io.* 10, 16) magisque oecumenicam significationem textus exprimunt.

Pag. 13, n. 10, lin. 7: post verbum « unum corpus » inserendum est adverbium « libere », ita ut clarius appareat quod Ecclesia libertatem cuiuslibet hominis ad fidem vocati magnum ducit.

Pag. 13, n. 10, lin. 19: addatur « et obtinere » post « sperare » ut sic accuratius denotetur eorum vera subiectiva dispositio, etsi incompleta, ad salutem aeternam.

Cap. II: *De constitutione hierarchica Ecclesiae.*

Pag. 23, n. 11, lin. 10: substituantur verba « super fundamentum apostolorum Petro duce aedificavit » (cf. *Eph.* 2, 20; *Mt.* 16, 18) verbis « super Petrum... fundavit », nam ostendere oportet Ecclesiam unice fundari in collegio apostolico cuius Petrus dux et sedes unitatis est.

Pag. 23, n. 11, linn. 24 s.: delere oportet verba « et capite suo, ac totius Ecclesiae capite ». Quia hic nimis abundanter fit coacervatio titulorum, sine ratione proportionata. Insuper nonne servandum pro uno Christo titulum « Caput Ecclesiae »?

Pag. 23, n. 11, lin. 25: post verbum « regunt » addendam sententiam videtur « et missionem ipsius Christi in sinu Ecclesiae peragunt ». Magis mihi placeret hic clare expressam praesentiam ipsam Christi in Ecclesia.

Pag. 24, n. 12, lin. 5: substituatur oportet verbum « pascerent » verbo « regerent », quia est verbum magis biblicum, et quia insuper se refert optime ad verbum « pastoris », lin. 3.

Pag. 24, n. 12, lin. 9: substituere decet verba « praedicando Evangelium » verbis « praedicando fidem » quia magis in usu biblico. Expressio « praedicando fidem », in contextu, ambiguitate laborat. Ignoratur enim utrum refertur ad fidem apostolorum an ad veritates ab eis annuntiatas.

Pag. 24, n. 12, lin. 11: prorsus delendum est « aedificatam super Petrum » quia est repetitio inutilis.

Pag. 24, n. 12, lin. 12: incipienda esset citatio biblica, ut accurate detur, post verbum « superaedificatis ».

Pag. 24, n. 13, linn. 18 s.: substituere oportet unicum verbum « consuluerunt » verbis « consulere debuerunt ». Praestat enim successionem apostolicam simpliciter prout factum enuntiare tanquam natura effluentem ex constitutione ipsa Ecclesiae, potius quam ita loqui ut indicari videatur hanc successionem effectam esse mediante quadam deductione logica in mente apostolorum suborta.

Pag. 24, n. 13, linn. 21 s.: substituere decet sententiam « Apostolorum enim ministerium verbi (*Act.* 6, 4) supponit... ». *Ratio*: Vox « ministerium verbi » magis biblice sonat; insuper, haec parva mutatio redundantiam vix tolerabilem textus e medio tollet.

Pag. 24, n. 13, linn. 30 s.: substituantur verba « pascere plebem Dei », quae modo loquendi scripturistico magis consonant, verbis « regere plebem Dei ».

Pag. 25, n. 14, linn. 8-25: novus textus proponitur (De episcopatu ut sacramentum): « Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum (*1 Pet.* 2, 25), de plenitudine sua dedit apostolis ipsis pro Ecclesia sua, ita ut sacerdotium ab eis in plenitudine acceptum similiter in plenitudine transmitteretur episcopis, successoribus eorum. Hi exinde, induti sacra potestate authentice docendi, sanctificandi et gubernandi in Ecclesia, in apice sunt constituti sacerdotii christiani, Ordoque episcopalis exstat in Ecclesia ut fons perennis totius ministerialis sacerdotii.

Ad huius sacerdotii participationem solius est episcopatus per sacramentum Ordinis assumere alios, sive totaliter in episcopatum, sive partialiter in presbyteratum in aliumque ministerium sacramentale.

Praecellens gradus sacerdotii, qui nimirum et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur, per consecrationem confertur, quae proinde ut ritus vere et proprie sacramentalis agnoscitur. Quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam specificam veluti paternae plenitudinis abundantiam in Spiritu Sancto conferri, dubitare nemo debet quin plenitudo ipsa Novae Legis sacerdotii eiusque propria charismata iugiter in Ecclesia sacramento Ordinis transmittantur. Proinde Sacra Synodus declaret episcopos, vi sacramenti superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant ».

Rationes: 1. Episcopatus primum considerari debet in se, prout est plena et tota expressio sacerdotii christiani ex Christo pendentis, proutque est plenitudo sacerdotii transmissa in Ecclesia. Sacerdotium autem presbyterum, aut ordo sacerdotalis, deinde concipitur prout est participatio vera episcopalis Ordinis, et sic « secundi meriti » sacerdotes constituuntur.

2. Vitandus est modus proponendi doctrinam de episcopatu ac si esset quaedam potestas propria sacerdotio presbyterum superaddita.

3. Textus ipse schematis non videtur esse placida expositio sacramentalitatis ipsius episcopatus. Sub verbis, latet quaedam implicita redargutio adversus eos qui hanc sacramentalitatem negent, quorum sententia nunc fere a nullo sustinetur.

Pag. 26, n. 15, lin. 5: post « tamen », inserenda omnino videntur verba « per impositionem episcopi manuum et consecratoria verba ». Magni momenti mihi esse videtur indicare verbis ad hoc ritum sacramentalem quo quisque sacerdos in participationem gratiae sacerdotalis ingreditur.

Pag. 26, n. 15, linn. 7 s.: substituere oportet formulam magis liturgicam « In Eucharistiam et sacramenta celebrando » formulae indicatae « In sacrificio... administrandis ». Haec enim formula percommode suggerit participationem activam fidelium tollitque de medio quamdam relationem ad ordinem temporalem quae invenitur in verbo « administrandis ». Quod autem attinet ad verbum « sacrificium », adhibetur modo maxime idoneo in lin. 10.

Pag. 26, n. 15, linn. 28 s.: mutationes quasdam in textu propono ut sacramentalitas diaconatus clare affirmetur. Post verba « Episcopo et presbyteris adsistunt diaconi » addere oporteret verba « qui per episcopi manus impositionem et verba « praefationis » sacramentum ordinis in partes ministeriales receperunt. Hi enim, qui sacrificii celebratione inserviunt, ministri praedicationis, solemnis baptismi et sacrae communionis exsistunt, ... ». *Rationes*: Oportet in lumine proiicere veram sacramentalitatem diaconatus eamdemque proferre modo theologico. Textus autem schematis nihil amplius efficit quam mentionem facere exercitii potestatis diaconatus. Ceteroquin, decet Concilium sollemniter proclamare doctrinam iam a Papa Pio XII definitam in constitutione apostolica *Sacramentum Ordinis,* anno 1947 (*A.A.S.* 40, 1948, pp. 5-7).

Pag. 26, n. 15, lin. 38: substituatur verbum « utilitate » verbo « necessitate ».

Pag. 27, n. 16, lin. 12: substituenda sunt verba « Summus Pontifex ut princeps collegii » verbis « Romanus Pontifex ».

Pag. 27, n. 16, lin. 16: delere oportet « et numquam sine hoc capite » tanquam sententiam prorsus inutilem.

Pag. 27, n. 16, linn. 15, 25, 36: scribendum est « capitis » absque littera C capitali.

Pag. 28, n. 17, linn. 11 s.: deceret statuere ut omnes episcopi ad servitium animarum in aliqua dioecesi designati in futurum accipiant titulum dioeceseos cui adscribuntur sive ut *episcopus praesul,* sive ut *episcopus coadiutor,* sive tandem ut *episcopus auxiliarius.* Ne amplius attribuantur tituli antiquarum dioecesium quae de facto existere desierunt aut gregem non amplius constituunt. Omnes prorsus episcopi sint de facto « praefecti Ecclesiae particularis ».

Pag. 28, n. 17, lin. 14: substituere decet verba « sed inde a cooptatione in collegium episcoporum » verbis « sed ut membrum collegii » ita ut includantur omnes episcopi, etiam hi qui nunc de facto sunt et vocantur titulares.

Pag. 30, n. 19, linn. 3-7: « Iamvero... liceat »: Verba haec supprimere oportet prout repetitio inutilis doctrinae notissimae ab omnibus receptae.

Pag. 30, n. 19, linn. 23-29: tota haec paragraphus est abolenda, siquidem non ad rem pertinet in textu de episcopatu.

Pag. 30, n. 20, linn. 30-40, pag. 31, n. 20, linn. 1-2: substituere placeat textum sequentem: « Episcopi, in quibus manuum impositione ab episcopo con-

secratore Christi ministerii summa completa est (cf. Pont. Rom. et Pius XII, const. apost. *Sacramentum ordinis, A.A.S.* 40, 1958, pp. 5-7), multiplici sanctificationis ministerio populum Dei ad aeternam beatitudinem dirigunt et ordinant. Ipsi quippe sunt summi sacerdotes, praecellentes dispensatores mysteriorum Dei (cf. *1 Cor.* 4, 1) ac « oeconomi gratiae supremi sacerdotii » qui de ipsa plenitudine Christi accepta multiformiter et abundanter effundunt.

Ea nempe plenitudine, episcopi sunt apostoli Ecclesiarum particularium qua ratione veri perfectores christifidelium sunt, praesertim in quantum exsistunt fontes omnium sacramentorum quod valde perspicuum est in liturgicis ritibus consecrationis oleorum et impositionis manuum. Vi plenitudinis sacerdotalis quae ipsis est propria, episcopi communicationem efficiunt sacerdotii ministerialis Christi in sacerdotes et diaconos, ut hi in illorum nomine et dependentia Christum praedicent et sacramentorum celebrationem perficiant. Semper ergo ipso episcopo praeside et duce missoque a Christo, ut fons sit vitae (cf. *Io.* 10, 10; 17, 18; 20-21), fit communicatio depositi fidei et gratiae, et producitur actio sanctificatrix episcopi in eos qui ipsi peculiariter committuntur.

Episcopi, ordinatores sacrarum rerum et actionum Ecclesiae suae, participationem conferunt fidelibus omnibus suis in regale sacerdotium Christi per baptisma quod eos Christo aduniens simul Ecclesiae particulari aggregat, et per confirmationem quae septiformi Spiritu fideles roborat (cf. *Act.* 8, 14-17) ut ex fidei plenitudine repleantur, et episcopo duce, lumen Christi sint et vitae testimonio mundum Deo et Christo lucrifaciant et consecrent.

Non tantum personas sed etiam res et loca episcopi cultui et Dei servitio dicant.

Ipsi etenim ut sacerdotes magni Ecclesiae Christi, munere sanctificandi principaliter funguntur dum una cum suis in sacerdotio cooperantibus et cum grege sibi concredito in oratione liturgica et speciatim in Dominica Coena, summum Ecclesiae cultum exhibent. Praeterea, populos suos exhortantur et instruunt ut in Liturgia et praesertim in Eucharistiae celebratione, qua continuo vivit et crescit Ecclesia, partes suas fide ac reverentia actuose impleant. Eis praeter sanctificans ministerium verbi Dei, sacramenta praebent, quorum omnium collationem regularem et fructuosam secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, eorum particulari iudicio ulterius legitime determinatas, sua auctoritate ordinant et confirmant, ut oves suas in veritate perfecte sanctificent (cf. *Io.* 17, 19).

Pag. 30, n. 20, lin. 35: substituatur verbum « ministrandi » verbo « administrandi ».

Pag. 30, n. 20, linn. 38 s.: textus non satis clarus. Indiget nova factura, v. g. « Populos suos exhortantur et instruunt, ut in liturgia et praesertim in Eucharistiae celebratione, partes suas fide et reverentia actuose impleant ».

Pag. 31, n. 21, linn. 4 s.: sententiae datae substituere oportet sequentem: « Ipsi Ecclesiam universalem collegialiter et Ecclesias particulares sibi commissas singulariter ut vicarii et legati Christi regunt, etc. ». Perutile videtur hic confirmare tamquam summi momenti sententiam « Munus regendi collegialiter Ecclesiam universalem », quod est munus pastorale toti episcopatui commune.

Pag. 31, n. 21, lin. 7: ante « ad gregem » inserantur verba « ut Ecclesiae servitium ».

Pag. 31, n. 21, linn. 17-22: prorsus supprimendum est « Eorum itaque po-

testas... sustinebit » quia habetur hic repetitio non necessaria doctrinae ab omnibus acceptae.

Pag. 31, n. 21, linn. 23-25: duae lineae possent utiliter aboleri, ita ut legatur « Episcopus, in suo ministerio, in omnibus ante oculos teneat exemplum boni pastoris, etc. ».

Pag. 31, n. 21, linn. 33 s.: substituere decet verba « aliorum inter populum suum degentium » verbis « illorum qui inter populum suum degentes », deindeque auferre de medio verba « de uno ovili nondum sunt ». *Ratio*: Quia hic rogatur episcopus ut curam suscipiat « aliorum ». Praeferendus est igitur sermo simplex et verba quae non possint displicere « his aliis » qui ex textu non sunt catholici.

13

EXC.MUS P. D. CAESAR FRANCISCUS BENEDETTI

Episcopus tit. Tidditanus, vic. ap. Cuevensis

1. In hoc schemate, pag. 12, lin. 3, legitur: « Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum etc. ».

Etsi dicat: reapse et simpliciter loquendo, mea humili sententia omitti deberet verbum « tantum », ne comprehendantur in hoc duro iudicio pueri, qui nondum usu rationis utuntur, et christiani rudiores, quorum numerus permagnus est. Isti, licet doctrinam christianam efficienter non calleant, tamen fidem tenent, quod possint orant, sacramenta petunt, vel saltem non reiciunt.

2. N. 9, eiusdem paginae, nimis affirmat; nonne « euphoricus » est?

Distinguatur oportet inter christianos « orthodoxos » et seiunctos occidentales. In territorio huius vicariatus apostolici, christiani qui « unitatem communionis sub Romano Pontifice non profitentur, et tamen christiano nomine decorantur », exceptis orientalibus, qui orthodoxi dicuntur, sacerdotium ministeriale tenaciter negant, ideoque sacramenta, excepto baptismate; pietatem erga Deiparam Virginem vituperant; S. Missae sacrificium idolatriam vocant. Omnes, quamquam haud parum inter se in doctrina differunt, nullam evolutionem erga veritatem catholicam ostendunt.

In vinculo caritatis uniri nobiscum possunt, sed in fide, hodie, substantialiter absunt.

14

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI

Episcopus Signinus

Pars I.

Schema in genere mihi placet: quaedam tamen in particulari minus mihi probantur.

Titulus generalis. Potius quam *de Ecclesia* dicatur *de Ecclesia Christi.* De hac enim, non de aliis loquimur.

N. 1. Potius quam de « introductione » agendum mihi videtur de « Prooemio », et quidem satis amplo, in quo Ecclesia partes matris atque simul magistrae se agere velle declaret, simulque edicat utrum sollemniter definire doctrinas in schemate contentas intendat necne. Id est omnino necessarium!

Lin. 1: loco « Lumen gentium cum sit Christus » mihi magis placeret citatio patristica: « *Lux gentibus cum venerit Christus et sospitandis hominibus salutare lumen affulserit* » (S. Cypr., *De unit. Eccl.,* c. 1).

Lin. 3: auferenda censeo verba « in caligine huius saeculi viventes » quia sunt nimis pessimistica. Numquid enim omnes ita vivunt?

Lin. 6: « signum *visibile* et instrumentum ».

Lin. 10: verba « sermone menti hodiernae accommodato » auferenda censeo. Sunt enim inutilia. Insuper, quaenam est « mens hodierna »? Estne eadem pro toto mundo? Estne durabilis, an potius in dies fluctuans?

Lin. 15: « ... plenam etiam unitatem *supernaturalem* in Christo ». Videtur enim necessarium, iam in exordio, dicere de quanam unitate Ecclesia sit sollicita.

Caput I.

Animadversiones generales.

Ni fallor, compilatores schematis quattuor videntur angi, et quidem plus aequo, timoribus et praeoccupationibus, videlicet: 1. ne nimis fiat sermo de Ecclesia ut *societate*; 2. ne nimis de *potestate* Ecclesiae; 3. nihil dicatur de *membris* Ecclesiae; 4. Ecclesia monstretur *fundata,* non solum super Petrum, sed etiam *super Apostolos.*

Ad 1. In toto schemate vox « *societas* » relate ad Ecclesiam ter tantum occurrit, scil. pag. 11, linn. 7 et 20, pag. 12, lin. 3. Cur haec quasi phobia? Notio « societatis », applicata Ecclesiae, est classica etiam apud Patres: in mentem revocat elementum visibile (quod, in ordine cognoscitivo, est *primum*), auctoritatem stabilem et finem. Ceterum homines hodierni optime intelligunt quid sit « societas »: non ita, e contra, quid sit « mysterium » aut « congregatio ». Conceptus « societatis » melius respondet sic dictae « legi Incarnationis ».

Ad 2. In quodam dactyloscripto, inscripto « Ce que nous attendons et espérons de la Constitution dogmatique sur l'Eglise », inter Patres diffuso occasione I sessionis Concilii, plures ceterum continente bonas animadversiones, cui dactyloscripto clare inspirari videtur nostrum schema, legimus in pag. 12: « ... Il convient en ce domaine de ne pas parler exclusivement en termes de " pouvoirs ", mais de signaler que toute puissance dans l'Eglise est un " ministère " c'est-à-dire un service a remplir par charité. Le texte proposé met en relief les principes dogmatiques et laisse de côté les déterminations ultérieures appartenant au droit canonique ».

De facto nostrum schema vocem « potestas » solummodo in cap. II adhibet (de apostolis, episcopis, Petro, Pontifice, Ecclesia, collegio); in I et II capite e contra libentius et frequentius adhibet: « dona et charismata », « donationes », « dona ministrationum », « servitia », « munera », « ministerium », « variae ministrationes », « officia » (cf. nn. 5, 11, 14, 18 etc.).

Quid dicendum de hoc facto (de quo fuse Y. Congar, in *L'Episcopat et l'Eglise universelle,* Paris 1962, pp. 67-132)?

Iustum aequilibrium est tenendum: « potestas » (rectius quam « potentia ») est radix et iustificatio « servitii », at non est eadem omnino res. Sine potestate, servitium non esset neque legitimum neque utile. Etiam « potestas » pertinet ad « mysterium » Ecclesiae: non est aspectus mere iuridicus Ecclesiae, sed essentialiter dogmaticus.

a) Vox « potestas » est biblica: in ore Christi (cf. *Mt.* 28, 18), et aposto-

lorum (cf. *2 Cor.* 10, 8; 13, 10). Ergo timor utendi hac voce involuntarie redolet distinctionem illam, ab Enc. *Mystici Corporis* reprobatam, inter Ecclesiam iuris et Ecclesiam caritatis!

b) Legenti Evangelium videtur Christus Dominus quasi sollicitior fuisse de statuenda et determinanda « potestate » in Ecclesia, quam de ea fundanda!

c) « Potestas » (gr. exousìa) non est intelligenda sensu deteriore, scil. de potentia, de iure dominandi etc., sed potius de idoneitate, seu capacitate reali aliquid agendi nomine et auctoritate Christi (cf. *2 Cor.* 3, 6), collata per speciale charisma.

d) Verum quidem est Petrum aut Paulum adhibere potius vocem « diakoniam » seu « ministerium » quam vocem « potestatem »: ratio est quia loquuntur ad *fideles*: unde opportunum erat in lucem ponere *quomodo* exercenda esset illa potestas, scil. cum animo serviendi, potius quam dominandi. Sed si loqui debuissent ad *infideles,* profecto prius de « potestate » egissent; nam infideles quaerunt ab Ecclesia: « qua *potestate* id facis? (*Mt.* 21, 23) », immo « qua *potestate* existis ».

e) Improbandum mihi videtur quod in schemate indiscriminatim adhibeantur vocabula « dona », « charismata », « ministeria », « servitia » etc., quae in S. Scriptura non habent eandem significationem quando de laicis dicuntur et quando de ministris Christi. Omnes quidem sunt gratiae gratis datae, sed quae laicis dabantur priscis temporibus Ecclesiae, modo transeunti dabantur et sine ulla modificatione ontologica subiecti. E contra charismata per quae instituebantur ministri hierarchiae erant stabilia et in animum recipientium inducebant ontologicam modificationem.

f) Denique, non est oblivioni mandandum quod charismata sunt quidem in « servitium », at prius in « servitium Dei » deinde in « servitium » hominum!

Ad 3. In pag. 22 schematis, sub n. 8 legimus: « Patet ita proponi quod absolute certum est, et non dirimi quaestiones inter theologos controversas, puta de valore et extensione vocabuli « membri ».

Attamen vocabulum « membrum Ecclesiae » ter invenitur in schemate: scil. pag. 9, lin. 9; pag. 25, lin. 30; pag. 28, lin. 20. Si ergo intentio fuit compilatoribus schematis silere de valore vocabuli « membri », quemnam valorem dabimus in citatis tribus locis?

Et tamen locutio « membri » est biblica et patristica! Nonne Concilii esset illam, non quidem de medio tollere, sed potius recte explicare? Saepe saepius dictum est in I sessione nobis derelinquendam esse terminologiam scholasticam et theologicam, redeundum vero ad terminologiam biblicam et patristicam. Agedum! Loquamur de « membris » Ecclesiae sicut de ipsis locuti sunt Patres! Silentium Concilii de hac quaestione est potius regressus quam progressus!

Ad 4. Estne Ecclesia fundata « super Petrum *et apostolos* » (sicut legitur in pag. 8, lin. 18, pag. 22, lin. 10 et aequivalenter in pag. 24, linn. 12-13)?

Etiam in schemate *de oecumenismo* clarissima apparet praeoccupatio compilatorum schematis, affirmandi fundationem Ecclesiae simul super Petrum et apostolos.

Quid dicendum?

a) Extra omne dubium est Christum suam aedificasse Ecclesiam super Petrum *singulariter sumptum* (*Mt.* 16, 18), tamquam super rupem fundamentalem. « Super unum aedificat oves suas » (S. Cypr., *De un. Eccl.* 2). Ratio huius facti indicatur a Conc. Vat. I (DB 1821): ut servetur unitas episcopatus et unitas cre-

dentium. Iam ex hac ratione excludendum videtur fuisse *etiam* apostolos constitutos fundamenta Ecclesiae (saltem in sensu *Mt.* 16, 18 et *Io.* 21, 16).

b) Aedificatio Ecclesiae supra Petrum est factum *historicum,* ergo « punctuale » et irrepetibile, quattuor tamen secumferens effectus: 1. esse Petrum Ecclesiae fundamentum (hinc mutatio nominis Simonis in Kefa) usque ad finem mundi; 2. portas inferi numquam praevalere posse adversus Ecclesiam supra Kefa aedificatam; 3. traditionem clavium regni caelorum, qua metaphora exhibetur indoles monarchica et vicaria potestatis Petri, eiusdemque plenitudo; 4. collationem potestatis ligandi atque solvendi, qua metaphora ambitus auctoritatis sive extensive sive intensive declaratur, eiusque relatio ad alteram vitam, scil. indoles religiosa et trans-saecularis illiusmet auctoritatis. Ex toto contextu, non vi immediata verborum, esse plenam illam auctoritatem deducitur.

Iamvero, factum historicum aedificationis est irrepetibile: sed eius effectus sunt permanentes et transeunt ad successores Petri. Unde non possumus dicere Christum aedificasse Ecclesiam super Papam, bene vero possumus et debemus dicere Papam esse fundamentum (utique visibile) Ecclesiae, habere claves regni caelorum necnon potestatem plenam solvendi atque ligandi.

c) Nullibi in S. Scriptura aut traditione legimus Christum aedificasse (= factum historicum) Ecclesiam suam *etiam* super Duodecim, neque illos constituisse *fundamentum* Ecclesiae, neque illis dedisse claves regni caelorum. Legimus quidem apud *Mt.* 18, 18 et *Io.* 20, 21 Christum dedisse Duodecim (ergo et Petro) potestatem ligandi atque solvendi, sed ex solis illis verbis non possumus inferre num in hac potestate adsit aliquis ordo hierarchicus; possumus autem et debemus, considerando ea quae superius de solo Petro dicta sunt.

Unde, etiamsi duodecim apostoli dici possent « fundamentum » Ecclesiae, non possent esse eodem titulo eademque vi ac solus Petrus.

d) Nimis propere et fidenter in notula 5 pag. 32 schematis affirmatur Duodecim habuisse eamdem fidem ac missionem auctoritativam, qua Ecclesia fundatur, sicut et Petrus: citantur *Eph.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 14.

Respondeo: res mihi evinci non videtur. Nam:

1. Exegesis *Eph.* 2, 20 non est neque clara neque pacifica. Estne intentio Pauli, hoc in loco, tangendi quaestionem « constitutionalem » Ecclesiae universalis? Non videtur! Iuxta Paulum (*Gal.* 2, 9) Duodecim Apostoli potius « columnae » quam « fundamentum » Ecclesiae dicuntur. In *1 Cor.* 3, 10-12 « fundamentum » vocatur ipse Christus. In *Rom.* 15, 10 « aedificare super alienum fundamentum » significat praedicare ubi Christus iam ab aliis praedicatoribus praedicatus est. « Ponere fundamentum » in *1 Cor.* 3, 6 idem valet ac « plantare » Ecclesiam aliquam particularem. His praemissis, quinam sunt illi « apostoli » de quibus in *Eph.* 2, 20? Suntne Duodecim, an viri apostolici? Suntne Duodecim collegialiter sumpti, an Petrus tantum, cum illud plurale intelligi possit tamquam plurale « genericum » (cf. *1 Cor.* 12, 28)?

Mihi videtur Paulus in *Eph.* 2, 20 loqui non de facto historico constitutionis Ecclesiae universalis ex parte Christi, sed potius de origine apostolica illarum ecclesiarum particularium ad quas Paulus scribit, quae « fundatae » scil. « plantatae » fuerunt mediante praedicatione alicuius apostoli (vel etiam « viri apostolici », sicut suadet coniunctio illa « fundamentum apostolorum *et prophetarum* »).

In *Eph.* 2, 20 sermo est de *fidelibus,* qui superaedificantur et crescunt super apostolos et prophetas tamquam super *suum* fundamentum, scil. fundamentum

suae fidei suaeque vitae christianae; non est sermo de fundamento *Ecclesiae,* uti talis, scil. consideratae in momento *historico* suae aedificationis a Christo.

2. Nihil certi erui posse videtur ex *Apoc.* 21, 14, quia ibi sermo est — et quidem per genus litterarium apocalypticum — de caelesti Ierusalem, non de Ecclesia terrestri. Ceterum « duodecim apostoli Agni » dicuntur « fundamenta » (in plurali), non quidem civitatis, sed muri, circumclaudentis civitatem. Unde apostoli apparent in *Apoc.* sive tamquam portae per quam intratur in caelestem Ierusalem, sive tamquam sustentaculum *muri* illam defendentis.

N. 2. Titulus « De Ecclesiae mysterio » minus placet quam « De Ecclesiae *natura et missione* » (sicut habetur in n. 1, lin. 8).

Ratio: locutio est ambigua, scil. genitivus ille « Ecclesiae » estne subiectivus an obiectivus? Vox « mysterium » in auribus prophanis sanat hodie ac « incognoscibile ». Sed in Ecclesia non omnia sunt mysteriosa! Adest etiam aspectus visibilis et humanus, et ipse ad naturam Ecclesiae pertinens.

Lin. 19: loco « elevare decrevit » dicatur « *elevavit* », quia decretum divinum ad effectum est deductum.

Lin. 20: loco « intuitu Christi Redemptoris » dicerem « intuitu *meritorum* Christi, *futuri* Redemptoris ».

Lin. 22 dicitur: « Haec congregatio iustorum ». Sed quaenam? Cum de ea nihil supra dicatur. Insuper, cur « congregatio »? Cum ante Christum iusti fuerint huc illuc dispersi. Quare, denique, « quae ab Abel iusto...? ». Nonne etiam Adam, post paenitentiam, includendus est? Ita revera dicit *Catech. Rom.* I, 9, 17. Propono igitur alium textum: « *Omnes homines in iustitia viventes a sanctis Patribus nomine "universalis Ecclesiae" appellantur, quae ab Adam iusto usque ad ultimum electum colligitur* ».

Lin. 25: loco « ut de populo electo » dicatur « ut de populo *a Deo peculiariter* electo ».

Pag. 8, lin. 4: « ... in novissimis temporibus » est locutio nimis vaga et relativa. Pro nobis qui vivimus nunc, non sunt novissima. In sensu biblico indicaretur potius parousia finalis. Dicerem potius: « *ubi venit plenitudo temporis* (*Gal.* 4, 4) ».

N. 3, lin. 17: dicerem: « ... aptisque mediis *sanctificationis* et visibilis seu socialis unionis ». Non videntur enim hic posse sileri media sanctificationis.

Lin. 18: verba « *et apostolos* » placet ut omittantur, ob rationes dictas.

Linn. 18-20: definitio Ecclesiae, hoc in loco data, minus placet, quia nullum verbum continet de unitate regiminis, quod est elementum pariter essentiale ad habendam veram Christi Ecclesiam. In notula 5, pag. 15, citatur S. Cyprianus: ille ibi non recognoscit Ecclesiam ubi « relicto episcopo (*en elementum regiminis!*) alium sibi foris pseudoepiscopum constituunt ».

Lin. 18: loco « congregatio » dicatur « *societas* ». Nomen enim « congregatio » convenit etiam rebus inanimatis (cf. *Gen.* 1, 10; *Lev.* 11, 36; *Eccli.* 43, 22, *Ps.* 67, 31 etc.); nomen autem « societatis » convenit proprie solum hominibus liberis et volentibus.

Lin. 23: loco « supra tempora et fines populorum » dicerem: « supra *temporum divisiones* et fines *diversorum* populorum ».

N. 4, lin. 26: dicerem: « ... Filii sui *in Ecclesiam* (cf. *Act.* 2, 4) et in corda nostra ». Secus nullibi in toto schemate haberetur mentio Pentecostes, scil. nativitatis Ecclesiae uti talis.

N. 5, lin. 13: loco « de eius corpore... », ne confundatur corpus physicum cum corpore mystico, ita dicerem: « de eius *carne et sanguine* ut uno pane *et calice* participamus » (cf. *1 Cor.* 10, 16-17).

Lin. 37: non placet fideles prius commemorari quam praepositos Ecclesiae: hi enim, iuxta Enc. *Mystici Corporis* sunt Ecclesiae membra primaria et principalia. Si prius schema accusatum fuit in aula « de clericalismo », ne sit posterius schema « anticlericale »! Propono igitur novam lectionem: « ... illa agit, quae *Ecclesiae* praepositi *sibi* ministrando agunt *et* fideles suscipiunt ».

N. 6, lin. 37: lege rectius: « Sponsa Christi *seu* Agni immolati (*Apoc. 21,* 9).

Lin. 39: loco « ut sit mater » scribe « ut *esset* mater ».

Lin. 39: loco « quam mundatam » potest compleri citatio biblica sic: « quam, *lavacro aquae in verbo vitae mundatam* (cf. *Eph.* 5, 26), sibi voluit etc. ».

N. 7. Lin. 6: sic comple: « mediorum sanctificationis, *magisterii ac regiminis* compage... ».

Lin. 7: loco « Societas autem... » melius videtur: « Societas *enim...* ».

Lin. 17: loco « et super illos... erexit » dicatur: « et *per* illos... *esse voluit* ». Ratio iam est allata in introductione.

Lin. 21: loco « a Romano Pontifice... directa » clarius dici potest: « a Romano Pontifice et *ab* episcopis *cum eo communionem habentibus* directa ».

Lin. 22: verba « licet extra etc. » sensum logicum non habent nisi prius aliquid aliud dicatur, cuius exceptio sit illud quod sequitur mediante « licet extra etc. ». Unde proponerem hanc formulam: « ... directa, *atque unica redemptionis custos atque administra divinitus constituta,* licet extra *eiusmet* totalem compaginem elementa *quaedam* (quare debemus dicere « plura »? Deus scit utrum sint plura an pauca!) sanctificationis inveniri... ».

Lin. 26: mihi videntur omittenda, quia non est hic, scil. in constitutione dogmatica, locus, verba « in paupertate evangelica ». Secus, quare non etiam « in castitate, in longanimitate etc. »? Ceterum quid significat in concreto « paupertas evangelica »? Significatne tantum « beati pauperes spiritu » an etiam « vade et vende omnia quae habes etc. »?

Item verba « mitis et humilis Iesu » non videntur ad rem hoc in loco. Dicerem ergo sic: « ... quibus *imitatione et praedicatione* testimonium Iesu praebere *numquam desistit* ».

Lin. 31: schema nostrum non mereret accusationem de « triumphalismo » si hoc loco humiliter quidem, at confidenter, coram mundo incredulo profiteretur suam firmissimam spem in victoria finali Christi capitis et Ecclesiae. « Confidite, ego vici mundum ».

N. 8, linn. 34-38: non omnino placent. Dicerem sic: « Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et traditione, *unice* Ecclesiam catholicam, a Deo per Iesum Christum conditam *et super Petrum aedificatam,* esse institutum necessarium ad salutem, ideoque illos homines salvari non posse qui *illam, uti talem, agnoscentes, in* eam tamen nolint intrare vel in eadem perseverare ».

Ratio emendamentorum: *a*) clare dicendum est Ecclesiam esse *unicum* medium ordinarium salutis, secus evanescit tota vis argumenti; *b*) clare dicendum est agi hic de Ecclesia catholica romana, secus etiam orthodoxi dicerent idem de sua Ecclesia; *c*) « non ignorantes » est formula negativa: melius est ponere positivam; *d*) « agnoscere » est aliquid amplius quam « cognoscere »: et revera cum agatur

de re tanti momenti, qualis est aeterna salus, videtur requiri magis « agnitio » (italice: riconoscere) quam « cognitio » (italice: conoscere). Verbum « agnoscere » habetur v. g. in DB 1793.

Pag. 12, lin. 6: loco « per Summum Pontificem » dicatur « per *Romanum Pontificem* ».

Pag. 12, lin. 3: non intelligitur quid significet illud « simpliciter loquendo ». Aut auferendum aut substituendum per « plene ».

Pag. 12, lin. 7: loco « sacramenti » dicatur « *sacramentorum* ».

Pag. 12, linn. 8-14: videntur mihi omittenda: est enim res potius ad moralem quam ad dogmaticam pertinens. Tamen, si debent manere, quaedam fiant emendamenta, scil.:

Lin. 9: verba « ... qui in fide... remanet » non sunt vera pro eo qui in articulo mortis convertitur. Ergo sic dicatur: « ... pertineat, qui *gratia sanctificante destitutus ex hac vita discedit* ».

Lin. 13: non placent verba « cui si cogitatione, verbo et opere non respondent, nedum salventur ». Propono sic dicendum: « cui si non respond*eant, in fide, spe et caritate vivendo,* severius iudicabuntur ».

Pag. 12, lin. 16: loco « cogitate et explicite » propono « *conscia et explicita voluntate* ».

Pag. 12, linn. 18-22: propono novam formulam, quae mihi videtur clarior: « *Simili quadam ratione* idem *dicendum est* de illis qui, *sine sua culpa, ignorant vel non agnoscunt catholicam Ecclesiam esse unicam veram Christi Ecclesiam, ideoque unicum institutum ad salutem necessarium, tamen* sincere voluntatem Christi, *prout ipsis innotescit,* vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris *et Remuneratoris,* naturaliter cognitam, adiuvante gratia, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt» .

N. 9, lin. 24: loco « qui, baptizati, », dicatur: « qui, *valide* baptizati, ».

Lin. 25: ex modo loquendi schematis videretur dari posse integram fidem etiam sine communione cum Romano Pontifice (quae communio est pariter articulus fidei!). Melius dicendum videtur: « ...integram *vero* fidem *in unitate* communionis *cum* Romano Pontifice, *sine sua culpa,* non profitentur... ». Recte in pag. 22 n. 9 legitur « qui bona fide in alia confessione christiana vivunt ». Ergo in textu est ponendum « sine sua culpa » aut quid simile.

Lin. 27: dicatur: « Amanter enim *illi* credunt... », claritatis causa.

Lin. 35: loco « etiam in illis operetur » dicendum: « etiam in illis *operari valeat* »: scil., statuatur possibilitas, non factum.

N. 10, lin. 10: cum *Rom.* 9, 4-5 non citetur litteraliter, neque secundum Vulgatam, loco « testamenta » dicatur « *foedera* », ne intelligantur Duo Testamenta.

Lin. 13: loco « Quidquid enim boni apud illos » dicatur « Quidquid enim boni *ac veri* apud illos ».

Lin. 15: sic melius dicendum videtur: « qui ab initio mundi *omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*1 Tim.* 2, 4) ». Citatio biblica potest vitare molestam controversiam theologicam.

Lin. 16: loco « sine culpa ignorantes » dicatur « sine *sua* culpa ignorantes *vel non agnoscentes* ».

Lin. 19: loco « sperare possunt » dicerem: « *consequi* possunt ». Spes enim non semper adimpletur; nec est necesse ut spes in eorum mentibus affulgeat.

Lin. 20: post verba « Patris eius » adderem « *et pluribus salutaribus auxiliis* ».

Lin. 26: ita legerem: « ... feliciter sit *ipsa* lumen omnium gentium ».

Caput II.

Animadversiones generales.

1. Dubito an titulus generalis huius capitis perfecte respondeat materiae. De Summo Pontifice et de eius primatu hic non fit sermo nisi per transennam et in relatione ad Episcopos: ergo non possumus dicere cap. II vere agere de constitutione hierarchica Ecclesiae.

Meo quidem iudicio, titulus esset sic mutandus: « *De episcopatu in constitutione hierarchica Ecclesiae* ». Unde obiectum primarium tractationis est episcopatus, sed consideratus non in ordine ad regimen dioecesium (aliud schema), non in ordine ad curam animarum (aliud schema), sed praecise in ordine ad constitutionem hierarchicam Ecclesiae.

2. Doleo quod episcopi *mere titulares* ne nominentur quidem in schemate. Quare? Ea quae de episcopatu in schemate dicuntur debentne applicari etiam mere titularibus? Haec quaestio, cui aliqua responsio exspectatur.

N. 11, lin. 2: verba « et nutriendum » auferantur, utpote non necessaria. Etenim loci biblici in lin. 3 citati loquuntur solummodo de exaedificatione Corporis (in qua, utique, etiam nutritio implicite includitur). Si explicita fit mentio de nutritione, debemus facere mentionem etiam de aliis, v. g. « nutriendum, sanctificandum, docendum, regendum ».

Lin. 2: loco « et Corpus suum » dicerem « et Corpus suum *mysticum* », claritatis gratia.

Lin. 4: verba « quae munera... tendunt » omittenda mihi videntur, utpote inutilia post ea quae in lin. 2 sunt dicta.

Lin. 6: verba « qui vero... inserviunt » minus placent. Dicerem plenius: « qui vero ut *ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (cf. *1 Cor.* 4, 1) *peculiaribus sunt ad id potestatibus instructi, iisdem "in his quae sunt ad Deum"* (*Hebr.* 5, 1) *et in servitium fratrum suorum utuntur* ».

Ratio: sic specificatur cuiusnam sint ministri, quibus facultatibus sint instructi, in primisque eos esse in servitium Dei et consequenter fratrum suorum.

Lin. 10: ob rationes in principio datas sic legendum puto: « ... super Petrum rupem fundavit *eique et apostolorum collegio pascendam concredidit* ».

Lin. 14: loco « quorum successores » dicatur « quorum successores, *scil. episcopos* », secus non intelligitur sermo ex abrupto de episcopatu in lin. 16.

Linn. 16 et s. Inexplicabiliter e citatione Vaticani I omittuntur quaedam verba, et sensus quorumdam aliorum verborum mutatur! Sic ergo legatur: « ... indivisus esset *et per cohaerentes sibi invicem episcopos credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur,* beatum... praeponens in ipso instituit perpetuum *utriusque unitatis* principium ac visibile fundamentum ».

Iuxta Conc. Vat. I « utraque unitas » est unitas episcopatus et unitas fidelium; in schemate e contra fit unitas fidei et unitas communionis!

N. 12: titulus intra uncos sic melius inscribatur (De *i*nstitutione *collegii* duodecim apostolorum).

Lin. 30: loco *Mt.* 10 legatur *Mt.* 10, 1 ss.

Pag. 24, lin. 1: verba « ex iisdem » sunt ambigua. Potest auferri ambiguitas dicendo: « collegii, cui *de eodem* electum Petrum etc. ».

Pag. 24, lin. 4: sic compleantur: « eosque sanctificarent, *docerent* et regerent ».

Pag. 24, linn. 12-14: iuxta ea quae dixi in introductione, haec verba — quorum exegesis est valde dubia in sensu a schemate intellecto — essent omittenda. Si commissio ea vult retinere, rogo ut sic saltem dicatur: « ... super Petrum (cf. *Mt.* 16, 18), *dum fideles singuli superaedificantur* super fundamentum *a*postolorum et *p*rophetarum, manente semper summo angulari lapide Christo Iesu (cf. *Eph.* 2, 20) ».

Sic omittitur citatio *Apoc.* 21, 14; insuper « apostolorum et prophetarum » scribitur litteris minusculis, quemadmodum habetur in *Vulgata Clementina,* typis Soc. S. Ioannis Ev., Desclée 1927. Sic manet insolutus utrum illi apostoli sint duodecim necne.

N. 13, linn. 15-20: non placent. Formulam novam propono: « Quia *missio* illa sanctissima a Domino Iesu apostolis concredita *fuit* pro Ecclesia usque ad finem *saeculorum* duratura *et in universum mundum dilatanda,* morte eorum temporali non erat terminanda. Quapropter *apostoli, ex implicita voluntate Christi,* Ecclesiae *consuluerunt* per successores, eadem divina potestate praeditos eam pascendi, sustentandi *et per orbem universum dilatandi.* Ministerium *autem* apostolorum fidem salutarem praedicandi *consequitur* missionem *illam* divinam (cf. *Rom.* 10, 13-18; *Io.* 20, 21) annuntiandi laetum nuntium et manifestandi etc. etc. ».

Linn. 27-35: hanc pericopem censeo omittendam, quia est demonstratio cuiusdam facti historici; nescio an opportune in textu dogmatico inserenda sit. Eo vel magis quod loci biblici citati non sunt pacificae exegeseos quoad « episcopos ».

Tamen, si commissioni retinenda videbitur, quaedam emendamenta suggero:

Lin. 28: loco « seipsis » melius « *sibi ipsis* ».

Lin. 29: loco « in quo eos » melius « in quo *se* (vel ipsos) ».

Lin. 31: loco « cum gratia eis divinitus collata » dicerem, iuxta citatum locum biblicum: « *per charisma sibi* divinitus collatum ».

Lin. 32: loco « ut fidelium patres » melius « *tamquam* fidelium patres ».

Linn. 36-39: sic clarius dicerem: « Apostoli igitur ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis, eorum qui credituri erant episcopos eorumdemque successionis ordinem constituerunt pro etc. ».

Pag. 25, lin. 1: verba « ut primo apostolorum et duci collegii » censeo esse omittenda: 1. quia non est hic necessarium affirmare rationem ob quam concessa fuit potestas primatialis; 2. quia in verbis *Mt.* 16, 18 et *Io.* 21, 15 nulla huiuscemodi continetur ratio concessionis.

Pag. 25, lin. 3: verba « Ecclesiam pascendi » omittenda censeo, quia superflua. Sicut enim in primo membro comparationis non est indicatum *obiectum* potestatis Petri, ita in secundo membro comparationis non est necessarium indicare *obiectum* potestatis collegii episcopalis: ceterum iam satis indicatur in pag. 24, lin. 20 et in pag. 25, lin. 5.

Pag. 25, lin. 5: loco « fideles » dicerem « fideles *suos* » quia hic episcopi videntur accipi singillatim.

N. 14, linn. 8-12: principium hic enuntiatum valet solummodo de episcopatu, proinde id clare et explicite dicendum est. Ergo: lin. 9 dicat « *episcoporum* potestatem ».

Lin. 11: loco « in sacramento ordinis confertur » dicatur « *per consecrationem episcopalem* confertur. *Unde* (est consequentia principii superius enuntiati, ut recte

in priore schemate) *sequitur* episcopalem consecrationem pertinere procul dubio ad sacramentum Ordinis, *immo, iuxta* vocem sanctorum Patrum et liturgicam Ecclesiae consuetudinem, *plenitudinem sacerdotii et sacri ministerii summam conferre. Quoniam enim* ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis episcopalis consecrationis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet episcopatum esse *verum et proprium sacramentum a Christo Domino institututum* ».

Ratio emendamentorum: non mihi videtur rectum loqui de episcopatu tamquam de « praecellenti *gradu,* de summo *gradu* Ordinis». 1. Ne putetur, hac metaphora adhibita, episcopatum esse ad instar supremi gradus alicuius scalae, qui praecedentes gradus superet quidem altitudine, minime vero eos *includat.* Episcopatus e contra est plenitudo, totalitas, omnes suas partes includens; 2. ne videatur esse iuris divini mos, utique perantiquus, conferendi episcopatum solummodo iis qui inferiores gradus susceperint. Seposita inhabilitate ab Ecclesia legitime statuta, laicus qui statim episcopus consecraretur summam ac plenitudinem sacerdotii profecto acciperet.

Ceterum mihi arridet sententia Dominum Iesum *directe et immediate* sacerdotium in sua plenitudine (quod nos episcopatum vocamus) instituisse et duodecim apostolis contulisse, illis tamen statuendo ut de sua plenitudine sacerdotali partes aliis participarent, praesertim presbyteris.

Lin. 22: loco « charactere sacramentali ornatur» dicerem: « charactere sacramentali *proprio* ornatur». Etenim ratio cur non possit episcopus fieri rursus simplex sacerdos in eo praecise consistit quod *specialem* characterem susceperit indelebilem. Hic non tangitur quaestio in quanam relatione sint character sacerdotalis et episcopalis inter se.

Lin. 21: loco « ordinatus » dicatur « consecratus » quia in hoc n. 14 semper fit sermo de « consecratione » episcopali, licet in documentis liturgicis « consecratio » et « ordinatio » promiscue usurpentur.

Linn. 22-23: nescio cur quaedam verba prioris schematis hic sint omissa. Mihi videntur e contra restituenda: «... ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri *aut potestate valide conferendi sacramenta confirmationis et Ordinis privari possit* ».

Lin. 24: dicatur: « etiam vi sacramenti *episcopatus* superiores... ». Claritatis gratia.

Lin. 25: ita compleatur: « ... participandum vocant *atque ordinant* ».

Linn. 26-37: haec pericopes mihi videtur hic omittenda quia est potius pastoralis quam dogmatica, et repetit ea quae postea dicentur de muneribus episcoporum. Potest transfundi in schema de cura animarum.

N. 15, lin. 38: una cum can. 108 § 3 C.I.C. dicerem: « *Sacra* hierarchia, *ratione* ordinis, ex divina *institutione* constat ex etc. ».

Pag. 26, lin. 5: notula 18 rectius poneretur post verbum « habeant », quam post verbum « sacerdotes » lin. 6.

Pag. 26, linn. 15-27: has pericopes, cum sint indolis potius pastoralis quam dogmaticae, transferrem in schema de cura animarum.

Pag. 39: post verba « ad praepositos Ecclesiae » adderem « *ad normam iuris* », ne videatur relictum uniuscuiusque episcopi arbitrio statuere de re tam momentosa, cuius influxus in fideles poterit esse mirus.

Lin. 41: documenta citata in notula 26 minime sunt ad rem de qua hic agitur, scilicet de diaconorum caelibatu.

N. 16, lin. 2: verba « statuente Domino » videntur omittenda. Nam in Evangelium non invenitur *statuitio* dominica, sed solummodo *factum*: « et fecit ut essent duodecim cum illo » (*Mc.* 3, 14: immo iuxta graec. « et fecit duodecim ut essent cum illo »). Forsitan possumus dicere blandius « Sicut, iuxta *Evangelium, fecit* Dominus *Iesus* ut Petrus *ceterique* apostoli unum collegium apostolicum constituerent, *ita* successor Petri... ».

Blandior est « *ita* » quam « *eadem ratione* ». Reapse non est stricte eadem ratio, quia apostoli quaedam propria habebant, non transmissibilia ad successores.

Linn. 5-8: pericopes haec mihi videtur omittenda nam, etsi verum sit *factum* hic commemoratum, tamen interpretatio illius facti a schemate data (scil. quod innuat indolem collegialem episcopatus) non ab omnibus facile admittetur.

Lin. 9: loco « Collegium... habet... intelligatur » clarius dicerem: « Collegium autem seu corpus episcoporum *neque proprie, uti tale, exsistere* potest *neque auctoritatem habere ullam,* nisi simul cum suo capite, Pontifice scil. Romano, successore Petri, *coniunctum* intelligatur ».

Lin. 12: illud « *per se* » quid significat? Clare dicatur; meminerimus illius « ex sese » Concilii Vaticani I!

Dicerem cum Leone XIII (*Satis cognitum*) « plane sui iuris », aut etiam « *personaliter* » (quod certe non significat « tamquam persona privata »), aut « *singulariter* ».

Lin. 12: dicatur, ut habet Leo XIII, « *summam,* plenam et universalem ».

Lin. 18: loco « creditur », ne falso putetur hic agi de mera opinione, dicatur « *exsistit* », aut quid simile.

Lin. 22: loco « ex multis compositum », dicerem « ex multis *episcopis* compositum ».

Lin. 22: loco « varietatem » dicerem « varietatem *et universalitatem* ».

Lin. 24: loco « repraesentat » dicerem « repraesentat *et efficit* ».

Lin. 24: loco « primatum et principatum » dicatur locutio classica « primatum *iurisdictionis* » ut in Conc. Vat. I DB 1823.

Lin. 35: loco « in orbe terrarum degentibus » dicatur « in orbe terrarum *dispersis* ».

N. 17, pag. 28, lin. 2: loco « apparet » dicerem: « *quodammodo manifestatur*» . Ratio est: proprie loquendo, principium collegialitatis exsistit et habet valorem solummodo relate ad Ecclesiam universalem, et proinde in unione activa cum Romano Pontifice. In ceteris vero casibus mutuae necessitudinis episcoporum inter se, est potius principium caritatis fraternae et specialis utilitatis pro suis ecclesiis particularibus.

Pag. 28, lin. 4: loco « tum multitudinis » dicatur cum DB 1821: « tum *credentium* multitudinis ».

Pagg. 14-17: non placet modus propositionis. Dicerem potius: « Sed *qua* membrum collegii *episcopalis et legitimus apostolorum successor* (sunt verba Pii XII), *una cum ceteris episcopis* (verba Pii XII) ea sollicitudine, *ex Dei institutione et praecepto* (verba Pii XII), tenetur quae summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum ».

Verba schematis « licet actus iurisdictionis non sit » omittenda censeo, ne

praeoccupari videatur quaestio scholastica utrum magisterii potestas includatur in potestate iurisdictionis.

Pag. 28, lin. 17: dicerem: « Debent enim omnes episcopi, *sub ductu Romani Pontificis et iuxta rationem ac viam ab eodem praefiniendam,* promovere et tueri etc. ».

Ratio est: ne videatur posse singulos episcopos suo nutu et arbitrio agere. Card. Montini, paucis diebus antequam Paulus VI fieret, publico sermone dixit: « ... collaborazione del corpo episcopale non certo all'esercizio (che resterà personale e unitario) ma alla responsabilità del governo della Chiesa ».

N. 18, titulus inter uncos sic mutandus videtur: « De episcoporum *missione* ». Nam ex missione commensurantur ministeria et potestates.

Lin. 3: legitur « mediantibus apostolis ». De quanam mediatione agitur? Si Concilium non vult definire quaestionem utrum potestas episcopalis a Deo descendat mediante Romano Pontifice (sicut clare dixit Pius XII) necne, potest simpliciter dicere: « Episcopi, *apostolorum successores,* a Domino etc. ».

Lin. 10: non placet quod missio sic et simpliciter identificetur cum « servitio », ut dixi in animadversionibus generalibus. Missio est potius « potestas pro servitio »: radicaliter consistit in aliquo charismate, quod — ad liceitatem quidem, non vero ad validitatem — exercendum est in servitium, seu in bonum fidelium. Dicerem ergo: « Munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit, *in bonum ipsius populi est exercendum*: *unde* significanter in sacris Litteris *etiam* servitium seu " ministerium " nuncupatur (cf. *Act.* 1, 17; 1, 25; *Rom.* 11, 13; *1 Tim.* 1, 12) ».

In omnibus locis biblicis citatis habetur iuxta latinum « ministerium » et iuxta graecum « diakonia ». Non est necesse ut in schemate latino adhibeatur vox graeca diakonia, ad vitandam confusionem cum diaconatu.

Linn. 15-19: Haec pericopes placet iuxta modum. Propono ut sic corrigatur: « *Singulorum vero* episcoporum *particularis* missio, *eorumque in episcopale collegium cooptatio,* fieri *non* potest *nisi* aut directo per ipsum successorem Petri, quo renuente episcopi in officium assumi nequeunt, *a quo etiam deponi, transferri vel restitui possunt; aut iuxta* legitimas consuetudines a suprema et universali *auctoritate* Ecclesiae non revocatas; *aut iuxta* leges ab eadem auctoritate latas *vel* agnitas ».

Ratio emendamentorum: 1. hic agitur de uniuscuiusque episcopi missio particularis, per quam in collegium episcopale ingreditur; erat clare dicendum; 2. modi indicati sunt taxativi, quia omnes casus possibiles comprehendunt, etiam illos qui antiquis Ecclesiae temporibus adhibebantur; ergo dicendum erat « fieri non potest nisi »; 3. primo loco ponendus erat modus, qui est ordinarius, et qui fundamentaliter includitur in aliis modis; 4. dicendum erat « *iuxta* consuetudines, *iuxta* leges » melius quam « *per... per...* », quia neque consuetudo neque lex dat missionem, sed potius indicat modum legitimum dandi missionem.

N. B. Forsan sub fine n. 18 est locus aptus complendi doctrinam Concilii Vaticani I de relationibus inter potestatem Romani Pontificis et potestatem episcoporum.

N. 19, linn. 32-33: verba « ... authentice... enunciant » sic emendarem: « .. nexum servantes, *uti* testes fidei *authentici* docentes, *aliquam doctrinam tamquam divinitus revelatam proponentes credendam,* in unam sententiam cum Romano Pontifice conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enuntiant ».

Lin. 36: legatur « fidei *vel* morum », disiunctive ut in DB 1839.

Lin. 39: legatur « de fide *vel* moribus », ut supra.

Lin. 40: ad claritatem sic dicerem: « Qua *infallibilitate* ipse quoque *personaliter* (vel: singulariter) gaudet Romanus ».

Pag. 30, lin. 1: auferantur verba « collegii episcoporum caput », ne ansa praebeatur cavillationi personam Romani Pontificis gaudere infallibilitate, reduplicative ut est caput collegii episcopalis: quod verum non est.

Pag. 30, lin. 1: verba: « ... quando, ut supremus... proclamat » sic clariora redderem: « quando, ut supremus *ovium et agnorum* pastor, *ut supremus totius Ecclesiae* doctor, qui fratres suos in fide confirmat... proclamat ».

Pag. 30, lin. 8: loco « de fide definit », dicatur « de fide *vel moribus* definit ».

Pag. 30, lin. 9: sic legatur: « doctrinam *catholicam, ad divinae revelationis depositum, Ecclesiae commissum, pertinentem,* tamquam doctor etc. ».

Pag. 30, lin. 12: loco « Cum autem » legendum est « Cum *ergo* ».

Pag. 30, lin. 13: loco « sententiam definiunt » dicatur « sententiam *de fide vel moribus* definiunt ».

Pag. 30, linn. 18-21 ita explicarem et amplificarem: « Ad bene ordinatum exercitium praerogativae infallibilitatis, minime vero ad eiusdem validitatem, sive Romanus Pontifex sive collegium episcopale, pro suo officio et rei gravitate, media apta adhibere tenentur quibus, adsistente Spiritus Sancti gratia, rite divinam Revelationem indagare et enuntiare possint: inter haec media eminent oratio et ieiunium, consilium fratrum in episcopatu, studium fontium, consideratio sensus fidelium, theologorum et exegetarum auxilium ».

Pag. 30, linn. 21-22: utpote inutilia haec verba « novam vero... accipiunt » omittenda censeo.

N. 20, lin. 37: post « determinatas » adderem « *in bonum sui gregis* ».

Lin. 37: legerem: « Ipsi sunt ministri *exclusivi* sacrae ordinationis ».

N. 21, lin. 4: loco « Ecclesias » dicerem « *ecclesias particulares* ».

Lin. 10: loco « personaliter funguntur » dicatur: « personaliter *in suum gregem* funguntur ».

Lin. 11: loco « a supremo Ecclesiae regimine » dicatur « a supremo Ecclesiae *pastore* ». Regimen est nimis impersonale.

Lin. 12: sic propono dicendum: « et limitibus, *iuxta temporum locorumve varietatem,* circumscribi possit *ac debeat,* intuitu *unitatis* Ecclesiae vel *utilitatis fidelium* ».

Explicantur emendamenta: 1. limites non possunt dici « certi », ac si essent a priori determinabiles aut iam determinati et fixi. Historia docet hos limites variasse iuxta temporum et locorum varietatem. Sic explicatur cur priscis temporibus, quando Ecclesia erat parva, facultates episcoporum erant ampliores; cur ampliores in oriente quam in occidente; 2. limites non solum possunt sed *debent* esse, ex natura rei, nam si potestas episcoporum esset plena, universalis et summa, evanesceret omnino primatus! Ad rem Suarez: « Quia non conveniens erat ut omnibus et singulis (episcopis) spiritualis iurisdictio sine ulla limitatione daretur, et cum varietate et limitatione non poterat immediate ab ipso Christo concedi, idcirco conveniens fuit ut vicario suo illam distributionem committeret » (*Def. Fid. Cathol.* 4, 9-26); 3. limites habent, pro fundamento, in primis *unitatem Ecclesiae* (cf. S. Thomam, *Sum. contra Gent.* IV, 76), deinde utilitatem spiritualem fidelium. Iudex autem in concreto est solus Romanus Pontifex (aut personaliter

aut cum Concilio Oecumenico) iuxta suum prudens iudicium: exercitium huius iudicii non necessario gaudet infallibilitate, unde non excluditur quod aliquando quaedam limitatio potestatis episcopalis esse potuerit imprudens, non necessaria, immo non utilis pro Ecclesia.

Linn. 23-37: haec pericopes videtur transferenda in schemate de cura animarum, cum sit indolis potius pastoralis et asceticae quam dogmaticae.

Pars II.

Schema in genere mihi placet. Quaedam emendamenta in specie propono.

Divisio materiae placet prout nunc est. Non approbo novam divisionem propositam a commissione de laboribus Concilii coordinandis quia: *a*) historice, Christus prius hierarchiam instituit deinde populum Dei; *b*) theologice, iuxta Enc. *Mystici Corporis* membra hierarchiae sunt membra Ecclesiae *primaria et principalia,* quia per ea, vi missionis et potestatis a Christo ipso acceptae, dona doctoris regis et sacerdotis Christi in Ecclesia fiunt perennia. Hierarchia divinitus est instituta ut omnes homines fiant « populus Dei », neque exsisteret sacerdotium universale fidelium, nisi prius exsisteret sacerdotium ministeriale seu hierarchicum.

Titulus schematis. Magis mihi placeret: « De laicis in populo Dei », seu adhuc melius « De laicis in Ecclesia Christi ».

Ad vitandas ambiguitates, clare ab initio dicatur quid significet locutio « populus Dei », et quo sensu in schemate sumatur. Notetur: apud Patres (v. g. Cyprianum) et in Liturgia (v. g. « Unde et memores... » in Missa) « plebs sancta Dei » seu « populus Dei » contradistinguitur ab hierarchia.

N. *22,* lin. 2: loco « de mysterio Ecclesiae » propono « de *natura et missione* Ecclesiae », ob rationem iam allatam sub n. 2.

Linn. 3-4: loco « nunc ad conditionem... laicorum » propono: « nunc ad conditionem et missionem populi Dei, *in suo complexu sumpti,* et speciatim laicorum ». Sic melius declaratur sub voce « populi Dei » venire omnes fideles, etiam illos qui ad hierarchiam pertinent.

Lin. 5: « Populus ille... », ob supra dicta, deberet mutari in « *laici* ». Nam, quoniam « populus » identificatur cum omnibus membris, ea quae infra dicuntur de solis laicis intelligi debent.

Lin. 7: « .. ut instrumentum... mittitur » aliquatenus mitigandum videtur, ne intelligantur laici eadem ratione esse instrumentum redemptionis ac hierarchia, eandemque accepisse missionem. Propono igitur sic: « ... *Laici...* cumulat*i*... constitut*i,* ab Eo *insuper veluti cooperatores in opere redemptionis perennando atque in animarum salute procuranda as*sumuntur et ad universum mundum mittuntur ».

Lin. 8: loco « Pastores *scil.* » mihi scribendum videtur « Pastores *enim* » quia assignatur ratio cur expetatur cooperatio laicorum. Totum comma propono ita emendatum: « Pastores *enim* non sic sunt instituti ut totum onus... suscipiant, sed fideles *cunctos* ita pascere et regere *debent* ut *singuli,* suo *quisque* modo et in suo *quisque* ordine ad commune opus explendum cooperentur ».

N. 23, lin. 15, post « efficitur », concinnitatis causa, propono ut sermo prosequatur sic: « efficitur, unus populus Dei electus constituitur. Eadem *igitur* est membrorum *Ecclesiae* nobilitas ex eorum in Christo regeneratione *promanans,* eadem filiorum Dei etc. ».

Lin. 21: post verba « spectata natione » adiungatur « *stirpe* », ut sic reprobetur qui dicitur « razzismo » vel « apartheid ».

Pag. 6, lin. 8. Loco « viventes... Domini », propono ut legatur in recto: « *de uno Corpore et Sanguine Domini Iesu saginamur* (cf. *1 Cor.* 10, 18; 11, 28) *et eodem Dei verbo pascimur, usquedum* etc. ».

Lin. 11: « Si igitur » mutetur in « *Quod si* », quia haec quae sequuntur non sunt conclusio (« igitur ») praecedentium.

Lin. 13: loco « ad eamdem sanctitatem » dicatur « omnes tamen *pariter ad sanctitatem vocantur* », ne putetur omnes vocari ad eundem gradum sanctitatis.

Lin. 14: loco « mysteriorum » dicatur « mysteriorum *Dei* ».

Lin. 16: quid significat illud « ... et actionem cunctis fidelibus communem »? Fortasse clarius diceretur: « ... et *actuositatem...* communem ».

Lin. 17: « ... inter hierarchiam et populum ». Si populus Dei etiam hierarchiam comprehendit, tunc melius dicendum est « inter hierarchiam *et ceteros de populo Dei* ».

Lin. 18: loco « pastores et alii fideles », melius dicatur « pastores *et oves* » ut servetur integra metaphora.

Lin. 20: loco « populo » (cum littera minuscula) dicatur « *ceteris fidelibus* », et in seq. lin. 21 loco « populus autem » dicatur « *hi* autem ».

Lin. 31: post verba « nomine laicorum» dicatur « *hic* intelligit », scil. in hac constitutione (ut dicebatur in priore redactione schematis) quia « laici » sunt etiam pagani, vi vocabuli.

Linn. 33-34: loco « et pro sua parte missionem totius populi christiani in mundo exercent » dicatur: « *et ratione sibi propria* (non enim agitur de differentia quantitativa, sed qualitativa) *missionem totius populi Dei* (repetatur locutio, ne videatur agi de alia re) *in mundo explent* » (missio enim expletur, non exercetur).

Lin. 34: quid significat illud « etiam per actionem religiosam »? Auferatur, etiam quia includitur conceptus in « ratione sibi propria ».

Lin. 35: loco « neque ad ordinem hierarchicum » dicatur « neque *ad sacram hierarchiam* », ne putetur hic agi de sola hierarchia Ordinis.

Lin. 39: loco « vocatione sua christiana » dicatur potius « *vita* sua christiana », quia sola vocatione nihil sanctificatur (etiam mali christiani vocationem habent!).

Lin. 41: loco « augmentum Corporis » dicatur clarius « augmentum *mystici* Corporis ».

Pag. 7, lin. 1: loco « Una est ergo » videtur dicendum « Una est *enim* »: datur enim ratio cur omnes secundum operationem... augmentum Corporis faciunt.

N. 24, lin. 7: cui refertur illud « a Spiritu Sancto consecratum »? Auferatur ambiguitas.

Linn. 17-21: non placent quia: *a*) de sacerdotio ministeriali agitur tantummodo *in obliquo* et nimis breviter; dum e contra maxime necessarium est statuere differentiam intrinsecam inter unum et alterum sacerdotium; *b*) « ad invicem ordinantur » est valde obscurum. Omnibus perpensis, mihi magis placet prima redactio, iuxta quam sic textus noster esset emendandus: « *Sacerdotium autem ministeriale seu hierarchicum, quod nempe delectis ad id viris per sacramentum Ordinis confertur, ut sint " ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei "* (*1 Cor.* 4, 1), *essentia et non gradu tantum a sacerdotio universali christifidelium differt. Hoc tamen et illud suo peculiari modo a summo Christi sacerdotio profluunt, et ita*

ad invicem respiciunt ut hierarchicum sacerdotium potestate sacra regnum sacerdotale diffundat et dirigat, universale vero sacerdotium modo suo ad oblationem eucharistici sacrificii concurrat et in oratione, testimonio, abnegatione et actuosa caritate exerceatur ».

Linn. 26-27: propono completiorem formulam: « Sacramento Confirmationis *ita in sua christiana structura* perficiuntur *ac* roborantur ut fidem *plene vivere* simulque verbo et opere diffundere et defendere *valeant* ».

Linn. 27-31: propono completiorem formulam: « Sacrificium eucharisticum participantes, vota sua cum votis ministri litantis *iungunt,* divinam Victimam, verbis consecrationis a sacerdote in altari positam, atque seipsos cum ea, per ipsius manus Deo offerunt *et in Sacra Communione* sibi sumunt: *qua maxime ratione* partes activas in liturgia agunt ».

Lin. 38: loco « sub gratia » dicatur « per gratiam ».

Lin. 39: loco « ad perpetuandum... Christi » dicatur plenius: « ad perpetuandum saeculorum decursu Corpus Christi *mysticum illudque visibiliter dilatandum* ».

Pag. 8, lin. 1: auferatur illud « saepe »: est enim officium, quod non cessat, etsi aliquando parentes ei non obtemperent.

Lin. 1: loco « quasi munus etc. » dicatur pressius et melius: « quasi *vicem* episcopalem, ut ait Augustinus, *agunt* ». Verba sunt ipsius S. Doctoris.

Lin. 11: loco « qua Ipse prius » dicatur « qua Ipse *prior* dilexit nos » (cf. *1 Io.* 4, 10).

Linn. 13-16: ut legitur in notula 11, hic agitur de diffusione fidei, quasi de actu liturgico. Iamvero textus *Hebr.* 13, 15 in schemate partialiter citatus non agit de diffusione fidei, sed potius de prece laudis et gratiarum actionis. Ad rem mihi potius videntur textus *1 Pt.* 2, 9 et *Phil.* 2, 17, iuxta quos sic liceat comma emendare: « Ecclesia tota, *cuius filii veluti liturgicum suae fidei sacrificium semper Deo offerre* (cf. *Phil.* 2, 17) *tenentur* eiusque *virtutes annuntiare, qui ipsos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum* (cf. *1 Pt.* 2, 9), in credendo *circa fidem et mores* indefectibilis est, *et* hanc suam peculiarem proprietatem etiam *per* supernatural*em* sensu*m* fidei universi populi christiani manifestat ».

Lin. 21: loco « et a Magisterio... sustentatur », melius potest dici cum Pio XII in Bulla *Munificentissimus*: « et a Magisterio *Ecclesiae* (sive ordinario, sive extraordinario) *sustinetur ac dirigitur* ».

Lin. 22: loco « veritatem fidei » dicerem « veritat*es* *fidei* ».

Lin. 25: loco « dat fidelibus » dicerem « *dividit singulis* fidelibus *prout vult* » (cf. *1 Cor.* 12, 11).

Lin. 32: « Temere exspectanda »? vel « temere *expetenda* »?

Lin. 33: loco « ab eis » nonne melius « *ex eis* »?

N. 25, lin. 40: videtur nimis generaliter dictum « vires suas omnes... conferre tenentur », nam non omnibus est tribuenda eadem mensura et idem gradus obligatorietatis. Ergo potest dici sic: « ... vires suas, beneficio Creatoris et gratia Redemptoris acceptas, *iuxta uniuscuiusque vitae statum* conferre tenentur ».

Pag. 9, lin. 2: non placet definitio apostolatus laicorum. Melius mihi videtur dicendum: « Apostolatus autem laicorum est *cooperatio quaedam* missioni Ecclesiae salvificae ». S. Paulus vocat laicos suos « synergous » (scil. co-operatores).

Lin. 3: loco « vel etiam a sacra hierarchia » dicatur: « vel etiam *peculiari* a sacra hierarchia ».

Lin. 6: loco « ut divinum salutis propositum » melius diceretur: « ut divinum *Redemptionis beneficium* ». Agitur enim, post Christum, non de mero proposito sed de felici realitate.

Lin. 14: loco « Proinde laici non exclusive » dicatur, ut erat in prima redactione: « Proinde laici *in Ecclesia* non exclusive ».

Lin. 20: loco « ad augmentum extensivum et intensivum » videtur melius « ad augmentum intensivum et extensivum ».

Lin. 31: loco « experientia singulari » melius diceretur « experientia *peculiari* ».

Lin. 38: loco « per opera etiam saecularia » videtur melius dicere: « per opera etiam *mere* saecularia ».

Pag. 10, lin. 6: dicitur « ... tamquam lumen pro tota societate apparebit ». Revera, si quae prius dicuntur feliciter eveniet, Ecclesia multo plus quam lumen erit pro societate! Melius in prima redactione dicebatur: « principium supernaturaliter vivificans ». Propono ut dicatur: « ... tamquam lumen *et fermentum supernaturale* pro tota societate *erit* ».

Lin. 14: loco « ne in re quidem profana » dicatur « ne profana quidem in re », quia, iuxta latinitatem, illud ne... quidem afficit « profana ».

Lin. 19: post verba « propriis regitur principiis » addendum videtur: « *semper tamen ad aeternam legem ordine servato* ». Ne videatur principia propria terrenae civitatis posse umquam subtrahi aeternae legi.

N. 26, lin. 32: non apparet ratio huius limitationis « si qua sint »: nam in Ecclesia semper erunt legitima organa per quae honesta critica fieri possit.

N. 27, lin. 20: loco « quod nempe eodem modo » melius videtur dicendum: « quod nempe *eodem titulo eademque ratione* ab aliis etc. Aliquando enim etiam clericus potest facere illas res *meliore modo* quam laicus, sed ad id non habet titulum!

N. 28, linn. 1-3: non placet hic modus loquendi: « mysterium »; « annuntiatur » quasi prima vice de Ecclesia fiat nuntium ad mundum. Propono novam formulam: « Sacrosancta Synodus sollemniter affirmat id ad naturam missionemque Ecclesiae spectare quod omnes omnino christifideles, sive ad hierarchiam pertinent sive non, ad sanctitatem consequendam vocentur ».

Lin. 11: loco « praeclarum » dicatur « praeclarius »: clerici enim et religiosi ad plus tenentur.

N. 29, lin. 28: dicitur « gratuita... gratia ». Illud « gratuita » est superfluum.

Lin. 29: loco « excrescit » dicatur « excrescere potest ». Possibilitas, non factum, statuatur.

Lin. 33: auferendum mihi videtur « toto animo », nam non omnibus convenit relate ad proximum: v. g. uxoratis.

N. 30, lin. 4: quid significat illud « in condicione vocationis »? Forsitan: « *ratione suae vocationis* »?

Lin. 14: « a Deo electi laici »: de quanam electione hic agitur? Sufficiat dicere: « etiam illi laici qui, ut... ».

N. B.: Mirum mihi videtur quod in hoc numero nulla mentio fiat de religiosis!

Lin. 29: loco « Quo magis insuper » videtur dicendum « Quo magis *enim* ».

N. 34, pag. 22, lin. 11: « sibi soli potest subiicere ». Illud « *soli* » mihi videtur delendum, quia Romanus Pontifex orientales religiosos ordinarie patriarchae subiicit.

15

EXC.MUS P. D. DOMINICUS LUCAS CAPOZI
Archiepiscopus Taeiuenensis

Pars I.

1. Introductio et totum cap. I mihi videtur esse labor seu compositio facta animo non pacato, facta videtur nimia excitatione nervorum. Stylus asper, nimis scholasticus, sermo durus, expositio confusa potius et ambigua. Multa verba et nulla datur clarior definitio Ecclesiae, vel melius sunt plures definitiones, sed incompletae et ambiguae. E. g. cap. I, n. 2, lin. 22, dicitur: « Haec congregatio iustorum: — quaenam congregatio? — a SS. Patribus Ecclesia universalis vocatur, quam ab Abel usque... ». Ergo Ecclesia universalis est congregatio iustorum? Ergo ego episcopus non sum de Ecclesia quia peccator? Oportet igitur clare definire, distinguendo Ecclesiam in Patria et Ecclesiam in exilio, ecc. ecc.

2. In eodem capite, pag. 8, linn. 1-2, dicitur quod Ecclesia iam ab origine humani generis praefigurata, in electione veteris populi praeparata... Sed iam supra dictum est quod Ecclesia est congregatio iustorum ab Abel... quomodo nunc dicitur praefigurata tantum, praeparata?...

Eadem pagina, linn. 18 ss., alia datur definitio Ecclesiae sat ambigua. Dicitur enim: « Congregatio eorum qui in Iesum salutis auctorem et pacis et unitatis principium credunt... est Ecclesia ab eo convocata et legitime constituta. Ergo et Orthodoxi et Protestantes qui — Deo gratias — credunt in Iesum etc. etc., sunt de vera Ecclesia Christi?

4. Pag. 10, linn. 10 ss. Quia vero Christus caput caelis intima unione etc. etc. Si quis intelligat quid velit dici in ista periodo omnino « bravo » dicendus. Ego pluries legi et non potui intelligere.

5. Conclusio. Introductio et totum cap. I ex novo conficiendum sive quoad doctrinam sive relate ad stylum, ita ut constitutio dogmatica vere digna Concilio Oecumenico praeparetur. E. g. verba introductoria quasi ex abrupto: Lumen gentium cum sit Christus... Non placent.

6. Cap. II videtur multo melius esse sive quoad doctrinam sive quoad stylum. Videtur quod auctor cap. II sit alius, distinctus ab auctore cap. I.

7. Secundam seu alteram partem constitutionis nondum accepi.

16

EXC.MUS P. D. PATRITIUS CLEARY
Episcopus Nancemensis

Animadversio. Formula de *magisterio ordinario* quae pag. 30, linn. 23-29, invenitur ita obscurum est ut videatur admittere interpretationem erroneam quae plurimorum conscientias perturbare poterit in detrimentum legitimae investigationis theologicae.

Quapropter desideratur ut formula de novo examinetur et rescribatur cum ex-

plicationibus illis suppletivis quas offert declaratio Sancti Officii 2 iunii 1927 (Denz. n. 2198, *de Commate Ioanneo*).

Forsitan formula subiuncta aut huiusmodi sufficeret ad omnia dubia tollenda: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum obsequium iuxta regulas prudentiae praestandum est; sed nihil impedit quominus periti omni qua par est moderatione et temperantia, argumentis hinc inde accurate perpensis, rem plenius investigent, dummodo sincere profiteantur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae ».

17

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Cap. I.

Par. 2, pag. 7, lin. 24. Videtur adesse aliquam lacunam, in ordine logico, inter « congregationem iustorum... ab Abel iusto usque ad ultimum electum » (linn. 22-24) et Ecclesiam Christi (lin. 24 s.), scil. populus electus, vetus Israël. Velim ergo ut par. 2, pag. 7, lin. 24, post verbum « colligitur », addantur sequentia vel similia verba, ad instar schematis *de divina revelatione* par. 2, pag. 5: « Postea in Abraham Deus populum sibi elegit, ut in semine eius benedicerentur omnes generationes terrae (cf. *Gen.* 12, 3), et e longinquo via Evangelio praepararetur ».

Par. 3, pag. 8, linn. 18-20. Cum aliquibus videretur hic dari definitio Ecclesiae, velim ut par. 3, pag. 8, lin. 20, post verbum « credunt » addantur sequentia verba ad instar pag. 12, lin. 7, 8 huius schematis: « ... vinculis professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis uniti... ».

Par. 4, pag. 8, lin. 35. Ne implicite Sacrosancta Synodus videretur admittere Ecclesiam posse senescere, velim ut loco « iuvenescere facit Ecclesiam » diceretur « Ecclesiam semper iuvenem servat ».

Par. 7, pag. 11, lin. 21. Loco « Ecclesia catholica » dicatur « Ecclesia Catholica » sicut in lin. 37 huius paginae et passim.

Cap. II.

Par. 11, pag. 23, lin. 21. Post verba « infallibili magisterio » addantur verba « universalique eius iurisdictione ».

Par. 15, pag. 26, lin. 39. Loco « ad praepositos Ecclesiae spectat decernere » dicatur « ad Romanum Pontificem spectat decernere ».

18

Exc.mus P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

1. *Quoad prooemium.*

Schema hoc *de Ecclesia,* generatim sumptum, mihi videtur bonum et acceptabile. Opportunum tamen censeo aliquas emendationes fieri, ita ut nexus doctrinalis totius schematis melius appareat.

Cum schema nobis propositum tractet de mysterio Ecclesiae in sua relatione

cum mysterio Christi, et de constitutione hierarchica seu apostolica Ecclesiae per referentiam ad missionem apostolorum et episcoporum, nexus doctrinalis non alibi quam in missione Christi ab Ecclesia continuata quaerendus est, secundum hoc Ioannis: « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum » (*Io.* 17, 18).

Cum gaudio vidi ideam nexus missionis Christi cum missione Ecclesiae non omnino praetermissam esse in schemate, v. g. in cap. II sub lin. 13 pag. 23, ubi dicitur: « Sancta Synodus docet... Iesum Christum... sanctam aedificasse Ecclesiam, missis apostolis sicut ipse missus erat a Patre ». Immo, prooemium explicite alludit ad missionem Ecclesiae, si bene intelligo verba sequentia: « Ecclesia, missionem suam universalem... fidelibus suis et mundo universo declarare intendit ». Sed conceptus missionis hic non sufficienter premitur et explicatur.

Optarem iam ab initio schematis, in prooemio, fundamentum totius doctrinae de Ecclesia in idea *missionis* clare et distincte collocari. Sicut enim Christus missus est a Patre, cuius omnem potestatem accepit ad homines salvandos et sanctificandos, ita apostoli eorumque successores, missionem Christi perficientes, ab ipsa missione tenuerunt ministerium suum et triplicem potestatem docendi, pascendi et regendi fideles necnon et omnes infideles evangelizandi. Sic affirmando ab initio indolem missionariam Ecclesiae, nexus inter mysterium Christi et triplicem potestatem hierarchiae sat conspicuus evaderet. Schema bene enuntiavit missionem Ecclesiae apud homines, in fine cap. I, sub n. 10, ubi legimus: « Ecclesia ad omnes homines missa est ». Sed haec declaratio missionis maioris ponderis esset, si prooemio incorporaretur, cum regere debeat, meo sensu, totam doctrinam de Ecclesia.

2. *Quoad cap. II, ubi sub n. 14 tractatur « de episcopatu ut sacramento ».*

In hac paragrapho clare affirmatur — fortasse in forma definitionis — indoles sacramentalis episcopatus. Sed doctrina de sacramento Ordinis, cuius episcopatus obtinet plenitudinem, hic, proh dolor, omnino absens est, vel si adest, bene latet. Quando totam legimus paragraphum de episcopatus sacramentalitate, necnon et sequentes, adhuc ignoramus quid sit ordinatio episcopalis et scire cupimus quomodo sacerdos electus collegio episcoporum incorporetur.

Schema propositum, sub lin. 24 pag. 25, bene dicit *vi sacramenti* vindicari dignitatem episcopalem quae superat dignitatem sacerdotum secundi ordinis. Sed conceptus dignitatis (et etiam characteris) non totam exhaurit realitatem sacramentalem primi Ordinis. Est officium Sacrae Synodis evolvendi plenam doctrinam de episcopatu ut sacramento. Si explicatio sacramenti Ordinis deest, quomodo plena erit doctrina de episcopatu?

Iam in prima sessione Concilii, optime demonstraverat exc.mus D. Doumith necessitatem quaerendi fundamentum theologicum triplicis potestatis episcoporum, quae potestas, ut puto, intime coniungitur cum sacramento, et ipsum sacramentum cum aggregatione ordini seu corpori episcopali.

Si radix communis potestatis Ordinis et potestatis iurisdictionis episcoporum extra sacramentum reiicitur, iam non intelligitur quid sit sacramentum.

Votum ergo humiliter propono ut in schemate explicite dicatur: *vi sacramenti* vindicari triplicem potestatem episcoporum, quae potestas consequitur missionem. Sic doctrina de sacramento melius declarabitur.

3. *Quoad par. 19, pag. 30 sub lin. 6,* ubi datur explicatio infallibilitatis Summi Pontificis « ex sese et non ex consensu Ecclesiae ».

Explicatio huius definitionis Concilii Vaticani I mihi videtur esse maximi momenti ad dirimendas veras difficultates fratrum nostrorum separatorum. Timeo ne formula explicationis hic adhibita sub lin. 6, quamvis optima, remaneat insufficiens. Memini episcopos nostrae regionis ante primam sessionem Concilii rogavisse ut huic definitioni complementum a praesenti Concilio afferretur, certo non complementum doctrinae, sed complementum explicationis. Formula « ex sese, non ex consensu Ecclesiae » bene demonstrat infallibilitatem Summi Pontificis esse infallibilitatem *personalem.* Sed venerabilem personam nostri Pontificis, eius indolem et potestatem, christiani non catholici melius intelligerent et amarent, si eis monstraretur in sua dimensione collegiali ut caput corporis Ecclesiae. Potestas apostolica Summi Pontificis, in primis potestas infallibiliter docendi, non definita est ut potestas extra ecclesiam et sine ecclesia, ut putant aliqui fratres separati, sed ut potestas declarandi fidem Ecclesiae. Persona Summi Pontificis, in hoc sensu, exprimit et repraesentat totam collegialitatem Ecclesiae, cuius fides ab ipso declarari potest, vi propriae auctoritatis, quin egeat actu quo Ecclesia suum consensum daret.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Cajamarcensis

N. 8. Me parece que se podría insistir más en el aspecto de la comunión de los cristianos en lugar de hablar de la incorporación a la sociedad « Iglesia ». Este facilitaría el problema de la « pertenencia a la Iglesia », pues hay diversos aspectos de comunión como hay también grados en los miembros de la Iglesia según los elementos de la comunión en que participan.

N. 9. Considero que debe agregarsi el conocimiento y veneración que los cristianos no católicos tienen de las Sagradas Escrituras, Palabra de Dios, que alimenta igualmente a los católicos.

N. 13. Se debe recalcar que al Colegio Apostólico ha sucedido el « Ordo Episcoporum », no que cada obispo sucede a cada Apóstol, sino que el « Ordo Episcoporum » ha sucedido al Colegio de los Doce.

N. 16. Debe desarrollarse más la teología de la colegialidad episcopal, pues según San Cipriano: « No hay, por institución de Cristo, sino una sola Iglesia, difundida en el mundo entero, un solo episcopado, representado por una muchedumbre de obispos unidos entre ellos » (*epist.* 66, 8, 3). La idea ha sido bellamente expresada por Pío XII en la encíclica *Fidei donum* (*A.A.S.,* 49, 1957, pp. 237 s.).

Debe afirmarse que por el hecho de la consagración todo obispo pertenece el « Ordo Episcoporum » unido al sucesor de Pedro, pues por la imposición de las manos se recibe al Espíritu Santo para regir la Iglesia de Dios, siendo la afectación a las diócesis posterior.

Falta la indicación de cómo se ejerce en forma ordinaria la potestad que el Colegio Episcopal tiene sobre toda la Iglesia bajo la autoridad del Romano Pontífice; debe decirse algo referente a las Asambleas episcopales, a los concilios locales y a los patriarcados.

N. 19, pag. 30, linn. 23-29. Estoy de acuerdo con la declaración del magisterio auténtico del Romano Pontífice, « non ex Cathedra », pero no me parece que sea éste el lugar indicado. Tal vez pueda poner en el esquema *De cura animarum,* n. 2.

20

Exc.mus P. D. PETRUS DE LA CHANONIE
Episcopus Claramontanus

Exc.mi PP. DD. Marcellus Lefèbvre, sup. gen. C. S. Sp., Augustinus Grimault, ep. tit. Maximianopolitanus in Palaestina, Xaverius Morilleau, ep. tit. Coloniensis in Capadocia; rev.mus Ioannes Prou, sup. gen. Congr. gallicae O.S.B.

Clara et adaequata proponatur, prout fieri potest cum de mysterio agatur, Ecclesiae definitio seu notio: non sufficit simplex descriptio. Huius definitionis vel notionis fundamentum inveniatur in Sacrarum Scripturarum locis secundum exegesim stricte scientificam simulque catholicam expositis. Textuum etenim erroneae interpretationes, faventibus vagis truncatisque definitionibus, ad conclusiones pastorales gravissimas in damnum sive catholicorum, sive acatholicorum inducere possunt.

Attentissime perpendatur principium sic dictae « collegialitatis ». Nonnulli vero apprehendunt ne, vi talis principii, ecclesiasticae hierarchiae structura tali gravatur institutione quae, etsi non plane nova, tantis tamen iuribus auctoritateque fulciretur quae omnia hactenus ab usu traditionali totius Ecclesiae illi recognita longe superassent.

Numquid vox « collegialitas » in diversis schematis articulis introducta, secundum diversas significationes sive analogas, sive etiam aequivocas, non usurpatur?

Nonne eadem vox, secundum proprium strictissimumque sensum accepta, episcoporum conferentiis nationalibus vel regionalibus ita practice tribuatur ut, ipso facto, illis recognoscatur ipsamet potestas pleno iure Conciliis tributa?

Nonne tunc collegialitas illa enormiter dilatare videatur conferentiarum episcopalium potestatem in detrimento: *a*) ipsius Romani Pontificis auctoritatis, *b*) propriaeque cuiusvis episcopi ordinariae potestatis?

Ad haec vitanda incommoda, necessarium nobis omnino videtur Concilium definitionem collegialitatis stricto sensu acceptae terminis claris expressisque proponere: cui subiungi possent multiplices sensus minus proprii eiusdem vocabuli. Hic etiam citantur Scripturarum testimonia quibus talis definitio fulciatur.

Nonne tandem omnes necessitatem percipiunt tales definitiones vel declarationes, novitatem forsan quamdam secum ferentes, fundandi theologice super certam fidei doctrinam de potestatis episcoporum origine, de eiusdem extensione, comparatione praesertim facta cum apostolorum propria potestate, et de officiis iuribusque per successionem apostolicam tum episcopis singulis, tum (ut aiunt) corpori episcopali translatis.

Prooemium. § 1: placet.

Caput primum.

§ 2, linn. 22-24: « Haec congregatio... colligitur »: non placent. *Ratio*: « Haec congregatio iustorum... Ecclesia universalis dicitur ». De quanam congregatione agitur? Pronomen demonstrativum « Haec » trahit suppositionem nominis « congregatio » ad illos de quibus lineae praecedentes locutae sunt. Hi sunt « lapsos in Adamo », scil. omnes homines inde ab Abel. At vero verbum « iustorum » nequit

dici de omnibus hominibus ab Abel, cum inter eos multi fuerunt peccatores. Locutio « Haec congregatio iustorum » in adiunctis ubi ponitur est ergo contradictoria: nam simul includit (per « haec ») et excludit (per « iustorum ») peccatores. Insuper ista descriptio Ecclesiae universalis praesupponit solutionem problematis adhuc sub lite: Utrum Ecclesia amplectitur etiam Patres Veteris Testamenti dum vivebant in terra? Tandem, omnibus fatentibus, Ecclesia universalis, in tota sua extensione sumpta, includit etiam peccatores baptizatos in Christo credentes: qui tamen necessario ab ea excluderentur si Ecclesia universalis, ut talis, esset « congregatio iustorum ».

Ergo: vel retinetur descriptio « congregatio iustorum », sed tunc expresse indicatur hic non agi nisi de Ecclesia universali « ut iam in termino suo constituta », scil. de Ecclesia triumphanti. Opportunum videri potest in limine huius schematis praesentare primo hanc Ecclesiam eschatologicam seu perfectam cuius descriptio nullam facit difficultatem.

Vel statim praesentatur mysterium totius Ecclesiae universalis, ab Abel, usque ad aeternitatem consideratae: sed hoc videtur impossibile nisi primo dirimatur controversia sat intricata de « membris Ecclesiae »: quinam sint? Suntne membra Ecclesiae Patres antiquae legis? Homines non baptizati bona fide laborantes errore invincibili? etc. Talem controversiam videtur Concilium non dirimendum esse.

§ 3: placet. Manifeste hic schema loquitur de Ecclesia *terrestri.*

§ 4: placet. Hic agitur de *universa* Ecclesia in caelo et in terra.

§§ 5, 6, 7: placent.

§ 8: placet iuxta modum; scil. ut linn. 22-23 « ... ut sic via salutis pro eis latius sternatur » ita mutentur: « ... ut sic via salutis pro eis ita sternatur non solum latior et securior, sed sola divinae voluntati plene conformis omnibusque gratiae locupletata mediis quibus ab omnibus " expedite, firma certitudine, nullo admixto errore " iter fieri possit ad Deum ». Ratio emendationis: incorporatio ad Ecclesiam non est tantum salutis via latior. Est unica via « per se » ducens ad salutem, sola via divinitus intenta mirabiliterque a Christo pro omnibus praeparata.

Caput secundum.

§§ 11-12: placent.

§ 13: placet iuxta modum; scil. ut a pag. 24, lin. 40, ad pag. 25, lin. 6, textus « Sicut autem permanet... cui Christum misit » ita emendetur: « Sicut autem permanet officium a Domino singulariter Petro ut primo apostolorum et duci collegii commissum successoribus eius transmittendum: ita servatur officium totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi a toto corpore sacrato episcoporum simul sumpto exercendum. Proinde declaramus et docemus ex divina institutione et vi missionis legitimo modo in diversis provinciis servato collatae ad episcopale collegium aggregantis, omnes quidem episcopos in solidum cum Romano Pontifice agentes Ecclesiam universalem, singulos autem seorsum munus particulare exercentes proprias Ecclesias docere pascere, quos quidem qui audit Christum audit, qui vero spernit Christum spernit et eum qui Christum misit ». Ratio emendationis: hic tangitur quaestio vere fundamentalis a qua pendet tota doctrina alibi enucleanda et ad consequentias practicas ducenda de sic dicto « collegio episcoporum ». Solutio non potest manere confusa et incompleta, a qua deinde quaecumque ad placitum deduci possent.

De fide est unusquisque episcopus accipere per ipsam missionem, qua deputatur ad munus proprium, verum officium proindeque etiam auctoritatem tale mu-

nus exercendi intra limites proprios huius missionis (v. g., si promoveatur ut episcopus residentialis alicuius territorii, intra fines huius dioeceseos).

Insuper certa saltem videtur sententia iuxta quam, vi missionis sub quacumque forma ei collatae, unusquisque episcopus officium accipit exercendum in solidum cum Romano Pontifice relate ad universam Ecclesiam: quod tantum in Concilio Oecumenico vel in actu alio vere collegiali una cum Papa ceterisque episcopis ei adiunctis peracto, verificatur. Quod, ut historia Ecclesiae comprobat, nonnisi raro et extraordinario modo advenit.

Ceteri actus collectivi a pluribus episcopis, eiusdem v. g. provinciae vel nationis, peracti non ex institutione divina efficaciam obtinent super fideles omnes talis provinciae vel nationis, et hoc sensu nullum habent effectum collegialiter productum: sed expectant eum sive ex actu Pontificis Romani exercentis plenam et universalem potestatem, sive ex actu uniuscuiusque episcopi personaliter agentis pro sua dioecesi.

In hac materia duo praesertim caveantur:

1. Institutio quaedam permanens ad modum cuiusdam Concilii universalis, in qua nonnulli episcopi, totius collegii munere fungentes, actus collegiales una cum Romano Pontifice habituali ordinarioque modo ponerent, quorum efficaciam, ex divina institutione, ad universalem Ecclesiam extenderetur. Talis institutio certissime tribuenda Christo non est siquidem per 20 saecula apostoli, Romani Pontifices et episcopi eam prorsus ignorarunt.

2. Institutio etiam permanens ad modum Conciliorum plenariorum vel provincialium, in qua pars quaedam episcoporum unius nationis vel provinciae sententias iuridicas vel doctrinales poneret, quibus de facto et habitualiter Romanus Pontifex assensum denegare non posset et quae episcopos eiusdem nationis vel provinciae ligarent. Talis enim institutio gravissima impedimenta permultasque difficultates ponere ad exercitium potestatis sive supremae Summi Pontificis, sive ordinariae cuiusque episcopi nemo non videt. Insuper esset quid omnino novum et inauditum in ipsa structura Ecclesiae: quod introducere non licet nisi fateatur Christum et apostolos hanc structuram graviter incompletam reliquisse.

§ 14: placet iuxta modum; scil. ut

1. In linn. 8-9 verba « Pastor et Episcopus animarum nostrarum » ita mutentur: « *secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus* ». Ratio mutationis: ut ab initio huius articuli, qui de sacramentali indole episcopatus tractat, expresse innuatur dependentia sacerdotii episcopalis a sacerdotio unici summi sacerdotis Novae Legis. Huic sacerdotio summo episcopus plene directeque participat, cum presbyter eidem sed minus plene et mediante episcopo participat.

2. In linn. 16-23, verba « Immo quia ex traditione... vel laicus rursus fieri possit » ita mutentur: « In hac enim consecratione, qua character sacramentalis in anima indelebiliter imprimitur atque gratia Spiritus Sancti communicatur, episcopus vere et plene particeps efficitur sacerdotii pontificis aeterni, qui in eo et per eum praesentiam et actionem suam sanctificantem Ecclesiae suae praestat ». Ratio emendationis: eadem ac supra. Insuper, iuxta theologiae sacramentalis principia, primum effectum sacramenti ponatur character quem, in ordine generationis, sequitur gratia. Character est dispositio praevia subiecti ad gratiam sacramentalem percipiendam.

3. In lin. 25, verbum « superiores » ita mutatur: « superioris ordinis ». Ratio emendationis: ut strictius collocetur ratio superioritatis.

§ 15: placet iuxta modum; scil. ut

1. Pag. 25, linn. 38-39 textus « Hierarchia divina... et ministris » ita mutetur: « Ex divina institutione sacra Hierarchia, ratione ordinis, constat episcopis, presbyteris et ministris » (cf. *C.I.C.*, n. 103, § 3). Ratio mutationis: ut enuncietur differentia inter tres gradus esse ratione ordinis, seu sacramenti.

2. Pag. 26, linn. 2-3: « in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt ». Haec verba deleantur. Ratio suppressionis: episcopus ordinans non necessario transfundit gratiam de abundantia plenitudinis suae, sed de abundantia plenitudinis Christi.

3. Pag. 26, lin. 4 verba « super omnes fideles » ita emendentur: « super omnem gregem ». Ratio emendationis: pastores mittuntur etiam ad infideles ut eos convertant.

4. Pag. 26, linn. 39-40 verba « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere » ita mutentur: « Quo in casu, proponentibus locorum ordinarii, ad Romanum Pontificem spectat decernere ». Ratio emendationis: haec decisio gravissima, quae vetustissimas Ecclesiarum traditiones tangit, uno Summo Pontifici reservanda est.

§ 16: non placet. Huic paragrapho substituantur ea quae in vetere schemate de collegio episcoporum scribebantur etiam sub n. 16, nempe: « Collegium episcoporum quod collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo collegium apostolorum continue perseverat, quodque missionem Iesu Christi eiusdemque doctrinam et leges continuo testatur, una cum capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc capite, unum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur. Potestas tamen huius collegii, etsi ordinaria, utpote officio inhaerens, nonnisi modo extraordinario et in devota subordinatione Iesu Christi vicario in terris quando, quomodo et quousque eidem in Domino videtur expedire, legitime exercetur. Quod vero ad constitutionem augusti huius collegii attinet, omnes episcopi residentiales in pace cum Sede Apostolica viventes suo iure eiusdem membra sunt, et nemo episcoporum, sive residentialium, sive aliorum, ad hoc collegium pertinere potest, nisi dedita opera vel consensu tacito a successore Petri, Christi vicario et capite collegii, in idem assumptus sit ». Rationes substitutionis: inter ea quae addentur sub n. 16 in nova redactione schematis, plura vel parum utilia sunt, vel etiam non omnino recte dicta:

a) S. Petrus et alii apostoli non unum collegium proprie dictum constituunt, sed solum ad instar cuiusdam collegii instituti sunt (cf. supra, § 12, pag. 23, lin. 31).

b) Non omnino « eadem ratione » ac apostoli, Romanus Pontifex et episcopi inter se coniunguntur, sed ratione quadam simili simul et dissimili (unitas tantum analogiae).

c) Consecratio a tribus episcopis 1. non est de necessitate sacramenti; 2. potest innuere meram communionem fidei et caritatis. Parum probat de collegialitate stricte dicta inter episcopos.

d) *Mt.* 18, 18 non probat quod potestas ligandi et solvendi, duodecim collata, sit collegialis. Unusquisque apostolorum potest hanc potestatem exercere.

e) Linn. 36-37 videntur extensionem maximam conferre notioni « actus collegialis », quae ab omnibus non admitteretur.

§ 17: placet iuxta modum; scil. ut, linn. 14-15, verba « Sed ut membrum...

ex officio tenetur » ita mutentur: « Sed ut, vi missionis illi collatae, qua fit membrum collegii, pro universa Ecclesia ea sollicitudine tenetur ». Ratio mutationis: ut appareat hanc sollicitudinem defluere ex ipsa missione quam unusquisque episcopus accipit, quin tamen ei imponatur aliquod debitum strictae iustitiae.

§ 18: placet iuxta modum: *a*) scil. ut linn. 8-11 textus « Spiritus qui replevit... igneis significavit » ita mutetur: « Spiritus qui replet orbem terrarum et missus est in apostolos evangelicae veritatis testes reddituros coram populis, gentibus et regibus (cf. *Act.* 1, 8; 2, 33; 9, 15) plena potestate ditavit dispertitis linguis significata ». Rationes emendationum: 1. Apostoli non sunt missi a Spiritu Sancto, sed a Christo qui misit in eos Spiritum. 2. Allusio ad *Apoc.* 10, 11, non est ad rem, talis textus ad episcoporum ministerium illustrandum adduci non debet. 3. Propter distinctionem vigentem inter missionem (a Filio) et collationem plenae potestatis (a Spiritu Sancto factam), videtur quod effusio Spiritus Sancti ad apostolos in die Pentecostes non est merum signum missionis olim a Christo collatae, sed praesertim effectum realem novum exigentiis huius missionis subvenientem.

b) Ut in lin. 15, pro « Episcoporum autem missio » scribatur: « Uniuscuiusque episcopi propria missio ». Ratio emendationis: ut non confundentur missio collectiva et universalis ab ipso Christo commissa toti collegio apostolorum (de qua prima pars huius paragraphi locuta est) et missio personalis ab unoquoque episcopo recepta, vi cuius et ipse collegio aggregatur. (Hic notandum est quod, iuxta opinionem sat communem, consecratio ipsa episcoporum eos aggregat collegio. Haec tamen opinio vix conciliari potest cum factis certissimis v. g. Pontifex Romanus ab acceptatione suae electionis, etiamsi non adhuc sit episcopus consecratus, iam vere est caput collegii episcoporum et omnino tali collegio aggregatus).

§ 19: placet iuxta modum; scil. ut

a) linn. 30-37 textus « per orbem dispersi... In definitionibus suis » ita mutetur: « per orbem dispersi, magisterio ordinario authentice docentes, ut testes fidei in revelatione tradenda in eamdem sententiam una cum Romano Pontifice conveniunt, doctrina sic edocta certo pertinet ad depositum fidei revelatum et proinde ab omnibus credenda est. Quod adhuc manifestius habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati, doctoris et iudicis munere fungentes una cum Romano Pontifice pro tota Ecclesia iudicium solemne pronunciant quod ab omnibus sincero animo accipi debet. In istis definitionibus suis... ». Ratio emendationis: proprie loquendo non potest dici infallibile magisterium ordinarium omnium episcoporum per orbem dispersorum eamdem doctrinam proponentium. Infallibilitas enim proprie *actui* competit. Nullus autem actus uniuscuiusque horum episcoporum infallibilitatem possidet. Ex alia parte, etiamsi omnes eadem docent et eadem docentur a Summo Pontifice magisterium ordinarium exercente, nondum habetur actus vere collegialis, id est in solidum ab omnibus, ut talis, positus, qui solus infallibilis exsisteret. Nullum ergo adhuc habetur oraculum infallibile. Haec tamen unanimitas episcoporum, inter se et cum Papa, constituit *criterium* infallibile manifestans doctrinam sic edoctam ad fidei depositum pertinere: ea enim « omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio, *sive ordinario et universali* magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » (cf. Conc. Vatic. I, sess. 3, cap. 3: Denz. 1792).

b) Pag. 30, lin. 5, verba « Definitiones... irreformabiles esse » ita com-

plentur: « Definitiones Romani Pontificis, quae propter Spiritus Sancti assistentiam nunquam extra vel contra fidem communem Ecclesiae proferuntur, ex sese tamen et non ex Ecclesiae consensu irreformabiles esse... ». Ratio additionis: ut clare appareat, praesertim orientalibus schismaticis, verba « ex sese » non tribuere Summo Pontifici potestatem definiendi quamcumque veritatem etiam extraneam a fide communi totius Ecclesiae. Hoc enim non erat intentum a Patribus Concilii Vaticani I: sed quod definitio Pontificis suum valorem non traheret ex tali consensu, et ideo quod nunquam fieri posset appellatio a sententia Summi Pontificis ad iudicium alterius, quaecumque sit, auctoritatis.

c) Pag. 30, linn. 18-19, loco « Episcopi et Romanus Pontifex » scribatur: « Romanus Pontifex et Patres Conciliares ». Ratio additionis: reverentia debita Summo Pontifici qui semper nominari debet ante omnes alios episcopos. Ea quae hic asseruntur valent non tantum de episcopis, sed de omnibus Patribus ad Concilium vocatis.

d) Lin. 29, post hanc lineam novus addatur paragraphus, videlicet: « Ubi tamen idem authenticum magisterium aliqua ut divinitus revelata proponit, talis actus, quamvis de se non sit oraculum infallibile, verum assensum fidei ab omnibus exigit, saltem in his duobus casibus:

1. Quotiescumque doctrinam recolit quae iam aliunde ad fidem catholicam pertinet.

2. Quotiescumque aliqua certa doctrina continue eodemque modo a tali Magisterio proponitur (cf. Episc. Gasser, Mansi LII, 1217 A).

" Quodsi Summi Pontifices in actis suis de re adhuc controversa data opera sententiam ferunt, omnibus patet rem illam, secundum mentem ac voluntatem eorumdem Pontificum, quaestionem liberae inter theologos disceptationis iam haberi non posse " (Encycl. *Humani generis,* Denz. n. 2313).

Similia proportionaliter dicenda sunt de magisterio authentico uniuscuiusque episcopi relate ad proprios fideles ».

Ratio additionis: magisterium authenticum seu ordinarium Summi Pontificis saepe requirit plus quam « religiosum voluntatis et intellectus obsequium »; quandoque, verum assensum fidei illi debetur. Insuper, in articulo « de episcoporum munere docendi », verbum saltem aliquod faciendum est de magisterio uniuscuiusque episcopi ordinario in proprios subditos.

21

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Pag. 30, linn. 4 s. « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones 1) *ex sese* et 2) *non ex consensu Ecclesiae* irreformabiles esse... etc. ».

Mihi videtur Concilium iure statuisse, sed non clare praesertim propter iuxtapositionem 1 et 2: quae potest dare locum huic falsae interpretationi. In 1: Papam solum esse infallibilem etiam contra oppositionem Ecclesiae; et in 2: Ecclesiam infallibilem opponi posse Papae infallibili.

Hoc nequidem cogitare licet. Hae duo infallibilitates, origine et subiecto diversae, non possunt opponi sed debent componi in una eademque infallibilitate. Illa cuius subiectum est Papa et quae habet originem ex promissione speciali facta

Petro. Altera qua gaudet Ecclesia in definiendo et proponendo et quae semper cum Papa consentiet.

Ergo, 1. *Ex sese* significat specialem infallibilitatem Papae a Christo provenire — et non *ex consensu Ecclesiae.*

2. *Non ex consensu Ecclesiae* significat infallibilitatem Ecclesiae a Papa *confirmari* cum quo unitur tamquam corpus suo capiti. Sed consensus Ecclesiae non debet considerari ut inutile et silentio praeteriri.

Iam dictum est infallibilitatem non esse quaedam inspiratio aut revelatio divina. Illa est assistentia specialis divina quae eximit ab errore sed non ab investigatione veritatis, scilicet a studio, et consultatione, aut aliis diversis mediis iuxta diversitatem temporum.

Quapropter Romanus Pontifex ut possit loqui ex cathedra et *confirmare* fratres suos non potest non inquirere de consensu Ecclesiae, eam consulendo sive in Conciliis, sive consiliis regionalibus aut nationalibus, aut aliis opportunioribus mediis sicut semper factum est usque adhuc. Papa solus non facit Ecclesiam; sed ubi est papa ibi est vera Ecclesia. Haec duo membra sunt inseparabilia tamquam caput et corpus, in una eademque infallibilitate.

Insuper, quum pastor et rector Ecclesiae *universalis* aut *oecumenicae* quam maxime optat *unitatem et caritatem* regnare in omnibus partibus Ecclesiae ubique terrarum dispersae, gratum et acceptum certo habebit unicum medium adhibere quod est consultatio Ecclesiae universalis, pro tempore, modo aptiori a divina Providentia prolato.

Quapropter, ad tollendam quamlibet aequivocationem quae a verbis iuxtapositis 1 et 2, in Concilio Vaticano adhibitis, salvo meliori iudicio, propono hanc emendationem cum verbis litteris maiusculis assignatis:

Pag. 30, lin. 5. « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit R. P. definitiones *ex sese* SCIL. EX SPECIALI ASSISTENTIA DIVINA ET NON EX CONSENSU ECCLESIAE, ita ut ab eius iudicio DISSIDENTES ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat ».

Haec emendatio non est *reformatio* sed *explanatio* textus Vat. I.

Animadversiones sunt ad mentem Gasser: Schem. Ecclesiae. Notis pag. 42, nn. 51-54.

22

EXC.MUS P. D. ALOISIUS M. DURRIEU
Episcopus Uahiguyaensis

Pars I: page 23, ligne 20: « necnon de Romani Pontificis infallibili magisterio... »; page 30, ligne 5: « ... ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles »...

La doctrine sur *l'infallibilité Pontificale* a été définie au Concile du Vatican I; il ne s'agit pas d'y revenir mais bien de la compléter en reprenant, d'ailleurs, ce qui fut explicitement dit et donné comme explication à ce même Concile.

Il faudrait profiter de l'exposé-ci pour trouver une formule complémentaire: la consultation de l'Eglise par le Pape, consultation qui précède la définition (et déjà codifiée dans Denzinger n° 1836), telle qu'elle s'est exercée déjà en ce qui concerne les deux dogmes Mariaux, pourrait être précisé et rendu obligatoire.

Le cardinal Tardini, ancien secrétaire d'Etat de S. S. Jean XXIII, dans la Conférence de presse sur le Concile disait (Documentation Catholique 1959, col. 1492):

« La véritable et unique cause efficiente de l'infaillibilité pontificale est l'assistance divine. Celle-ci pourtant ne confère pas l'omniscience au Pape, qui par conséquent est tenu à ne pas négliger les moyens de la recherche scientifique, sérieuse et prudente, pour porter son jugement ultime et définitif. Toute définition pontificale, par conséquent, est toujours précédée de tout un travail de profonde enquête sur l'enseignement divin conservé dans la Sainte Ecriture, dans la Tradition, dans le magistère de l'Eglise, dans la foi du peuple chrétien. Et voici l'opportunité d'interpeller les Evêques de l'Eglise Catholique ». Et le Cardinal prend ensuite en exemple les deux derniers dogmes sur la Vierge dans lesquels le Pape convoqua virtuellement un concile œcuménique sans lui donner la forme juridique.

Ainsi l'autorité du Pape dans le magistère Apostolique de l'Eglise n'apparaîtrait plus « séparée », mais bien « culminante ».

S'il est bien vrai, en effet, que cette infaillibilité ne « résulte » pas directement de l'accord du Pape avec le collège épiscopal, comme celle de ce collège résulte de son unité avec Pierre, il n'en reste pas moins vrai que l'infaillibilité du Pape, pas plus que sa personne et sa fonction, n'est « opposée » ou « opposable » à celle du collège épiscopal qui lui est uni, ou à celle du corps tout entier dont il est le Chef. Comme l'a écrit Mgr Elchinger (dans une note conjointe à un projet de schéma sur l'Eglise) c'est comme Tête du collège épiscopal, et on peut ajouter comme Chef de toute l'Eglise, que le Pape est personnellement infaillible.

Il est on ne peut plus *utile* et *souhaitable,* aussi bien pour l'ensemble des chrétiens, que pour nos très chers Frères séparés, de le rappeler explicitement.

D' ailleurs ce ne serait que reprendre ce qui a été formellement exprimé au Concile du Vatican I.

Après la courageuse intervention, le 18 juin, du cardinal Guidi, archevêque de Bologne, et l'émoi qu'elle provoqua dans l'enceinte du Concile (il y disait entre autres: « Facta, ubi moris est, inquisitione de traditione in aliis ecclesiis quoad veritatem definiendam, collatoque aliquando consilio cum pluribus vel paucioribus episcopis, iuxta rei gravitatem... » [Mansi, 52, 747, A]), une formule transactionnelle s'inspirant d'un amendement de Mgr Martin, de Paderborn (Mansi, 52, 94), fut élaborée par plusieurs et ajoutée au chapitre après avoir été adoptée.

Mais quand on en vint au canon qui définissait les conditions de l'infaillibilité personnelle, la Députation de la Foi, pour couper court aux subterfuges du gallicanisme, se refusa toujours à mentionner ce concours de l'épiscopat parmi les clauses et renforça, comme on sait, la valeur juridique de l'acte personnel du Souverain Pontife, en insérant, à la dernière minute, la formule qui devait déterminer la crise finale du concile et provoquer tant de méprises à l'avenir: « ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae ». (Formule reprise à nouveau dans notre schéma du Concile Vatican II).

Quoiqu'il en soit, le principe même d'une coopération de l'Episcopat, au moins antécédente, à l'exercice du Magistère suprême, y est reconnu.

C'est cette reconnaissance, *sous forme de complément, dont nous demandons l'explicitation* dans notre schéma du Concile Vatican II.

De collegio episcopali eiusque capite, page 27.

Primat romain et collège épiscopal sont d'institution *divine* et constitutifs de la structure irréformable de l'Eglise.

Vérités désormais pleinement et définitivement acquises et que le Concile Vatican II va mettre clairement et pleinement en valeur.

I. Aussi il est souhaitable que l'insistance marquée un peu partout où il est parlé du Souverain Pontife, et à tous sujets, en particulier page 27, lignes 10, 15, 23, 25, 35, donc 5 fois de suite dans la même page, et cela, uniquement pour marquer, manifester, insister sur la Suprématie du Pape dont personne ne doute plus, — soit beaucoup plus « modeste ».

Cette insistance paraît « maladive »! n'est plus de mise à notre époque, produit l'effet contraire souvent, à celui récherché...

Une fois bien établie — d'abord dans Vatican I, et présentement dans Vatican II, par exemple page 23, lignes 10 à 26 —, il est plus que désagréable de relire sans cesse ces répétitions.

II. Le Concile Vatican II complète donc la doctrine des prérogatives Pontificales, étudiée et définie par Vatican I, par une doctrine de l'épiscopat.

Cette doctrine, reprenant l'antique tradition, prend surtout la forme de celle de la collégialité épiscopale.

Ainsi s'amorce — sans à coups ni manifestations intempestives — le passage d'un régime tout monarchique et centralisé de gouvernement de l'Eglise, à un régime collégial, décentralisé et *mondial,* qui se complète par l'institution des Conférences Episcopales, comportant des pouvoirs réels.

Décentralisation absolument nécessaire et urgente — si on ne veut pas perdre le bénéfice des travaux missionnaires de ce dernier siècle — afin que la *foi* au Christ soit enseignée à chacun selon sa condition, les moyens de salut soient proposés d'une façon compréhensible à l'auditeur, le culte et la discipline ecclésiastique adaptés aux usagers.

Régime mondial, de par ailleurs « à la *tête* », en ce sens que des évêques venant de partout, d'horizons divers et de régions lointaines doivent désormais avoir la parole et l'initiative.

Aussi: I. Le « *Consistoire* » rétabli dans sa forme utile, c'est à dire de « Conseil » effectif, réel, vraiment utile, comportant la même liberté d'expression qui a été accordée au Concile Vatican II, devrait réunir, autour du Souverain Pontife, au moins annuellement — sinon deux fois par an — les représentants des Eglises des divers continents, élus par les évêques des différentes Conférences épiscopales nationales. Il serait une très précieuse source d'informations directes pour le Souverain Pontife; il aurait de larges attributions de conseil, voire même, si le Pape le juge opportun, de décision.

Aussi: II. La *Curie Romaine,* profondément remaniée dans sa forme, adaptée aux conditions du temps présent, devrait comprendre dans ses « Congrégations »: et des « *Directions* » spécialisées soit pour les diverses Eglises, soit pour les diverses « Grandes » matières; et du personnel vraiment qualifié (les Doctorats ou autres grades universitaires, s'ils ne sont pas à dédaigner, ne suffisent plus: le contact avec la réalité des situations exige beaucoup plus...), originaire surtout de ces mêmes Eglises dont ils auront à traiter les « affaires », qui n'hésitera pas à « aller sur place » au besoin, et enfin qui sera raisonnablement mais périodiquement changé de façon à ce que le contact avec les vraies réalités locales soit effectif. C'est d'ailleurs ce qu'on est obligé de réaliser présentement dans les divers mouvements d'Action Catholique: les aumôniers doivent être changés sans quoi ils ne « suivent » pas...

« Adaptée aux conditions du temps présent » avons nous dit. Ainsi soit-il de la « Sacra Congregatio de Propaganda Fide ».

Comme telle elle devrait disparaître. D'abord pour solutionner les difficultés suscitées à l'heure présente par les jeunes Eglises et les nouvelles Nations indépendantes... Mises sur le même pied que les autres Eglises de la chrétienté — n'ont elles pas des évêques résidentiels à leur tête et ne prétend-on pas « faire la Mission » aussi bien dans les Eglises des vieilles chrétientés que chez elles? Toutes susceptibilités disparaîtraient si tout le monde était mis sur le même pied.

Ensuite pour permettre l'établissement d'une Congrégation de l'Apostolat. L'idée en a été fort bien énoncée au Congrès Missionnaire de Lyon, à l'occasion du centenaire de Pauline Jaricot; congrès effectivement présidé par S. Eminence le cardinal Agagianian, Préfet de la S. C. de la Propagande, S. Eminence le cardinal Gerlier, archevêque de Lyon, S. Eminence le cardinal Gracias, archevêque de Bombay; idée exposée dans le discours de S. E. monseigneur Garrone, archevêque de Toulouse.

Et, comme conclusion, qu'il me soit permis de reprendre une idée exprimée par le R. P. Congar, expert au Concile: « Il y aurait donc, pour faire bref, transition de la Curie à l'Eglise, du centralisme passablement conservateur à cette paroisse du vaste monde, dont Jean XXIII aura été le bon Pasteur » et — j'ajoute — dont Paul VI est et sera sûrement aussi le même bon Pasteur.

23

EXC.MUS P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Le nouveau texte du schéma *de Ecclesia* constitue un progrès incontestable par rapport au premier projet. On pourrait cependant souhaiter une homogénéité plus exigeante dans la doctrine et une ouverture plus grande sur l'immensité du Mystère du Christ et de l'homme sauvé.

A - Ad caput primum

I - *Animadversiones generales.*

1. *Au sujet des « images » de l'Eglise.* En disant au n. 6 « De aliis Ecclesiae imaginibus », on semble considérer le « Corps du Christ » comme une simple image ou comparaison. Serait-ce parce qu'on considère d'abord l'Eglise comme une réalité juridique? C'est appauvrir la réalité de l'Eglise. L'Eglise n'est pas seulement pareille à un corps, elle est unie au Corps glorieux du Christ au point de *devenir* son Corps. Selon St Paul et St Jean, la rédemption s'est accomplie dans la personne même du Christ. Toute la rédemption a commencé et se termine en Lui. C'est Lui la rédemption. Et pour que la rédemption vienne à nous, il faut communier à la personne du Christ mort et ressuscité et recevoir de Lui une vie nouvelle. L'Eglise est l'ensemble de ceux qui deviennent le Corps du Christ.

2. *Au sujet de ceux qui font partie de l'Eglise.* Le contexte du schéma pour-

rait être interprété comme si ceux-là seuls appartiennent à l'Eglise — au Corps du Christ — qui vivent dans l'unité *visible avec le Pape* (cf. pag. 11, linn. 21-24; pag. 12, lin. 3).

Critique. Affirmer que l'Eglise catholique, la seule qui soit l'Eglise du Christ, ne s'étend pas au-delà de ses limites visibles, contredit plusieurs vérités assumées dans ce schéma:

1) Il est dit que l'Eglise du Christ s'étend de quelque manière sur tous les hommes (cf. pag. 7, lin. 24 et pag. 13 n. 1) du premier élu jusqu'au dernier.

2) Il est dit « Ubi Ecclesia ibi Spiritus » pag. 8, lin. 34. C'est une citation de St Irénée qui continue (cf. pag. 15, n. 6): « Ubi Spiritus, ibi Ecclesia ». Or l'Esprit et la grâce sont aussi donnés aux chrétiens de bonne foi, juridiquement séparés de Rome (cf. pag. 12, lin. 33).

3) Il est dit implicitement pag. 11, lin. 35, que les chrétiens de bonne foi, bien que séparés de Rome, peuvent être sauvés. Or seule l'Eglise du Christ qui est l'Eglise catholique est l'arche du salut.

4) Le baptême et l'eucharistie reçus avec foi et charité par un chrétien de bonne foi séparé de Rome, l'unissent au Corps du Christ. Or où est le Corps du Christ là est l'Eglise catholique.

5) Dans la note 22, pag. 17, on dit que tout baptisé est soumis aux lois de l'Eglise. Or on n'est pas soumis à la loi d'une société si on n'appartient pas à cette société.

Correction proposée. Ne pourrait-on pas dire, pag. 11, linn. 21-24, que l'Eglise « mère et maîtresse de tous les hommes », c'est l'Eglise catholique, régie par le Pape et le *collège des évêques* et qui se prolonge en tous les hommes de bonne volonté qui, par la foi et le baptême, sont unis au Christ et qui sont ainsi appelés à adhérer pleinement, dans une unité visible, à l'unique Eglise du Christ.

3. *Au sujet des relations de l'Eglise avec les non chrétiens* (cf. pag. 13, n. 10). Cette rédaction paraît nettement insuffisante. *Du point de vue théologique* le texte proposé reste individualiste et extrinsèque; il ne mentionne ni la solidarité de toute l'humanité avec le Fils de Dieu, si fortement affirmée par la tradition grecque, ni le rôle préparatoire positif des religions cosmiques. *Du point de vue pastoral* ce texte ne fonde pas assez l'action missionnaire de l'Eglise et n'oriente pas suffisamment le dialogue des chrétiens avec les païens, dialogue qui, dans notre monde pluraliste, va devenir de plus en plus urgent.

On pourrait peut-être proposer les éléments suivants:

1) L'Eglise est envoyée à tous les hommes, parce que tous sont déjà solidaires du Fils de Dieu fait homme et mort et ressuscité pour tous (cf. la tradition grecque et *Col.* 1, 15-20). Cette solidarité déjà réelle Dieu veut la réaliser totalement, attirant tous les hommes vers le Christ (omnes traham ad me). Cf. *1 Tim.* 2, 3-6.

2) Ainsi l'Eglise se construit dans l'humanité entière, et du dedans des cœurs par la grâce prévenante de Dieu, et du dehors par la prédication des apôtres qui convoquent toutes les nations pour en faire l'Eglise.

3) Mais les préparations évangéliques sont différentes:

a) Le peuple d'Israël qui était « l'Eglise chrétienne selon la chair ». Si Israël ne reconnaît pas encore que la vocation d'Israël s'est réalisée dans le Christ, « il reste cependant, selon l'élection, chéri à cause des Pères; car les dons de Dieu sont sans repentance » (*Rom.* 11, 28-29). En fait Israël garde des valeurs chré-

tiennes essentielles: la foi au Dieu vivant et aux promesses, la parole de Dieu dans l'Ecriture, etc.

L'Eglise doit donc aider Israël a reconnaître dans « le Christ issu de sa chair » le Messie-Seigneur, et à s'accomplir en lui pour le bien de toute l'humanité (*Rom.* 11, 15. 26).

b) Les peuples qui ne bénéficient pas encore de la révélation judéo-chrétienne, se trouvent encore à l'étape de l'alliance cosmique (Adam, Noé). En elles le Dieu provident et sauveur se manifeste à tous les hommes par les médiations religieuses du cosmos et de la conscience (cf. *Sap.* 13, 1-22; *Act.* 17, 24-28; *Rom.* 1, 19-21; etc. ... et tant d'affirmations des Pères). Ainsi les religions cosmiques, par lesquelles les hommes essaient de répondre à cette révélation cosmique et spirituelle de Dieu, ont une valeur prophétique et préparatoire en vue du Christ et de l'Eglise.

Sans doute à cause du péché inhérent à l'humanité, des déformations même sataniques peuvent se mêler à ces religions.

Mais dans toutes les valeurs vraiment religieuses de l'humanité l'Eglise reconnaît une préparation évangélique. Par son action missionnaire, elle ne veut pas détruire mais libérer, transfigurer et accomplir, comme le Christ est venu pour accomplir non seulement l'alliance mosaïque, mais l'alliance que Dieu a faite depuis le début avec l'humanité.

« Ita dilatata caritate, Ecclesia cor suum pandit... ».

II - *Emendationes vel additamenta proposita.*

Pag. 7, lin. 17, n. 2: adde « Aeternus Pater, *qui " elegit nos in Christo ante mundi constitutionem ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate " et " praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum "* (*Ephes.*, 1, 4-5), liberrimo... ». Huius additionis duplex est ratio: 1) ut ex aequo temperentur omnes revelationis aspectus; 2) ut omnium fidelium intellectu facile sit Aeterni Patris consilium.

Pag. 8, lin. 6, n. 3: ... faceret (cf. *1 Tim.* 1, 15) *et « adoptionem filiorum » eis praestaret* (*Gal.* 4, 5), *atque* filios Dei, qui... Hoc additamentum, ad optimam propositio cohaerentiam et ad doctrinam melius librandam.

Pag. 8, lin, 15, n. 3: ... Ecclesia *Dei* nuncupatur, *quam Pater benignus semper et efficaciter « vocat »* (*1 Thess.*, 2, 12), *et Ecclesia Christi,* quippe quam... Ut cum Filio et Spiritu Sancto Pater nominetur, atque ut melius appareat quod Deus semper et nunc Ecclesiam suam congregat.

Pag. 9, linn. 15-16, n. 5: ut non tantum *corporaliter* per sensibilia sacramenta... coniungamur sed ut *per ipsa spiritaliter* unum corpus fidelium... Loco « corpora nostra », quod male potest intelligi; et ad sanam sacramentorum notionem.

Pag. 9, linn. 34-40, n. 5: sermo recognoscatur, ut clarius eluceantur Christi et Spiritus Sancti partes.

Pag. 10, lin. 24, n. 6: ... gubernantur, *per illos* ab Ipso Christo...

Pag. 11, linn. 21-22, n. 7: ... Ecclesia catholica, a Romano Pontifice et *Episcoporum Collegio* directa, licet... Sic melius diceretur, quia hic agitur de universali Ecclesia.

Pag. 11, lin. 30, n. 7: ... et testis Christi Resurrectionis effecta (cf. *Act.* 1, 8) crucem et mortem eius annuntiat donec veniat (*1 Cor.* 11, 26; *2 Cor.* 4, 1-14).

Pag. 12, linn. 3-5, n. 8: In sensu pleno et perfecto Ecclesiae Christi incorpo-

rantur illi qui... fide et gratia Christo uniti, integram Ecclesiae ordinationem agnoscunt et in eiusdem compagine visibili...

Pag. 12, linn. 33-34, n. 9: ... qui non solum intra Catholicam (*ut visu ac specie secretam*) *donis et gratiis agat...*

B - Ad caput secundum

I - *Animadversiones generales.*

1. *Les évêques sont d'abord des missionnaires.* Dans le texte proposé, au n. 17, linn. 17 et ss., la fonction des évêques semble d'abord pastorale et administrative et cela par rapport aux chrétientés établies. On dit ensuite que cette fonction est également apostolique.

Le Concile du Vatican II ne devrait-il pas affirmer avec force la primauté de la fonction missionnaire des évêques? Par leur fonction propre, les évêques sont et doivent être les premiers « apôtres » de leur diocèse et de l'humanité, ceux qui maintiennent dans l'Eglise le dynamisme de la mission, de l'évangélisation.

Ce rappel du rôle premier des évêques dans le schéma « De Ecclesia » semble d'une grande importance: pour la conscience que l'Eglise a d'elle-même et l'orientation du Ministère épiscopal dans l'Eglise; pour les conséquences pratiques qu'il entraîne dans le choix et l'organisation des différentes activités de l'épiscopat et des évêques; pour l'orientation missionnaire de toute l'Eglise dans l'humanité d'aujourd'hui.

La p. 28 du schéma proposé devrait être rédigée dans cette perspective.

2. *Comment devrait être présentée la collégialité de l'épiscopat.* La collégialité de l'épiscopat est affirmée pour l'essentiel pag. 27, linn. 15-18, mais elle n'apparaît pas assez comme un *principe constituant* de l'Eglise. Reléguée aux nn. 16 et 17, la collégialité apparaît en quelque sorte « seconde », survenant subséquemment pour « relier » entre eux des « individus » qui auraient été constitués évêques chacun pour sa part.

a) Qu'on nous permette à ce sujet les observations suivantes:

1) Si la collégialité n'est pas quelque chose d'intrinsèque à l'épiscopat pris comme tel, il est proprement impossible de conserver un sens véritable à la « succession apostolique ». Cette succession, en effet, ne concerne chaque évêque qu'en tant seulement qu'il est agrégé à un « Corps épiscopal » authentique, car c'est le « Corps épiscopal » comme tel qui succède au « Corps apostolique » comme tel.

2) Si la collégialité n'est pas intrinsèque à l'épiscopat, on dénature le « sacerdoce chrétien », lequel est essentiellement un sacerdoce « organique », un « ordo », une « hierarchia », et, du même coup, c'est l'être même de l'Eglise qui est atteint.

Chaque évêque étant « suo modo » la tête de « l'Eglise particulière » qui lui est confiée, si l'épiscopat n'est pas essentiellement collégial, c'est l'unité de l'Eglise qui en subit le contrecoup. « L'Eglise » se brise alors en « églises » particulières, proprement « dissociées » les unes des autres et « ressoudées » seulement entre elles et extrinsèquement par le pastorat (dans ce cas, lui-même « individuel ») du Souverain Pontife.

Si au contraire l'épiscopat est essentiellement collégial, si donc chaque évêque le devient par agrégation à un « Ordo episcoporum », la réalité incontestable des

Eglises locales ou particulières ne peut plus briser l'unité de l'Eglise, et — car toutes les vérités reprennent du même coup leur pleine densité — le Souverain Pontife « redevient », ce qu'il est réellement, la clef de voûte de l'« Ordo episcoporum ». La cohésion de la voûte implique comme suprême moyen de solidification la présence efficace de la clef de voûte, mais celle-ci ne peut pas tenir toute seule en l'air, et si, sans elle rien ne tient, ce n'est pas elle qui « joint » entre elles les autres pierres, lesquelles, en s'épaulant mutuellement, se consolident de proche en proche jusqu'à recevoir de la clef de voûte la suprême consolidation sans laquelle tout s'écroulerait.

b) En conséquence, il y aurait intérêt à réformer l'ordre des nn. 13 à 17. Je me permets de proposer d'articuler le texte du schéma de la manière suivante:

N. 13: L'Eglise a à sa tête un corps épiscopal dans lequel il est essentiel qu'on distingue entre une Tête et un corps.

N. 16, linn. 1-10: La Tête est le successeur de Pierre. Le corps est formé de l'ensemble des « collègues épiscopaux » du successeur de Pierre.

N. 14: La succession épiscopale est une succession sacramentelle. L'épiscopat n'est pas un « sacrement individuel ». La consécration sacramentelle agrège le nouvel évêque à un épiscopat proprement organique et le place du même coup dans la cohésion nécessaire avec tous les participants de l'Ordo episcoporum et dans la subordination et la dépendance *intrinsèque* à l'égard de la Tête papale de cet Ordo.

N. 16, linn. 16 et ss.: les rapports entre la Tête et le corps épiscopal.

N. 17: les rapports des membres du corps épiscopal les uns avec les autres.

Nn. 18 à 21: des divers ministères du collège épiscopal et des évêques.

N. 15: le presbytérat et le diaconat. Le caractère organique du sacerdoce demeure à tous les degrés de la hiérarchie un caractère essentiel. Cette « organicité » définit aussi bien le lien des degrés hiérarchiques les uns avec les autres (cf. par exemple le « cooperatores ordinis nostri ») que l'interconnexion qui règne à l'intérieur de chacun de ces degrés. La conception « individualiste » du sacerdoce doit être corrigée. Il faut revenir à la vue traditionnelle d'un sacerdoce qui est de part en part un Ordo. Après l'avoir rappelé au niveau de l'épiscopat et après avoir ainsi posé à ce niveau le principe au nom duquel peut être neutralisé tout « individualisme épiscopal », on serait très fort pour rappeler ce même principe au niveau du presbytérat et donner ainsi le moyen de lutter plus efficacement contre l'individualisme parfois effréné qui règne au niveau du presbytérat.

L'obéissance des fidèles sera d'autant plus facilitée qu'on aura mieux montré comment le « concert hiérarchique » est dépouillé de tout arbitraire individualiste, en même temps qu'il est, jusque dans son pouvoir d'obliger les consciences, un « simple service » du Christ et une « simple fidélité » à l'inspiration de l'Esprit Saint.

II - *Emendationes.*

Pag. 26, linn. 2-3: recognoscenda est propositio: « in quos gratiam de sua paternae plenitudinis abundantia transfundunt », propter solitam significationem vocabuli « gratia », quippe quae in propositione sequenti assumitur, ex qua locutio « de sua paternae plenitudinis abundantia transfundunt » falsa efficitur. Dic: « in quos *sacerdotalis charismatis participationem* de sua... ».

Pag. 31, n. 20 bis: additio aliqua proponitur: « Munere docendi et pascendi gregem Dei, episcopus, una cum cooperatoribus suis presbyteris, iisque praesertim quibus conceditur stabile pastorale munus, in primis fungitur cum in sacra synaxi eucharistica congregationi Ecclesiae localis fidelium praesidet. Hic enim Ecclesia apostolica verbi divini praedicatione congregatur, ita ut una fiat oratione fidei quae unum corpus efficitur incruenta divini sacrificii oblatione in sacra communione consummata. Hic igitur, uno Spiritu effuso in cordibus cunctis, apostolicum ministerium divina caritate in unum omnes filios Dei peccato dispersos congregans inter se simul ac cum Deo Patre in corpore Christi reconciliat. Hic ergo munus et functio episcopalis ut aedificandi totum populum sanctum Dei in amore divino, verbo Dei sacramentisque Christi, maxime refulget, sicut in celebratione sanctae Missae Ecclesia non modo visibiliter apparet in sua sancta catholica unitate sed etiam in re una efficitur in omnibus sacra coniunctione cum Capite suo caelesti ». Haec additio proponitur: 1) ut melius intelligatur momentum muneris episcopalis in Ecclesia locali, ac simul coniunctionis cum eo aliorum ministeriorum; 2) ut clarius fiat munus episcopale non esse praecipue administratoris sed pastoris, ut doctoris et pontificis; 3) ut aliquid habeamus dicendum positivum pro theologis orientalibus qui dicunt Ecclesiam esse congregationem in fide et sacramentis fundatam prius quam societatem iuridicam.

24

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI
Episcopus Meerutensis

Nisi clare dicatur quid genus humanum amiserit per peccatum Adae, clare non patebit quid idem genus humanum per Christum, novum Adam, acquisierit. Hae voces « salus, redemptio, vivificatio » pastoraliter haud multum significant, nisi dicatur a quonam morbo, a quanam servitute, a quanam morte liberati sumus.

Ideoque aliquae mutationes suggeruntur in eodem schemate, quae, claritatis gratia, sublineantur.

In capite I schematis.

N. 2, lin. 19, saltem hoc addendum esse putamus « ... eosque *miserrime* lapsos et *mortuos* in Adamo etc. ».

N. 3, lin. 19, « Congregatio eorum qui, *sub ductu legitimorum pastorum,* in Iesum Christum... etc. ».

N. 4, lin. 27, deleatur expressio « *in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem* ». Textus citatus (*Eph.* 2, 18) male interpretatur. Accessum habemus ad Patrem (non per Spiritum Sanctum) sed per Filium in Spiritu Sancto.

N. 8, pag. 12, lin. 3, « Reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati *plene* incorporantur etc. ». Ratio est quia sicut dicitur in hoc eodem cap. I, n. 7, lin. 7 « Societas visibilis (Ecclesia) et mysticum Christi Corpus, non duae res sunt sed una tantum ». Cum res ita se habeant, ita ratiocinari oportet: Per validum Baptismum homines fiunt membra Corporis Christi mystici. Atqui Protestantes et Schismatici habent validum Baptismum. Ergo per ipsum fiunt quodam reali modo membra Corporis Christi mystici, ideoque Ecclesiae Christi quamdiu in bona fide sunt, sed certe non incorporantur *plene* Ecclesiae societati.

25

Exc.mus P. D. SALOMON FERRAZ

Episcopus tit. Eleuthernensis

Ad n. 16, in pag. 27. Si prae oculis habeantur ea quae « De episcopatu » dicenda Concilium Vaticanum I intenderat, ad complendum et aliquatenus temperanda ea quae Romani Pontificis primatum et infallibilitatem definiverat; nec non illa quae, per hos ultimos annos, a plerisque, et non infimae notae theologis, de hac materia, discussa, divulgata et ipsi Concilio Vaticano II proposita sunt, non videtur haec pars schematis, in totum, huiusmodi optatibus respondere.

Hinc nobis videtur necessarium: plenius declarare naturam et functionem episcoporum in uniuscuiusque sua ipsorum dioecesi, ita ut declaretur expresse: eorum habitudinem ad Romanum Pontificem non esse mere alicuius instrumenti seu Pontificis delegati, sed ordinaria, plena et immediata iurisdictione gaudere, personaliter, quamvis sub ductu eiusdem Romani Pontificis, qui etiam eadem, ut caput quod est, gaudet.

Haec doctrina nobis videtur bene fuisse expressa ab episcopatu brasiliensi in « *Plano de emergencia* » pag. 28: hoc modo: « Presbyter participat plenitudine sacerdotali episcopi. Relatio, itaque, sacerdotum cum suo episcopo non debet esse, tantum, alicuius merae submissionis cuidam superiori auctoritati; sed alicuius verae communicationis cum sacerdotio integrali seu totali. Haec autem communicatio non fit, dumtaxat, directe et personaliter, sed communitario seu collegiali modo. Sacerdotium, participate vel limitate, complete vel incomplete a presbyteris exercitum, unitur et integratur cum pleno sacerdotio episcopali, et, per illud, cum ipso sacerdotio unico transcendenti et absoluto, sacerdotio Christi. Similiter episcopi participant collegio episcopali, quod, in sua unione cum Christi vicario, infallibilitatem doctrinae possident et Ecclesiae universalis nec non mundi evangelizationis responsabilitatem assumunt.

Sic opportunum nobis videtur quod Concilium aliquid dicat quamvis sine stricta definitione, circa quaestionem, a saeculis agitatam, et nondum diremptam, de hac divina iurisdictione episcopali, immediate, a Deo per consecrationem episcopalem, a Deo immediate recepta, tamquam veri apostolorum successores, una cum Romano Pontifice et sub eodem, tamquam capite, exercenda, sive universaliter in Conciliis Oecumenicis; sive regionaliter, per orbem diffusi per designationem eiusdem Pontificis Romani.

Hinc etiam sequitur, respectu Curiae Romanae, maiori auctoritate episcopos gaudere posse, et etiam plus dignificari ab officialibus inferioris quam episcopalis ordinis, cum humiliter ad illos accedunt, facultates petituri quae, antiquitus, ab iisdem episcopis, soli suae potestati innixi exercebantur.

26

EXC.MUS P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI

Episcopus Fukuokaensis

Pars I.

Hoc schema pulcherrime elaboratum mihi valde placet. Paucae tantum animadversiones infra submittuntur.

Pag. 13, n. 10, lin. 21: in initio lin. 21, post verba « non locupletantur », optandum est ut verba sequentia vel similia addantur: « nec thesauris gratiarum per sacramenta Christi dispertitarum frui possunt ».

Pag. 27, n. 16: de collegio episcopali eiusque capite:

I animadversio: in lin. 12, loco verborum « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem », proponitur ut, claritatis causa, scribatur: « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se et " independenter ab actione communi cum aliis episcopis " (Mansi, t. 52, col. 1109 D), " supremam " (Mansi, t. 52, col. 1203 D), plenam et universalem potestatem ».

II animadversio: in lin. 26, semper claritatis causa, puto satius esse addere verba « et dependentia », post verbum « auctoritate ». Additione facta, textus legitur: « ... sub eius suprema auctoritate et dependentia... » (Per S. P., episcopi potestatem recipiunt: Pius IX, *Quartus Supra, A.S.S.*, 7, pag. 253).

Praeterea, ad omnem ambiguitatem removendam vel saltem vitandam, suadendum est ut clare dicatur plenitudinem potestatis collegii episcopalis partialem tantum esse, eo sensu quod saltem quoad tempus et materiam limitatur; plenitudo autem potestatis Romani Pontificis non sic limitatur.

De his distinctionibus videri potest: Marie-Rosaire Gagnebet, o.p., *Juridiction collégiale du Corps Episcopal*, in *Divinitas*, 1961, pp. 480-482. Legi etiam possunt citationes multae, quae inveniuntur in Nota 172.

III animadversio: in fine lin. 30, proponitur ut verba « Vi eius supremae auctoritatis apostolicae » verbis « Romani Pontificis » anteponantur. Ratio est: ut manifeste appareat haec praerogativa Summi Pontificis non esse ei tributa ex hominum benevolentia vel concessione. Sic, natura huius praerogativae clarius definitur.

Textus in quibus, *aliquo modo*, agitur de natura huius praerogativae: Ioannes XXIII, Epistula *Mirabilis Ille, L'Osservatore Romano*, 8 febr. 1963: « Necessarium etiam erit, ut quae in Concilio constituta fuerint, postremo a Summo Ecclesiae Pastore comprobentur, e cuius apostolica auctoritate tandem decreta omnia vim legis haurire debebunt »; Leo XIII, Epistola Encyclica *Satis cognitum*, 29 iun. 1896, in *C.I.C. Fontes*, vol. III, n. 630, p. 492; Mansi, 53, col. 310 C-D.

Pag. 23, n. 11, lin. 24: notatur verbum « coryphaeum » inveniri etiam in: Leo XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum*, id., n. 630, p. 491.

27

Exc.mue P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

In cap. II, n. 19 (De episcoporum munere docendi).

1. Reverendissimis Patribus conciliaribus non ignotam esse credimus historiam, quam in Actis C. Vaticani I videre licet,[1] laboriosae et per integros menses protractae elaborationis formulae definitoriae infallibilitatis Romani Pontificis.

Praeter apertam oppositionem, ob diversas causas, non paucorum Patrum huic definitioni, inter ipsos eiusdem defensores, etsi concordes in substantia doctrinae, non facile erat consensum invenire, circa formulam concretam ad hanc doctrinam definiendam.

Primae difficultati ansam dedit formula ab aliquibus Patribus proposita, in qua dicebatur R. Pontificem infallibilem esse, cum definit « quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *de fide* tenendum vel tamquam fidei contrarium reiiciendum sit ».[2]

Praeterquam quod haec formula verbalis *de fide tenendum* a Magisterio Ecclesiae in suis definitionibus raro adhiberi solet,[3] plures Patres praedictam formulam reiciebant hac moti ratione: cum inter non paucos theologos recentiores opinio invaluisset, non omnes definitiones infallibiles magisterii credendas esse de fide, quin de hac opinione ullum pro tunc iudicium vellent proferre, timebant Patres, ut verbis utar unius ipsorum antesignani, « ne fideles... hanc (infallibilitatem) ad illas definitiones referant, quibus fides divina praescribitur, adversarii autem infallibilitatis huiusmodi exclusivam interpretationem pervulgent ».[4]

Inde, in *Deputatione pro rebus ad fidem pertinentibus,* ab ipso Concilio constituta ad emendationes Patrum perpendendas, formula praedicta unanimi tandem consensu reiecta est, et formula primitiva, quae definitiva devenit, approbata, scil.: R. Pontificem infallibilem esse cum « doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam (omissis verbis *de fide*) definit ».

Ideo intelligere non valemus qua de causa, in cap. II, n. 19, lin. 8, nostrum schema, relicta formula a C. Vaticano I approbata, denuo redeat ad illam reiectam, dicens: R. Pontificem Doctorem esse infallibilem Ecclesiae universalis, « quando aliquam veritatem *de fide* definit ».

Praeter id quod iam supra notavimus, hanc formulam verbalem raro omnino inveniri in definitionibus magisterii; [5] quid in casu nostro significari intenditur?

---

[1] Apud Mansi, tom. 52, col. 723-1334; tom. 53, col. 240-286.

[2] Mansi, tom. 53, col. 255.

[3] Generatim doctrina definita simpliciter affirmatur, praemissis, vel non, verbis: *docemus, profitemur, credimus, definimus...,* ut videre est in capitibus Conciliorum Lateranensis IV, Tridentini, et Vaticani I; et errores damnantur formula: *anathema sit.*

[4] Mansi, tom. 53, col. 282-283.

[5] Verum est in theologia traditionali saepe loqui de doctrinis ab Ecclesia definitis tamquam de fide; sed his verbis non aliud significare intendebant theologi, nisi doctrinas propositas esse modo definitorio seu infallibili. Doctrina vel propositio de fide, et doctrina vel propositio infallibiliter definita, apud omnem theologiam traditionalem, idem

R. Pontificem infallibilem non esse nisi cum doctrinam definit in deposito revelationis, independenter ab ipsa definitione magisterii, expresse seu formaliter contentam?

2. Cum praecedenti aliquo modo connexa, et non minoris momenti, est historia formulae Vaticanae de obiecto seu extensione infallibilitatis Pontificiae.

Cum *schema constitutionis de Ecclesia Christi* iam confectus et Patribus traditum esset, a die 21 ianuarii 1870, in quo obiectum seu extensio infallibilitatis Ecclesiae sufficienter determinata erant, pars maior, quae tandem unanimitas devenit, Patrum *Deputationis fidei* existimabant et melius et expeditius esse, infallibilitatis R. Pontificis obiectum seu extensionem definire per respectum ad infallibilitatem Ecclesiae — quae quidem infallibilitas Ecclesiae nullam in Concilio oppositionem suscitabat — i. e., asserendo simpliciter, hoc obiectum seu extensionem infallibilitatis Pontificiae eadem esse ac illa determinata pro infallibilitate Ecclesiae. Hac ratione, spes erat eliminandi novas discussiones et occasiones, quibus profiteri possent adversarii infallibilitatis Pontificiae, ad ulteriores promovendas difficultates seu dilationes. Iuxta hoc propositum, formula elaborata est a *Deputatione fidei,* die 2 maii 1870, in qua declarabatur: « R. Pontificis infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur ».[6]

Et haec formula, post varias discussiones et verbales correctiones,[7] a Concilio approbata et promulgata est, die 18 iulii 1870, his terminis: « Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem... ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit ».

Verum, si haec formula definitionem infallibilitatis Pontificiae faciliorem reddere potuit, illud habebat inconveniens, quod ipsi quaestioni de obiecto seu extensione eiusdem infallibilitatis responsum directe non dabat, sed potius hoc procrastinabat, seu ad aliam occasionem remittebat. Ad quaestionem: quae sit infallibilitas R. Pontificis vel quae eiusdem extensio, Concilium respondet: eaedem quibus gaudet Ecclesia. At si rursus quaerimus: quae sit infallibilitas Ecclesiae vel eiusdem extensio, Concilium responsum non dat. Nam illud quod dare intendebat, immo quod paratum iam habebat, ob notam eius ex causis externis suspensionem, nec definitive approbare nec promulgare potuit. Unde ipsa R. Pontificis definita infallibilitas incompleta et quasi pendula remansit.

Et hanc deficientiam vel hanc absentiam debitae responsionis, in Concilio Vaticano I, supplere, inter prima proposita huius Concilii Vaticani II computandum esse putamus.

Forsan dici poterit, laudatum responsum datum iam esse a tota theologia catholica. Certe, doctrina fuit semper, permanens et moraliter unanimis, huius theologiae catholicae, consona cum doctrina et praxi Magisterii,[8] obiectum infalli-

---

sonabant. Neque alia fides agnoscebatur in illa theologia traditionali, nisi fides divina vel divino-catholica. Fides, sic dicta, *ecclesiastica* primo inventa est a quibusdam theologis anno 1664, occasione haeresis iansenisticae; neque in tota serie documentorum dogmaticorum Magisterii, usque ad praesentem diem, mentio ulla fit talis suppositae fidei ecclesiasticae.

[6] MANSI, tom. 53, col. 240-244.

[7] MANSI, tom. 53, col. 240-286.

[8] Ut unum saltem textum exhibeamus, sequentem sumimus ex encycl. *Humani generis*: « Hoc sacrum magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima

bilitatis Ecclesiae tantum patere, quantum patet depositum revelationis, nec solum circa ea quae in dicto deposito explicite seu formaliter apparent, sed circa ea etiam quae in ipso nonnisi implicite seu virtualiter continentur, id est circa ea omnia, quae cum formaliter revelatis necessario nexu interno connexa sunt.

Et haec doctrina, non solum a theologis docetur ut certa omnino et proxima fidei, sed et non paucis videtur iam de fide, utpote a magisterio ordinario universali definita. Deest tamen definitio solemnis Concilii oecumenici, ad omne dubium tollendum, et ut decet complemento debito definitioni solemni Concilii Vaticani I.

Unde attentis omnibus supra dictis, approbationi huius sacrosancti Concilii oecumenici sequentes emendationes, in schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* reverenter subiicimus:

a) in cap. II, n. 19, lin. 8: verba « *de fide* » tollantur;

b) in cap. II, n. 19, lin. 40: post verba « Concilium ea infallibilitate pollet qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo doctrinam de fide et moribus instructam esse voluit », addatur: « Obiectum autem huius revelatae infallibilitatis Ecclesiae hac sacrosancta Oecumenica Synodus profitetur et docet: tantum patere quantum revelationis patet depositum, et eiusdem custodiendi et explicandi seu enucleandi officium, unde tam in veritatibus in se aut expresse in ipso deposito contentis, quam in veritatibus cum his necessario connexis definiendis, et oppositis erroribus supremo iudicio damnandis, magisterium Ecclesiae, ex assistentia Spiritus Sancti, infallibile esse declaramus ».

3. Nonnulli textus prae oculis habiti pro redactione nostrae emendationis in cap. II, n. 19, lin. 8.

Textus sumimus tantummodo ex Actis Concilii Vaticani II, ut doctrina appareat, quam illi Patres conciliares, de obiecto seu extensione infallibilitatis Ecclesiae, definire parati erant.

Notandum est, inter plures quam 700 Patres, et plures quam 600 emendationes ab ipsis propositas primitivo *schemati constitutionis de Ecclesia,* vix quinque vel sex Patres, et aliquos dubios cum eorum mens non clare appareat, contrarios se exhibere doctrinae communi quam statim videbimus. Unanimitas, non iam moralis sed fere mathematica, circa hanc doctrinam, multo maior fuit, quam circa doctrinam de infallibilitate R. Pontificis. Concors tamen unanimitas circa substantiam doctrinae, non paucas admisit varietates circa eiusdem verbalem redactionem, prout nunc videbimus.

In cap. IX primi schematis de Ecclesia Christi, ubi agitur de infallibilitate Ecclesiae, dicitur: « Obiectum igitur infallibilitatis (Ecclesiae) tantum patere do-

---

et universalis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei... et custodiendum et interpretandum concredidit... Deus Ecclesiae suae magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac veluti implicite continentur ».

Iuxta Divum Thomam (*In IV Sent.* d. XIII, q. 2, a. 1), *contineri implicite* dicitur de conclusione theologica: « Et quia quaedam sunt quae in fide Ecclesiae implicite continentur, ut conclusiones in principiis... ». Idem S. Doctor (*Quodl.* 9, a. 16), ubi quaerit, quibus in rebus Ecclesia sit infallibilis, respondet: « in iis quae ad fidem pertinent »; et (II-II, q. XI, a. 2) addit: ad fidem aliquid pertinet dupliciter, « uno modo directe et principaliter, sicut articuli fidei; secundo modo indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius articuli; et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides ».

cemus, quantum fidei patet depositum et eius custodiendi officium postulat » (Mansi, tom. 51, col. 543).

Et in capite respondente eiusdem schematis reformati dicitur: « Quam late autem patet Ecclesiae munus docendi supremum, tam late extenditur divinum donum, quod docentem fallere non sinit. Quamobrem damnanda est eorum opinio, qui nonnullis Ecclesiae definitionibus mentis assensum non deberi affirmant, propterea quod de rebus statuunt, quae per se ipsae in revelationis deposito non continentur» (Mansi, tom. 53, col. 313-314).

Pari modo, in schemate primitivo, canone IX, haec profertur damnatio: « Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur ut revelationis depositum integrum custodiatur; anathema sit » (Mansi, tom. 51, col. 552). Auctores huius canonis, cum infallibilitatem Ecclesiae videntur extendere etiam ad ea quae in divina revelatione non continentur, sine dubio intendebant dicere: non continentur *per se ipsa* aut *formaliter*; sed locutione minus accurata utuntur, ab aliis Patribus, ut videbimus, correcta, et ab ipso canone reformato.

In eodem canone IX schematis reformati, eadem damnatio ita exprimitur: « Si quis dixerit, Christi Ecclesiam sive credendo sive docendo a vera fide deficere posse, aut certe in aliis nullis, quam in iis, quae per se ipsa in verbo Dei continentur, ab errore immunem esse; anathema sit » (Mansi, tom. 53, col. 316).

Transcribimus alias redactionis formas eiusdem canonis ab aliquibus Patribus propositas:

« Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem non extendi ad ea omnia quae sunt cum revelatione coniuncta, et necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum servari possit; anathema sit ». Haec formula proposita fuit a Cardinali Pecci — postea Leo XIII — cum aliis octo Patribus (Mansi, tom. 51, col. 862-863).

« Si quis dixerit, Ecclesiam errare posse quando definit aliquid esse credendum tamquam a Deo revelatum, aut a verbo revelato deductum; anathema sit » (Mansi, tom. 51, col. 852-853).

Alia formula proposita, ne ansa detur protestantibus accusandi Ecclesiam catholicam, quod aliquid proponat credendum, minime contentum in deposito revelationis: « Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem restringi solum ad ea quae *directe* in divina revelatione continentur, non vero etiam extendi ad omnia quae cum veritatibus revelatis ita connexa sunt, ut indirecte in verbo Dei contineri dici debeant, cum sine illis revelationis depositum integrum custodiri nequeat; anathema sit » (Mansi, tom. 51, col. 854).

Hoc studium affirmandi, omnes veritates ab Ecclesia definiendas, aliquo modo, vere contineri in deposito revelationis, invenitur in multis Patribus; sic, e. g.:

« Adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Ecclesia pollet... ambitu suo complecti ea omnia quae, sive expresse sive implicite, directe vel indirecte, continentur in verbo Dei revelato... conveniunt autem (theologi) dicentes Ecclesiam aliquid docere posse, quod a revelatione directa aut indirecte eruitur » (Mansi, tom. 51, col. 813).

« Veritates mediate vel immediate revelatae definiantur tamquam de fide » (Mansi, tom. 51, col. 814).

« Obiectum igitur infallibilitatis tantum patere docemus, quantum patet ipsum fidei depositum cum omnibus suis necessariis sive positivis sive negativis relationibus; adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi Ecclesia pollet, ambitu

suo complecti tum universum Dei verbum, tunc conclusiones omnes et facta, quae ipsius Ecclesiae iudicio aut directe aut indirecte, aut positive aut negative necessario cum ipso verbo Dei revelato nexu colligantur. Ratio est; cum cuilibet Ecclesiae definitioni debeatur fidei assensus, hic autem supponit revelationem a Deo factam, exprimendum erat omnem Ecclesiae definitionem aliquo modo circa ipsam Dei revelationem versari ». Hanc emendationem signabat card. Trevisanato cum aliis 13 Patribus (Mansi, tom. 51, col. 821).

« Quoad obiectum infallibilitatis tantum dicere: ambitu suo complecti tum verbum Dei revelatum, tum indirecte omnes veritates, conclusiones et facta, quae ita cum illis connectuntur, ut error in iis... tendat ad corrumpendam fidei integritatem » (Mansi, tom. 51, col. 821).

« Addendum... post *custodiendi officium* verbum *necessario...* loco *quod licet in se revelatum non sit*, melius diceretur: *quod licet explicite et diserte* (directe?) *revelatum non sit* » (Mansi, tom. 51, col. 822).

Similiter alii multi Patres. Unum addamus: « Quare docemus... obiectum infallibilitatis tantum patere, quantum patet fidei depositum et postulat officium huius depositum custodiendi, adeoque infallibilitatis dotem, qua Ecclesia pollet, ambitu suo complecti universum verbum Dei revelatum, et ea omnia quae licet in se directe revelata non sint, tamen nexu adeo intimo cum veritatibus revelatis connectuntur... ut indirecte revelata sint dicenda » (Mansi, tom. 51, col. 892).

Prout apparet, igitur, etsi formulis diversis, et verbis plus minusve accuratis seu theologice praecisis, Patres conciliares Concilii Vaticani I eamdem substantialiter doctrinam affirmabant: extensionem, scil., infallibilitatis Ecclesiae ad omnia cum deposito revelationis necessario connexa, seu in ipso implicite seu virtualiter contenta. Unde, etsi formula nec plene discussa et determinata nec, ob Concilii suspensionem, promulgata fuerit, haec concors catholicorum antistitum sententia, maxime in Concilio oecumenico congregatorum, *per semet ipsam,* prout dicitur in constitutione apostolica *Munificentissimus Deus,* certum ac firmum nobis praebet argumentum de veritate doctrinae, et de eiusdem in deposito revelationis continentia.

Cum aliunde, et ut iam supra dictum est, solemnis huius doctrinae definitio complementum necessarium sit solemnis definitionis infallibilitatis Pontificiae, nihil restat nisi ut operi Concilii Vaticani I, quod tamen ipsum perficere non potuit, hoc Concilium Vaticanum II quasi ultimam manum imponat.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH GORI

Episcopus Nepesinus et Sutrinus

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* Pars I, cap. II de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu: n. 15, pag. 26, linn. 39-41: videtur opportunum tollere: « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

29

EXC.MUS P. D. CAROLUS P. GRECO

Episcopus Alexandrinus

Pars I: placet. Opinor diaconos, de quibus agitur pag. 26, ad linn. 28-41, lege caelibatus non esse adstringendos.

Pars II: placet iuxta modum. Non videtur adesse claram distinctionem inter Corpus Christi reale et physicum, et corpus mysticum Ecclesiae.

30

REV.MUS P. D. KILIANUS HEALY

Prior generalis O. Carm.

In cap. II, de constitutione hierarchica.

Inter ea, quae a nostro Concilio ardentissime expectantur, absque dubio computatur clara enuntiatio auctoritatis Episcoporum collatae cum auctoritate Romani Pontificis. Quod thema si bene solvatur, et quidem ita ut manifesto appareat primatu Romanae Cathedrae potestati aliorum episcoporum nihil detrahi, immo potius hanc magis magisque splendescere, si hoc obtineatur, magnum reconciliationis obstaculum ex parte fratrum orientalium separatorum et fortasse multorum quoque sincere catholicorum angustiae dissipabuntur.

Haec est manifesta intentio schematis Concilio propositi *de Ecclesia,* cap. II, in cuius prooemio commemoratur et sollemniter renovatur Vaticani I definitio de primatu et praerogativis Romani Pontificis et « in eodem incepto pergens, inquit, doctrinam de episcopis profiteri et declarare constituit ». In quo sane plurima optima proferuntur, sed unum continet meo iudicio penitus emendandum, illud nempe praecipuum unde summa episcoporum dignitas cum primatu Romani Pontificis componi censetur, conceptio, inquam, *collegii episcoporum,* cui maximae hierarchiae praerogativae, et imprimis infallibilitas, radicaliter convenirent, ut inde ad Summum Pontificem utpote collegii caput pertransirent.

Contra hanc conceptionem loqui cupio, alia explicatione proposita, quae, ut existimo, fonti Sacrae Scripturae simplicius adhaerens, Summi Pontificis praerogativas plenius custodit et episcopos quam maxime ei propinquos exhibet.

Super dogmate primatus romani iam pridem definito duae superstrui solent explicationes, sibi mutuo adversae, quarum prior duas potestates specifice diversas intrudit, altera vero unam ponit summam potestatem quae radicaliter conveniat collegio episcoporum, consequenter vero eius capiti. Iuxta primam theoriam Romanus Pontifex potestatem habet sibi peculiarem, quae secum ferat universalitatem et infallibilitatem, adeoque specifice differat a potestate aliorum episcoporum, quae ad Ecclesiae partes restringitur et ex se sola est defectibilis. Altera theoria Romano Pontifici nullam tribuit potestatem peculiarem, ut autem nihilominus infallibilitatem illi ascribere valeat (quod certe necessarium est ex definitione Vaticani I) recurrit ad collegium, ad quod omnes episcopi pertineant. Romano Pontifici id denique tandem proprium agnoscit, quod propter S. Petri successionem sit conna-

turalis collegii praeses, unde infallibilitatem collegii nonnihil magis quam ceteri episcopi exerceat. Quae duae explicationes, ut patet, ad invicem ita se habent, ut prior dignitatem Romani Pontificis maximopere extollat sed aequali proportione distantiam inter eum ceterosque episcopos augeat; altera vero episcoporum dignitatem quodammodo exaltet, pontificiam autem deprimat. Nunc autem schema nobis propositum inter duas explicationes anceps haerere videtur: dum enim Romani Pontificis praerogativas ex Vaticano I absolute commemorat, priorem explicationem commendare, quod vero collegium episcoporum effert, altera inspirari videtur. Plures utique huius theoriae attenuationes interserit, sed fortasse parum logice excogitatas.

His de ratione schematis animadversis, liceat mihi aliam explicationem proponere quae veritatibus dogmaticis stricte servatis scopo Concilii melius inservire videtur.

Meminerint, quaeso, Concilii Patres, in regimen Ecclesiae duplicem divinam virtutem operari: potestatem sacramentalem et assistentiam Spiritus Sancti; potestatem quidem quae communicatur collato sacramento Ordinis in tota ipsius plenitudine, ita autem communicatur ut sacramentum recipientibus (episcopis), perpetuo inhaereat; assistentiam vero ab ipso Deo exercendam, quae rebus Ecclesiae indefectibilitatem diversis gradibus confert. Quapropter infallibilitas non est pars potestatis sed divinae assistentiae fructus. Quae quidem assistentia operatur utique in episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, sed intuitu Ecclesiae, prout est Sponsa quam Christus dilexit, nimirum prout consistit fidelium universitate.

Cum igitur omnes episcopi recipiant unam eandemque consecrationem episcopalem (minime excepto Romano Pontifice qui virtutem sacramenti accepit quando episcopus factus est), propterea ad potestatem quod attinet omnimoda paritas inter omnes viget. Quod vero attinet ad divinam assistentiam, non est potestas hominibus inhaerens, sed in eis nihil aliud dari potest nisi pignus (vel ius vel titulus) magis vel minus certum propter divinas promissiones. Iuxta quas pignus certissimum est prout pastorum auctoritas respicit universalem Ecclesiam, non est adeo certum prout pastorum auctoritas tantummodo partem eiusdem respicit. Enimvero Ecclesia universalis vere et indefectibiliter est Sponsa Christi cum qua ipse Christus erit usque ad consummationem saeculi, singulae vero partes deficere possunt, quia de nulla earum exstant peculiares Christi promissiones.

Patet igitur quomodo instituenda sit Romani Pontificis et ceterorum episcoporum collatio: Praemisso quod inter eos est omnimoda paritas quantum ad potestatem sacramentalem, differentia maxime consideratur quoad pignus divinae assistentiae unde provenit infallibilitas. Haec autem differentia fundamentaliter pendet ex eo quod Romanus Pontifex per se et directe respicit universalem Ecclesiam, cum sit successor S. Petri, in quo fundata est Ecclesia (*Mt.* 16), qui confirmare iussus est ceteros apostolos (*Lc.* 22), cui pascendi commissi sunt et agni et oves (*Io.* 21); ceteri vero episcopi potius restringuntur in munere ordinario ad totidem Ecclesiae partes, propter apostolorum et episcoporum pluralitatem, quorum unusquisque activitate aliorum limitatur; quamquam etiam ceteri episcopi habent quandam missionem universalem immanentem (prout omnia substantialia in Ecclesia Christi unitate et universalitate ornantur) et insuper aliam universalitatem occasionalem (ut ita dicam), si quando omnes in unum congregentur et ita omnes simul universalem Ecclesiam alloquantur, ut fit in concilio oecumenico, servatis utique

servandis, servata imprimis communione cum Romano Pontifice, qua unitas et universalitas verificantur.

Ni vehementer fallor, hac ratione efficacissime obtinetur quod a nostro Concilio potissime exspectatur. Praerogativis Romani Pontificis plenissime custoditis et vitatis superstructuris quae ex fontibus difficulter vindicari possunt, propinquitas Romani Pontificis et ceterorum episcoporum tantopere urgetur ut magis vix possit; siquidem potestas sacramentalis una eademque affirmatur, et omnibus episcopis aliqualis missionis universalitas agnoscitur, unde etiam aliqualis participatio in infallibilitate commode explicatur. Ut equidem puto, cuilibet compertum erit episcoporum dignitatem hac via primatu Romani Pontificis nullatenus obscurari sed potius magis magisque splendescere, quod reapse nunc in Concilio experimur.

In schemate nobis proposito maxime displicet quod idea collegii episcoporum tantopere extollitur, quamquam libenter agnosco plura incommoda a redactoribus sollicite attenuari. Dicitur ab initio (num. 16): « Sicut in Evangelio, statuente Domino, S. Petrus et alii apostoli unum collegium apostolicum constituunt, eadem ratione successor Petri, Romanus Pontifex, et episcopi, successores apostolorum, inter se coniunguntur ». Quonam fundamento hic collegium intrudatur plane non intelligo, cum ipsa vox collegii sit a Sacra Scriptura aliena. Evangelia nobis suggerunt unitatem, congregationem, coniunctionem apostolorum et consequenter episcoporum, sed collegium stricte intellectum est penitus alia res, nam significat tertium quid propriam potestatem habens qua membra ex se carent quamque nonnisi ex collegio participant. Totum hoc mihi alienum videtur ab opere Christi in quo omnis potestatis origo est sacramentum Ordinis quod singulos episcopos personaliter afficit, cum collegio qua tali nihil sacri inest. Meo iudicio idea collegii episcopalis inevitabiliter ducit ad conciliarismum et episcopalismum deteriore sensu intellectum. Est idea non ex Sacra Scriptura vel antiqua traditione derivata, sed potius decursu saeculorum efformata sub influxu doctrinarum quae fidelitate orthodoxiae certe non eminebant. Ad significandam operam communem episcoporum, quae utique ad essentiam Ecclesiae pertinet, multo simplicior, ut puto, et Evangelio atque naturae rei magis adhaerens est via quam antea indicavimus.

Video utique collegii nomen a S. Cypriano introductum et ab Optato Milevitano adhibitum, sed tunc manifesto carebat sensu illo quem sponte habet cum tamquam doctrinae caput effertur. Ibi unitatem tantum episcoporum extollebat, quae utique tantopere essentialis in Ecclesia est, ut numquam exaggerari posset, sed in praesenti vox sponte significat tertiam illam rem impersonalem quae supra episcopos sit et supra Papam et radicale subiectum infallibilitatis aliarumque praerogativarum. Quae conceptio omnibus viribus est reicienda.

Placet animadversiones ita claudere: Urgeatur usque ad maximum episcoporum unitas et universitas, concordia, consensus, conspiratio in unum, sed simul significetur divinam operam Ecclesiae rectricem directe et immediate descendere in personas Romani Pontificis et episcoporum qui sacramentum Ordinis susceperunt; vitetur autem periculum ne Dei opera descendere intelligatur in tertium illud quod sacramenti est incapax; illud quod sponte suggeritur voce collegii. Si vox substantiva adhiberi desideratur, sumantur potius voces « ordinis episcoporum » vel « corporis episcoporum » in quibus periculum non est ut falsam significationem includant.

31

EXC.MUS P. D. CAROLUS H. HELMSING

Episcopus Kansanopolitanus S. Ioseph

Pars. I. Hoc novum exemplum constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* praestantia eius doctrinali atque pastorali, valde commendandum est. Praesertim gratum est hoc documentum testimonium Sacrae Scripturae tam feliciter invocare. Meritum documenti commentariis addendis etiam augetur.

Cap. I, n. 8. Optandum esset, fortasse, maiore cum claritate indicare plenum introitum catholicorum fidelium in vitam Ecclesiae non solum postulare baptisma, sed etiam confirmationem et participationem in celebrando Eucharistiam.

Cap. II. Emphasis de natura collegiali episcopatus, et sic de cura universali quorumque membrorum eiusdem collegii, maxime grata est.

In tractatione de presbyteris et de relatione eorum cum episcopis (§ 15, pp. 25-26), forsitan naturam collegialem presbyteratus indicare prodesset, atque munus cuiusque presbyteri, saecularis aut regularis, ad serviendum toti episcopatui atque Ecclesiae Universali, graviter exprimere.

Nota: Sententia de cap. I, pag. 20: Verbum « Christianismus » vitari debere reverenter subiicitur. Propter multiformes atque varios « -ismi », tali verbo non uti bene videretur.

32

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS M. JACONO

Episcopus tit. Patarensis

Verba schematis, pag. 27 n. 16 linn. 24-27, videntur aliqua ambiguitate laborare. Nam cum legimus: « In collegio illo episcopi, primatum et principatum capitis sui fideliter observantes, sub eius suprema auctoritate, *propria potestate* in bonum totius Ecclesiae funguntur » posset aliquo modo in mentem venire illud quod, ultimis his temporibus, a nonnullis dictitatur, seu: potestas apostolica quam Papa detinet in sua plenitudine, nonne est, ex natura sua, potestas collegialis, cuius ipse est primus beneficiarius in totalitate et veluti repraesentatio personificata?

Si tali modo verba schematis intelligerentur, nonne haberemus systema eversivum infallibilitatis pontificiae?

Etenim iuxta *Lc.* 22, 31 s.: « Ego autem oravi pro te ut non deficiat fides tua. Et tu conversus confirma fratres tuos » fides Patri, a Christo facta solida, erit *ratio et causa soliditatis fidei totius collegii apostolici* (cf. Vat. I: Denz. 1836). Ergo in Ecclesia *unum tantum subiectum infallibilitatis activae* retinendum. Et si Romanus Pontifex, in ipso collegii episcopalis actu, quo definitive docetur, *non esset norma quae ceteros obligat,* actum esset de Petro eiusque successore fundamento fidei, supremo pastore et confirmatore fratrum, ad mentem const. dogmaticae *Pastor Aeternus* (Denz. 1821-40).

Sane collegium episcoporum, quod collegio apostolorum in magisterio authentico succedit, gaudet etiam illa adsistentia Spiritus Sancti apostolis promissa, in explendo munere docendi res fidei et morum, in virtute cuius adsistentiae collegium episcopale ut tale — in sua morali totalitate — nequit errare cum proponit — cum et sub capite Romano Pontifice, membro praecipuo et indispensabili corpo-

ris, et peculiari privilegio in fide donato ad fratres confirmandos — nequit errare cum proponit doctrinam fide tenendam.

Meminisse iuvabit quoad relationes Papae cum collegio episcoporum, verba cl. E. Gasser, in disputationibus Conc. Vat.: « verum est quod consensio praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae, unitae cum Capite, sit regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis. At exinde nullo modo potest deduci stricta et absoluta necessitas exquirendi a rectoribus Ecclesiarum seu ab episcopis « consensionem » (CL 7, 404).

Forte, ergo, mutanda verba « propria auctoritate » cum « *iure divino* ».

Omittenda, praeterea, quae de *sacra caelibatus lege* quoad diaconos (pag. 26, linn. 39-41).

33

Exc.mus P. D. ANDREAS R. JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

Cap. I: De Ecclesiae mysterio.

Dans l'ensemble, ce nouveau schéma marque un progrès considérable par rapport à l'ancien. Sans doute en essayant d'englober les deux positions, on ne contente parfaitement personne... Les critiques portées contre l'affirmation trop peu nuancée de l'*identification* du Corps mystique à la seule Eglise visible, si elles n'ont pas abouti à l'élimination du passage incriminé que l'on retrouve ici seulement quelque peu modifié (pag. 11, n. 7, lig. 7...) ont eu au moins pour résultat de le replacer dans un contexte qui le rend plus acceptable, cela surtout du fait que l'on a auparavant enlevé à la notion de corps ce qu'elle avait de trop juridique et sociologique pour insister davantage sur l'aspect d'identification mystique des fidèles au Christ.

A propos de l'Eglise « *sacramentum* » (pag. 11, n. 7, ligg. 18. 25), il faut remarquer qu'il existe concrètement dans l'Eglise catholique romaine sur la terre des « éléments » qui, de soi, n'ont pas de signification pour le Corps du Christ et qui viennent éventuellement des situations historiques dans lesquelles existe concrètement l'Eglise. Dans cette ligne, ce n. 7 n'intègre pas « l'histoire » dans sa perception de l'Eglise pérégrinante. Sans développer ce point, il pourrait être souhaitable de le mentionner ici, peut-être en notant le « semper reformanda » qui vaut pour la « societas visibilis » et non pour le Corps mystique du Christ.

Parmi les « conditiones huius temporis » (n. 1, lig. 11), on doit compter la persécution moderne qui s'efforce d'*ériger une église nationale* séparée du Souverain Pontife (v. g. en Chine, au Nord Vietnam etc.), de sorte que chez un certain nombre de chrétiens, la notion dogmatique de l'Eglise est faussée. On trouve dans le chapitre II (v. g. n. 13, lig. 40; n. 16, lig. 10; n. 18, ligg. 15-20 etc.) des indications qui indirectement prémunissent contre des erreurs à ce sujet. Cependant, il serait souhaitable que dans le chapitre I (*de mysterio Ecclesiae*), on mette, brièvement sans doute, mais plus directement, plus clairement en garde « a falsa mentalitate in pluribus regionibus vigenti, qua existimatur illos qui externe propter auctoritatis civilis timorem, posse a Romano Pontifice in consecratione episcopali seiungi et tamen in vera Christi Ecclesia partem servare ». Cette remarque pourrait être introduite dans le n. 7, ligg. 20... 25.

En ce qui concerne la question controversée des « *membres de l'Eglise* », on retrouve le souci de présenter un texte acceptable pour tous, et qui permet de laisser place à plusieurs positions, sans en canoniser aucune. Le texte lui-même ne porte même pas le mot « membres » et se contente d'une description des diverses situations dans lesquelles on peut se trouver par rapport à l'Eglise.

Cependant, au point de vue « composition », cette présentation paraît un peu défectueuse. Cela semble provenir du fait que l'on a dû prendre comme base de rédaction des nn. 8, 9, 10 un projet dans lequel on a introduit, de façon pas très heureuse, un passage de l'ancien schéma (pag. 12, ligg. 15-22). En effet, le texte du schéma (nn. 8, 9, 10), et encore plus nettement celui du commentaire (pag. 22: « Deinde describuntur... ») laissent entendre que l'exposé va suivre dans une division tripartite: 1) les catholiques (auxquels on peut joindre sans difficulté le cas particulier des catéchumènes), 2) les chrétiens non-catholiques, 3) les non-chrétiens. Or, dès la première partie, on a été entraîné par la reprise de l'ancien schéma à traiter, après le cas des catéchumènes, et de façon globale, celui de tous les non-catholiques : chrétiens non-catholiques et non-chrétiens (pag. 12, ligg. 18-22), dont on traite « ex professo » dans les nn. 9 et 10, d'où des répétitions (v. g. pag. 13, lig. 17). Pour éviter cet inconvénient, il faudrait ou refondre ces 3 numéros (8, 9, 10) et les présenter avec un plan plus logique, ou, si l'on veut garder le texte actuel, au moins modifier les lignes 18-22, en en faisant une sorte d'introduction à la suite; cette dernière étant subdivisée en deux parties: les chrétiens non-catholiques (n. 9) et les non-chrétiens (n. 10).

Au n. 9, pag. 12, on semble envisager le cas de tous les *chrétiens non-catholiques,* donc non seulement des orthodoxes, mais de tous les protestants, de tous ceux qui ont une certaine foi au Christ. Or le texte paraît en fait restreindre cela aux baptisés (lig. 24), bien plus aux *baptisés « validement »* (« baptismo indelebili signantur », lig. 28), dès lors bon nombre de protestants se trouvent écartés de cette catégorie. Pour éviter cela ne conviendrait-il pas de faire précéder le mot « baptismo » de la ligne 28 de « multi » (« multi baptismo indelebili »)? Ainsi on ne semblerait pas exclure absolument du nombre des « chrétiens » (au moins au sens large) les protestants dont le baptême est invalide ou au moins douteux, sans vouloir pour autant trancher la question de l'appartenance à l'Eglise comme « membres » des protestants validement baptisés. (Cette remarque ne se justifie qu'en fonction du texte proposé qui ne veut être qu'une simple « description ». Si l'on avait voulu traiter plus à fond la question des membres de l'Eglise, il eût fallu le faire en fonction du *baptême*: tout baptisé est de par son caractère baptismal rattaché de plein droit au Corps mystique du Christ; tout baptisé est, en effet, incorporé au Christ, et donc, de quelque manière, à l'Eglise, dont il devient alors membre).

Cap. II: *De constitutione hierarchica* et in specie: *De episcopatu.*

Ce chapitre ne manquera pas de soulever des difficultés sur le plan œcuménique. Ceux qui s'occupent d'œcuménisme ne manqueront pas de faire remarquer que ce chapitre semble entièrement pensé dans une ligne occidentale, sans ouvrir les portes — ou les laisser ouvertes — à une perspective orientale, qui ne conçoit pas le rapport papauté-épiscopat exactement dans les mêmes termes. Cette « constitution » risque donc de durcir les choses en les considérant comme universelles. Elle créera une nouvelle difficulté à l'union de l'Orient à l'Occident.

Pag. 25, n. 14. On reconnaît clairement le caractère sacramentel de l'épiscopat. D'autre part, au n. 12, on a souligné le caractère collégial du « corps épiscopal ». On souhaiterait que l'on indique plus nettement le lien entre ces deux choses; autrement dit, il faudrait montrer que c'est par la consécration épiscopale que l'on devient membre du collège épiscopal. La consécration épiscopale doit être présentée sous la forme d'une agrégation au corps épiscopal en vue de la Mission. Le sacre épiscopal est un acte collectif du corps épiscopal qui agrège le nouvel élu à l'« ordo episcoporum »; le don de l'Esprit qu'il reçoit est celui-là même que le Christ a donné aux Apôtres, et que ces derniers ont reçu à la Pentecôte. (On complètera la citation de *1 Pt.* 2, 25, par *Io.* 17, 18; 20, 21-23). Ainsi l'Eglise ne se structurera hiérarchiquement pas sur une base juridique externe et superficielle, mais sur une base sacramentelle, à savoir par le sacrement de l'Ordre, notamment de l'épiscopat, « que suit la mission, laquelle est toujours affectée des puissances correspondantes ».

Pag. 25, n. 15. Pour répondre à la demande de nombreux évêques, ce paragraphe sur les « prêtres » (auxquels on a joint les diacres) a été un peu plus développé. Tel quel, il paraît encore bien court; il aurait besoin d'être plus étoffé. Dans cet ensemble, les prêtres font trop figure de « parents pauvres »; leur place réelle dans l'Eglise, le rôle qu'ils y remplissent méritent et exigent plus que ces quelques lignes.

Pag. 27, n. 16. Les nn. 16 et 17 touchent des points délicats. Là encore pour ménager les diverses positions, on est resté dans un vague qui n'évacue pas ce « juridisme étouffant » que signalait un Père oriental à la première session... On pourrait « au moins » souhaiter que par ex. lig. 29, après « roborante », une phrase comme celle-ci soit introduite: « Talis enim est conditio permanens et ordinaria collegii episcoporum, ita ut unusquisque episcopus (ex ipsa consecratione) permanenter evadat membrum et quasi pars supremae potestatis ecclesiasticae ». Dans tout ce paragraphe, il convient de bien mettre en lumière que les évêques collégialement considérés comme successeurs du collège apostolique, apparaissent collégialement responsables de la mission confiée aux Apôtres par le Christ. Ils le sont au titre de la structure du collège apostolique lui-même, auquel ils sont agrégés par leur consécration, et dans leur union commune au Successeur de Pierre, qui dans son rôle de chef, est un élément essentiel du collège apostolique.

Pag. 28, n. 17, lig. 14. Pour les mêmes raisons, après « membrum collegii » ajouter: « unusquisque episcopus », et lig. 16, à « iurisdictionis » ajouter « stricte dictae ». On peut se demander si ce passage sauvegarde suffisamment l'opinion théologique, basée sur de très sérieuses preuves, qui admet un pouvoir radical universel conféré par la consécration.

Il conviendrait d'insister davantage sur les « Coetus Episcopales » (simplement mentionnées pag. 29, lig. 1), si importantes de nos jours, et qui manifestent la collégialité.

34

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Schematis haec prima pars valde placet et sequentes parvas solummodo proponere velim emendationes.

Pag. 8, n. 3, lin. 19: post verbum « unitatis » addatur: per Spiritum Sanctum. *Ratio*: ut appareat, quomodo Spiritus Sanctus ut unitatis principium. Nam in Encyclica *Mystici Corporis* (ed. Tromp, n. 60) Spiritus Sanctus vocatur Ecclesiae unitatis principium increatum et non adspectabile (ed. Herder, Friburgi Brisgoviae, 1947, pp. 58 et 64).

Pag. 8, n. 4, lin. 34: ante verbum « Ubi » ponatur: et Ecclesiae unitatis est principium increatum et invisibile. *Ratio*: est eadem ratio ac superius.

Pag. 11, n. 7, lin. 23: loco verborum « res Ecclesiae » potius ponatur: « dona Ecclesiae ». *Ratio*: verbum « res » adhibita sanctificationis elementis est nimis generalis et a non catholicis difficulter intelligitur.

35

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS

Praepositus generalis S. I.

Pars I. N. 1, linn. 10-11: « illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans »; id utique fiat, sed *ne dicatur* in textu; simpliciter supprimatur. Quot querebuntur Concilium ne ita quidem locutum esse sermone « menti hodiernae accommodato »!

N. 2, linn. 23-24: « ab Abel iusto... »; quamvis sententia sit sancti Augustini aliorumque, videmur damnare Adam quippe qui fuit ante Abel iustum?

Ib., lin. 28: « quavis mutua connexione seclusa »; timuerim ne hoc falsum sit. Singuli in Adam peccavimus, sed *non* quavis mutua connexione seclusa, e contra, propter nostrum omnium aliquam « solidaritatem »; pariter in Christo omnes iusti fimur, non tamen quavis mutua connexione seclusa, sed propter aliquam « solidaritatem » in Christo. Aliis verbis: non iustificamur nisi in Ecclesia et aliquo modo per eam.

Nonne melius diceretur « non tantum singulatim sanctificaret », omissis simpliciter verbis « quavis mutua connexione seclusa »? Cf. quod dicitur n. 5 passim, in specie linn. 14-19.

N. 5, lin. 22: « qui omnia in omnibus adimpletur »; cum hic textus ex latina versione Vulgatae sit inintelligibilis, nonne melius eius loco substituitur versio latina ex textu graeco, quae tamen non sit Vulgatae? Possit tunc remitti ad textum primigenium per « cf. *Eph.* 1, 22-23 ».

Nn. 7-9 non placent. Doctrinam haud facilem exponunt modo intricato et parum secum cohaerente. « Extra Ecclesiam non est salus » et tamen « extra Ecclesiam est salus »: ita fere in compendium redigam ea quae his numeris dicuntur. Vel « ii tantum qui pertinent ad Ecclesiam catholicam, Romanam, visibilem, membra sunt Corporis Christi », et tamen « multi alii quodammodo membra sunt ».

« Soli baptizati in Ecclesia catholica membra sunt »; et tamen « baptizati extra Ecclesiam catholicam membra sunt »; et ita porro. Adhaeremus hic antiquis definitionibus, in alio omnino contextu historico et cum alia significatione prolatis, quas mentes modernae perperam intellegere solent. Minime ut patet agitur de mutanda antiqua doctrina, sed de ea clarius exponenda in usum coaetaneorum.

N. 13: haud ita facile definitur quousque episcopi sint « successores apostolorum ». Nam certas magnique momenti praerogativas apostolorum episcopi non habent; nonne clarius describi possit differentia inter eos qui Ecclesiam « fundandi » (lin. 20) et eam « sustentandi et pascendi » (ibid.) munus acceperunt, ita ut pressius appareat qua in re episcopi sint « successores apostolorum »?

N. 15, lin. 12, pag. 26: lapsus videtur irrepsisse « animorum » loco « animarum ». Nam hic agitur re vera de cura animabus impendenda, non de cura animi hominum.

N. 20, linn. 37-38: « ipsi sunt ministri sacrae ordinationis »; quid de casibus ab auctoribus relatis abbatum, non episcoporum, qui a Romanis Pontificibus potestatem habuerunt ordinandi presbyteros? Nec simpliciter dicatur episcopum esse ministrum ordinarium confirmationis, cum apud certas Ecclesias orientales presbyter sit minister ordinarius.

N. 21: in hoc numero, magis quam in praecedentibus, frustra quis quaerit quod sit munus in Ecclesia episcoporum titularium? Hi enim nonnisi ex mera fictione dici possunt Ecclesiae cuidam praeesse. Iamvero eorum institutum est antiquum et in omnibus ni fallor Ecclesiis occidentis et orientis receptum.

« Fictionem » irreverenter voco attributionem dioeceseos quam olim vocabant « in partibus », cum in eam episcopi nec potestatem docendi nec regendi nec ullam Ordinis potestatem exercere possint. Et tamen usus antiquus et universalis Ecclesiae probat legitimitatem instituti episcoporum titularium.

36

EXC.MUS P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Pars I - a) *Notae generales.*

1. Prima pars schematis reformati *de Ecclesia* in genere approbatur.

2. Desideratur expositio de « Ecclesia consummata », quae apte inseri potest in fine totius schematis, absolutis partibus de Ecclesia peregrinante agentibus, ita ut hac in ultima parte agatur de B. Maria Virgine et de sanctis.

b) *Notae speciales.*

1. Pag. 7, n. 1 (*Introductio*): In fine huius introductionis apte addendum esset: « ... consequantur. Et praesertim illi omnes, qui toto orbe terrarum dira paupertate premuntur, necnon illae laboriosae classes, quarum vitae condiciones hanc ipsam in Christo unitatem et religiosam praxim tam difficilem reddunt, se in caritate Christi et Ecclesiae eximiam partem habere sciant ».

2. Pag. 7, n. 1, lin. 10: « illudque » mutetur in « *illamque* », cum agatur de « missione » Ecclesiae enucleanda.

3. Pag. 7, n. 2, lin. 22: « haec congregatio ». Cum neque verbum neque res in textu antecedenti praeparata sit, inseratur post *Col.* 1, 15: « Ita Deus in Christo

familiam filiorum suorum iam ab initiis generis humani lapsi congregare coepit. Haec congregatio... ».

4. Pag. 8, n. 2, lin. 1: loco « sub uno capite » ob rationes grammaticales (reflexivum) potius dicatur: « ... *sub se tamquam* sub uno capite... ».

5. Pag. 8, n. 3, linn. 18 ss.: appositio « ab eo convocata et legitime constituta » melius coniungitur cum: « congregatio eorum... qui in Iesum... credunt ». « Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis princip*em* (sic! cf. *Hebr.* 2, 10) credunt, ab eo convocata et legitime constituta, est *eius* Ecclesia *ad hoc nata* ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis ».

6. Pag. 8, n. 3, linn. 22-23: melius dicatur: « ..., in historiam hominum intrat, *ut omnia* tempora *omnesque* fines populorum *pervadat* ». Ecclesia ut historica non est simpliciter « supra tempora ».

7. Pag. 9, n. 5, linn. 8-11: illud « enim » (lin. 11) confusionem inducit. Cum nova hic ratio unitatis corporis mystici afferatur, haec verbo « enim » induci non potest. Hoc « enim » praeparari debet propriis rationibus allatis. Textum immutatum proponimus infra.

8. Pag. 9, n. 5, lin. 26: loco « quos » scribendum « quae » (scil. membra et organa).

9. Pag. 9, n. 5, lin. 38: loco « suscipiunt » clarius scribatur « *operantur* ».

10. Pag. 10, n. 5, linn. 7-10: « Sicut in deserto... », « cum eo sint (cf. *1 Thess.* 4, 17) ». Hoc incisum recto loco positum non est. Aut verba supprimantur aut ponantur pag. 9, post lin. 13.

11. Pag. 10, n. 6, linn. 19 ss.: hoc incisum recto loco positum non est. Insuper mera enumeratio « imaginum aliarum » valorem theologicum vix habet. Superscriptio alia inseratur, ut pateat valor harum imaginum. N. 6 ponatur ut n. 5, ita ut habeatur quasi illustratio ultimae sententiae n. 4 in fine positae. Idea « populi Dei » aliquomodo magis evolvatur, cum praecise hac idea unitas et distinctio inter Vetus Israël et Ecclesiam Christi ut novum populum Dei explicetur. Imago « mystici corporis » est quasi culmen ecclesiologiae N. T., ita ut Ecclesia praecise eo sit « populus Dei novus », quod Christo capiti tamquam corpus unita sit. Ita in adducendis imaginibus ostenditur culmen in ipsa S. Scriptura datum.

Ideo pro pag. 8, in fine, ad pag. 11, lin. 3, sequens immutatio commendatur: « 5. (De Ecclesia ut fructu actionis Dei Patris per Christum in Spiritu Sancto peractae). Sic apparet universa Ecclesia sicuti " de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ", populus adquisitionis... qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei est (*1 Pt.* 2, 9-10). Est enim Ecclesia grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit (cf. *Io.* 40, 41; *Ez.* 34, 11 ss.), et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae gubernantur, ab ipso Christo, bono pastore principeque pastorum (cf. *Io.* 10, 10; *1 Pt.* 5, 4) indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet (cf. *Is.* 5, 1-4 et 7; *Io.* 15, 1 ss.), vel ager vel agricultura Dei. *Ecclesia ergo actione Dei salutifera collecta est opus Dei et fructus caritatis ipsius simulque medium et instrumentum in Dei Spiritu activum ad unionem inter Deum et mundum in dies magis efficiendam. Crescere enim vocata est Ecclesia* ut Dei familia eiusque templum et domus, in lapideis sanctuariis repraesentata, in qua Deus in Spiritu et veritate adoretur (cf. *Io.* 4, 23). *In ea ut in suo habitaculo inhabitans Spiritus Sanctus* pastores et

fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat *usquedum omnes ad plenitudinem vitae Christi adducantur. Ita crescit in terris* Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus (cf. *Apoc.* 21, 1 ss.).[16] Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati (cf. *Apoc.* 20, 9), quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit — *simul coniunctum et distinctum* — ut sit mater vere viventium, et quam mundatam Sibi voluit in dilectione ac fidelitate subiectam (cf. *Eph.* 5, 22 ss.), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 19).

6. (De Ecclesia ut mystico Corpore Christi). Christus Dei Filius vero, in natura humana sibi unita morte et resurrectione sua mortem superando, populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic populo aggregat *vel templo suo* inserit, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac sui coheredes (cf. *Rom.* 8, 15-17), in se unit at tamquam Corpus suum mystice constituit. Nam vita Christi glorificati *verbo eius et sacramentis in credentes* diffunditur, ut cum eo et in eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum ».

Sequitur: pag. 9, lin. 11, et si placet: « Sicut in deserto » ex pag. 10, linn. 7-10; pag. 9, lin. 14: « Ita cum Domino unimur... » usque ad pag. 10, lin. 18; et tunc n. 7 (De Ecclesia in terris peregrinante).

12. Pag. 11, n. 7, linn. 12-13: « inservit » bis occurrit. Proponitur haec forma: « Sicut enim natura assumpta Verbo divino ut vivum instrumentum salutis *coniunctum agit,* ita... ».

13. Pag. 11, n. 7, lin. 23: proponitur ut suppleatur: « elementa plura *veritatis et* sanctificationis... ».

14. Pag. 11, n. 7, lin. 30: omittatur « *crucem et* » cum in textu, *1 Cor.* 11, 26, hic allato non detur.

15. Pag. 12, n. 8, linn. 15-22: forte doctrina de voto Ecclesiae hic exposita secundum fontes in nota 30 assignatos ulterius evolvi poterit.

16. Pag. 12, n. 9, lin. 33: « ... *quaedam* in Spiritu Sancto coniunctio ». Cum et christianis acatholicis gratia sanctificans a Deo dari censetur (cf. pag. 12, linn. 34, 35: virtus sanctificans; cf. etiam lin. 22: caritas!), haec autem gratia sanctificans substantialiter eadem sit, quaeritur utrum recte dicatur « *quaedam* »... coniunctio, vel petitur ulterior explicatio.

17. Pag. 13, n. 10, linn. 3-23: rectus ordo deest. Ponatur primo loco descriptio status non-christianorum (linn. 16-21), secundo loco exponatur missio Ecclesiae: *a*) linn. 13-16; *b*) linn. 3-13. Omitti possunt tunc linn. 21-23: « ... quapropter ».

18. Pag. 23, n. 11, lin. 21: repetatur subiectum totius sententiae, cum quaerendum sit lin. 11: « ... infallibili magisterio, *Sacrosancta Synodus* suam facit... ».

19. Pag. 24, n. 13, lin. 18: ante « Ecclesiae » inseratur « apostoli ».

20. Pag. 24, n. 13, lin. 37: emendandum: « ... accept*is* mandatis ».

21. Pag. 25, n. 14, linn. 9-12: quaeritur utrum hic recta coniunctio inter collationem potestatis docendi et gubernandi et sanctificandi, et collationem sacramenti exprimatur. Melius redeundum ad formulam prioris schematis, cap. IV, n. 14, pag. 23, linn. 1-3 datam: « sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis... tribuit ».

22. Pag. 26, n. 15, linn. 17-20: petitur redactio accuratior huius sententiae, ita ut pateat ad quod referatur « secundum quandam impulsionem apostolicam, se ad salutem totius mundi protendentem », scil. utrum ad « missionem », an ad « impulsionem ».

23. Pag. 26, n. 15, lin. 21: magis explicetur quid intelligatur sub « *exigentiam* ».

24. Pag. 27, n. 16, lin. 6: loco « ubi » probabiliter intenditur « *qui* ».

25. Pag. 27, n. 16, linn. 34-39: qualificatio actus collegialis videtur attribuenda esse actioni communi episcoporum a Summo Pontifice saltem implicite approbatae. Ideo loco textus schematis sequens forma proponitur: « Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab episcopis in orbe terrarum degentibus, dummodo caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, vel dummodo saltem collegium episcopale de facto in unitate cum Summo Pontifice agat vel doceat ».

26. Pag. 31, n. 21: *a*) lin. 10; *b*) lin. 13; *c*) lin. 35: *a*) melius est *eis* propria, est ordinaria et immediata; *b*) loco « ipsis »: *episcopis*; *c*) loco « debitor est, et promptus sit », melius « et *ipse* (sc. episcopus) promptus sit ».

[*Subsignaverunt etiam*:] Joh. B. Theunissen, arch. de Blantyre; Francis Mazzieri, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; L. P. Hardman, ep. de Zomba; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; Adolf Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. aux. de Ndola; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

37

EXC.MUS P. D. CONSTANS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Ad Partem I, pagg. 11-13, nn. 8-9.

Emendatio proposita. In pag. 12, n. 8 post lin. 14 textus immediate transeat ad n. 9, relinquens alineam « Voto autem... » (linn. 15-22), quae alinea inseratur ad finem n. 9 (post verba « ... effulgens extollant »).

Initium alineae « Voto autem... » (pag. 12, lin. 15) mutetur in « Voto *tantum* cum Ecclesia coniunguntur... ».

Ratio. Per hanc mutationem post catholicos primo loco veniunt christiani non-catholici et deinde ceteri omnes. Insuper verbo « voto tantum », dicto de non-christianis, subauditur, quod christiani non-catholici, qui prius nominati sunt, titulo ampliore ad Ecclesiam pertineant, quin descendatur ad solutionem quaestionis quomodo nunc praecise ad eam pertineant. Est solutio elegans, qua ex una parte doctrina Ecclesiae tuta manet et ex altera parte christiani non-catholici non offenduntur.

Nota. Haec solutio efficacior adhuc fieret si in pag. 12, lin. 3 loco « Reapse et simpliciter loquendo » diceretur tantummodo « Simpliciter loquendo ». Per verbulum « reapse » enim hic iam innuitur quod baptizati non-catholici nullo titulo « reapse » ad Ecclesiam pertineant.

Ad Partem I, pagg. 27-28, nn. 16-17.

Animadversio. Cautiones de primatu Summi Pontificis in expositione doctri-

nae de collegio episcoporum eiusque potestatis ac responsabilitatis toties appositae et iteratae anxietatem quamdam demonstrant, quae mihi videtur in nostris temporibus parum fundata.

Per tales additiones, eo praesertim quod sunt vix necessariae, suspicio oriri potest, imprimis inter fratres Ecclesiarum orientalium, quod Ecclesia non sit omnino sincera in agnitione potestatis collegii de quo hic tractetur.

Ad Partem I, pag. 28, linn. 14-17.

Ad verba: « *Sed ut membrum collegii, pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum* »: animadversiones:

1. Difficile intelligitur, *missionem divinam,* quae data sit apostolis quaeque in episcopos transire doceatur, scil. docendi *omnes gentes* et praedicandi Evangelium *omni creaturae* ut *homines universi* salutem consequantur (*Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16), non plus inhibere quam illam vagam sollicitudinem pro tota Ecclesia, sicuti in verbis citatis exprimatur.

2. Verba citata mihi videntur vix consonare cum agnitione regiminis collegialis episcoporum, quae in n. 16 habetur.

3. Per haec verba fundamentum dogmaticum struitur pro innovatione in Ecclesia, quae feliciter ab hac Sacra Synodo propugnatur, scil. pro maiore cooperatione episcoporum in bonum commune totius Ecclesiae et salutem omnium gentium. In variis schematibus, huic S. Synodo propositis, consequentiae practicae ex hoc principio deducuntur et in Codicem Iuris ac Directorium generale pro episcopis referendae statuuntur. Eo vero quod fundamentum hic positum nimis debile est, innovatio superposita aequali laborat debilitate. Considerandum autem est, hic agi de innovatione, quae, quamvis eius necessitas et urgentia ab omnibus perspiciatur, tamen vitam et praxim Ecclesiae profunde affectet; eam igitur effectum sortituram non esse, nisi super fundamentum firmissimum sit constructa. Ideo principium innovationis huius in vita practica Ecclesiae introducendae mihi videtur hic esse formulandum non tenuiore sed firmiore quo ex ratione dogmatica possit modo.

Emendatio proposita. Verba citata, scil. « Sed ut membrum... emolumentum » (pag. 28, linn. 14-17) deleantur et loco eorum in textu assumatur citatio ex Encyclica *Fidei donum* Pii Papae XII, quae sonat: « Quodsi unusquisque episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21) » (*A.A.S.,* 49, 1957, pp. 237 s.).

Nota. Terminus « sponsor » in schemate XII *de cura animarum,* pag. 59, lin. 14 iam applicatur episcopis, ubi enim habetur: « Se sentiant sponsores in solidum ».

Ad Partem II, cap. IV, de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.

Animadversiones:

1. Quoad hoc caput impressionem reprimere non possum, id in sua constructione ad mutationem tituli et thematis non esse sufficienter adaptatum. In priore editione quidem unice de Statibus Perfectionis erat tractandum. Novo titulo et themate vero accepto, illi qui titulo speciali vocantur ad sanctitatem quaerendam non tantum sunt religiosi, sed etiam, licet ex rationibus diversis, v. g. sacerdotes, coniuges, parentes. Retinens constructionem prioris editionis, hoc caput autem

ex professo tantum loquitur de Statibus Perfectionis. Propterea defectu aequilibrii mihi laborare videtur.

2. Estne ratio in pag. 19, n. 30 allegata, scil. « imago ordinis episcoporum » magis opportuna et fortis, qua haec S. Synodus, quae ex episcopis consistit, utriusque cleri sacerdotes adhortetur ut « ministerium suum sancte, alacriter et fortiter adimpleant »? (n. 30, lin. 7).

Emendationum propositio:

1. Si retinenda sit tituli et thematis mutatio, in hoc capite ex professo etiam tractetur de speciali titulo quo sacerdotes, coniuges et parentes ad sanctitatem quaerendam vocantur.

2. Repetitio huius argumenti in aliis schematibus omittatur.

3. Consequenter varia e schemate VIII, *de clericis,* cap. I « De vitae sacerdotalis perfectione », transferenda sunt ad hoc caput, nec ibi repetantur, sicuti etiam in schemate IX *De statibus perfectionis adquirendae* repetitio est evitata.

4. Argumenta quaerantur quae sunt magis stringentia et simul impellentia.

38

EXC.MUS P. D. IOANNES I. KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

Pars I.

In genere.

Utrumque caput huius primae partis schematis optimam synthesim doctrinae et traditionalis et recentis de Ecclesia exhibet. Aliquae attamen ideae clarificari possent.

In specie.

Cap. I:

1. Pag. 7, lin. 6, et pag. 8, lin. 21: « *sacramentum* ». Verbum *sacramentum* significationem technicam in theologia catholica secum fert; itaque, confusio potest oriri si haec notio adhibetur ad Ecclesiam uti talem designandam. Notandum est tamen notam 5 (pag. 15) aliqua dicta Patrum citare quae verbum *sacramentum* sensu lato adhibeant. Si restringere hanc vocem ad septem sacramenta expediat, aliud verbum, e. g., templum, mysterium, mater substitui possit.

2. Pag. 8, lin. 4: « *manifestata* ». Forsan vocabulum *constituta* discrimen inter Vetus Testamentum et Novum Testamentum clarius indicaret.

3. Pag. 8, lin. 8: « *unitatis* ». Forsan haec notio tali expressione, e. g., *transcendentalis* vel *mysticae* definiri deberet ut clare constet unitatem de qua agitur hunc mundum et culturas terrestres transcendere.

4. Pag. 10, lin. 16: « *pleroma* ». In contextu haec vox active intelligitur (« ... tenditque ad omnem plenitudinem Dei... »), sed interpretatio activa quoad Ecclesiam ab omnibus exegetis non admittitur. L. Cerfaux, e. g., affirmat: « Paulus, qui pleroma in sensu passivo et concreto sumpsit, ut significet omnes illos qui vitam sanctificationemque a Christo accipiant, sic scripsit Ecclesiam esse Corpus Christi, pleroma, sphaeram, in qua potestas vitae et sanctificationis illius, qui sanctitatem in omnibus adimplet, exercitatur » (*The Church in the Theology of St. Paul,* pag. 323).

5. Pag. 11, lin. 26: « *paupertate evangelica* ». Significatio praecisa huius phrasis non plene apparet. Agiturne de Ecclesia spiritu paupertatis in genere, de voto paupertatis apud religiosos, vel, verbi gratia, de beneficentia materiali pauperibus mediante eleemosyna facienda?

6. Pagg. 9 et 10. In sectione de Corpore mystico forsitan plura dici possent circa nexum inter Domini nostri resurrectionem ac formationem Corporis mystici (*Rom.* 4, 25) necnon circa actionem Christi glorificati mittentis Spiritum Sanctum ad Corpus mysticum animandum (*Io.* 20, 23; *Acta* 2, 32-33).

Cap. II:

Sectio de episcopis, in quantum collegio apostolorum succedunt, aliquantulum obscura videtur. Iurisdictio in Ecclesia universalis qua praedita est collegium episcoporum manifeste affirmatur, sed forsan potestas docendi singulorum episcoporum exponenda sit maiore cum claritate.

1. Pag. 24, lin. 37: loco « *accepti* » legatur « *acceptis* » (cf. pag. 33, notam 8).

2. Pag. 25, lin. 4: Ea quae sequuntur proponuntur ad doctrinam Ecclesiae de episcopatu explicite declarandam: « Docemus episcopos in collegio unitos cum capite, Petri successore, ex mandato divino collegio apostolorum succedere ».

« Docemus episcopos solos ex institutione divina in fideles immediate et plene ministerium apostolicum doctrinae, sacri cultus, et gubernationis exercere, quod est fons omnis potestatis sanctificationis in Ecclesia ».

3. Pag. 26, lin. 22: loco « *omninodam* » legatur « *omnimodam* ».

4. Pag. 27, linn. 12-18: haec verba relationem inter collegium episcoporum et caput huius collegii, Romanum Pontificem, aptissime exprimunt.

39

Exc.mus P. D. LORAS THOMAS LANE
Episcopus Rockfordiensis

Cap. I: *De Ecclesiae mysterio*. N. 8, linn. 18-22; n. 9 et n. 10. Generaliter loquendo distinctiones quae factae sunt his in paragraphis non sat clare explicantur et non sufficienter exponatur modum quo et christiani non-catholici et non-christiani referuntur ad ecclesiam veram.

40

Exc.mus P. D. EMMANUEL LLOPIS IVORRA
Episcopus Cauriensis - Castrorum Caeciliorum

In schemate *de Ecclesia*, pag. 30, n. 20, in fine lin. 40, sequentium verborum additio proponitur: « ... *et suae ipsius vitae exempla* », ut textus perlegatur: « Eis — scilicet fidelibus — praeter sanctificans ministerium verbi et *suae ipsius vitae exempla, sacramenta* praebeant, quorum... ».

Rationes: 1. Agitur « de episcoporum munere sanctificandi », quod quidem episcopali officio inhaeret cum eo unum constituens. Ministerium sanctificationis per verborum prolationem, de quo in casu, vel per alia, aliquid est obiectivum,

extraneum ab individuo loquente. Vita et mores episcopi sua sunt natura. Ergo ipsius vitae exempla exhibere oportet ad aliorum sanctificationem.

2. Legimus: « Exemplum, enim, dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis » (*Io.* 13, 15).

Iterum: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » (*Mt.* 11, 29).

Quibus verbis exemplum sui offerebat Dominus sicuti ratio generalis christifidelium actionis. D. N. I. vestigia episcopi sequentes ipsi re suis omnibus proprio exemplo exhibeant ac proponant.

3. Ex universali loquendi modo eruitur, cum dicimus: « Verba movent; exempla trahunt ». Nemini ad sanctificationem cohibetur. Trahere significat alicui opportunitatem praebere ut opem ferat in adiunctis. Intueri pastoris exemplum greges sese Deo sacrandas movet potius quam audire.

4. Denique: S. Augustinus: « Intendite. Parum ergo erat Dominum hortari Martyres verbo nisi firmaret exemplo ». In *psalm.* 63, ad vers. 2. Si exemplo verbum firmandum erat ad martyrium, a fortiori ad sanctitatem subditorum assequendam, supra loquelam, conveniens suadetur vitam episcopi moresque monstrare.

Haec omnia vestro altiori arbitrio iudico ac propono.

In n. 21, pag. 31, lin. 38.

In schemate *de Ecclesia,* n. 21, pag. 31, lin. 38, inserenda verba iudico quae veram et filialem subditorum erga episcopum proprium relationem significent, haec nempe: « ... reverentia, obedientia sinceraque dilectione... ». Paragraphi exaratio erit: « Fideles autem episcopo adhaerere debent *reverentia, obedientia, sinceraque dilectione* sicut Ecclesia Iesu Christo et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant ».

Rationes: 1. Agitatur hic quaestio « de episcoporum munere regendi ». Regimen quod tantum exteriore vinculo iuridico habetur forsan quid violentum, creaturae rationali indecorum efformatur. Unde amplius sequitur prae lege obiectiva, interna submissio mentis, quae homini intelligentia praeditus convenit. Haec autem convenientia non sufficit ut supponatur; sed opportunius censetur palam hic declarari.

2. Nec dicere valet relationem hanc filialem fidelium erga proprios pastores insignitam esse iam in C.I.C. Bene quidem regulatur in genere cc. 119 et 127 et similibus. Sed ultro hac occasione repetere non erubescamus quia hoc nostrum Concilium Vaticanum II synthesim facit doctrinae, maximi momenti.

3. Et eius certissima necessitas seu momentum enititur ex serpentina lue nostris praesertim temporibus omnia corrumpente, quae independentiam clamat et animadversiones ponit inter partes. Sic saltem renitere in conscientiae lateris frequens est, imminutis hominum facultatibus ad reactiones externas, spiritu carentes. Pernities haec viam defectioni ac haeresi pandit; unde Sacrosanctam Synodum statuere eam coadaptationem fidelium ad episcopos quae « reverentia, obedientia, sinceraque dilectione » innititur.

4. Denique derivatur ex optima et valida comparatione hoc numero et loco in schemate proposita: fideles adhaerere episcopo debent « sicut Ecclesia Iesu Christo, et Iesus Christus Patri ». Nunc autem: Ecclesia ardentissimo flagitatur ardore ac dilectione in Christum Dominum et Iesu Christo signa verissimi amoris supra modum exhibet et honorat; immo, et Christum Patri revereri sacri auctores in Evangelio multoties testantur. Ergo a pari et a fortiori fideles episcopo adhaerere

debent — et hoc expresse significetur — « reverentia, obedientia, sinceraque dilectione ».

Haec autem quae iudico vobis, fratres, trado, unde spero — et admittam — opportunam solutionem.

41

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

Episcopus Tainannensis

Pars I.

1. N. 4: De Spiritu Ecclesiam sanctificante. Opus vel munus Spiritus Sancti in Ecclesia non clare apparet in hoc numero. Spiritus est qui docet et vivificat. De hoc clarius annuntiandum est, non in brevis et condensatis citationibus.

2. N. 5. « Christus Dei Filius... populum Dei ad novam et sublimiorem condicionem evexit. Mittens enim Spiritum suum credentes non tantum huic populo aggregat, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac sui coheredes, in se unit et tanquam corpus suum mystice constituit» .

Mihi videtur locutio non est exacta; sed dicendum est: « Christus Dei Filius... populum Dei novum sublimioris condicionis constituit. Mittens enim Spiritum suum *per baptismum* credentes non tantum in hunc populum *congregat*, sed fratres suos, ex omnibus gentibus convocatos, ut filios Dei adoptivos ac sui coheredes in se unit et tanquam corpus suum mystice perfecit ». Nam Ecclesia non est elevatio alicuius populi Dei iam praeexistentis, sed est Nova Creatura. Postea credentes intrat in Ecclesiam per baptismum.

3. N. 5. In paragrapho secunda, ubi loquitur de ministratione Ecclesiae, locutio est valde vaga et obscura. « In diversis illis muneribus praesertim quando ministeriis sacrae hierarchiae... ». Sensus non clare exprimitur et difficillime verti potest in linguam sinicam vel alias linguas non europeas.

4. N. 10. In fine primae paragraphi: « Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius sternatur ». Dicendum est « ut sic via salutis pro eis latius et *securius* sternatur ». Secus cur nos debemus insudare in missionibus.

5. N. 14, lin. 28: « per eorum eximium servitium verbum fidei et sacramenta fidei » velim mutare sic: « per eorum eximium servitium verbum Dei et sacramenta Christi », quia « verbum fidei et sacramenta fidei » est nimis vagum et erroneis interpretationibus affici potest.

6. N. 18, lin. 16: « a suprema et universali » verbum « universali » supprimatur, quia est inutile. Postea in iure et in theologia dicitur semper suprema potestas.

7. N. 19, pag. 30, lin. 18: « Ad quam rite indagandam et apte enunciandam episcopi et Romanus Pontifex... ». Expressio non est felix quia videtur quod ad indagandam revelationem unusquisque episcopus idem ius et auctoritatem habet ac Romanus Pontifex!

Pars II.

1. N. 24: de sacerdotio universali. Oportet clare et distincte loqui de sacerdotio in sensu proprio (et non tantum ministeriali) et de sacerdotio universali in

sensu lato, quia modus loquendi in schemate confusionem ideae sacerdotii in christianis gignere poterit, speciatim in versionibus aliarum linguarum.

In hoc schemate de Ecclesia pars prima loquitur de episcopis et pars secunda de laicis. Quid accidit de sacerdotio idest de sacerdotibus? Adest quidem unum schema de clericis; sed in hoc schemate dici oportet de dignitate et de necessitate sacerdotum relate ad vitam Ecclesiae. Secus sacerdotes poterunt dicere quod hoc Concilium Oecumenicum propriam attentionem ad episcopos et ad laicos convertit, ipsos vero neglexerit.

2. In pagina nona relate ad apostolatum laicorum multa repetuntur quae habentur, et habentur quidem in sede propria, in schemate de apostolatu laicorum. Istae repetitiones non sunt necessariae neque decorosae pro uno Concilio Oecumenico.

3. De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia, id quod habetur in schemate, falsam ideam suggerere poterit quod in Ecclesia tantummodo religiosi sunt vocati ad sanctitatem, quia hoc caput, fere exclusive de religiosorum vocatione ad sanctitatem tractat. Diminui oportet id quod habetur de vocatione religiosorum ad sanctitatem in schemate et addi oportet de vocatione sacerdotum ad sanctitatem et de vocatione laicorum, speciatim in his diebus, in quibus praevalet materialismus, ad sanctitatem. Praxis in beatificatione et in canonisatione quasi exclusive religiosorum vel religiosarum falsam ideam de vocatione ad sanctitatem tantummodo religiosorum vel religiosarum iam spargit inter christianos necnon inter sacerdotes saeculares. Hic error corrigendus est a Concilio Oecumenico, non vero augendus.

42

Exc.mus P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

A) Propono novum caput post cap. 10, pag. 13, nempe: (De voluntate salvifica Ecclesiae): « Non ideo vult Ecclesia unire secum ecclesias christianas quae nunc disiunctae sunt et omnes qui Christum ignorant convertere, et sic omnes homines in suum ovile ducere, ut gloriam sibi colligat vel ut nationibus dominet. Est enim in mundo non ad gloriam et potestatem mundanam sibi comparandam sed ut faciat voluntatem eius qui misit eam; ideoque existit neque per seipsam neque propter seipsam. Nihil aliud est nisi instrumentum voluntatis salvificae Dei quo gloria datur ei et evangelizatur gaudium magnum, quod erit omni populo, de salvatione et de mediis eam consequendi ». Ratio additionis propositae: ad praecavendam incusationem quod Ecclesia, sicut una de societatibus mere humanis, vult crescere maximopere ut sit potens ac valens in rebus mundanis.

B) Pars II, pag. 22, lin. 12. Addatur post verba « eximere potest. Tantum abest ut exemptio huiusmodi, quamvis sit solum ex parte, ad statum religiosum sit necessaria, ut ad constitutionem ne normalem quidem status religiosi qua talis pertineat. Ubi ergo exemptio datur, sodales exempti... ». Ratio additionis propositae: ad praecavendum ne exemptio videatur pars essentialis vitae religiosae esse.

43

EXC.MUS P. D. EDGAR ARISTIDES MARANTA
Archiepiscopus Daressalaamensis

Pars I.

A) *In genere*:

1. Schema in genere sumptum valde placet et prout iacet disceptationi in aula conciliari proponatur.

2. Immo schema ut *primum* in sessione II proponatur: videtur enim nobis esse centrum et veluti fundamentum plurimorum aliorum schematum quae minus utiliter ante hoc schema disceptarentur.

B) *In specie*:

1. Proponimus, post expositionem de « Ecclesia peregrinante », insertionem (in fine totius tractatus de Ecclesia) capitis de « Ecclesia consummata » in B. V. M., matre et typo Ecclesiae, et in sanctis.

2. Optamus ut *a*) a fine n. 4, cap. I, aptus transitus fiat ad imaginem Ecclesiae ut « *populi Dei* » (cf. cap. I, n. 6); *b*) ut haec imago amplius explicetur; et *c*) *post* mentionem aliarum imaginum (grex, vinea, familia, nova Ierusalem, sponsa); *d*) transitus fiat ad imaginem Corporis Christi mystici (nunc cap. I, n. 5) quae ita melius apparebit ut « climax » totius ecclesiologiae; denique *e*) ut doctrina de Ecclesia uti Corpore mystico... magis enucleetur et organice praesentetur, ad usum pastoralem.

3. Ad cap. II, n. 16 (linn. 35-39): *de actione collegiali episcopatus sub suo capite*. Explicetur a relatore schematis cur ad actionem collegialem episcopatus sub suo capite requiratur semper approbatio *explicita* Summi Pontificis.

[*Subsignaverunt etiam*:] Marcus Mihayo, arch. de Tabora; Guido Del Mestri, arch. tit. Tuscamiensis; James Holmes-Siedle, ep. de Kigoma; Victor Haelg, ep. tit. de Baia; Herman van Elswijk, ep. de Morogoro; Eberhard Spiess, ep. tit. Cemerinianensis; Edward McGurkin, ep. de Shinyanga; Eugene Arthurs, ep. de Tanga; Elias Mchonde, ep. tit. Andraenus; Renatus Butibubage, ep. tit. de Casio; Gervase Nkalanga, ep. tit. de Balbura; James Komba, ep. tit. Thignicensis.

44

EXC.MUS P. D. NICOLAUS MARGIOTTA
Archiepiscopus Brundusinus

Pars I, n. 10 - n. 24. Si potrebbe opportunamente marcare di più la natura sacramentaria dell'episcopato « ut munus patris », in rapporto particolarmente ai sacerdoti, non solo dal lato ontologico, nativo direi, come scaturigine del sacerdozio, ma anche dal lato soggettivo, nell'esercizio dei vari poteri e nel rapporto di affetto e di azione.

La conseguenza: I sacerdoti possono sentire sempre di più la unità con il vescovo.

45

EXC.MUS P. D. SIXTUS MAZZOLDI

Episcopus tit. Lamenus, vic. ap. Jubaensis

Pag. 23: De constitutione hierarchica Ecclesiae, et in specie: de episcopatu.

1. Omnibus compertum est quod doctrina de Romani Pontificis primatu maximi momenti est. Mihi videtur hoc schema insufficienter de hac doctrina tractare.

2. Doctrina de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili magisterio, *capita distincta* requirere videntur.

3. Clara argumenta et probationes circa dogmaticam doctrinam primatus Romani Pontificis maximi momenti videntur esse et valde utilia ad sinceram et duraturam unionem cum christianis fratribus separatis promovendam.

Pag. 27, lin. 30: ad sequentia verba: « Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare ». Verbum: *praerogativa* videtur non sufficere et minus aptum esse. Humillime proponerem sic: « Romani Pontificis *ius et ufficium est* Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare.

46

EXC.MUS P. D. IOANNES MCELENEY

Episcopus Kingstonensis

Pars I.

A) *Notanda in genere.* Sunt quaedam themata ecclesiologica momentosa quae in schemate videntur fere praetermitti vel minus quam par est tractari et proponi.

a) Non nisi leviter tangitur intimus et profundus nexus inter *Corpus Eucharisticum Domini* et Corpus eius ecclesiasticum, tum in toto corpore ecclesiastico, tum in ecclesiis localibus, tum in quolibet Ecclesiae membro. Nec est obliviscendum munus Eucharistiae in incorporandis membris Corpori Christi mystico, acsi nulla vigeret relatio in hac re inter baptismum et Eucharistiam.

b) Aegre apparet cum debita emphasi et soliditate thema tam traditionale (cogita Symbolum Apostolicum) Ecclesiae ut *communionis sanctorum* cum suis radicibus scripturisticis et patristicis. Nexus inter hoc thema et prius (sub *a* supra) in aperto est.

c) Uberius et clarius evolvendum est thema *de fine Ecclesiae* proleptice et incohative realizato in hoc saeculo in Communione Sanctorum, et de *Ecclesia caelesti* tamquam fine ultimo quo Ecclesiae in terris.

B) *Notanda in specie. a*) Pag. 7, § 1, linn. 6-7. In hoc prooemio, et alibi pluries in schemate, Ecclesia denominatur « in Christo signum et instrumentum seu veluti sacramentum... ». Nec immerito. Attamen est desiderandum ut clarius in luce ponatur Ecclesiam esse tum sacramentum tantum, tum rem seu realitatem sacramenti, et quidem utrumque visibiliter dispositum et manifestatum; nec est ullatenus suggerendum Ecclesiam visibilem esse sacramentum tantum, Corpus Christi mysticum autem esse rem ipsius sacramenti.

b) Pag. 7, § 2, linn. 22-24. Supersedendum est ab usu thematis « Ecclesia ab Abel ». Primo, quia usus thematis videtur offendere contra criteria iure statuta in commentario, nempe, « docere quae universaliter agnita sunt » (pag. 44); secundo, quia, quantumvis vetus, hoc thema non est nisi constructio theologica quae non meretur introduci in constitutionem dogmaticam; demum, quia omnia quae exprimenda sunt mediante hoc themate, possunt commode proponi quin ad id thema recurratur. Et ita declinabuntur ambiguitates et confusiones facile gignendae usu vocis « Ecclesia » (ferme prima vice in corpore constitutionis) sensu a-temporali et a-sociali.

c) Pag. 8, §§ 3-4. In his duobus capitibus continuitas inter Vetus et Novum Foedus, una cum suis respectivis plebibus, magis apparet quam dis-continuitas inducta transcendentia Christi condentis Novum Testamentum in suo sanguine (videsis *Col.* 2. 17). Utique « novitas » non negligitur, sed radices historicae istius novitatis non sat firmiter et distincte recensentur et ponderantur in schemate.

d) Pag. 8, §§ 3-4. Praeterea, Ecclesia « de Trinitate » in his iisdem capitibus ita elaboratur ut ne mentio quidem fiat de Christo *mittente* suum Spiritum in suam Ecclesiam et in suos apostolos. Talis elaboratio eatenus videtur artificiosa et improbanda. Missiones sequuntur processiones.

e) Pag. 9, § 5. Transitus a themate populi Dei ad thema Corporis Christi videtur nec facilis nec clarus.

f) Pag. 10, § 6. Valde plorandum est schema, uti iacet, suggerere 1) thema biblicum « Corpus Christi » non esse nisi locutionem metaphoricam (seu « imaginem »), omni sensu proprio et realissimo posthabito; 2) thema « populus Dei » non esse annumerandum inter *imagines* Ecclesiam depingentes.

g) Pag. 11, § 7, linn. 12-13. Corrigatur hoc modo: « ... ita socialis organismus Ecclesiae Christo in exaedificando Corpore inservit ». Melius et rectius dicitur, ad verificandam analogiam notatam in priori sententia huius cap. VII, linn. 8-10, Ecclesiam esse instrumentum inserviens *Christo Domino* eiusque operi. Est autem Spiritus Christi qui reddit Ecclesiam idoneum instrumentum Christi. Vide Litteras Encyclicas *Mystici Corporis Christi,* par. 30 (*A.A.S.,* 35, 1943, pp. 206-7).

h) Pag. 11, § 7, linn. 23-24. Fiat sequens additamentum: « ... quae ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam *ex pondere suo* impellunt ». Est admittendum talia elementa sanctificationis extra-vagantia de facto plus minus cohiberi elementis antitheticis cum quibus actu coexistunt.

i) Pag. 12, § 8, linn. 3 ss. Non liquet cur in hoc contextu abstineatur ab usu vocis biblicae « membrum », quia ista vox alibi in schemate adhibetur, et praeprimis quia verbum « incorporantur », adhibitum linn. 3-4, idem sonat atque « membrum fieri et esse ».

Praeterea, quando est sermo de ratione membri in Ecclesia, nullatenus apparet cur nulla explicita mentio fiat de dimensionibus interioribus et pneumaticis incorporationis. Secus vergimur ad conceptum membri nimis extrinsecum et superficialem.

j) Pag. 12, § 8, linn. 10-11. Nulla est ratio cur in quaestione de gravibus peccatoribus recurratur ad terminologiam augustinianam cum eius ontologia platonica, distincto tò videri et tò esse; attamen, in omni hypothesi, male suggeritur peccatores esse in Ecclesia — si non cordetenus — dein ergo ad instar corporis exanimis. Pia Mater Ecclesia non ita dure sentit.

k) Pag. 12, § 9. Nonne accuratius et utilius est distinguendum inter baptiza-

tos a-catholicos qui fruuntur sacrificio eucharistico et eos qui non? Tale discrimen videtur fere aeque momentosum ac inter baptizatos et non baptizatos.

l) Pag. 12, § 9, linn. 31-32. Sententia « Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio », est adeo vaga et indeterminata ut exigat ulteriorem clarificationem. Praeterea, vox « communio » quae pro dolor practice parvi penditur in schemate, quaeque tamen traditionaliter est vox penitus ecclesiastica, minus utiliter introducitur in hoc contextu.

m) Pag. 13, § 10, linn. 22-23. Legatur: « ... ut sic *usus viae salutis* pro eis facilitetur et amplificetur ».

n) Pag. 23, § 11, lin. 10. Vox « rupem » non videtur esse apta ad depingendum munus petrinum; melius adhibetur *saxum fundamentale,* vel aliquid simile.

o) Pag. 23, § 11, linn. 16-19. Citetur vel adhibeatur sententia *in sua integritate* ex Concilio Vaticano I, una cum clausula heic infeliciter praetermissa, nempe, « ... et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, B. Petrum etc. ». Non leve est discrimen inter sententiam cum supra-dicta clausula dempta, et cum eadem clausula adnecta.

p) Pag. 23, § 11, lin. 19. « Quam doctrinam... etc. ». Mutetur vox « Quam », nam illud pronomen relativum non habet adaequatum antecedens cui refertur. Certe sententia immediate antecedens non est adaequata summula doctrinae de « institutione, perpetuitate, vi et ratione sacri apostolici primatus... » (linn. 19-20).

Legatur ergo sententia hoc modo: « Doctrinam Concilii Vaticani I de institutione, etc. ... haec Sacrosancta Synodus suam facit... ».

q) Pag. 24, § 12, lin. 1. Expungatur phrasis « ex iisdem electum », nam indebite favet systemati cuidam theologico.

r) Pag. 24, § 12, linn. 6 ss. Nonne in hoc contextu est introducenda missio Spiritus Christi apostolis facta, et tam instanter in Sacra Scriptura notata?

s) Pag. 24, § 12, linn. 9-14. Difficile est, sine distinctionibus subaudiendis, cohaerenter applicare metaphoram « fundamenti » et « aedificii » in hoc contextu. Sequentia tamen sunt notanda: Petrus est fundamentum (secundarium iuridico-sociale) universalis ecclesiae, *ceteris apostolis inclusis* (videsis ultimam sententiam *DB* 1822); at apostoli, collective sumpti una cum et sub Petro, fundant *ceteros fideles.*

t) Pag. 24, lin. 40 - pag. 25, lin. 1. Legatur hoc modo: « ... Petro uti apostolorum omnium principi et *totius ecclesiae militantis visibili capiti* concessa et successoribus eius transmissa... » (cf. *DB* 1823).

u) Pag. 27, § 16, linn. 12-13. Complenda est sententia hoc modo: « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem, *quae vere episcopalis est;* ... » (cf. *DB* 1827; *C.I.C.* 218).

Forte est fastidiosum, et punctum non nimis premendum, sed schema praedicat Romanum Pontificem habere potestatem « in Eccles*ia* » (lin. 12), collegium episcoporum tamen habere potestatem « in universam Eccles*iam* » (lin. 17).

v) Pag. 27, § 16, linn. 16-17. Legatur hoc modo: « ... subiectum *consors* plenae et supremae potestatis... ».

w) Pag. 27, § 16, lin. 18. Vide supra, sub littera *n*).

x) Pag. 27, § 16, linn. 27-28. « Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam continenter roborante ». De novo redigatur haec phrasis, quia 1) eius

significatio est sat vaga; et 2) neologismi (vulgo « theological jargon »), quales sunt « organicam structuram », melius evitandi sunt in conciliaribus documentis.

y) Pag. 27, § 16, linn. 30-32. Legatur hoc modo: « Romani Pontificis praerogativa *divinitus concessa* est Concilia Oecumenica convocare etc. ».

z) Pag. 28, § 17, linn. 2-10. Legatur hoc modo: « Sicut Romanus Pontifex, ut successor Petri *et vicarius Christi,* est unitatis tum episcoporum tum multitudinis *fidelium* principium ac visibile fundamentum, ita episcopi singuli, *vicarii Christi, quisque in sua dioecesi,* sunt principium et centrum unitatis in suis Ecclesiis particularibus... Qua de causa singuli episcopi suam Ecclesiam, omnes autem simul cum Papa totam Ecclesiam *incorporant* in vinculo pacis et amoris ». Ratio *fundamentalis* cur episcopi habiles sint « repraesentare » et cur de facto repraesentent suas ecclesias, stat in hoc quod sunt veri vicarii Christi, i. e., vices Christi gerunt et ergo eum repraesentant. Quia episcopi ita repraesentant Christum caput, ergo repraesentant Christi corpus. Nihilominus convenientius est hodie evitare vocem « repraesentare », utique minime insolitam et peregrinam in praeteritis aetatibus Ecclesiae. Ratio istius convenientiae stat in hoc quod hodie tot in plagis mundi ista vox ineluctabiliter evocat systema democratiae repraesentativae. Loco « repraesentare » inseratur vox « incorporare » (vulgo " embody "), vel aliud simile.

aa) Pag. 29, § 18, linn. 8-9. « ... Spiritus qui ... misit apostolos... ». Quo iure Spiritus dicitur misisse apostolos? Ipse Christus misit in mundum suos apostolos in solidarium vicariatum pro seipso suoque opere, simul promittens apostolis suum Spiritum ut « sit cum vobis in aeternum » (*Io.* 14, 16; cf. *Io.* 14, 26; 16, 7; 16, 13-14). Schema nec bene nec adaequate in luce ponit nexum intimum inter missionem apostolicam et missionem pneumaticam, utramque ortum suum ducentem a Christo mittente. Dolendum est quam exiliter mysterium Pentecostes, factum tam centrale in historia salutis, in hoc schemate exponatur; cui defectui certe est medendum.

bb) Pag. 29, § 19, linn. 37-40. Sententia videtur esse omnino tautologica: i. e., concilium (seu corpus episcopale in uno loco convocatum) ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam (i. e., Ecclesiam hierarchicam seu corpus episcopale) in definiendo doctrinam instructam esse voluit. Unde vel emendanda vel delenda est haec sententia.

cc) Pag. 29, lin. 40 - pag. 30, lin. 3, § 19. Legatur hoc modo: « Romanus Pontifex quoque per se gaudet infallibilitate, quando, ut omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, et fratres suos in fide confirmans, doctrinam de fide vel moribus definitivo actu proclamat ».

dd) Pag. 30, § 19, linn. 7-10. Sententia « Quando enim... exponit vel tuetur », emendanda est. Primo, particula illativa « enim » (lin. 7) delenda est, nam ratio fundamentalis prioris asserti de irreformabilitate definitionum Romanorum Pontificum et de invaliditate appellationis ad aliud tribunal, minime invenitur in hoc praesenti asserto; cur ergo illa particula « enim » inseritur?

Secundo, quando asseritur Papam (et idem valeret de Conciliis) in definiendo exponere vel tueri « doctrinam fidei catholicae, divinitus Ecclesiae commissam » (lin. 9), hoc dictum potest inflecti in favorem opinionis theologicae ne specietenus quidem admittendae in constitutionem dogmaticam, nempe, Romanos Pontifices (et Concilia) non valere definire nisi ea quae actu et explicite continentur in praesenti professione fidei in Ecclesia catholica contemporanea. Et ita ex facto *ordinario*

maturationis vitae doctrinalis in Ecclesia catholica, quae quidem maturatio sancienda erit infallibili oraculo Pontificum (vel Conciliorum), male et iniuriose fit regula ferrea. Nec RR. Dominus Vincentius Gasser in suo celebri commentario apud Concilium Vaticanum I tale quid ullatenus proposuit; e contra, clare Gasser edixit « regulam illam de consensione ecclesiarum in praedicatione *praesente* valere solummodo in sensu positivo, nullatenus vero in sensu negativo » (Mansi 52, 1217 A-B), nec omisit relator Gasser notare (*ibid.*, 1217, 8) in controversiis, deficiente tali concessione, Pontifices, tamquam *iudices fidei,* posse procedere ad rem peremptorie dirimendam, utique secundum Scripturam et traditionem. Fatendum est, nisi fiat discrimen accuratum inter ordinem stricte iuridico-socialem et ordinem meta-iuridicum communionis ecclesiasticae, problema cui schema velit obviam iri, non solutum iri.

ee) Pag. 30, § 19, linn. 19-21. Legatur hoc modo: « ... per media apta, inter quae recensentur etiam consilia theologorum et exegetarum... ».

ff) Pag. 31, § 21, linn. 13-14. Legatur hoc modo: « Ipsis, *prout pastores locorum iure condecet,* cura cotidiana ovium suarum plene committitur... ». Intentum schematis videtur in eo esse ut in tuto collocet *ordinariam* potestatem episcoporum — (cum qualificatione « ordinaria » significante non solum id quod est muneri adnectum, sed etiam id quod est *solitum vel usitatum*) — prae potestate papali quae in suo ordine praedicatur *ordinaria* (vide *DB* 1831). Si clarius fit indolem ordinariam (et immediatam) episcopalis potestatis esse propriam episcoporum uti *ordinariorum locorum,* easdem tamen qualificationes, qualiter de papali potestate praedicantur, esse proprias Summorum Pontificum uti episcoporum orbis seu *oecumenicorum,* dein melius videtur tum « ordinarietatem » tum « immediationem » harum potestatum versari in specifice diversis ordinibus et ergo non mutuo seipsas elidere.

gg) Pag. 31, § 21, linn. 19-22. Omittatur clausula « dum Spiritus Sanctus... sustinebit ». Quod quidem dictum est in se verissimum et omni exceptione maius. Nihilominus non est cur in hoc praeciso contextu introducatur, quia idem prorsus valet de omni negotio ecclesiastico ubicumque elementum debile humanum potest perturbare dispositiones divinitus fixas. Praeterea, si dictum admittatur in schemate, aliqui forte ex eo concludent non posse firmius et distinctius statui criteria iuridica in hac tota quaestione. Quod merito est dubitandum.

47

Beat.mus P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Cap. I: De Ecclesiae mysterio.

1. *Considérations générales.*

a) Le *prooemium* indique, dès le début, le sens pastoral de ce qui sera dit (pag. 7, ligg. 10-15): parler le langage d'aujourd'hui, adapté aux circonstances d'aujourd'hui.

b) Le chapitre premier est d'une grande richesse biblique et théologique. Il rattache l'Eglise à la Trinité: elle est l'œuvre des Personnes divines (pag. 7, par. 2, ligg. 16-20; pag. 8, par. 3, ligg. 5-8; pag. 8, par. 4, ligg. 35-37). Elle

continue, dans le temps, l'œuvre et la mission du Verbe Incarné (pag. 8, par. 3). L'Esprit Saint en est l'âme (pag. 9, par. 5, ligg. 40 ss.).

c) Ce chapitre insiste sur la relation de l'Eglise au Christ glorieux (pag. 9, par. 5, ligg. 9-11), et sur le rôle eschatologique de l'Eucharistie, nourriture du Corps mystique (pag. 10, par. 5, ligg. 7-10).

d) Il insiste sur le rôle de la Tête, le Christ, qui dirige l'Eglise et la remplit de sa vie (pag. 9, par. 5, lig. 26).

e) Il insiste, mais d'une manière moins raide et absolue que dans le texte de la première session, sur l'identité de la société visible et du Corps mystique dans l'Eglise (pag. 11, par. 7, ligg. 7-9), elle qui est formée de deux éléments, comme le Verbe Incarné (pag. 11, par. 7, ligg. 10 ss.). C'est pourquoi, elle est à la fois supratemporelle et incarnée dans le temps (pag. 8, par. 3, ligg. 22-23).

f) Il insiste, avec raison, sur la relation de l'Eglise et de la pauvreté (pag. 11, par. 7, ligg. 26 ss.).

2. *Considérations particulières.* Trois remarques sont à faire, ici:

a) la première concerne la doctrine du *Corps mystique*:

L'expression paulinienne, « Corpus Christi », de l'Encyclique *Mystici Corporis,* trouve dans notre schéma un complément de précisions: étant donné le contexte dans lequel les auteurs de texte ont voulu envisager l'Eglise: le dessein éternel de salut, la mission du Christ qui envoie son Esprit et fonde, dans le monde, l'institution positive qu'est l'Eglise, au sens strict du mot.

L'Encyclique insistait, en effet, sur le sens social et l'aspect corporatif de l'Eglise: Corps social, visible, organisé, hiérarchisé.

Le présent schéma inclut ce point de vue exact, et lui ajoute certaines considérations importantes: nous sommes le Corps du Christ, en ce que chaque fidèle est, même corporellement, uni au Corps du Christ, pascal et glorifié, et qu'il l'est par les moyens-sacramentels du baptême et de l'Eucharistie (pag. 10, par. 5, ligg. 7-10).

Ce faisant, le schéma n'a pas privilégié l'image du Corps au détriment d'autres images, bien qu'il lui donne une certaine primauté. Parmi ces images, certaines expriment davantage l'identité entre le Christ et l'Eglise, certaines autres, plutôt l'altérité. Toutes sont nécessaires pour tenter de cerner le mystère de l'union du Christ et de son Corps mystique.

b) La seconde remarque concerne la notion de l'Eglise-sacrament de l'Evangile et du salut (pag. 7, par. 1, ligg. 5 ss.; pag. 8, par. 3, ligg. 21 ss.; pag. 11, par. 7, lig. 25).

Cette notion doit, me semble-t-il, être gardée. Elle est très riche; elle peut signifier « mystère de foi, et réalité opérante du salut », et peut, dans une théologie du salut proposée au monde entier, être très intéressante et très suggestive: l'Eglise exerce le ministère de la vie spirituelle dans le Christ, et prolonge, dans le temps, en tant qu'Eglise, le rôle de l'Humanité du Christ Sauveur.

c) La troisième remarque concerne la question des « membres »:

Le texte n'emploie pas le mot « membre ». Il décrit seulement des situations où l'on peut se trouver par rapport à l'Eglise: pleine appartenance, appartenance *voto,* liens divers qui existent entre les chrétiens non-catholiques et l'Eglise.

Cette position des auteurs du schéma vient, me semble-t-il, de l'élargissement qu'ils ont donné, et avec raison, à la doctrine paulinienne du « Corpus Christi quod est Ecclesia »; autrement, si on continuait à identifier purement et simple-

ment Corps du Christ et Eglise visible, hiérarchique, sans aucune distinction d'aspects, les hommes, même justifiés et les Saints n'auraient pas pu être appelés « membres » de l'Eglise visible romaine.

A cause même de cela, le schéma laisse la question, sur ce chapitre, ouverte, et acquiert, pour autant, une valeur œcuménique.

De toutes façons, il me semble meilleur de maintenir toute cette partie concernant les *membres* de l'Eglise dans ce schéma dogmatique et de ne pas la mettre dans le schéma sur l'Œcuménisme.

3. *Considérations subsidiaires.*

a) Par rapport au schéma présenté à la première session, le schéma que nous avons entre les mains offre les qualités suivantes:

b) Il insiste sur le mystère du Christ vivant dans son Corps mystique; il parle de l'Eglise en rapport avec la mission du Fils de Dieu, opère un retour au réalisme spirituel de la tradition grecque, qui subordonne l'appartenance juridique à l'Eglise à l'appartenance sacramentelle et mystique.

c) Il n'a pas employé le mot « membre », à juste titre, parce que le terme « membre » est pris au corps humain, et qu'il est déficient pour rendre les liens qui unissent le croyant à son Chef.

d) Le schéma n'emploie pas les termes « nécessité de moyen » à propos de l'Eglise, et avec raison, me semble-t-il (pag. 11, par. 8, ligg. 35-36). Mais en parlant de la nécessité du baptême, le schéma la compare à celle de l'Eglise, en mettant une équivalence entre les deux (pag. 11, par. 8, lig. 39 - pag. 12, par. 8, ligg. 1-2). L'Eglise est, certes, bien nécessaire de nécessité de moyen, mais aussi comme un moyen d'institution divine *positive*: on peut être sauvé sans lui appartenir effectivement, *re,* tandis qu'on ne peut pas l'être, sans avoir *effectivement* la charité et donc la foi.

e) Cependant, nous aurions voulu que la dimension missionnaire de l'Eglise fût davantage marquée dès le début du schéma. Elle est énoncée à la pag. 7, lig. 7 et pag. 11, par. 10, ligg. 24-26 surtout, mais en passant, sans relief aucun.

f) Dans le même sens, et par conséquence, l'aspect de la relation de l'Eglise à la volonté salvifique universelle n'est pas, à mon avis, suffisamment marqué.

g) L'aspect de la relation de l'Eglise à la Pentecôte n'est pas non plus suffisamment clair.

Cap. II: De constitutione hierarchica Ecclesiae, et in specie: de episcopatu.

1. *Considérations générales.*

a) Les questions qui embarrassent les théologiens sont entre autres: l'Eglise est-elle monarchique ou hiérarchique? Les Evêques participent-ils au pouvoir du Pape, ou reçoivent-ils directement leur pouvoir du Christ Seigneur? L'Eglise est-elle collégiale, le Pape étant Caput collegii, et agissant comme tel?

L'Eglise est bien cela. Elle est collégiale. Mais il faut toujours préciser que le Pape tient sa Primauté, non de l'élection du collège ou de l'existence du collège, mais d'un don direct fait personnellement à Pierre. Ce don a été fait à Pierre, pour qu'il soit la tête du collège.

Dans le par. 12, pag. 23, lig. 31; dans le par. 16 tout entier, pag. 27, et dans le par. 19, pp. 29 et 30, lig. 1, nous trouvons l'affirmation du *collège*. Ce terme n'est pas scripturaire, mais déjà entré dans les textes du magistère.

D'ailleurs, il faut bien noter que le schéma emploie l'expression « ad instar collegii », probablement pour éviter d'établir une identification de l'institution apostolique avec toute autre forme juridique humaine.

b) L'affirmation de la sacramentalité de l'épiscopat, au par. 14, pag. 25. Cette affirmation est faite ici sensiblement dans les mêmes termes que le premier schéma proposé.

En admettant ce paragraphe, l'on mettrait fin à une discussion qui a trop duré entre théologiens, l'accord s'étant fait presque entièrement sur la sacramentalité de l'épiscopat.

Le Concile voudra-t-il proposer ce point comme une définition? La tradition l'appuierait.

Mais une fois cette définition faite, si elle était faite, il faudrait, me semble-t-il, affirmer que le Concile n'entre pas dans des questions d'Ecole, comme de reconnaître que la distinction entre épiscopat et presbytérat est de droit divin, ou d'établir les relations entre épiscopat et presbytérat.

c) Prêtres et Diacres (par. 15 pp. 25 et 26). On a bien fait de leur consacrer tout le par. 15, pour donner une vue d'ensemble des différents degrés de la hiérarchie ecclésiastique et de leur relation.

Il me semble qu'on a bien fait de ne pas porter une loi générale sur le célibat des diacres (pag. 26, ligg. 39-41).

Ne faudrait-il pas étendre ces réflexions sur le célibat et le mariage aux prêtres eux-mêmes, en laissant la décision aux mains de la Hiérarchie dans les différentes régions? Je suis amené à porter cette réflexion, à cause de la disette de prêtres, dans des régions autrefois chrétiennes. Certes, il faut défendre le célibat. Mais le célibat n'est pas une fin en soi. Dans l'Amérique du Sud surtout et dans d'autres régions du monde, le manque de vocations, d'une part, la défection morale de nombre de prêtres célibataires et le scandale qui s'ensuit, d'autre part, doivent être pour le Concile un sujet de préoccupation. Les fidèles risquent de se paganiser, travaillés qu'ils sont par tant d'idéologies subversives. Par ailleurs le Protestantisme est aux portes et menace d'enlever les fidèles à leur foi catholique.

d) Rapport du Pouvoir collégial des évêques et de la plénitude du pouvoir que comporte le Primat. C'est ici la question la plus importante de ce second chapitre. Qu'en est-il?

Cette question est abordée au par. 16 fin et au par. 17: les évêques ont-ils fondamentalement un pouvoir dépassant leurs diocèses? Et s'ils l'ont, serait-ce en vertu d'une participation à la puissance, seule plénière et universelle du Pape (le Pape serait alors finalement seul législateur universel), ou bien en vertu même de leur consécration qui leur donne un pouvoir radical universel (par delà le Siège particuler auquel ils ont été appelés), qu'ils actualiseraient lors de leur réunion en Concile? Ne sont-ils pas avec le Pape, porteurs du pouvoir plénier et suprême sur l'Eglise universelle?

Notre texte n'entre pas dans ces discussions. On peut l'accepter tel quel.

Deux passages, cependant, délicats à noter: par. 16, pag. 27, ligg. 34-39, où est affirmée la nécessité d'un accord du Pape, pour qu'un acte collégial existe et ressortisse son effet. Ce point est accepté. Par. 17, pag. 28, ligg. 11 ss.: chaque évêque exerce son pouvoir pastoral proprement dit sur *son* diocèse. C'est vrai. C'est admis par tous les théologiens. Mais chaque évêque « officio tenetur » à s'intéresser à toute l'Eglise. Par là, il n'exerce pas un acte de juridiction propre-

ment dite, ni le pouvoir pastoral au sens strict. Il y a pouvoir radical universel conféré par la consécration elle-même, qui a fait que l'évêque devient membre du collège épiscopal.

Il faudrait garder la porte ouverte à la discussion de ces deux thèses jusqu'à ce que clarté plus grande se soit faite.

2. *Considérations subsidiaires.*

a) L'ensemble de ce chapitre semble embarrassé, incomplet et peu satisfaisant. Ses affirmations restent générales.

b) Bien des points de l'enseignement du Concile sur l'épiscopat ont été parsemés dans trois schémas différents: le présent, celui sur le « de cura animarum », et celui du « de dioecesium regimine ». Un seul *de episcopo* est nécessaire, où l'on joindrait tous les éléments épars.

c) Le schéma parle de la sacramentalité de l'épiscopat, nous l'avons vu. Mais il ne dit pas comment on entre dans le collège épiscopal. Il ne dit pas que c'est par la consécration épiscopale. Ce qui affirmerait nettement que la structure de l'Eglise est à base sacramentelle plutôt qu'à base juridique. L'organisation juridique est-elle première et autonome, ou bien est-elle l'organisation d'une réalité d'abord sacramentelle. Les deux points de vue ne sont pas à séparer. Il y a cependant une priorité. Par la consécration épiscopale, l'évêque est assumé dans le collège épiscopal et voué à la mission de ce collège. Mais il n'aura la plénitude des puissances apostoliques que dans la communion du collège présidé par le successeur de Pierre.

d) Par. 19, pag. 29-30. L'on peut, me semble-t-il, s'étonner de voir que dans ce par. réservé au « munus docendi » des évêques, l'on parle du magistère papal.

Serait-ce pour la nécessité de l'exposé: donner un ensemble de doctrine sur le magistère? Serait-ce pour donner ici le contenu d'un parag. de l'ancien schéma sur l'autorité dans l'enseignement ordinaire du Pape (pag. 30, ligg. 23-29)? Serait-ce pour créer l'occasion d'une explication du « ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae » de Vatican I (Denz. 1839), réclamée par quelques prélats, surtout Orientaux, lors de la première session?

Cette explication, en effet, est urgente sur le plan œcuménique: cette formule « ex sese » étant souvent mal comprise par les non-catholiques, comme si le Pape pouvait, en son nom propre, définir une doctrine, même si elle n'est pas crue déjà par l'Eglise.

L'explication donnée ici de cette formule (pag. 30, ligg. 6-7) est exacte, et, en soi, elle suffit. Il faudrait peut-être l'expliciter davantage, pour répondre à la difficulté psychologique des non-catholiques.

e) En parlant de la sacramentalité de l'épiscopat, certains points, me semble-t-il, restent à développer ou à élucider:

1) le sacerdoce lui-même, sa nature, puisqu'on y rattache l'épiscopat;

2) le caractère épiscopal et son rapport au caractère que reçoit le simple prêtre. Celui-ci est-il une simple participation de celui-là?

3) déclarer d'une manière plus explicite les liens de l'épiscopat et de la mission;

4) unir davantage et plus clairement le pouvoir de juridiction et le pouvoir d'Ordre;

5) unir davantage, en somme, consécration, pouvoir épiscopal, et mission pastorale, pour enlever toute allure juridique à la première — la consécration épiscopale — et donner plus de fondement sacramentel à la collégialité;

6) de même que l'Eglise (cf. chapitre 1er), continue ici-bas la mission du Verbe Incarné qui vit en elle et la fait vivre de sa vie, de même l'évêque qui est le centre visible de l'unité de son Eglise particulière et le successeur des apôtres, prolonge ici-bas la mission du Fils, au service du Corps du Christ (St Ignace d'Antioche);

7) de même que le schéma établit, dans le premier chapitre, une relation de l'Eglise au Christ glorifié, il faudrait, me semble-t-il, établir de même un rapport entre la résurrection du Christ, le don de l'Esprit et la mission hiérarchique des douze (cf. *Actes* 1, 4-9);

8) si l'on fait ainsi attention à la sacramentalité de l'épiscopat, les évêques titulaires qui semblaient absents du schéma de la première session, ont leur place dans l'Eglise. Ce qui définit l'évêque, c'est son rapport organique à l'édification du Corps du Christ, selon la puissance sanctifiante, sacramentellement communiquée dans l'Esprit. Par là, la distinction entre évêques résidentiels et titulaires serait réduite;

9) quel est proprement le sens du magistère des évêques réunis en Concile: puisque: 1) le Pape peut définir solennellement lui seul au nom de toute l'Eglise?, 2) puisqu'il peut prendre le parti de l'opinion de la minorité?, 3) puisque c'est le Pape qui doit confirmer l'enseignement des évêques?

10) quelle est donc, en tout cela, la place des Patriarches? Les affirmations faites, dans le schéma « de Ecclesiis Orientalibus », nous l'avons dit en son temps, sont moins que suffisants. Ne serait-il pas utile de porter, dans ce schéma dogmatique, non point une affirmation dogmatique (les Patriarches sont d'institution ecclésiastique), mais d'établir leur relation à l'épiscopat, suivant la tradition historique deux fois millénaire.

Ce point ne peut qu'avoir les meilleures répercussions œcuméniques: toute ambiguité serait évitée, les cœurs s'uniraient davantage et les Eglises séparées retrouveraient davantage le chemin de la *Catholica.*

Cap. III: De populi Dei et speciatim de laicis.

Dans son ensemble, ce chapitre est excellent, et il faudrait le conserver tel quel: théologie, spiritualité, précision dans un domaine nouveau pour un Concile.

Quelques petites remarques, cependant, me semblent nécessaires:

a) Dans la définition du « laïc », on parle du baptême qui l'intègre au Corps du Christ. On devrait, me semble-t-il, insister sur le sacrement de Confirmation qui habilite le baptisé à la mission du Corps du Christ dans lequel il est entré (pag. 6, lig. 32).

Certes, le texte parle de l'onction du S. E. (pag. 7, par. 24, lig. 6), mais il faudrait intégrer cela à l'endroit désigné.

b) La distinction entre le sacerdoce des fidèles et celui, ministériel, des prêtres, est nettement indiquée (pag. 7, ligg. 17-24). On l'avait déjà fait dans le schéma « de apostolatu laicorum », et avec raison.

c) Il est bon que ce chapitre insiste sur l'origine sacramentelle de l'Eglise (pag. 7, lig. 22).

d) Ce texte nomme bien les parents parmi ceux qui doivent communi-

quer la foi. Cela rejoint ce que nous disions dans nos remarques sur le schéma « De revelatione » (pag. 3, n. 3). Il faudrait cependant ajouter ici mention plus large des laïcs, en général (pag. 8, lig. 1; cf. pag. 9 lig. 15).

e) Le texte parle du *sensus fidei* du peuple chrétien. C'est là une réalité capitale pour le développement du contenu de la foi. On aurait pu en parler dans le « De revelatione » (cf. nos remarques sur ce schéma, pag. 2, n. 2). On mettrait en rapport étroit ce *sensus fidei* avec la tradition elle-même.

f) Il faudrait noter que les fidèles ne profitent pas seulement à l'incrementum quantitatif de l'Eglise. Ils profitent aussi à son développement qualitatif, dans la foi et la sainteté (pag. 8, ligg. 39-40; pag. 9, ligg. 20-21).

g) Le schéma insiste, comme nous l'avons trouvé dans d'autres schémas, sur la nécessité de se sanctifier, pour les laïcs, par les *opera saecularia*. C'est à travers ces œuvres qu'ils travailleront à l'instauration du règne de Dieu (pag. 9, ligg. 37-41; pag. 10, ligg. 5-6).

h) Le texte insiste, avec raison, sur l'apostolat des laïcs, qui est une participation à la mission de l'Eglise (pag. 9, lig. 2).

i) De bout en bout, les relations de la hiérarchie et des fidèles sont précisées: aussi bien les devoirs de la hiérarchie que ceux des fidèles (pag. 8, ligg. 24-36; pag. 10, ligg. 23-38; pag. 5, ligg. 9-11).

j) Si le texte bénit et cherche à promouvoir les laïcs dans leur mission, à l'intérieur de l'Eglise, il n'en proscrit pas moins, et avec raison, tout laïcisme destructeur (pag. 10, ligg. 20-22).

Cap. IV: De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.

Ce dernier chapitre du schéma « de Ecclesia » n'appelle, à mon avis, pas de remarques. On pourrait le conserver tel qu'il est.

Bien organisé, il est composé de deux parties: la première traite de la vocation à la sainteté de tous les membres de l'Eglise. La seconde parle des états de perfection dans l'Eglise. Le tout baigne dans une atmosphère riche de doctrine théologique et spirituelle sûre.

48

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Cap. II, n. 15. Hic numerus videtur melius collocandus in contextu totius capitis sive quoad ipsum locum sive, praecipue, quoad nexum cum iis quae praecedunt et cum iis quae sequuntur. Ultima periodus insuper ita substituatur: « Quo in casu ad Ecclesiae supremam auctoritatem spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

Optandum denique quod clare indicetur *sacerdotii plenitudo,* qua episcopus pollet, et, si res a peritis matura iudicabitur, quaestio definiatur de absoluto et exclusivo episcopi officio sacramentum ordinis conferendi ita ut numquam officium hoc non episcopis delegari possit.

49

Exc.mus P. D. PAULUS NGUYEN VAN BINH
Archiepiscopus Saigonensis

N. 7, page 11, lignes 7 à 13: « Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus... ideoque ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur ».

Ceci a un sens exact et traditionnel: le mystère de l'Incarnation a été une « économie », comme disent les Pères grecs, adaptée à notre condition humaine. Le Verbe de Dieu a pris chair pour manifester de manière visible le message de Dieu voulant sauver les hommes, et le corps du Christ a été l'instrument de la Rédemption. Suivant la même méthode la révélation reste dans et par l'Eglise rattachée à des signes visibles et à des gestes d'homme.

Mais ce qui suit est moins heureux: « *Sicut enim natura assumpta Verbo divino,* ut vivum instrumentum salutis inservit, ita socialis organismus (!) Ecclesiae Spiritui Christi ex aedificando Corpore inservit ».

A proprement parler le Christ, en tant que Verbe de Dieu, n'assume pas son Eglise comme il l'a fait de son propre Corps, singulièrement. L'union à son corps humain est « personnelle » au sens le plus strict; elle est dite « hypostatique ». L'Esprit du Christ n'est pas uni de cette même façon à l'Eglise. Celle-ci est composée d'une multitude de personnes dont l'unité n'est pas substantielle: elle ne se fait que par l'union de chaque membre au Christ.

Il suffirait donc de supprimer cette phrase qui est équivoque et n'ajoute aucune lumière à ce qui précède.

50

Exc.mus P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Pars I.

Suggestiones. Huic schemati corollarium addatur, principium *sentire cum Ecclesia* elucidans, uti prosit omnibus praesertim fidelibus circa aspectus sequentes: *a*) quam relationem et obligationem habet unusquisque fidelium erga Sanctam Matrem Ecclesiam in seipsa consideratam; *b*) quam relationem et obligationem habet unusquisque fidelium erga Sanctam Matrem Ecclesiam ut societatem; *c*) quam relationem et obligationem habet unusquisque fidelium erga Sanctam Matrem Ecclesiam relate ad gubernium civile; *d*) quam relationem et obligationem habet unusquisque fidelium erga Sanctam Matrem Ecclesiam relate ad rem politicam.

Pars II.

Super hoc schemate animadversionem neque emendationem proponendam habeo.

51

EXC.MUS P. D. THOMAS LEO PARKER

Episcopus Northantoniensis

Pars I.

Pag. 4, lin. 29: perhaps omit « episcopos regere » because *Acts* 20, 28, may be indistinguishable from « presbyteros ».

52

EXC.MUS P. D. IOSEPH PERNICIARO

Episcopus tit. Arbanensis, aux. Planensis Albanensium

Schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* (I et II).

Ea praesertim quae respiciunt collegium episcoporum, eorum ministerium et facultates in universa Ecclesia, adprobo.

Opportunum videtur id quod statuitur circa diaconos (I, pag. 26).

Opportunum mihi videtur etiam aliquid statuere circa ordines minores: non sint solum gradus, quibus ad diaconatum vel ad sacerdotium ascenditur, sed sint munera, publice ab Ecclesia data iis qui cum sacerdote adlaborant.

Praeterea, caput particulare dedicarem sollicitudini Ecclesiae erga pauperes, cum et ipsa a Christo fundata sit ad annuntiandum pauperibus Evangelium regni et ad eos fovendos ardore suae caritatis.

53

EXC.MUS P. D. VILLELMUS PHILBIN

Episcopus Dunensis et Connorensis

Pag. 7, lin. 7. Post *sacramentum* insere virgulam; linn. 8, 10, 13: repetitio vitetur *instantius, instans, instantiam.*

Pag. 9, lin. 38. Inadaequata videtur expressio *ei ministrando suscipiunt.*

Pag. 23, lin. 24. Post *Ecclesiae* inseratur *visibili.*

Pag. 24, linn. 36 et 37. Locutio minus clara.

54

EXC.MUS P. D. ALEXANDER PONCET

Episcopus tit. Basilinopolitanus

Pag. 11, lin. 28. Post verba « peregrinando procurrit » sic mutare quod sequitur: « sanctos et etiam miseros peccatores adhuc in Christo credentes in se complectens, in mundo re vera existens, sed non de mundo », crucem... etc.

Rationes huius emendationis: omnia in hac paragrapho in laudem dicuntur Ecclesiae, quae ad regnum caelorum ducit homines. Unde subito et crudo modo asserere eam peccatores complectere, sine ulla distinctione cum sanctis, abso-

num videtur. Hoc etiam abhorrere facere potest lectorem a tali dictu. Sanctitas quidem in caelum ducit, non peccatum.

Verba a me proposita, nempe « et etiam miseros peccatores » sine mora indicant eorum introitum in caelum non ex peccato provenire, sed hoc non obstante, et per maternam Ecclesiae actionem eos inducentis ad contritionem et paenitentiam.

Verba autem « in Christo credentes » indicant fundamentum spei eorum futurae conversionis et confirmant quod eorum futurus introitus in caelum nullo modo peccatum involvit. Idem dicendum de verbis « re vera » quibus memorantur tentationes huius vitae; unde lapsus multorum, infirmae, non intrinsecae malae voluntatis, spem relinquentis paenitentiae.

Pag. 12, lin. 2. Post verba « in quam homines per baptismum tamquam per ianuam intrant, sic mutandum: « Quapropter Ecclesiae societati reapse, sicut Christo ipsi, incorporantur omnes valide baptizati qui ab Ecclesia non recesserunt per formale peccatum ab eius communione excludens, quamvis forsan ignorantia invincibili nesciunt Ecclesiam catholicam Romanam solam esse veram Christi Ecclesiam, et alii Ecclesiae vel communitati, christiano nomine decoratae, sed ab Ecclesia Romana seiunctae, bona fide adhaereant.

« Hos omnes Ecclesia, notos et ignotos, eodem materno amore prosequitur.

« In praxi tamen, cum solus Dominus intuetur cor (*1 Reg.* 16, 7) ii soli inter adultos baptizatos externe haberi possunt ut Ecclesiae societati incorporati qui integram illius Ecclesiae ordinationem omniaque media salutis in ea constituta agnoscunt, et in compagine visibili eiusdem Ecclesiae cum Christo, eam per Summum Pontificem et episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe non tantum baptismi, sed et externae et explicitae professionis fidei, et sacramenti ecclesiastici regiminis ac communionis.

« Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam quoquo modo pertineat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in sinu Ecclesiae " corpore " quidem, sed non " corde " remanet... » etc.

Rationes huius emendationis: cum modo dictum est homines per baptismum tamquam per ianuam Ecclesiam intrare, omne validum baptismum, sive adulti bonae fidei, sive alicuius usu rationis carentis, in veram Christi Ecclesiam eum introducit. Quomodo ergo talis baptizatus ab hac Ecclesia egredi posset sine formali eius culpa? Membrum ergo huius Ecclesiae Romanae semper remanet, etiam si hoc ipse ignoret.

55

Exc.mus P. D. IOANNES B. PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Pars I.

Praenotamen generale. Schema, licet vestigia nitida illius quod episcopi quidam europaei mense februario p.p. exaraverint, prae se ferat, generatim proprium secutum est iter, clariore rei conceptione apparente, melioris notae latinitatis arridente, Concilio digna habitudine enitente, nempe relinquendi « quaestiones subsidiarias ulteriori investigationi et theologorum studio » (cf. pag. 44, Com., n. 11).

Animadversiones. Vestigiis forsitan illis imputandum est quod in sequentibus censurandum esse existimo.

1. Pag. 9, lin. 26: dicatur: « ... praestat, *quae* tum dirigit tum vita replet ».

2. Pag. 24, linn. 36-37: « Apostoli igitur ab ipso Domino instructi *et accepti mandatis...* ». Quid sibi velit? Nec locutione *et acceptis mandatis* res clarior fieret.

3. Pag. 30, linn. 23-29: ad litteram exhibet propositionem in illo schemate prostantem. Puto in lin. 26 non recte dici *agnoscatur* nec in linn. 26-27, forma passiva adhibita, *adhaereatur*. Textum ita emendarem: « Romani Pontificis... praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscitur et sententiae ab eo propositae sincera praebetur adhaesio, idque... manifestatam ipsius, quae se prodit... ex dicendi ratione ».

Utique, quod ad me attinet, ultimam propositionem relativam (*quae* se prodit...) omitterem, ne de criteriis authenticum quoddam haberetur iudicium tam sollemne, quod nonnumquam periculis plenum esse constat.

4. Difficultas circa magisterium ordinarium. Exsistentia magisterii ordinarii tum Romani Pontificis tum totius per orbem episcopatus Sedi Apostolicae uniti in schemate asseritur (pag. 30, linn. 23 ss.; pag. 29, linn. 29 ss.). Quos textus attente legens comparansque textui quem schema pag. 29, linn. 34 ss. enuntiat, de magisterii ordinarii et exsistentia et essentia dubiis angor, non eo sensu ac si eius exsistentiam in dubium vocarem, sed quaestione pulsante, quandonam tandem habeatur exercitium authenticum magisterii ordinarii de quo constet. Tribus enim textibus a me allatis ob oculos habitis, claritas de magisterii ordinarii et exsistentia et essentia Concilii verbis non augeri videtur, sed magis offuscari et ob nimiam forsitan sollicitudinem protegendi magisterium pontificium quod nemo sanae mentis impetit, doctrina de magisterio non progreditur.

Emendationem textus vel maiorem textuum harmoniam proponere non valeo, sed exprimendam esse difficultatem quam ultimus in interiore Brasilia episcopus (forte absque ratione sufficienti) persentit trium textuum comparatione, censui.

56

Exc.mus P. D. FRANCISCUS RENDEIRO

Episcopus Pharaonensis

1. Pag. 25, n. 14, linn. 33-34: loco negationis: « non sunt nisi ministri Christi et... » melius videtur affirmare: « sunt ministri Christi et... ».

2. Pag. 26, n. 15, lin. 39: expedit declarare *ad quos* praepositos spectat decernere...

57

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ROIG Y VILLALBA

Episcopus tit. Aradensis, vic. ap. Valleduparensis

In cap. I, n. 10, in pag. 13 ad finem addatur: Sancta Mater Ecclesia Deo Matrique eius B. Mariae semper suas orationes effundet ut ad effectum felicem illud Domini nostri Iesu Christi desiderium perveniatur: Ut sit unus pastor et unicum ovile.

In cap. II, n. 15, pag. 26, linn. 28 ss.: quando agitur de *diaconatu* forsitan erit bona consideratio sequens: « In multis regionibus, e. g. in missionibus, perdifficile est consequi sufficientem numerum sacerdotum. Adaptatio diaconorum in

multis ministeriis tanquam cooperatores sacerdotum est pro hodie bona spes: e. g. in praedicatione, administratione sacramentorum baptismi, communionis, matrimonii (assistendo), in administrandis rebus oeconomicis, etc. etc. ».

58

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO

Episcopus tit. Pegaeus

Pars I.

In genere lo schema mi piace, per la sua opportunità, e per la pienezza del dottrinale, appoggiato ad una scrupolosa, imponente documentazione. Forse sarebbe desiderabile qualche alleggerimento, ove il concetto non venga decurtato, per avere un testo più scorrevole.

Farò qualche osservazione, con umile avviso, sapendo di leggere pagine magistrali.

Al cap. I, n. 3, lin. 15 darei alla espressione « *suo Spiritu replevit* », un accento più trinitario, come è evidente al n. 4, *passim.*

Al cap. I, n. 5, lin. 4, farei la stessa osservazione per la frase: « *Mittens enim Spiritum suum credentes* etc. ».

E ugualmente, alla lin. 14: « *Spiritu eius intus operante* ».

Del pari alla lin. 38: « *Spiritus autem Christi est qui* etc. ».

Per non insistere, osserverò che mi sembra troppo frequente questa forma, pur legittima, a preferenza di altra (come annotai allo schema *de Revelatione*) più trinitaria.

Il n. 5 sul « *Corpo mistico* », è davvero un gioiello, per ispirazione, per confluenza di autorità, per immagini scritturali.

Il n. 6, sulle varie *immagini* della Chiesa, è molto bello; ma non mi pare indispensabile, anche perchè si è parlato della *realtà* del *Corpo mistico* nel precedente n. 5.

Tutto il n. 9 (*de nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis*), è, per contenuto e per forma, nello spirito di questo Concilio, una pagina eccellente, ricca di apostolica carità, di sicura dottrina, di opportuna enunciazione.

Al cap. II, n. 15, lin. 2, la frase: « ... *in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantiam transfundunt* » o la cambierei con altra opportuna considerazione, o la adeguerei meglio al testo del *Pontificale Romano* (citato in nota), dove si prega il Signore e si dice: « *Sic et in Eleazarum et Ithamarum filios Aaron paternae plenitudinis abundantiam transfudisti* ».

Nello stesso n. 15, lin. 39, quando si parla del diaconato, come grado permanente, vorrei chiarire le parole « *ad praepositos Ecclesiae* ». Si tratta qui della Chiesa Universale, o della Chiesa intesa nelle giurisdizioni regionali, particolari?

Pars II.

Lo schema mi piace, e per la ispirazione, degna dell'altissimo tema, tanto impegnativo; e per la organicità.

Buona, e maggiormente chiarificatrice, la divisione, con lo spostamento delle due parti: « *De populo Dei in genere* » al 2° posto; e « *De laicis in specie* » al 4°.

Mi sia consentita qualche osservazione, che, a tanti maestri così qualificati, propongo con umiltà.

Al n. 22, lin. 4, mi sembra eccessiva la frase « *cum gaudio animum convertit* ». Invece di « *cum gaudio* », userei un termine più attenuato, per esempio: *volentieri, o con attenzione, o conseguentemente.*

Il n. 23 è tutto degno del grande Concilio: è una pagina profonda, per documentazione, per sintesi dottrinale, per afflato carismatico.

Dalla lin. 17 alla lin. 21 (dello stesso n. 23) cioè dalla parola « *distinctio* » alla parola « *cooperetur* », vorrei, se possibile, una costruzione meglio evidente.

Al n. 24, ottima, solida, la dimostrazione « *De sacerdotio universali* etc. », specie nella elencazione dei fondamenti sacramentali di esso, per i fedeli cristiani *in genere,* dal S. Battesimo, alla Confermazione, all'Eucaristia, al Matrimonio.

Qui però vorrei fare un'osservazione. L'argomento « *De sacerdotio universali* » è provato benissimo, ed efficacemente, con l'apporto dei sacri testi e delle autorità dei Padri dei primi secoli. Occorrerebbe, a parer mio, per ricongiungere l'elenco dimostrativo al recente magistero, colmare meglio l'iato (tanto più che le Note saranno tolte dal testo definitivo) con una rassegna, anche rapida, di testimonianze dello stesso magistero attraverso i secoli intermedi. E ciò per dimostrare l'attenzione *continua* (anche se non con l'accento e quasi con l'urgenza di oggi) della S. Chiesa a questo singolare dono, ed impegno, del popolo cristiano.

La conclusione del n. 24 (che chiude, come mi pare, il cap. II) forma un'altra bella pagina, ricca di consolanti verità sulla ricchezza meravigliosa dell'anima cristiana. È il duplice brano: quello circa il « *sensus fidei* », per il quale del popolo cristiano « *omnes sunt docibiles Dei* »; e quell'altro che ricorda « *varia dona et munera* » elargiti dallo Spirito Santo, a vantaggio della Chiesa e dell'Apostolato.

Col n. 25, comincia il cap. 4, « *De laicis in specie* ».

L'ho letto e riletto, e mi sembra completo. Della sua opportunità in questo Concilio, è superfluo parlare, tanto l'esigenza di cui tratta, è viva nella natura stessa della professione cristiana; e così chiaramente emerge nel magistero della Chiesa, specie negli ultimi tempi. Mentre, alcuni laici — è detto nel paragrafo *a)* da lin. 16 alla lin. 21 — potranno perfino « *deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, officia sacra pro facultate* » supplire; a tutti è fatto obbligo di collaborare, per l'aumento « *extensivum et intensivum totius Corporis Christi* ».

I tre paragrafi *a) b) c)* elencano chiaramente e autorevolmente, i campi diversi e le forme opportune, nei quali, e con le quali, l'apostolato può svolgersi.

Prezioso il paragrafo *c)*, quando dichiara che « *ad omnes christifideles id etiam spectat, ut per opera, etiam saecularia seipsos aliosque sanctificent ita ut mundus Spiritu Christi imbuatur* »; e quando ribadisce i principi dei rapporti tra Stato e Chiesa, in termini, dirò così, universali: con il riconoscimento, da una parte, alla città terrena di reggersi con i suoi principi; e, dall'altra, con la condanna dell'infausto « laicismo » o « secolarismo », nemici della Religione e della libertà cristiana.

Il n. 26 stabilisce, rifacendosi alle più genuine fonti della giustizia, della prudenza e della carità, i rapporti indispensabili tra i fedeli, i laici, e la sacra gerarchia. Questa deve le sue sollecitudini, le sue direttive, le sue vigilanze ai fedeli e ai laici; e i fedeli e i laici debbono fiduciosa obbedienza a coloro che presiedono,

specialmente a quelli, « *quorum auctoritas nomine Christi exercetur* ». E, attenti alle ingiuste o imprudenti censure!

Nel n. 27, mi sembrano *troppo generose* le espressioni, con le quali comincia la *adhortatio*: « *Sacrosancta Synodus, quae magna cum gratitudine conscia est de ingentibus bonis ope omnium christifidelium, ad iugem Corporis Christi aedificationem obtentis,* etc. ». Vi vorrei parole grate, ma in forma più attenuata.

Nel resto, si conchiude con una giusta considerazione: i fedeli siano consapevoli per la dignità della loro vocazione, di lavorare per il Regno di Dio, tanto più che, certe speciali mansioni « *eodem modo ab aliis neque praestatur neque praestari potest* ».

Degna la chiusa, nella quale, tra l'altro, è detto: « *Etiam in difficilioribus adiunctis positi, ne erubescant Evangelium* »!

Nel cap. IV, c'è tanto da ammirare, per l'opportunità di chiudere così splendidamente questa seconda parte della costituzione dogmatica *de Ecclesia*; e per lo svolgimento del grande tema, « *In mysterio Ecclesiae... omnes, sive ad Hierarchiam pertinent, sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur* » (n. 28, *in principio*).

Una è la santità cristiana « *pro omnibus et singulis* », « *sive in saeculo sive in religione degentibus* » (n. 29). Ma questa santità « *in variis vitae generibus et officiis... excolitur* ».

Ispirato, il pensiero di pregare perchè i fedeli rispondano con fedeltà alla grazia di questa vocazione. Ed eccone la stupenda grazia, in rispondenza all'onore e alla gloria che si rende alla Santissima Trinità: « *Quo magis insuper crescit eorum sanctitas, eo clarius Christi mysterium in Ecclesia revelabitur* » (n. 29 e n. 30, *passim*).

Nel n. 31, il Sacro Concilio risponde — dirò così — opportunamente, a quello che a certuni, pessimisti ad oltranza, sembra il *fatale, invincibile* rilassamento del nostro tempo. La solenne proclamazione della sempre viva attualità dei *Consigli Evangelici.* E, addirittura, la consolante, esperta affermazione: « *Plures enim fuerunt omni tempore et adhuc sunt viri et mulieres qui haec consilia, vel quaedam vel omnia, excitante Dei gratia, privatim observant...* ».

Anzi, nei nn. 35 e 36, per conforto di tutti coloro che credono nella viva presenza dello Spirito Santo nella Chiesa, c'è di più. A proposito di quanti si votano più profondamente e fermamente alla pratica dei consigli evangelici, e vi si consacrano, il Sacro Sinodo « *confirmat ac laudat innumeros viros ac mulieres, Fratres et Sorores, qui fideli et humili praxi praedictae consecrationis Sponsam Christi condecorant omnibusque hominibus generosa atque diversissima servitia praestant* ».

59

EXC.MUS P. D. PAULUS SAVINO

Episcopus tit. Caesariensis in Thessalia, aux. Neapolitanus

Pars I.

Pag. 9. Praetermittitur in schemate thema « *communionis* » (koinonia), quo S. Scripturae declarant relationem unionis cum Christo et cum divinis Personis. Sistitur tantum in methaphoris: corporis Christi, domus, templi, gregis etc. Desideratur igitur ut inseratur thema « communionis ».

Motiva huius insertionis. In *Io.* 1, 3 ss.: « Quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis, ut et vos societatem (koinoniam) habeatis nobiscum et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo ».

Per fidem igitur ad nuntium apostolicum instauratur communio cum ipsis apostolis et per hanc obtinetur communio cum Patre et Filio eius. Ecclesia igitur concipitur ut visibilis communio cum Apostolis et hac visibili communione cum ipso Deo.

1 Cor. 19: « Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii eius ». Deus Pater, vocando homines ad communionem cum divina Filiatione, efformat Ecclesiam.

1 Cor. 16-17: « Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio (koinonia) sanguinis Christi est, et panis quem frangimus nonne participatio Corporis Domini? quoniam unus panis, unum corpus sumus, omnes qui de uno pane participamus ». Ideo fideles unum corpus efficiunt, quia communionem cum Christo habent. Unitas corporis per unitatem communionis explicatur.

Item thema communionis exprimunt formae paulinae: « nos in Christo », « Christus in nobis », necnon verba in unione ad particulam « cum... », v. g. « convivificavit in Christo », « conresuscitavit... », « consedere fecit in caelestibus », « consepulti... » (*Eph.* 11, 5-6; *Col.* 11, 12-13).

Hoc modo Ecclesia exhibetur ut *magisterium communionis* personarum, fidelium inter se et, cum Christo, cum divinis Personis. *Mysterium nempe communionis personarum,* qui assumuntur ad communionem cum ipsis divinis Personis.

60

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ

Episcopus Kontumensis

Le schéma central du Concile est le schéma *de Ecclesia*; il commande tous les autres qui en découleront comme de leur source. Ce schéma *de Ecclesia pars prima* n'est pas encore satisfaisant, parce que pas assez profondément fondé en théologie et pour de nombreuses imperfections de détail signalées ci-dessous.

Pour des raisons fondées en Ecriture et Tradition et pour le motif que ce schéma commande les autres, il conviendrait de le présenter comme suit:

Introductio. Dieu, trine et un, est la cause, exemplaire notamment de l'Eglise. Le Père envoie le Fils (profère le Verbe) et, par le Fils, l'Esprit, en mission d'amour achevée par le retour au sein du Père (cf. *Is.* 55, 11).

Dieu crée l'humanité *à son image*; cette humanité a pour vocation providentielle de vivre, unie, et de retourner au Père dans l'unité de son amour et de sa gloire.

L'humanité, créée à l'image de l'Unité divine, puis dispersée par le péché, a gardé, quoique n'étant plus ressemblante, cette image gravée en elle, comme une exigence, comme une vocation à se rassembler dans l'unité. Ne pouvant le faire d'elle-même, il lui fallait une *institution* lui venant d'en-haut pour l'*appeler* à s'assembler et lui en donner les moyens. L'Eglise est à la fois cette institution-moyen et la communauté réalisant le dessein divin.

Par l'ancienne alliance Dieu a préparé une portion choisie de l'humanité à

réaliser, en figure, son dessein. Israel, peuple de Dieu, peuple sacerdotal et royal, nation sainte, fut un signe dressé parmi les peuples, un témoin du plan de Dieu sur tous les hommes, une pré-figure de l'Eglise. Parmi les peuples païens des semences de Verbe préparaient (et préparent toujours ceux qui ne sont pas encore chrétiens) toute l'humanité à réaliser sa vocation, à aspirer à cette fin qu'est la récapitulation en l'unité dans la gloire du Père.

I - *De Ecclesiae mysterio.* Préfiguré déjà par le mystère d'Israel, dont Dieu parlait comme Epouse, le mystère de l'Eglise est le « mysterium » (« sacrement» et « mystère vécu ») de l'union de Dieu et de l'humanité, dont le mariage est un signe et en tire sa valeur de sacrement.

1. Au début des temps la progression éternelle du Verbe devint mission créatrice de la Providence « qui dit et tout fut fait »; ainsi c'est toute la création (et pas seulement l'humanité) qui fait son entrée dans le plan divin et est appelée à réaliser sa fin de glorification, par la diversité dans l'unité.

2. Au temps fixé par Dieu, le Verbe fait chair fut envoyé aux fils de Dieu dispersés pour les rassembler dans l'unité. Jésus-Christ, pleinement Dieu et pleinement homme, a réalisé en lui-même (et achevé en son principe) le dessein providentiel: à la fois envoyant et envoyé, il a créé l'institution de salut et réalisé ce salut par les mystères de sa vie historique que l'Eglise continue: sacrement et moyen de salut et de communion tout autant que leur réalisation dans la vie de la communauté des baptisés.

La Mère de Dieu, dont l'Esprit a rendu féconde la virginité, afin qu'en elle le Verbe assume la nature humaine pour la diviniser, contient en elle-même la semence spirituelle de toute l'Eglise, du mystère de laquelle elle est, à sa place unique parmi les humains, le signe et la réalité commencée, signe et réalité développés en l'Eglise, Mère et famille des fils de Dieu.

3. Annoncé et préfiguré par la voix des Prophètes et par la manne aux Hébreux, le Christ Jésus, Verbe envoyé au monde, Parole de Vérité, Pain de Vie, est *le* sacrement par excellence de cette Communion, qui est une grâce donnée aux hommes en voie de réalisation du plan divin, et qui exige d'eux connaissance et amour de Dieu et de tout l'univers à récapituler.

4. Ainsi, dans le temps entre les deux venues du Christ, la communion des chrétiens et la divinité du Fils par son humanité, par l'assimilation transformante de sa parole de Vérité et du Pain Eucharistique, est-elle le sacrement par excellence qui fait l'Eglise opération résultant d'une double démarche: mission du Verbe descendu au niveau de notre humanité pour l'assumer et la récapituler et consacrer toute la création — mission de l'Esprit au sein de la communauté des fidèles pour susciter sa réponse, animer sa vie (éclairer sa recherche de la vérité et allumer son amour), promouvoir son retour dans l'unité divine. C'est ce que représente la Liturgie de la Messe (Liturgie de la Parole et Liturgie Eucharistique d'une part, Consécration et Epiclèse d'autre part).

5. Aujourd'hui tendue d'un côté par le poids d'un Univers à sauver et, de l'autre côté, par sa mission de réaliser sa plénitude eschatologique, l'Eglise sera faite, achevée, à la fin des temps, le Christ revenant pour faire monter à sa suite ce plérôme préparé pour la gloire de Dieu et à son image.

C'est tout cela, le mystère de l'Eglise.

II - *De Ecclesia ut societas visibilis.* Dans notre temps entre les deux venues du Christ, l'Eglise est un mystère (sacrement de communauté et réalité de cette

communauté) et une société visible fondée par Jésus réalisant le plan divin d'incarnation et assomption par la victoire de la Croix.

1. Jésus a établi son Eglise sur le fondement du *collège apostolique* autour de Pierre. Il a donné pour *mission* à ce collège de se perpétuer et d'être son témoin, son sacrement, auprès de tous les peuples de la terre, jusqu'à ce qu'Il revienne.

Le collège apostolique uni en Pierre est, à son tour et par la volonté du Christ, fondement du *collège épiscopal* uni en le successeur de Pierre (Vicarius Petri) et portant la charge du monde entier à assumer dans et par l'Eglise.

A l'exemple des Apôtres, chaque évêque partage sa mission avec le *collège presbyteral* d'une part (plérôme sacerdotal de l'évêque) et avec le *laïcat* de son diocèse d'autre part (plérôme chrétien de l'évêque — « vobis sum christianus »), tous ayant mission d'*apostolat,* quoiqu'à des titres différents.

2. Ainsi structurée, l'église réalise sa mission en édifiant avec les pierres humaines le temple de Dieu, par la vie sacramentaire ordonnée à la Louange et la Sanctification, dans l'esprit des Béatitudes loi nouvelle du peuple de Dieu. Par vocation, certains de ses membres ont pour mission, en faisant l'économie de tout engagement dans le monde, d'anticiper, par la pratique des vœux, l'état du Royaume céleste et d'en être ainsi témoins et préfigures. Les privilégiés parmi ceux-ci se vouent à la contemplation pure.

III - *De Ecclesiae relationibus.*

1. Jésus a fondé *une* Eglise dont la fin est la récapitulation de tous les hommes dans le Christ.

La faiblesse des hommes a fait que beaucoup de ceux qui portent le nom de chrétiens ne sont pas unis autour du successeur de Pierre; l'Eglise a pour mission de les réunir, d'abord par un lien d'amour fraternel, puis par le lien de l'amour filial qui les fera communier à la table de Pierre.

2. Jésus a envoyé son Eglise à tous les peuples de la terre parce tous sont appelés par leur créateur à s'unifier dans la diversité en devenant fils de Dieu, membres d'un même corps, sarments de la vigne. L'Eglise a pour mission de porter la vérité et la vie du Christ à tous ceux qui restent loin d'elle.

3. Jésus laisse ses disciples dans le monde afin qu'ils réalisent la vocation de l'homme dans le plan divin: dominer et sanctifier l'univers — ce sera particulièrement l'œuvre des laïcs d'Eglise dans leur travail quotidien, par leur compétence, pour préparer la matière de l'univers à devenir un plérôme de l'homme glorifiant Dieu, disposant ainsi la cité terrestre en ébauche, à racheter et assumer, de la Jérusalem céleste.

Sur ces bases, il convient de faire les remarques suivantes au texte du schéma proposé:

Pag. 8, lig. 21: le mot et la notion de *Sacramentum* gagneraient à être mis en valeur et explicités. La note 5 laisserait croire que les rédacteurs cherchent au contraire à s'en excuser. Le mot, traditionnel, exprime une doctrine sûre qu'il ne convient pas de minimiser dans les travaux d'un Concile avide de coordination et d'unité: certes il est devenu traditionnel de parler de sept sacrements, mais cela ne doit pas faire oublier l'essentiel, l'unité du système sacramentaire. Le Christ Jésus est sacrement de Dieu, l'Eglise sacrement du Christ.

Pag. 9 et 10: il y a de nombreuses images scripturaires de l'Eglise, chacune ne pouvant exprimer qu'un aspect de son mystère, indicible en une formule. Il ne convient pas de favoriser un aspect plutôt qu'un autre, ce qui reviendrait à refléter

une opinion personnelle, à durcir une position; un aspect scripturaire ne peut aucunement suffire à édifier une théologie de l'Eglise. Dans le N. T. deux images, particulièrement développées, se complètent: celle du *corps* utilisée par St Paul et celle da la *vigne* par St Jean. L'image du corps, dont le Christ est tête, accentue l'aspect d'Institution. Plus traditionnelle encore par ses nombreuses racines vétéro-testamentaires, l'image de la vigne (dont le Christ n'est pas le tronc mais le tout) exprime mieux la réalité du Christ total (expression pourtant chère à Paul). N'ayant pas les motifs de réaction vis-à-vis de l'A. T. de l'ancien disciple de Gamaliel, Jean est à l'aise dans la ligne des Prophètes en relatant les paroles mêmes de Jésus. De plus, dans nos pays extrême-orientaux, l'image de la vigne est plus claire que le binôme tête-membres, plus juridique et source de difficultés. De nos jours, surtout depuis *Mystici Corporis* et de nombreux ouvrages de théologiens, l'aspect de corps a été mis en valeur, développé; il est acquis. Il conviendrait aujourd'hui de souligner l'autre aspect.

L'image de la vigne est seulement évoquée pag. 9, lig. 41 et pag. 10, lig. 27. Le Commentaire, par contre, l'ignore totalement (pag. 20 dernière lig., pag. 21, n. 6).

Il serait bon aussi de montrer l'Eglise *mère* et sein maternel, *temple,* édifice, construction.

Pag. 11, ligg. 19-20: l'expression « Mater et Magistra » est donnée comme attribut de l'Eglise; il semble qu'il faille entendre au sens de Hiérarchie; mais l'Eglise n'est pas que la hiérarchie. Cela réflète peut-être une façon de parler courante, mais nuit à l'équilibre en mettant l'accent sur un aspect seulement, qui semble tout attirer à lui.

Pag. 11, ligg. 24-25: remplacer par: Ecclesia non est tantum instrumentum efficax gratiae, sed etiam signum in nationibus elevatum; unde in modo tractandi cum hominibus eam imbutam esse debet evangelico spiritu paupertatis, humilitatis et caritatis, *ita ut homines, qui Iesum quaerunt, etiam in visibili suo aspectu spiritum Iesu dignoscantur.*

Pag. 11, n. 7, en général: le texte manque de force, de clarté et de plénitude, faute d'avoir suffisamment distingué les deux aspects complémentaires: l'Eglise est communion et institution, peuple de Dieu et sacrement de cette réalité, salut et instrument de salut. Ainsi on voit mieux comment toute appartenance à la communauté invisible implique toujours une relation à la société visible.

Il conviendrait également dans ce paragraphe de fonder les rapports de l'Eglise et du monde, dont un aspect s'exprime dans la « consécration de l'univers », le monde — tout l'univers créé — se situant par rapport au Royaume comme une matière à racheter et assumer. Cela fournirait de plus une articulation, fondée en théologie, pour situer l'objet du XVIIe schéma par rapport au mystère de l'Eglise.

Pag. 12, lig. 2: l'image de la *porte* pour le baptême n'est pas heureuse du tout, surtout de nos jours où tant de chrétiens considèrent qu'une fois la porte franchie on est installé, et que le baptême n'a plus de rôle à jouer dans leur vie, alors que son mystère de mort et vie doit être réalisé peu à peu tout le long de notre vie et ce de par la grâce même du baptême.

Pag. 12, ligg. 15 ss.: ne pas dire que les catéchumènes « voto cum Ecclesia coniunguntur »; il faut dire: « ils sont réellement liés à l'Eglise dès leur entrée en catéchuménat par leur réception, puis imposition des mains et signations ». Le catéchumène est un chrétien, conçu non encore né; étant conçu il est bien incor-

poré à la Mère. Des pré-catéchumènes (audientes seulement) on peut dire qu'ils appartiennent à l'Eglise « voto ».

Il est inadmissible de mettre sur le même plan que les catéchumènes les païens ignorants de l'Eglise. Le mot « idem » (malgré le « suo modo » lig. 18) est choquant.

Pag. 13, n. 10: ce paragraphe, d'une heureuse venue, gagnerait encore à être étoffé par les riches éléments traditionnels signalés dans la précieuse note 38: chez les païens se trouvent des éléments religieux qui sont des préparations divines; ils consistent en « semences de vérité », « semence de Verbe »; ils sont liés au fait d'une affinité, une certaine connaturalité, entre Dieu et l'homme créé à son image; ils sont voulus par Dieu comme moyens pédagogiques pour préparer l'homme à recevoir la Révélation évangélique. En suite de quoi il serait bon de montrer combien la mission de l'Eglise à ces peuples doit, pour réaliser le plan divin, tenir compte de ces préparations divines: c'est à dire que le missionnaire doit d'abord connaître toute « semence » en le peuple auquel il est envoyé, pour répondre à cette attente de grâce, les épanouir en leur apportant « l'incrementum » de la révélation évangélique. Ce point ferait l'articulation avec le schéma de missionibus, qui trouverait aussi bien sa place comme chapitre du schéma de Ecclesia.

Le commentaire (pag. 20) de ce premier chapitre de mysterio Ecclesiae annonce les autres chapitres: 2) de episcopis; 3) de laicis; 4) de via consiliorum.

On ne voit pas du tout quelle raison fonde ce choix, ni le lien organique entre des éléments aberrants.

En fait, le chap. II traite *de episcopatu,* fondement théologique trop hésitant mais constituant un réel progrès, complété sur le plan juridique par le schéma IV *de episcopis* et sur le plan pastoral par le schéma XII *de cura.*

Entre l'épiscopat et le laïcat on s'attend à trouver un chap. du presbytérat; en fait l'unique pag. 26 (sch. II, ch. 2) traite des prêtres et des diacres. Par contre on trouve un schéma VIII, plus disciplinaire, qui traite *de clericis* et, sous ce titre, n'envisage guère que les prêtres.

Cette division des matières correspond certes à un double souci: être pastoral et révaloriser l'épiscopat. Mais l'application pèche:

a) Elle n'est pas structurée, aussi bien dans le schéma *de Ecclesia* que dans la succession des schémas. Elle ne situe pas chaque chapitre par rapport à l'Eglise (clef de voûte du Concile) et les chapitres les uns par rapport aux autres.

b) Elle risque de dénaturer tel ou tel élément, isolé de l'ensemble sans y être articulé (ce que ne remplacent pas les longues considérations en prooemium de chaque partie) ou non proportionné à tel autre comme à l'ensemble.

c) Elle même une pastorale de Directoire à des éléments doctrinaux et canoniques.

d) Elle expose à des redites, recoupements et contradictions internes, du fait notamment que le même vocabulaire n'est pas employé partout (insuffisance de la coordination).

e) Elle ne correspond pas à l'attente des pasteurs et du monde. C'est par un exposé du dogme, structuré et clair, qu'on sera vraiment pastoral.

f) Enfin et surtout elle manque de cette référence essentielle à Dieu qu'est un fondement théologique profond, exprimé avec force et netteté sans verbiage.

Pour éviter ces défauts, il importe de structurer solidement et de modifier la succession des chapitres. On pourrait le faire comme suit: en conclusion du

chap. I *de mysterio Ecclesiae*: le mystère de Marie Mère de Dieu, figure de l'Eglise.

Chap. II: l'Eglise société visible: 1) structure: *a*) le collège apostolique; *b*) le collège épiscopal; *c*) le presbyterium; *d*) le laïcat. 2) Vie: *a*) vie sacramentaire, louange et sanctification, édification du temple; *b*) réalisation dans l'esprit des béatitudes; *c*) l'Eglise en état de mission; l'apostolat auprès de tous; *d*) les religieux, le primat de la vie contemplative, anticipation de l'état du Royaume comme témoignage.

Chap. III: les relations de l'Eglise à: 1) chrétiens dispersés; œcuménisme (schéma VII); 2) païens; mission (schéma VI); 3) monde à consacrer (schéma XVII).

Tout ce qui est proprement canonique serait proposé à la Commission de réforme du C.I.C. qui le codifiera.

Ce qui est strictement pastoral relève de Directoires, dont les grandes lignes devraient être tracées par une commission désignée à cet effet, facilitant ainsi le travail postérieur des Conférences Episcopales.

Cette disposition met en valeur les structures de l'Eglise, comme institution et comme communauté, et la mission en chaîne de collège à collège, ce qui situe chacun par rapport à l'Eglise et l'Eglise par rapport à tous — et c'est ce que le monde attend. Elle ne fait, d'ailleurs que développer ce qui est dit plus haut (pag. 1 à pag. 4).

Encore serait-il absolument nécessaire que les matières discutées au Concile le soient dans cet ordre là.

Ces précisions éviteront des redites dans la critique, ci-dessous des schémas per partes. Il y sera fait renvoi à l'occasion.

Cap. II.

Il est traditionnel de distinguer dans la structure de l'Eglise peuple de Dieu: *a*) la hiérarchie d'Eglise; *b*) le laïcat d'Eglise.[1]

Selon l'enseignement traditionnel la hiérarchie est composée: *a*) du collège épiscopal; *b*) du presbyterium et des ministres.[2]

Le schéma proposé (*de Ecclesia,* pars I, cap. II) constitue un progrès réel qui donnera satisfaction à beaucoup. Il fait bien la première distinction et laisse attendre le chapitre du laïcat, mais on cherche en vain un schéma de constitution dogmatique du presbytérat. Le corps des évêques, gêné par les silences de Vatican I inachevé et par le durcissement subséquent d'un aspect monarchique (jusqu'à l'autoritarisme) de l'Eglise, a tenu à revaloriser la fonction épiscopale qui occupe la place majeure dans la structure de l'Eglise, en définissant notamment la sacramentalité de l'épiscopat et en situant le collège épiscopal dans la succession du collège apostolique; de là découle la relation du collège épiscopal au successeur de Pierre.

---

[1] « Laïcat d'*Eglise* » n'exprime pas un goût de néologismes, mais constitue une précision utile: la masse païenne est elle aussi un laïcat. Dans une Constitution Conciliaire on ne fera jamais trop attention à la rigueur des termes employés. Beaucoup de schémas pèchent sur ce point. Les clercs ne sont pas seuls « d'Eglise » — il y a là un abus de langage qui doit cesser.

[2] Il s'agit ici de « ministres » au sens restreint, car la Hiérarchie exerce un ministère; tout membre de la Hiérarchie est *ministre,* au service du peuple de Dieu.

Tout cela a été bien vu par le schéma, mais pas toujours bien dit; on parle indifféremment « de episcopis », « de episcopatu », ou « de collegio episcopali»; le singulier est préférable au pluriel, l'espression concrète de *collège* est préférable à l'abstraction *episcopat.* De plus cela met mieux en valeur l'unité de structure de l'Eglise et situe mieux les degrés de la hiérarchie les uns par rapport aux autres et dans la succession apostolique.[3]

Cependant en définissant la situation juste du collège épiscopal par rapport à sa tête, les évêques devraient se garder de la tentation de puissance en créant, entre le collège presbytéral et eux, un malaise parallèle à celui qui vient d'être signalé, dans l'entretemps Vat. I-Vat. II. Il n'est pas nécessaire d'attendre Vatican III pour définir et situer le collège presbytéral; d'autant plus que l'état actuel du clergé est extrêmement grave. Enfin il n'est pas de décret possible sur les séminaires et sur les clercs tant qu'on n'aura pas défini le presbytérat, dans la ligne du schéma de l'Eglise en élaboration.

L'Eglise est fondée sur le collège apostolique, dont Pierre est la tête, l'arbitre, le porte-parole, le signe d'unité. Ce collège s'est adjoint des ministres pour l'aider à diffuser l'Evangile de charité et vérité.

De par la consécration sacramentelle constituant l'épiscopat, reçu directement de Dieu, le collège épiscopal est l'institution essentielle de l'Ecclesia peregrinans, à partir de laquelle se situent d'une part le primat du vicaire de Pierre, et le presbytérat d'autre part.

On ne peut donc éviter, dans notre schéma de l'Eglise, de traiter du collège presbytéral (sacerdotal).

(Critique de détail). Pag. 23; titre: ambigu dès le titre; on entend bien ne traiter que de l'épiscopat; encore une fois serait-il préférable de parler du *collège épiscopal.*

Pag. 23, lig. 24: remplacer « Christi Vicario » par « Petri Vicario »; tout évêque est *directement* vicaire du Christ, tout le collège épiscopal est vicaire du Christ; le Pape est vicaire du Christ en tant qu'évêque, que membre du collège épiscopal; en tant que Pape il est vicaire ou successeur de Pierre. « Coryphée » est une expression orientale pour désigner Pierre et Paul: dans une vue œcuménique, il est maladroit d'emprunter cette expression à l'Orient en limitant l'application au successeur de Pierre.

Pag. 23, lig. 31 et pag. 24, lig. 1: « cuiusdam collegii »: cette expression vague semble vouloir minimiser, alors qu'au contraire il est dans la ligne des travaux conciliaires d'accentuer avec vigueur la note de collégialité.

Il conviendrait de définir la *collégialité* et de le fonder en tradition. La note 6 (page 33) passe à côté de la question et ne cite que des documents récents, correspondant justement à une époque d'individualisme. Par contre la note 28 (page 37) fournit des bases patristiques précieuses. Le § 17 contient les éléments, mais insuffisamment structurés.

Pag. 24, § 13: la succession des paragraphes est bonne, mais la succession des collèges est mal indiquée. « Successeurs » (au pluriel) revient deux fois (ligg. 19

---

[3] Il n'est pas correct de dire que « les Evêques sont les successeurs des Apôtres » (et surtout tels Evêques de tel Apôtre!). Au singulier l'expression est sûre: « le Collège Episcopal est le successeur du Collège Apostolique ».

et 27). On souhaiterait un exposé plus net: c'est un collège qui se perpétue; le collège épiscopal succède au collège apostolique, lui succède, le perpétue.

Il semble bien que ce paragraphe a un autre rédacteur que le paragraphe 16 (cf. ligg. 13 et 14 notamment) et que le Commentaire qui parle de l'Ordo episcoporum (pag. 45). Il est indispensable d'*unifier le vocabulaire.*

Pag. 24, lig. 22: « supponit », remplacer par « non est nisi » (l'expression étant trop faible).

Pag. 25, § 14: toute l'Eglise se réjouira de voir définie la sacramentalité de la consécration épiscopale; mais les esprits clairs et les pasteurs qui doivent prêcher attendent plus de netteté, ainsi que le monde entier qui demande à l'Eglise: « que dis-tu de toi-même ».

Ligg. 12 et 13: « ad sacramentum ordinis pertinet » — remplacer par: « est ipsum sacramentum ordinis » ou « est plenitudo sacramenti ordinis » — le sacerdoce des simples prêtres n'en est qu'une étape inférieure (mais stable, comme le diaconat, lui-même à un degré encore inférieur) donnant une certaine participation à certains actes seulement. Cela est manifesté par la Liturgie qui distingue les « confesseurs pontifes » et tous les autres — en cela elle va même encore plus loin, puisque mettant tous les ministres non évêques sur le même plan que les laïcs.

La ligne 20 est plus précise, mais tout cela n'est pas bien charpenté.

Lig. 24: « etiam via sacramenti », mauvais, remplacer par: « via plenitudinis sacramenti ».

Pag. 26: tout ce paragraphe est notoirement insuffisant, il ne peut tenir lieu d'une constitution dogmatique du presbytérat et du presbyterium, plérôme sacerdotal de l'évêque. Il faut situer le collège presbytéral par rapport à l'évêque. Tant qu'on parle des « prêtres » au pluriel on ne voit aucune structure se dégager.

Lig. 6: croit-on que l'expression « prêtres de second ordre » (bien que liturgique; cf. Pontifical) soit de nature à redonner au clergé diocésain la sainte fierté d'être coopérateur de l'évêque et un fondement théologique suffisant pour être la source de sa spiritualité?

Lig. 12: gagnerait à être plus explicite et l'ordre de la phrase modifié: la « cura animarum » des prêtres leur est confiée d'abord et ordinairement par l'*évêque.* Quelle est cette « cura » assignée par le Pontife Romain? S'agit-il de religieux-prêtres exempts? (comme le Commentaire semble le suggérer — à noter que le Commentaire place l'évêque *d'abord* « ab episcopo, vel si exempti sunt, a Romano Pontifice ad curam animarum mittuntur » — le « mittuntur » du Commentaire est plus heureux que le « assignatur » du texte; il y a beaucoup de choses derrière cette différence... esprit évangélique ou juridique).

Et dans le cas de l'exempt, la « cura » lui vient-elle « a Romano Pontifice » ou bien « a toto ordine episcopali »? Certes dans son origine (Fulda d'abord, puis Cluny et le Pape) et dans son développement historique l'exemption rattache au Pape, mais théologiquement? — il s'agit d'une consécration au service exclusif de l'Eglise universelle non locale (cf. *Episcopat et Eglise universelle,* pp. 383 ss., notam pag. 396). Le chap. III du schéma de décret *de cura animarum,* § 22, semble rattacher l'exemption au Pape en tant que Patriarche de l'Occident, mais tend à limiter cette exemption. De la lecture de tout cela il ressort une volonté suivie d'affirmer les droits et prérogatives de l'Ordinaire du lieu, une notion floue de la

collégialité et donc de la relation de chaque Ordinaire à l'Eglise universelle, une menace inquiétante sur la vie religieuse exempte, part de choix du peuple de Dieu.

Pag. 26, ligg. 28 ss.: la question du *diaconat* n'est vraiment pas mûre. Les textes scripturaires emploient le mot dans son sens courant de ministère et non, bien entendu, dans le sens technique qu'il a fini par prendre dans l'Eglise. Chacun tire les textes à soi pour appuyer sa thèse. Le texte du schéma ne parle que des diacres comme degré inférieur du ministère hiérarchique, gardant le silence sur les autres ministres; il évite également d'évoquer le rapport du diaconat au Sacrement de l'Ordre — peut-être pourrait-on comparer les « étapes » du sacrament de l'ordre aux étapes du sacrement de baptême conféré progressivement au cours du catéchuménat, au point que l'entrée rituelle en catéchuménat confère une grâce qui est déjà celle du sacrement de baptême; il faudrait préciser si les « ordinations » successives donnent une part à la grâce du sacerdoce sacramentel — c'est très important en pratique pour la structuration des séminaires et la formation des clercs, sous l'angle, primordial, de la relation de ceux-ci à Dieu. Il est inquiétant et douloureux de constater que le schéma de décret sur les séminaires ne parle absolument pas de cette question.

Avant de s'empresser d'aborder la question pratique d'un renouveau du diaconat, il importe, une fois de plus, d'établir le fondement théologique, la fonction du diacre dépendant de la sacramentalité de son ordination et de son lien avec le sacerdoce.

Quant à la restauration du diaconat comme fonction permanente [4] il semble qu'à notre époque on ne puisse encore que se livrer à des expériences. En Allemagne le désir est vif et les pétitions nombreuses. Chez nous, par contre, au Vietnam, on ne voit pas du tout ce que ferait un diacre; le diaconat risquerait d'être seulement une promotion sociale clericale dans un pays où il importe d'abord de promouvoir le laïcat. Nous avons des catéchistes admirables dotés de nombreuses facultés; qu'est-ce que le diaconat apporterait, à eux comme à nous? La missio canonica, telle qu'elle est définie dans le schéma *de apostolatu laicorum,* suffit. On pourrait donc confier le renouveau du diaconat, ad experimentum, aux Conférences episcopales qui le désireraient.[5]

Pag. 27, § 16: ce paragraphe contient des affirmations attendues, et, en cela, est satisfaisant. Dans le détail:

Lig. 4: le texte des schémas abuse dans l'emploi de l'expression « Romanus Pontifex », sans qu'on sache bien, chaque fois, s'il s'agit de l'évêque de Rome, du patriarche de l'occident latin, ou de l'épiscopat universel concentré en sa tête fondement visible de l'unité. Ce ne serait pas une innovation de parler de « Vicarius Petri », « Successor Petri ».

Lig. 5: « inter se coniunguntur » remplacer par: « iidem constituunt unum collegium episcopale », pour équilibrer la phrase et mieux montrer la succession d'un collège à un collège autour du même Pierre.

---

[4] Comme le *Commentaire* le suggère (pag. 45 du schéma).

[5] Le diacre, non au sens novo-testamentaire, mais tel qu'il est devenu et s'est perpétué, surtout en Orient, a une fonction moins caritative que liturgique; en tant que tel il n'a de sens qu'à côté du prêtre, d'où les réticences pour la restauration de cette fonction dans un pays comme le nôtre qui manque encore de prêtres.

Lig. 6: ici encore on trouve un de ces éléments, épars dans tout le schéma, qui fonde ou exprime bien la collégialité. Tout cela gagnerait à être mieux structuré.

Pag. 27, lig. 10: certes le collège épiscopal n'a d'*existence* (pourquoi le texte restreint-il en parlant d'« autorité ») qu'avec Pierre, mais on ne peut pas se satisfaire de cette affirmation d'une relation à sens unique, il faut ajouter: Pierre, tête du corps, porté par les membres, n'est rien sans les membres; le Pape ne peut exercer son pouvoir, sur et au sein de la collégialité, que par ces collaborateurs obligés que sont les évêques.

Ligg. 13 et 14: très bonnes.

Lig. 22: tout cela reflète l'esprit d'un schéma de Vatican I (signalé à la note 30) notamment « Petro soli datum est », expression maladroite. Le Christ donne les pouvoirs à Pierre d'abord pour montrer que ce qu'il donne ensuite à tous, il le donne *comme à un seul,* selon le mot de St Cyprien: ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit... exordium ab unitate proficiscitur ut Ecclesia Christi una monstretur (cf. *Episcopat et Eglise universelle,* pag. 334).

Ligg. 34 ss.: « Potestas collegialis una cum Papa exerceri *potest* ab episcopis... dummodo caput collegii... *invitet* » cela est mal dit; c'est de par sa nature que le collège épiscopal, représenté par chaque évêque dans son diocèse, *doit* porter la charge de l'Eglise universelle, sans avoir besoin d'une invitation particulière. Cela est d'ailleurs bien vu au paragraphe suivant, ligg. 3 à 10.

Pag. 28, ligg. 11 à 14: reflète une conception purement juridique, dans la ligne de l'antique et matérialiste organisation romaine. L'Eglise est un mystère, l'Eglise universelle ne se découpe pas en Eglises locales. Là où est l'Eucharistie, là est l'Eglise. L'Eglise universelle sise en tel lieu, c'est cela l'Eglise locale. « Regimen » (lig. 11) manifeste bien cette limitation regrettable; l'évêque n'est pas que chef (à la romaine), il est aussi et surtout Père et, en tant que tel, l'Ordinaire d'un lieu est chargé de l'Eglise universelle. Tout cet alinéa est à reprendre pour une nouvelle rédaction.

Lig. 15: « sollicitude de l'Eglise universelle » on pourrait ajouter: et principalement en ses localisations les plus pauvres, c'est à dire les Jeunes Eglises, pour qu'elles soient bien fondées en unité.

Lig. 25: « *partem* Ecclesiae universalis »: danger de la logique arithmétique et du juridisme; cf. plus haut.

Ligg. 28 ss.: on ne peut que se réjouir de voir le soin de l'évangélisation de toute la terre reconnu au corps des évêques et non plus « réservé uniquement » au St-Siège (c. 1350, § 2).

Pag. 28, ligg. 32, 35: le mot *mission,* employé ici uniquement au pluriel, masque le lien entre ce dont on parle ici et *la* mission de l'Esprit (pag. 29, lig. 8), la mission des évêques (pag. 29, lig. 15).

Presque toute cette pag. 28 est reprise dans le schéma *de cura* (pag. 10 notamment). Certes il s'agit d'un côté d'une constitution et de l'autre d'un décret, mais le travail gagnerait à être davantage coordonné (ne serait-ce que pour ne pas allonger les discussions en assemblée conciliaire) et le décret *de cura* se borner à des renvois à la constitution *de episcopatu.*

Pag. 29, n. 18: tout le paragraphe est bon, mais pourquoi ne parler des évêques qu'au pluriel? Quand il s'agit des évêques en tant que collège, il faut garder, tout du long, l'expression collège épiscopal.

§ 19 à 21: il est heureux que les sous-titres soient ôtés de la rédaction définitive: « Munere docendi... sanctificandi... regendi » — la division est traditionnelle, mais Dieu, en se révélant nous a habitués à un langage concret: Prophète, Grand Prêtre, Roi. Le texte même du schéma ne satisfait pas: « praedicatores » pag. 29, lig. 20) pourquoi pas Prophètes? « Summus Sacerdos » (pag. 30, lig. 31) un singulier après un pluriel; « Regimen » (pag. 31, lig. 3) une abstraction! de grâce, qu'on coordonne!

Il est à noter que le texte du schéma de décret *de cura* parle de « doctor », « pontifex », « pater et pastor ». Ce manque de coordination brise le lien organique des travaux conciliaires, pèche par absence de rigueur du vocabulaire, gênera les pasteurs dans la prédication et l'enseignement.

N. 19: ce paragraphe est satisfaisant dans l'ensemble et il est bon de le placer en tête des trois ministères. Mais il faudrait encore insister sur ces points:

L'évêque, parlant au nom de Dieu (prophète) est Père nourricier donnant la parole de Dieu pain de vie; c'est sa fonction proprement missionnaire.

On attendait des précisions sur le rapport entre l'infaillibilité et le corps épiscopal; selon le Commentaire (pag. 46) cela serait renvoyé à plus tard. Il serait temps que les periti s'y attaquent.

N. 20: très insuffisant, pas proportionné aux autres. Cette indigence sur un tel sujet est un signe de notre temps...

Le souverain sacerdoce de l'évêque est ordonné à construire, par l'Eucharistie, le peuple de Dieu, peuple sacerdotal. Comme le Fils est l'image du Père, le troupeau doit l'être du pasteur; sanctifier c'est rendre ressemblante l'image de Dieu; l'évêque, sacrement du Christ, image visible de Dieu, sanctifie par l'exemple de sa vie, en état de perfection acquise (il ne suffit pas d'en parler dans le décret *de cura* — pag. 9, lig. 11 — il faut le fonder ici en doctrine), il doit être un Evangile vivant. En son unité, le collège épiscopal a pour fonction de sanctifier, notamment de par le lien d'*amour* qui l'unit, l'anime et rayonne.

De tout cela le schéma ne dit presque rien.

Pag. 30, lig. 37: affirmation gravement incomplète, contredite par le schéma *de cura* (pag. 9, ligg. 4 et 5). Vicaire du Christ, agissant in persona Christi, l'évêque est le *ministre ordinaire de tous* les sacrements; les autres ministres sacrés ne le sont pas de façon ordinaire mais par la participation (habituelle: baptême des enfants, Eucharistie... ou extraordinaire: Confirmation...); cela a une grosse importance pastorale notamment, pour situer le collège presbytéral et toute la vie sacramentaire dans son rapport avec l'évêque.

Pag. 31, § 21: le premier alinéa, heureusement complété par le second (Bon Pasteur), met notoirement l'accent sur la *Potestas* de l'évêque, tandis que le paragraphe correspondant du schéma *de cura* est plus pastoral en étant plus anciennement traditionnel.

La fonction royale de l'évêque découle de sa nature de Père et Pasteur du troupeau, plutôt que Chef (à la romaine); cela est très important à bien établir pour éviter une conception juridique et nominaliste morcellant l'Eglise. La paternité de l'évêque déborde le diocèse, c'est une fonction d'amour mû par l'Esprit dans la liberté et s'étendant réellement à l'Eglise universelle, notamment en tant que concentrée en telle Eglise locale. Ceci étant posé, on comprend qu'il ne saurait y avoir d'opposition violente entre l'autorité de l'évêque dans son diocèse et le dynamisme spontané de tout baptisé-confirmé membre de l'Eglise universelle; l'un

et l'autre se composent harmonieusement dans l'amour qui prime et déborde des limites territoriales. La fidélité aux impulsions de l'Esprit (qui souffle où il veut) ne saurait être en contradiction avec la soumission à la volonté du Père, car l'Eglise est à l'image de la Trinité. Située dans cette perspective, l'exemption des religieux ne saurait être troublante: ces religieux sont exempts de l'autorité de l'évêque en tant que chef d'une Eglise locale, non en tant que Père chargé collégialement de l'Eglise universelle. Ce principe devrait présider aux rapports évêque-religieux et dominer ce chapitre dans le Directoire *de cura animarum.*

Une constitution conciliaire sur la hiérarchie d'Eglise ne saurait résumer en quelques lignes le *presbytérat.* La situation actuelle des prêtres est bien trop grave pour ne pas être prise en considération; le clergé traverse une crise tragique, telle qu'il n'en a pas connue depuis la réforme tridentine; si la fonction sacerdotale n'est pas nettement définie dans une orientation propre à résoudre la crise, il est à craindre qu'une réforme ne se fasse à nouveau en dehors de l'Eglise.

Il est bien certain, sans aucun doute ni hésitation possible, que le sacerdoce des simples prêtres ne prime pas dans l'Eglise (comme si l'épiscopat lui serait comme quelque chose d'ajouté), il est donc excellent de traiter d'abord de l'épiscopat et notamment de sa sacramentalité d'où découle tout le reste — en quoi on peut être très reconnaissant aux rédacteurs du schéma proposé. Mais on ne saurait s'en tenir là: il faut nettement situer le presbytérat dans sa relation à l'épiscopat. Pas de décrets *de cura* et des séminaires possibles sans cette base théologique.

On pourrait l'envisager comme suit:

1. Institution divine: *a*) V. T.: la *famille* des Lévites et sa rélation au Souverain Sacerdoce aaronique. *b*) N. T.: la naissance d'un *collège* presbytéral (conseil des anciens) autour des Apôtres.

Il conviendrait de signaler, dans ce chapitre, que, préfiguré par le corps des Lévites, le Corps des Anciens a eu d'abord, indistinctement, la charge de tout le peuple de Dieu, en dépendance du corps épiscopal.

2. Nature théologique: de même que le Souverain Sacerdoce des évêques est collégial parce que prolongeant et diffusant l'Unique sacerdoce du Christ, de même le sacerdoce presbytéral est *collégial* parce qu'il découle du sacerdoce plénier de l'Evêque, en coopération limitée, dans l'unité de l'Esprit dont l'évêque est le sacrement. Tout le presbytérat ne forme ainsi qu'un prêtre avec l'évêque, rendant visible et prolongeant dans l'existence historique de l'Eglise le Christ, unique Souverain Prêtre.

Cela est nettement affirmé par la Tradition: « Il n'y a qu'une seule chair de Notre Seigneur Jésus Christ... de même il n'y a qu'*un seul évêque avec le presbyterium* et les diacres les associés de mon ministère » (Ignace d'Ant., *Philip.* 4); « (le diacre) ne reçoit pas l'*esprit commun du collège des prêtres...* sur les prêtres au contraire, les prêtres eux aussi imposent les mains, à cause de l'*esprit commun* et semblable de leur charge » (*Tradition Apost.,* édit. Botte, pag. 39); « cum episcopo presbyteri sacerdotali honore coniuncti » (Cyprien, lit. 61); « Episcopus in *collegio presbyterali* princeps est, presbyteris cum eo concelebrantibus » (St Léon, *lettre* 9) — ces deux derniers textes sont cités en note de notre schéma (pag. 36, n. 21).

Parallèlement aux principes qui ont présidé à l'élaboration de la constitution *de episcopatu,* on partira de la sacramentalité du sacerdoce presbytéral, comme participation au sacerdoce plénier de l'évêque (et les autres ministres, à un degré

inférieur), situant les prêtres dans la communion d'un sacerdoce unique (ce que la Liturgie Eucharistique exprime si bien).

A partir de là on indiquera en quoi consiste la fonction sacerdotale en situant la relation du collège presbytéral à l'évêque et le mode de coopération à la triple fonction épiscopale de prophète, Grand Prêtre et Roi-Pasteur.

Ainsi, de par la nature de leur sacerdoce, il n'y a pas de différence entre les clergés séculier et régulier: ils constituent ensemble le clergé diocésain (Jean XXIII).

Enfin on signalera que, si l'évêque est en état de perfection acquise, il est essentiel, pour l'achèvement de l'Eglise en sainteté, que le prêtre tende à cette perfection et en prenne les moyens notamment par la voie des Instituts de perfection sacerdotale. A noter que cela convient *également* au laïcat d'Eglise (Instituts séculiers laïcs), clergé et laïcat ayant, de par vocation baptismale, le droit et le devoir de réaliser le plérôme de l'évêque (microcosme de l'Eglise universelle, plérôme du Christ).

3. Conséquences pastorales:

a) Evêques-prêtres: cette structure du collège sacerdotal est la condition sine qua non et une exigence d'une *pastorale d'ensemble* au sein de l'Eglise locale, de même que le collège épiscopal par rapport à l'Eglise universelle.

L'évêque considérera son presbyterium (et chacun de ses prêtres au sein de ce presbyterium) comme lui-même, comme les propres *membres* de son corps. Les prêtres retiendront que, membres, ils ne sont rien sans la tête.

L'évêque et les prêtres tiendront à manifester cette communauté du sacerdoce [6] en *concélébrant.*

b) Séculiers--réguliers: auront conscience de leur union dans le sacerdoce plénier de l'évêque et la manifesteront par une collaboration animée par l'Esprit d'amour.

c) Séculiers entre eux: manifesteront l'unité du presbyterium en: tendant à réaliser la vie commune; concélébrant, si possible; se livrant à la prière commune; faisant passer toujours le souci de la pastorale d'ensemble avant leurs problèmes pastoraux locaux et leur façon personnelle de les résoudre.

d) Clergé-laïcat: auront conscience de former ensemble le plérôme de l'évêque et tendront à se sanctifier ensemble pour le parfaire. Sur le plan local, le clergé considérera les fidèles dont il est chargé comme un collège laïcal des oints (baptisés et confirmés) — collège paroissial ou extra paroissial — et tendra à le parfaire en unité, principalement par l'Eucharistie, pour l'offrir en sacrifice à Dieu; et il considérera les païens de son secteur (laïcat non encore d'Eglise) comme providentiellement appelés à achever ce plérôme.

e) Pour sa sanctification personnelle, le prêtre aura pour norme principale d'être, à l'image de l'évêque, sacrement du Christ et soucieux de l'Eglise universelle et du monde entier à assumer.

Pars II.

Cap. III. Ce chapitre, bon dans l'ensemble, fournit un solide point de départ pour l'apostolat des laïcs d'une part et le schéma XVII d'autre part.

On souhaiterait seulement y trouver le point d'arrivée: par incorporation

---

[6] Le prêtre n'a rien à lui tout seul, pas même le sacrifice de la Messe.

progressive au Christ, constitution du peuple de Dieu en plérôme, en Christ total — mais cette direction manque, comme d'ailleurs à la plupart des schemata.

De plus on est gêné — et on sent les rédacteurs gênés — par la limitation incertaine du sujet: quand s'agit-il de tout le peuple de Dieu, quand s'agit-il du laïcat seulement à l'exclusion de la hiérarchie? Cela a été éprouvé par la commission de coordination qui estime devoir diviser en deux ce chapitre, ce qui peut être heureux, mais alors changerait tout.

Les remarques suivantes sont évidemment relatives au texte communiqué.

Pag. 5, § 22: bon mais pourrait être dit plus clairement.

Lig. 3: « missionem »: on aimerait voir cette mission, commune à tous, mieux posée et reliée à la mission du Fils.

Lig. 8: « mittitur »: c'est bien tout le peuple de Dieu qui est envoyé; les lignes suivantes pourraient faire croire que la situation des fidèles dans l'Eglise n'est qu'une dépendance de la hiérarchie.

Pag. 6, lig. 17: « distinctio »: la rattacher au fondement apostolique: « la construction que vous êtes a pour fondation les Apôtres et Prophètes, et pour pierre d'angle le Christ Jésus... » et tout le contexte ecclésial d'*Eph.* 2.

Ligg. 31 ss.: en cet alinéa on semble limiter le peuple de Dieu aux laïcs, mais on est gêné pour parler de leur mission dans l'Eglise en les opposant aux pasteurs et aux religieux qui eux aussi sont pourtant peuple de Dieu et ont reçu la même mission de par le baptême. Cette difficulté se trouvera peut-être éliminée si on divise autrement le schéma.

Pag. 6, lig. 33: le mot « missionem » est très heureux: il serait peut-être bon d'indiquer que là se trouve le fondement de l'apostolat.

Lig. 38: « opponuntur »: trop négatif. La création de Dieu est bonne, l'homme doit l'aimer et la faire aboutir. Comme la note 4 l'indique, le « monde » biblique n'est pas que domaine de Satan.

Pag. 7, lig. 1: excellente formule, mais, une fois de plus, s'appliquant à tout le peuple de Dieu, pas aux laïcs seulement.

Lin. 13: « seipsos ut hostiam »... non seulement eux-mêmes mais tout l'univers avec eux, tout le monde à consacrer (d'où la matière des rites).

§ 24, 2e alinéa: gagnerait à être organisé davantage: *a*) le sacrement (en général), signe efficace de divinisation, constitutif du peuple de Dieu; *b*) les sacrements de l'initiation chrétienne; *c*) les autres sacrements.

Ligg. 34, 35: saluons, en passant, l'ordre heureux: vie conjugale et éducation de la progéniture comme lieux de sanctification.

Lig. 37: « procedit familia », on pourrait insister: se constitue la matière du peuple de Dieu.

Pag. 8, ligg. 24 ss.: alinéa meilleur que les lignes précédentes au style relâché, alors que l'ensemble du chapitre est dense.

Pag. 9, ligg. 1, 2: apostolatus laicorum participatio missionis Ecclesiae: on pourrait préciser: parce que les laïcs sont d'Eglise par le baptême, et que l'Eglise est l'Envoyée (Missa).

Ligg. 13-17: confus; la mission de suppléance n'a rien à voir avec l'apostolat du laïc, puisque, par définition, en ce cas, le laïc n'agit plus en tant que laïc.

Pp. 9-10: excellent § *c*) mettant bien en valeur la mission du laïc et rendant parfaitement inutile l'exhortation du § 27.

Cap. IV. Il est difficile de voir comment ce chapitre se raccorde aux précédents — ceci qui est un problème de vie ne peut s'aligner sur cela qui était structures. Il revient certes à une ecclésiologie de traiter de la vocation à la sainteté, mais à une autre place et autrement, comme il a été signalé plus haut.

Ce chapitre, comme entreposé, est de plus très insuffisant, décevant, ambigu.

Pag. 18, § 28: ce prooemium affirme sans fonder; il est inutile. Il convenait de situer là: le dogme de la filiation par le baptême restituant l'Image, fondement théologique de l'exigence de sainteté: « estote *ergo* vos perfecti, sicut Pater... ». Il fallait commencer par cet impératif, à rapprocher de la prière de Jésus: « sanctifie-les dans la Vérité » (*Jn* 17, 17), montrer que la sainteté consiste en l'assimilation au Christ, adaptant l'homme à l'assomption finale.

Ligg. 17-18: il fallait commencer par là. La note 1 semble une plaisanterie: ce n'est pas selon Origène seulement que la perfection est similitude avec le Christ! ce n'est pas seulement pour St Thomas que la perfection consiste en la charité, laquelle est de précepte! Quand on a le témoignage de toute l'Ecriture, il est pour le moins étrange de vouloir s'appuyer sur des théologiens célèbres pour leurs *opinions*. Ce n'est ni scientifique, ni œcuménique.

Lig. 28: incohata: à développer — la vocation à la sainteté est la vocation de tout baptisé (exigence du sacrement), elle se réalise peu à peu par l'assimilation au Christ eucharistique et s'achève dans le Christ total, tout en tous.

Pag. 19, § 30: ce paragraphe, verbeux, ne semble pas très utile. La sainteté est substantiellement la même pour tous, on peut distinguer seulement des coefficients d'exigence et des variétés de réalisation selon les situations. Mais alors il faudrait dire:

l'évêque n'est pas seulement appelé, il est établi dans un état de perfection, de par la plénitude du sacerdoce qui l'assimile au Christ. Sacrement du Christ, l'Evêque est dans un état qui, quant au modèle dont il doit être l'image fidèle, est la perfection acquise;

le prêtre n'est pas en état de perfection acquise; par sa fonction il participe au sacerdoce de l'évêque, mais son *état* est celui de tout baptisé; il a pour vocation de tendre à la perfection;

sur ce chapitre de la perfection les laïcs ne sont pas sur un autre plan que les ministres (le « latiore sensu » de la ligne 14 n'est pas du tout dans le style du chap. 3);

pour le laïc, de plus, le mariage n'est pas la seule voie de sanctification.

Pag. 19, § 31: nous entrons en pleine confusion avec ces prétendus « conseils »; cf. Note à part.

On parle de conseils, prétendus évangéliques, sur un registre de tendance égocentrique d'effort vers la perfection personnelle, sans situer clairement tout cela par rapport au Christ ni par rapport au monde.

Lig. 7: ce qui est dit là de la pauvreté est valable pour tout chrétien.

Ligg. 10-11: « virginitas seu castitas »: la confusion est manifeste. La chasteté est un précepte impératif, à vivre dans toutes les situations (probité et propreté dans le mariage); la virginité, elle, relève du conseil et de la vie religieuse.

Lig. 23: « omnes ad hoc tendere debent »: à quoi? Il faudrait être manichéen ou janséniste, contempteur de la création et de la procréation, pour prétendre que tous doivent tendre à la virginité!

En fait de conseils « évangéliques », nous sommes là bien loin de l'évangile.

§ 32: le deuxième alinéa est bien présenté.

Pag. 21, § 33: mal structuré (les premières lignes répètent le début du chapitre), ne situe pas dans l'ensemble de l'ecclésiologie, ne met pas en valeur la mission du chrétien, tension entre ce monde à consacrer et l'eschatologie. Traîne encore la confusion relative aux « conseils »; bien que ce langage soit (plus ou moins) traditionnel, il faudrait d'abord tirer cette question au clair.

L'importance de la perfection est mal posée pour notre temps, avide de clarté pour mieux se donner en connaissance de cause; il faudrait revenir au terme grec de l'évangile *teleios* (achèvement, accomplissement de l'homme) et en signaler toutes les conséquences notamment par rapport à l'évolution du monde et la montée de l'homme.

§ 34: le mot « autorité » est répété trois fois dans la paragraphe — oui et non... la tendance à la perfection ne relève pas que de l'autorité de l'Eglise, il y a la part des charismes, la liberté de la conduite de l'Esprit.

L'établissement d'Instituts de perfection relève de la hiérarchie, mais la vie évangélique n'en dépend pas sur le même plan; il semble qu'il y ait là une confusion. L'inspiration vient souvent d'en bas; la Hiérarchie doit le sentir et savoir approuver.

Pag. 22, § 35: il s'agit là, semble-t-il, de la vie religieuse; la présenter comme méritoire et comme un bon moyen c'est vraiment la minimiser et faire preuve d'un esprit terre-à-terre. Une exigence d'amour ne se raisonne pas de cette façon, plus naïve que chosiste.

Pag. 23, § 36: « sanctitatem spiritu evangelico prosequendam » une fois de plus: de quoi s'agit-il?

Si c'est de la vie selon l'évangile, alors il n'est pas question de conseil, mais bien d'une exigence du baptême et condition d'entrée dans le Royaume.

Si c'est de la vie religieuse consacrée, alors que celle-ci n'accapare pas tout l'esprit de l'évangile; c'est grave de conséquences pour l'enseignement de la morale qui risquerait d'être terriblement minimaliste pour l'usage de tous ceux qui ne sont pas religieux.

Jésus conseille-t-il la perfection?

Status quaestionis. Le langage courant aujourd'hui fait usage des expressions: préceptes, conseils, perfection, y adjoignant ou non le qualificatif « évangélique ». On en parle avec une assurance de dogmatique, comme si ces notions étaient révélées, ou au moins définies, et comme si tout le monde savait bien de quoi il s'agit. Les auteurs se copient les uns les autres; il semble qu'on soit en présence d'une antique tradition, voire de termes scripturaires. Peut-être, mais pas dans le sens auquel on s'est habitué.

On a beau chercher dans l'Evangile, on ne trouve aucune opposition entre des « préceptes » et des « conseils », mais le simple commandement de la Loi Nouvelle, non pas opposée à l'ancienne, mais s'inscrivant dans cette ligne comme un perfectionnement.

Fondement scripturaire. A l'origine de tout cela il y a le texte de Mathieu 19. Le texte est très simple, mais il est bon de le regarder d'un œil neuf. Un homme, du tout-venant d'Israël, plutôt jeune et plutôt riche, se renseigne: que faire pour avoir la vie (scho zoen) éternelle. Jésus lui répond, un petit peu à côté comme Il aimait le faire: « Si tu veux *entrer* dans la vie (eiselthein) suis les lois ».

C'est ambigu, l'interlocuteur va demander quelles lois, mais dans sa pensée il est probable que cela reste limité au code mosaïque; Jésus aurait aimé que l'homme lui demande: les lois anciennes ou bien une autre loi, nouvelle?

A la demande de précisions, Jésus répond selon ce que l'homme attend (non pas « quelle loi »: l'Ancienne ou la Nouvelle, mais quels préceptes du décalogue); Jésus pense bien, Lui, à la Loi nouvelle, mais Il se met provisoirement à la portée de l'homme, comme pour le tenter en Lui proposant le décalogue. L'homme affirme le pratiquer.

En Marc et Luc, Jésus lui signale: il te manque quelque chose; c'est presque ironique: Jésus va lui dire qu'il lui manque l'essentiel: ne pas se contenter d'affirmer un amour théorique, mais le réaliser comme Jésus lui-même a fait. En Mathieu, c'est l'homme qui demande: que me manque-t-il? Et Jésus répond, en se plaçant sur un autre plan:

« Si tu veux être accompli (teleios), si tu veux accomplir pleinement ta vocation, suis-moi »: suis la Loi nouvelle, que Jésus personnifie.

Là on a complètement changé de registre: il ne s'agit plus d'entrer dans la vie mais de s'accomplir, et cela non plus en suivant un code, mais une personne; c'est la morale située dans l'existence concrète.

L'homme en déduit — et il est le premier d'une lignée nombreuse — que Jésus propose seulement plus de perfection, que ce conseil de Le suivre est platonique, que le décalogue suffit toujours... mais il a quand même mauvaise conscience en s'en allant.

Analyse. Car ce n'est pas du tout ce que Jésus voulait dire; la suite immédiate le montre:

plutôt un câble dans un chås d'aiguille qu'un riche passant dans le Royaume!

en fait de programme surérogatoire, Jésus donnait une condition pour entrer dans le Royaume. Il est difficile à un riche d'entrer dans le Royaume, difficile donc d'entrer dans le Royaume si on ne suit pas la Loi nouvelle.

Jésus donne un *conseil* — je veux bien — le conseil de s'accomplir en Le suivant pour entrer dans le Royaume, mais un conseil tel que si on ne le suit pas on n'entre pas! (et qu'on ne compte pas trop, avec laxisme, sur le « à Dieu tout est possible »). Je ne vois pas où on pourrait chercher, à côté de cela, un *précepte* qui serait suffisant... C'est la même situation qu'à la colline des béatitudes: « bienheureux les pauvres... malheureux ceux qui ne le sont pas », le Royaume n'est pas pour eux, autrement dit ils se damnent! en fait de conseil de tendre vers un « mieux »! C'est entendu: Jésus ne commande pas, Il conseille; mais si on ne suit pas son conseil, on n'est pas avec Lui, donc on est contre Lui (c'est Lui qui l'a dit). Le conseil évangélique, c'est la Loi nouvelle; il ne s'oppose pas à quelque précepte, c'est un impératif sous forme de conseil; Jésus propose; heureux celui qui saura l'entendre!

Ainsi au sens obvie de l'Evangile, il n'y a qu'un *conseil,* c'est celui de suivre Jésus; mais il n'y a pas d'autre voie. De plus, bien qu'il n'y ait pas d'autre voie, ce n'est pas cela qui nous méritera d'entrer dans le Royaume, car ceci n'est donné que par Dieu — c'est ainsi qu'il faut entendre: « à Dieu tout est possible ». L'homme collabore à son achèvement (teleios) en vivant l'évangile et Dieu couronne cet achèvement.

J'emploie le mot « conseil » un peu par concession au langage admis, pour qu'on sache de quoi je parle: justement de ce qu'on désigne ainsi, mais qui est « conseil »

d'un genre bien particulier... et aussi parce que le contexte de *Mt.* 19 autorise ce terme faible; à noter qu'il ne faut pas affaiblir le « si tu veux », mais l'entendre comme: « puisque tu veux... ». Le dernier mot de Jésus, en *Mt.* 28, 20, adressé à tous les disciples de toutes les nations, est, ne l'oublions pas: « tout ce que je vous ai *prescrit* »; et, en *Jn* 13, Jésus n'affaiblit pas l'expression: mandatum novum (entole, le même mot que pour la loi mosaïque). Le « conseil » de Jésus est bien aussi un précepte, un commandement.

Précepte ou conseil, qu'on l'appelle comme on voudra, il y a une *loi* nouvelle, comme il y avait une *loi* ancienne. La loi de Jésus est unique, elle se réalise dans une vie selon l'évangile: suivre Jésus, aimer comme Il aime. Pas d'autre sainteté, pas d'autre salut.

Entrer dans la vie (v. 17) c'est commencer à vivre; entrer dans le Royaume (v. 23) c'est s'accomplir, en plénitude, en plérôme du Christ. On entre dans la vie par le baptême et dans le Royaume par la Croix (la mort, réalisée à l'Image de Jésus), car il faut perdre sa vie pour trouver la Vie. On n'est pas achevé (teleios) par le baptême; il faut le réaliser dans la vie (akoloutei moi).

Israel était le catéchuménat de l'Eglise. La loi ancienne est *suffisante* pour le baptême, c'est un code de préceptes pour catéchumènes; mais elle est dépassée dans l'économie nouvelle, christocentrée. La Loi nouvelle est *nécessaire* aux baptisés pour s'accomplir, peu à peu, en réalisant l'Evangile, à la suite de Jésus. L'homme de *Mt.* 19 est reparti, catéchumène comme devant.

« Pour être accompli, suis-moi » — il n'a pas suivi, il est resté inachevé, car il n'y a pas d'autre fin pour l'homme.

Déroulement historique. Jésus indique un achèvement; l'histoire montrera donc divers stades de réalisation, divers degrés dans cette marche à la suite de Jésus. Il faut commencer par se mettre en route et l'Eglise n'a pas tardé à le faire. Le livre des Actes montre des premiers chrétiens prenant au sérieux la Loi évangélique; ils vivaient les béatitudes tout en restant dans le monde avec femmes et enfants — car il n'y a là rien d'incompatible; la Loi de Jésus est unique et convient à toutes les situations.

En devenant plus nombreuse, la première Eglise s'est attiédie, la « vita apostolica » s'est codifiée à l'usage de ceux qui voulaient prendre des moyens radicaux de s'accomplir, laissant les autres traîner en chemin. Les deux situations se distinguèrent de plus en plus: d'un côté les religieux qui se mettaient en état d'achèvement (état de perfection), de plus en plus séparés du monde; de l'autre côté des séculiers, de plus en plus coupés de l'évangile et de sa Loi de sainteté, trop souvent laissée à ceux qui se consacraient par vœux. De là à lier vie évangélique et vie monastique, il n'y avait plus qu'un pas; il a été franchi et de là est née la confusion entre la pratique des vœux et la pratique de l'évangile — le vœu ne pouvant être que conseillé, la Loi évangélique est devenue aussi « conseil ».

En lisant les homélies pastorales des Pères de l'Eglise, on s'aperçoit qu'assez tôt beaucoup de baptisés vivaient comme des catéchumènes, notamment en ne communiant pas à la Messe, refusant ainsi l'achèvement de leur être chrétien dans le sacrifice du Christ qui les mettait en situation de réaliser la Loi nouvelle.

Le régime de « chrétienté » tend, par sa nature même, à faire du prêtre séculier un chef, gardien des institutions et règles d'autorité imposant des préceptes à un peuple encore catéchumène (ou le considérant comme tel), accentuant la distinction entre institutions et vie de charité évangélique — la vie « pneumatique »

de l'Eglise devenant l'affaire des religieux (œuvres de charité, missions même), les prêtres séculiers étant les cadres de la chrétienté, chargés de faire les hommes chrétiens plus par voie d'autorité que par l'exemple de la sainteté personnelle.

Cette situation prédisposait à la dichotomie institutions et vie, préceptes et conseils. C'est dans cette atmosphère que St Thomas travaillait, il n'eut plus qu'à mettre en forme une division de fait, bien que totalement étrangère à l'esprit de l'évangile; Jésus appelait à la perfection non des initiés, non des superfidèles, mais le tout venant.

« Les conseils sont ordonnés à ôter des empêchements de l'acte de charité, empêchements qui ne sont cependant pas contraires à la charité, ainsi le mariage, des occupations aux affaires du siècle, et alia huiusmodi » (II^a-II^{ae}, qu. 184, a. 3). La déviation de sens du « conseil » est canonisée — ici Conseil implique célibat et clôture — mais la formule est lourde, gênée, comme exprimée à contre-cœur — et il ne pouvait en être autrement — l'opposition précepte-conseil étant une fausse distinction soulevant un faux problème. St Thomas reconnait bien que « la perfection de la charité tombe sous le précepte » et dit équivalemment que la pratique des préceptes implique celle des conseils.

Après lui, les auteurs non seulement ne font que se recopier sans rien remettre en question, sans revenir aux sources, mais accentuent inconsciemment la division, ce qui a des conséquences graves sur l'enseignement de la morale chrétienne. La vie évangélique se pratique dans l'état religieux; le « suis-moi » qui était impérieux pour tous est réservé aux religieux, et à ceux-ci est réservée une « récompense plus grande ». Les moralistes ont *buté* sur la nécessité de la vie évangélique pour tout baptisé (pour eux l'évangile fût un scandale) pour n'avoir pas assez approfondi les exigences du baptême et avoir assimilé sans critique la confusion évangélique-monastique. On n'avait plus qu'à inventer une morale minimaliste pour fidèles dans le siècle: ne pouvant réaliser la vie évangélique dans leur existence (en raison de cette pétition de principe), ils n'avaient qu'à garder l'*esprit* de l'évangile, à vivre dans l'*esprit* des béatitudes — ce qui dans une structure mentale brisée par la dichotomie cartésienne (héritée des grecs) a conclu le divorce entre la religion et la vie: d'un côté un esprit, une forme désincarnée, de l'autre la réalité, l'existence réelle. Il est tellement plus facile de se dire « pauvre en esprit » que de mener une « existence de pauvre ».

On a commencé par désarticuler la pensée évangélique en désintégrant la Loi nouvelle: le substrat ancien (le décalogue) valable pour tous et la perfection à l'image du Christ pour une élite; puis on a abstrait de l'existence bienheureuse un esprit de béatitudes; enfin on a été jusqu'à dire que l'existence selon l'évangile (appelée pratique des conseils) était incompatible avec la vie dans le siècle.

Rectification. Mais l'assistance de l'Esprit ne manque pas à l'Eglise, qui sort à peine du régime de chrétienté et, après avoir maintenu un fossé entre la vie dans le siècle et les exigences évangéliques, se rapproche, de nos jours, du modèle unique, du seul code de morale de la nouvelle Alliance.

Périodiquement l'Esprit a suscité des saints, témoins de l'Evangile pris au sérieux; aujourd'hui il s'agit moins d'exceptions que d'une aspiration commune de tout le peuple chrétien, du laïcat en particulier, à réaliser l'évangile dans son existence, à crier l'évangile par toute sa vie. Comme toujours dans l'Eglise le mouvement est venu d'en-bas et d'en-haut: d'en-bas par cette soif d'authenticité et de simplicité poussant à des essais de vie le plus possible selon l'évangile, d'en-

haut par la hiérarchie approuvant et recommandant la vie évangélique dans le monde (par les Instituts séculiers notamment) et par la réflexion des théologiens sur la vocation de tous à la sainteté comme achèvement indispensable de l'être chrétien.

Les *schemata* conciliaires de constitutions dogmatiques se situent à la charnière de deux conceptions: on y traîne encore l'héritage de la chrétienté, son langage philosophique abstrait (divisant ce qui est inséparable et confondant ce qui, en réalité, est distinct), on semble admettre le « conseil évangélique » selon son sens dévié; mais en même temps — parce que le Concile doit être l'œuvre de l'Esprit rajeunissant l'Eglise — on affirme la vocation universelle à la sainteté, la mission irremplaçable du laïcat, et l'évangile de Jésus comme règle unique. Une fois approfondie la nature du nouvel être né au baptême, on s'aperçoit que ce qu'on limitait à une portion du peuple de Dieu est valable en fait pour tout chrétien.

Solution présente. Des chrétiens de notre temps contemplant Jésus dont l'existence dans le monde est le modèle de toute perfection, méditant sur la vita apostolica réalisée par les premiers chrétiens dans un contexte historique et social particulier, ont douté que cette Vita fut irréalisable dans le siècle de nos jours; et ils ont montré par leur exemple concret qu'on pouvait être pauvre, chaste, soumis, qu'on pouvait prendre les béatitudes à la lettre et appliquer loyalement la Loi nouvelle, tout en restant dans le monde, non pas malgré cette existence quotidienne engagée dans l'économie terrestre, mais par celle-là même.

La réflexion théologique, remettant en question la prétendue distinction dans les prescriptions de Jésus, peut établir l'unicité du commandement évangélique adressé à tous comme unique voie de se parfaire, sans plus confondre cette voie pour tous avec l'état religieux qui fait l'économie des moyens du monde. On distingue ainsi, plus nettement qu'autrefois, le religieux, témoin privilégié de l'Evangile, qui se met d'emblée dans une situation d'anticipation de l'état du Royaume, et le fidèle, qui doit atteindre la même fin, la même plénitude, la même sainteté, mais en réalisant peu à peu la vocation de son baptême dans une situation séculière: dans le monde, avec tout son milieu à assumer avec lui dans le Royaume.

Dieu fixe une fin unique à toute l'humanité: s'accomplir en plérôme du Christ pour la gloire du Père. Le Fils de Dieu a révélé le code unique de cette route de retour en Dieu: c'est la Loi nouvelle, la Loi évangélique qui fait les bienheureux, Loi selon laquelle doit constamment se rectifier toute vie (norme des examens de conscience et révisions de vie), Loi de charité qui comprend tout (pauvreté, chasteté, renoncement, dépassement...). L'esprit suggère à chacun, par des charismes variés selon les situations, non seulement de tendre l'intention à cette fin, mais de réaliser de jour en jour l'homme parfait, l'un dans et par le monde, l'autre séparé du monde, l'un par une consécration explicite (vœux, engagement), l'autre par la pure actualisation des promesses du baptême, mais tous ne connaissant qu'un moyen: prendre sa croix, et qu'une fin: la totalisation des fils de Dieu en le Christ.

La fin de l'homme, la perfection de l'homme: c'est Jésus-Christ.

Votum pour une meilleure organisation des travaux conciliaires afin qu'ils atteignent mieux leur fin sous la motion de l'Esprit: qu'il soit donné plus de temps, aussi bien aux Pères Conciliaires qu'aux théologiens, pour étudier les questions proposées et qui demeurent à peine élaborées; que le travail conciliaire proprement dit se fasse en assemblées à deux échelons: 1) congrégations générales des

présidents de conférences épiscopales seulement (représentant leur groupe avec lequel ils ont travaillé), 2) sessions publiques de tous les Pères conciliaires pour votes et proclamation. Car il est dans l'intérêt de l'Eglise que: le déroulement du Concile ne soit pas précipité; les déplacements des Ordinaires soient espacés et réduits.

Votum: à l'image du Secrétariat pour l'Unité chargé des rapports avec toutes les confessions chrétiennes, que soit institué un Secrétariat pour la concorde de tous les hommes chargé des rapports avec les religions non-chrétiennes, non seulement monothéistes (Israel, Islam), mais aussi bouddhiste et païenne; et que ce Secrétariat soit un organisme permanent de l'Eglise en vue d'une meilleure compréhension des hommes entre eux, communiant par leurs valeurs spirituelles, unissant leurs forces pour la paix du monde, pour une atmosphère fraternelle et tolérante — condition pour que l'humanité, totalisée, atteigne sa fin.

(Faute que cela se fasse non seulement sur le plan des valeurs spirituelles mais plus encore sous l'égide de la Mère Eglise qui porte le nom de Catholique, cette union de tous se réalise sur un plan purement matériel, uniformisation sous pression et non communion d'amour).

61

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN

Archiepiscopus Baltimorensis

Tractus *de Ecclesia,* saltem quoad partem primam, mihi placet. Doctrina, virtute ideae centralis cohaerens, modo positivo exprimitur.

Emendationes propositae:

1. Pag. 13, lin. 16: « Qui sine contumacia et in fide bona opus Christi aut doctrinam Ecclesiae non agnoscunt ». *Ratio emendationis*: Haec phrasis minus offensiva videtur fratribus separatis.

2. Pag. 30, linn. 14, 15: « cui omnes confirmari tenentur quaeque scripta *et* tradita, etc. *Ratio emendationis*: Sic retinentur verba Concilii Tridentini (cf. Denz. [Bannwart] Conc. Trid. § 783).

62

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

Cap. I, n. 7, pag. 11, linn. 22-24: loco « totalem compaginem » ponatur « visibilem compaginem », et loco « elementa plura » etc. ponatur « elementa plura sanctificationis necnon personae gratia Christi sanctificatae, quae ut Ecclesiae propria, ad unitatem catholicam visibilem et completam impellunt sive impelluntur ». *Ratio est* quod praeter elementa sanctificationis habentur ipsae personae sanctificatae, quae etiam ut tales sunt Ecclesiae Christi propriae (vide commentum sequens).

Cap. I, n. 8, pag. 12 et n. 9: 1. Loco « reapse et simpliciter loquendo » ponatur tantum « simpliciter loquendo ». *Ratio*: « Reapse » *et* peccans qui intra *et* sanctificatus qui extra visibiles Ecclesiae saepes commorantur ad Ecclesiam pertinent; modo tamen intimiore et arctiore Christo incorporatus est (vide schema

de oecumenismo, cap. III, n. 22) et pertinet ad Ecclesiam sanctificatus qui extra quam peccans qui intra Ecclesiam visibilem moratur.

2. Peccans in Ecclesia dicitur remanere in Ecclesia « corpore » non « corde »... Si agitur de sanctificatis qui extra visibilem compaginem Ecclesiae morantur, dicendum est eos « corde » non « corpore » Ecclesiae iunctos esse.

Immo dicendum etiam est eos qui extra Ecclesiae visibilem compaginem morantes Dei gratia sanctificati sunt, modo intimiore et arctiore cum Ecclesia coniunctos esse quam ii, qui « corpore » tantum cum ea iuncti sunt!! Valde desiderandum esset hoc factum maximi momenti in hac praesertim nostra aetate, in qua genus humanum ad arctiorem unitatem adducendum est, explicite et clare edicere.

Cap. II, n. 15, pag. 26, linn. 2-3: « in quos (presbyteros) gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt »... Nimis suggerit gratiam transfusam oriri directe non ex Christo, sed ex ipsis episcopis, et oriri non ex potestatis plenitudine episcopis a Christo concreditae, sed ex abundantia et plenitudine ipsius gratiae ipsis inhaerentis... Melius fortasse dici potest: « in quos gratiam Christi de suae paternae potestatis plenitudine transfundunt »...

Cap. II, n. 17, pag. 28: inseratur paragraphus in qua Sacra Synodus spem exprimat fore ut catholicitas et universalitas Ecclesiae eiusque regiminis supremi clarius appareat et practice exprimatur in ipsis dicasteriis Sanctae Sedis, immo et in compositione cardinalatus. Imago Ecclesiae ad extra apud non-catholicos et non-christianos magnum damnum capit ex eo quod regimen supremum habeat characterem fere totaliter italicum. Ipsa dioecesis Romana laborat paucitate sacerdotum et indiget iis, qui hodie in variis dicasteriis curiae laborant, pro apostolatu in paroeciis. *Ne sacrificetur Roma Ecclesiae - Nec Ecclesia Romae!*

Cap. II, n. 19, pag. 29, linn. 29 ss.: « Quando (episcopi) authentice docentes una cum Romano Pontifice ut testes fidei in revelata fide tradenda in unam sententiam conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enunciant ». Addatur: « si agitur de doctrinis quae spectant ad veritates vere centrales vel maximi momenti, et si agitur de aliis, si modo quodam solemniore et animo obligandi totam Ecclesiam aliquid de fide vel moribus definiunt. Non tamen in omnibus et singulis quae et ipsi credunt et modo ordinario et communi fidelibus credenda proponunt. In his doctrinis tamen non potest subrepi error vere nocivus in materia fidei et morum ». *Ratio*: Secus non explicari potest quomodo omnes episcopi cum Romano Pontifice multa crediderunt ut vera, v. g. in Sacra Scriptura, quae his diebus non ita esse demonstrantur, et sic de pluribus aliis doctrinis.

De schematibus in genere. Valde desideratur ut quotiescumque in quaestionibus maioris momenti quinta pars membrorum alicuius commissionis ab aliis dissentit, eorum opinio, additis rationibus, in schematis notis vel appendicibus imprimatur (" minority report ").

63

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

Pars I. Optimus tractatus de Ecclesia, sed nimis diffusus. Nonne potest in compendium redigi? praesertim pag. 7, lin. 1 ad pag. 11, lin. 33.

Pag. 11, linn. 34-35: deleantur verba « Cum S. Scriptura et traditione ».

Pag. 23 deleantur linn. 1-10.

Pag. 26, lin. 33 addatur: « in Ecclesia *latina* diaconatus ».
Pag. 27, lin. 10 deleantur verba « successore Petri »: iam habentur in eadem pagina lin. 3 et denuo in pagina sequenti lin. 3.

64

Exc.mus P. D. BERNARDUS STEWART
Episcopus Sandhurstensis

Pars I. In pag. 12, par. 9, linn. 27-31: forsitan textus melius emendetur prouti sequitur: « Ipsi enim confitentur se amanter credere in Christum, Filium Dei Salvatorem; qui vero vere sunt baptizati omnia vel quaedam sacramenta agnoscunt ac recipiunt; plures eorum fidem erga Iesum Christum in Sanctissima Eucharistia vere, realiter et substantialiter praesentem nutriunt et pietatem erga Deiparam Virginem fovent... ».

Ratio. Textus schematis sententiam et praxim christianorum non catholicorum apud gentes Anglo-Saxonas, praesertim in Australia, minus accurate refert; quapropter textus semen maioris confusionis et ambiguitatis in relationibus oecumenicis facile gignere potest. Emendatio autem, supra posita, nil substantiae textus derogat et confusiones vel verba aequivoca melius evitantur.

Pars II. In par. 25, pag. 10, lin. 20, addatur unum tantum verbum ita ut textus legatur: ... ita pariter infensus « laicismus » seu « saecularismus » seu « *separatismus totalis* », qui scil. etc. *Ratio*: in hac 25 schematis paragrapho fit sermo optimus de infausta separatione Ecclesiae et Status et de eorumdem confusione. Heic in Australiae natione fere nullus statum et Ecclesiam seu religionem erronee confundere contendit; e contra, multi sive catholici sive acatholici, falsis principiis caece ducti vel quibusdam sententiis Tribunalis Supremi aliarum nationum temere freti, plenam et totalem separationem status seu gubernii civilis ab Ecclesia vel ab ordine a Deo statuto data opera docent. Huiusmodi error, eiusque fautores in Australia verborum « laicismi » vel « saecularismi » parvi pendunt; e contra iidem magni faciunt verbi et erroris separatismi totalis seu separationis totalis. Quapropter mihi videtur perutile si textui Synodus addatur verbis « laicismo » et « saecularismo » verbum « separatismus totalis ».

65

Exc.mus P. D. ARTURUS ANTONIUS SZYMANSKI RAMÍREZ
Episcopus tit. Cerasuntinus, coad. c.i.s. S. Andreae de Tuxtla

Cap. I, n. 8, linn. 28 ss.: Optatur clarior redactio paragraphi « Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in fide, spe et caritate non vivit, sed peccans in Ecclesiae sinu " corpore " quidem sed non " corde " remanet », cum appareat difficultas: Si peccans, in sinu Ecclesiae « corde » non remanens, in periculo mortis confiteatur, hic peccans quidem fuit, non vixit in fide spe et caritate sed mortuus est in eisdem et salvatur. Unde non videtur felix locutio « Non salvatur... ».

Nomine quorumdam episcoporum mexicanorum.

[*Subsignavit etiam*:] Alphonsus M. Sanchez, ep. Papantlensis.

66

Exc.mus P. D. ARTURUS TABERA ARAOZ
Episcopus Albasitensis

Schema in genere placet, et exigentiis et statui actualis ecclesiologiae videtur respondere.

Sunt tamen aliqua quae, meo humili iudicio, correctione egent aut saltem perpolienda, perficienda et complenda viderentur.

Modeste et candide animadversiones meas successive exponam singulorum ordinem capitum ac numerorum schematis servans.

Introductio (n. 1). Ad omnem confusionem vitandam verbum « sacramentum » licet sit a SS. Patribus adhibitum, vitarem, eiusque loco verbum « mysterium » vel simile sufficerem. Ita in lin. 6, etiam in n. 3, lin. 21 et passim.

Linn. 7-8. Ecclesia non est tantum « signum et instrumentum... unitatis et... unionis » sed est etiam signum et instrumentum *gratiae.* Forsan ergo addendum esset verbum « supernaturalis » post verbum « unionis », vel melius substitui possit verbum « unionis » verbo « communionis », vel alio quod exacte verteret graecum κοινωνια (*1 Io.* 1, 3): « eiusque cum Deo communionis supernaturalis, naturam... ».

Cap. I.

Caute procedendum in hac structura Ecclesiologiae trinitariae, ne perperam quis adhibeat notiones proprietatis et appropriationis in divinis Personis, cum socialis Ecclesiae unitas ad divinarum Personarum exemplar fieri recte asseritur.

Forsitan ultima pericopa n. 4 huius capitis, quae pulcherrima verba S. Cypriani refert, praemittenda esset ut quoddam breve huius capitis prooemium, complendum cum verbis S. Augustini (*Serm.* 71, 20, 33) in not. 7 citatis, vel aliis similibus.

N. 2, lin. 25: cit. *Rom.* 1, 4 cum verbis *Gal.* 4, 4 feliciter compleri possit: « ... praedestinavit (cf. *Rom.* 1, 4), et " ubi venit plenitudo temporis, misit (Illum) factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperent " (*Gal.* 4, 4) fratresque suos... ».

Easdem ideas exponit textus paulinus ac verba adhibita. Praeferendus esset textus scripturisticus.

N. 3, linn. 5-8. Transeant, licet eadem fere repetant, forsan inutiliter, quae in n. praecedenti, linn. 24 ss. iam habentur.

Addatur post cit. *1 Tim.* 1, 15, etiam *Gal.* 4, 4.

Linn. 15 ss. Textus videtur mutandus paulisper: « ... (cf. *Heb.* 13, 14) Ecclesia nuncupatur, quam Christus vocavit suam (*Mt.* 16, 18) quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit et mundavit (cf. *Act.* 20, 28), eam dilexit, sanctificat, nutrit ac fovet (*Eph.* 5, 27 ss.) suoque Spiritu replevit ac eidem subiecta est (*Eph.* 5, 24), aptisque mediis... ».

Has relationes Christi cum *sua Ecclesia,* quas S. Paulus pulcherrime statuit, omittendas non licet. In Scriptura numquam apparet titulus « Ecclesia Christi », tamen certe Christus Ecclesiam vocavit *suam.*

Lin. 20: « ... legitime et *hierarchice* constituta... ». Ne perperam quis intelligat

Ecclesiam, ut sacramentum (mysterium) visibile, simpliciter congregatione credentium constitui.

Lin. 23: Opinor hanc esse feliciorem formulam ad exprimendam ideam huius numeri in his ultimis lineis: « ... intrat, licet ipsa tempora et fines populorum transcendat ».

N. 4, lin. 27: ad vitandam possibilem confusionem dicatur: « ... (*Gal.* 4, 6) et per Ipsum in uno Spiritu accessum habemus ad Patrem... ».

Lin. 29: cit. etiam *Io.* 7, 38.

Lin. 32: cit. etiam *Rom.* 8, 11.

Linn. 34-35: post verba « per virtutem Evangelii » addi possent « omnem gratiam » ex ipso S. Irenaei textu desumpta, ut formula non intelligatur de sola virtute seu efficacitate doctrinae vel praedicationis verbi, sed de integra actione salvifica Christi: « ... qui per virtutem Evangelii *omnemque gratiam* iuvenescere... ».

N. 5. Novo examini et redactioni subiicerem hunc capitalem numerum in schemate *de Ecclesia* ut meliori ordine eiusdem elementa procederent.

N. 6: En nova redactio huius numeri in quo perspicius et completiori modo, ut reor, imagines biblicae proponuntur et doctrinales consequentiae ex his figuris dimanantes, aliaque imago additur quae omitti omnino non licet, nempe imago populi Dei quae fundamentum praebet totae tractationi de fidelibus postea in cap. III.

Linn. 27 ss.: « ... Est Dei aedificatio (*1 Cor.* 3, 9-11) cuius fundamentum et petra angularis Christus est in quo omnes superaedificamur tamquam vivi lapides (*1 Pt.* 2, 5) et sic constructa crescit in augmentum Dei (*Eph.* 4, 14), *in templum nempe sanctùm* in Domino (*1 Cor.* 3, 16; *Eph.* 2, 19) ubi Deus in Spiritu et veritate adoretur (*Io.* 4, 23); *in domum spiritualem* Dei vivi (*1 Tim.* 3, 15) ubi sumus non iam hospites et advenae sed domestici Dei (*Eph.* 2, 19; cf. *Gal.* 6, 10) et ad societatem (κοινωνια) cum Patre et cum Filio admissi (cf. *1 Io.* 1, 3) veram adoptionem filiorum accepimus ut filii Dei vere nominemur et simus (*1 Io.* 3, 1; cf. *Gal.* 4, 5 et etiam *Rom.* 8, 15, 23; *Eph.* 1, 5) clamantes in cordibus nostris Abba Pater (*Rom.* 8, 15) omnesque fratres agnoscamur (*Mt.* 23, 9); *in habitaculum Dei* in Spiritu Sancto qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat; *in Civitatem sanctam et* Ierusalem caelestem quae « mater nostra est » (cf. *Gal.* 4, 26; *Heb.* 12, 22; *Apoc.* 21, 1 ss.), quam Ioannes contemplatus est... (linn. 34-36).

« Est Dei agricultura seu ager (*1 Cor.* 3, 6-9), in quo antiquus oleaster, populus iudaicus, socius radicis et pinguedinis olivae factus est et reconciliatio mundi effecta (*Rom.* 11, 14 ss.) gentium nempe et iudaeorum; atque vinea plantata a Deo quam caelestis agricola mundat et fovet (cf. *Is.* 5, 1-4 et 7; *Io.* 15, 1 ss.) ut palmites qui non possunt ferre fructum a semetipsis, in vite vera quae est Christus manentes multum fructum afferant.

Est populus Dei (*Rom.* 9, 25-26; *2 Cor.* 6, 16; *Tit.* 2, 14) undequaque collectus et adunatus (*Rom.* 9, 25 ss.) quem Christus sibi acquisivit et mundavit ab omni iniquitate ut esset acceptabilis (περιουσιον) et sectator bonorum operum (*Tit.* 2, 14).

Est denique Sponsa Christi... (linn. 36 ss.) quam novus Adam in cruce moriens adiutorium Sibi dedit et Matrem viventium constituit ».

N. 7, lin. 6: addendum verbum *spei,* quod omitti non potest cum de Ecclesia in terris peregrinante agitur.

Lin. 14: « non esse *in terris* nisi unicam... ».

Lin. 22: verbum « directa » non placet, potius « *ministrata et gubernata* », ut utrumque elementum, servitium nempe et gubernium, clare percipiatur: « ... communione *ministrata et gubernata,* licet... ».

Linn. 22-27: obscurus textus.

Nota. Post hunc numerum (*De Ecclesia in terris peregrinante*), nonne opportunum esset alium numerum introducere (De Ecclesia in caelis regnante)? Meo humili iudicio valde expediret sive ob rationes theologicas, sive ob rationes pastorales, sive ob rationes denique liturgicas.

Numerus propositus, plus minusve, ita redigi potuisset: « n. 7 (bis) (*De Ecclesia in caelis cum Christo regnante*). Nihil certius indolem eschatologicam repraesentat et simul sanctitatem Christi Ecclesiae visibilis propriam exhibet, quam eius cum Ecclesia in caelis regnante vinculatio et communio qua " in unam coalescunt civitatem, cuius caput Christus " (Leo XIII, Enc. *Mirae caritatis*; Denz. 1978), nihilque efficacius animos christifidelium in terris degentium ad superna elevare possit (cf. *Col.* 3 ,1-2) et vitam moresque christiane componere, quam oculis subiicere exempla salutaria sanctorum (cf. Conc. Trid., Denz. 1844) qui nunc, post vitae cursum sancte consummatum et post piacularem purificationem, si qua egerunt, a Domino retributionem haereditatis acceperunt (*Col.* 3, 24; *Rom.* 81, 17; *Heb.* 9, 15; *1 Pt.* 3, 7-9; *Iac.* 2, 5), in patria cum Christo perenniter regnant (*1 Cor.* 6, 9-10), in gaudio et visione fruentes cum Christo laudes Patri canunt aeternas, et Deo orationes pro fratribus offerunt (*Apoc.,* Conc. Trid., Denz. 984, 998; Leo XIII, Enc. *Mirae caritatis,* Denz. 1977).

Hinc Ecclesia aliquando, post processus statutos rite peractos, quibus virtutes heroice ab eis in vita exercitatae et miracula eorum intercessione a Deo patrata demonstrantur, solemni et irreformabili iudicio et sententia Supremi eius magisterii declarat veram adesse certitudinem de beatitudine aeterna in caelis quorumdam christifidelium qui in Christo dormierunt, et venerationi ac imitationi hominum proponuntur. Sacra ergo Synodus, his nostris hodiernis temporibus verba et mandata quoad sanctos canonizatos C. Tridentini memoratur: " iuxta catholicae et apostolicae Ecclesiae usum, a primaevis christianae religionis temporibus receptum, sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum conciliorum decreta, de sanctorum intercessione, invocatione, reliquiarum honore et legitimo imaginum usu ", et cum eodem Conc. Tridentino declarat cultum et intercessionem beatorum, nedum adversari honori " unius mediatoris Dei et hominum Iesu Christi ", verum per ipsorum recordationem, invocationem et venerationem, homines excitantur ad adorandum et diligendum Deum (Denz. 1824), " qui est mirabilis in sanctis suis " (*Ps.* 67, 36) ».

N. 8, lin. 36: optandum esset ut expresse affirmetur influxum activum Ecclesiae, universalem nempe eius mediationem obiectivam, esse necessarium ad habendas gratias quibus possibilis redditur gressus ad salutem. Conferri potest schema *de Oecumenismo,* cap. III, n. 19, linn. 17-18, ubi historice describitur quomodo ad negationem essentialis Ecclesiae negationem perventum sit. Hinc affirmatio numeri praecedentis meliorem locum hic inveniret (cf. n. 7, linn. 10-11). « ... ad salutem, nam, sicut nemo est a Christo redemptus nisi per Eius assumptam humanitatem, ita nemo redemptionis fructus percipere potest nisi per Eius Ecclesiam. Ideo illos homines salvari non posse... ».

N. 8, linn. 3 ss. (pag. 12). Dolendum vox « membrum » adeo traditionale, S. Paulo carum et a solemnibus magisterii documentis usitatum, sit a schemate

meticulose expunctum, cum optime adhiberi posset, etiam quaestionibus et controversiis theologorum posthabitis.

Linn. 3 ss. (pag. 12) iterum: videretur ut post relationem pleniorem catholicorum ad Ecclesiam, et antequam ad modum quo ad eam pertineant deveniatur, sermo fieret de christianis non catholicis, qui imperfecte seu modo non pleno, cum ea coniunguntur. Hinc nn. 8 et 9 alio deberent ordine disponi, nempe: antequam incipiat pericopa « Reapse... » n. 9 esset introducendus. Post integrum n. 9, paragraphus « Reapse... » (linn. 3-14) procedere posset (etiam cum emendationibus proponendis). Denique paragraphus « Voto... ».

Lin. 3 (pag. 12): expungi potest verbum *reapse,* quia melius a verbo « perfecte » vel « plene » substituitur, et post verbum societati verbum « perfecte » vel « plene » interpoletur: « Simpliciter loquendo Ecclesiae societati *plene* (perfecte) incorporantur... ».

Lin. 15: verbum « autem » per verbum « tantum » substituatur: « Voto *tantum* cum Ecclesia coniunguntur... ».

N. 9, linn. 33-34: Expungantur verba: « non solum donis... agat »: « quippe qui sua virtute... ».

Ratio: videretur quod haec pericopa innueret Spiritum Sanctum indistincte, identica providentia, agere tum *intra* tum *extra* Ecclesiam catholicam, quod non bene componitur cum principio de universali mediatione Ecclesiae.

Lin. 35: post verbum « sanctificante » haec vel similia addi possent: « ope eorum quae in communione cum Ecclesia Petri habent... »: « ... sua virtute sanctificante, ope eorum quae in communione cum Ecclesia Petri habent, etiam in illis operetur ».

Lin. 37: pro verbo « grege » verbum « ovili » usurpetur (*Io.* 10, 16).

Cap. II.

I - *Observationes generales.*

1. Placet hoc caput, cum ea quae a Tridentino et Vaticano I dicta fuere in hac re optime compleat, ut in votis erat plurimorum, ne dicam omnium, Patrum Conciliarium.

2. Caute tamen procedendum; in aliquibus nempe videretur schema in hoc capite illud aequilibrium rumpere, et in latus inclinari collegii seu corporis episcoporum, quod corrigere intendit inclinationem, ut aiunt, Vaticani I in latus primatus.

3. Mihi non placent — vel potius anceps haereo — verbum « collegium » et alia ex ipso derivata (collegialitas, collegialiter...), et si quid opinari licet, cum Vaticano I pro verbo « corpus » vel « ordo » esset calculum mittendum.

Rationes notae sunt:

a) Est vox aequivoca et explicationibus inde eget, ideo ipsum schema caute ad formulam « ad instar collegii » recurrit (n. 12, lin. 31);

b) Nimis tecnica in iure tam canonico quam civili ad designandam societatem collegarum in uno honore positorum vel eiusdem potestatis, ideoque ansam praebere posset exaggerationibus quae veram et genuinam notionem et functionem primatus possent etiam tantisper deturpare;

c) In Conc. Vat. I verbum fuit expresse exclusum (Mansi-Petit, 51, 556; 581 B; 53, 320 A; 49, 625 D);

d) Etsi fuerit aliquando ab aliquibus Patribus antiquioribus adhibita (Cyprian., *Ad Stephan.* 1, 2; *Epist.* 23, 3; *Epist.* 39; S. August., *Epist.* 105, 8; Lirin., *Commin.* 6; S. Optatus Miliv., *Contra Parmen.* 1, 4) tamen in et ex contextu omnino clare apparet, ni fallor, non dari huic verbo sensum technicum nec significationem presse theologicam;

e) Ego dicerem urgens esse studium conficere historicum horum verborum in re; interim, ut sequatur mens Concilii non intercludendi viam investigationi, vel verbum « collegium » etc. omnino expungendum esset, vel saltem in textu schematis permixtendum cum verbis « corpus », « ordo »...

4. Optime in schemate iterum atque iterum, caute et discrete, affirmatur Summum Pontificem caput esse huius ordinis vel corporis episcoporum, non quasi dubitans vel diffidus de corpore episcoporum, sed ut veritas nitide appareat et res, adeo delicata et ardua, in vera luce et proportione semper maneat.

5. Maxime denique placet quod et episcopatus ut sacramentum pertractetur.

II - *Animadversiones ad singula.*

N. 11, lin. 17: functio *unitiva* primatus nec unica est, nec relate tantum ad corpus episcoporum, verum etiam ad totius populi fidelium, etsi non absolute mediantibus episcopis. Hinc, ut videtur, affirmatio verbis Vaticani I esset complenda (Denz. 1821). Cf. postea bene in n. 17, linn. 2-3, pag. 28): « Ut vero... individuus esset, *et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fide et communionis unitate conservaretur, beatum...* ».

Lin. 21: formula « suam facit » non mihi bene sonat: « Quam doctrinam de institutione... infallibili magisterio, a Concilio Vaticano I declaratam cunctis fidelibus Concilium Vaticanum II rursus credendam proponit... ».

N. 12, lin. 8: videat commissio an in loco inserere oporteat verba n. 13, linn. 21-26: « Ministerium enim apostolorum... vitae principium », vel omnino expungere haec verba quae in his quae ad necessitatem missionis divinae se referunt, postea in n. 18 repetuntur.

Lin. 9 (etiam n. 13, lin. 21): loco verbi « fidem », « fidem salutarem », melius « doctrinam » vel simile verbum.

N. 13, linn. 27 ss.: paragraphi « Quapropter... » et « Sicut autem... » meliori ordine disponenda, ita ut: *a*) prius de cura apostolorum instituendi successores constet; *b*) dein de facto constitutionis episcoporum et transmissionis triplicis potestatis; *c*) postea de permanentia in corpore episcoporum potestatis ab apostolis acceptae; *d*) denique munus ex divina institutione episcoporum in fideles exercendum et officium fidelium sese eisdem, intuitu Christi, submittendi.

Hinc logice et ordinate hic numerus ita disponi posset: « 1) Quapropter apostoli de instituendis successoribus curam egerunt, eisque commendarunt ut attenderent seipsis et universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20-28). 2) Apostoli igitur ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis, constituerunt episcopos eorum qui credituri erant, et ordinem successionis eorum pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis ministerio. 3) Sicut autem permanet potestas a Domino singulariter Petro, ut primo apostolorum et duci *corporis* concessa et successoribus eius transmissa, ita servatur potestas totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore sacrato episcoporum exercenda. 4) Qui docere, sanctificare et regere plebem debent cum gratia eisdem divinitus col-

lata... forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 2-4). 5) Proinde declaramus... qui Christum misit (cf. *Lc.* 10, 16-17) ».

N. 14 (*De episcopatu ut sacramentum*) et n. 15 (*De presbyteris et diaconis*) melius collocari deberent post n. 21, ita ut post n. 13 (*De episcopis successoribus apostolorum*) succedat n. 16 (*De collegio episcopali eiusque capite*), dein n. 17 (*De relationibus episcoporum in collegio* [corpore]); postea n. 18 (*De episcoporum ministeriis*) et nn. 19-21 de triplici munere seu potestate, et denique n. 14 (*De episcopatu ut sacramentum*) et n. 15 (*De presbyteris et diaconis*).

En tamen aliquae emendationes ad singulos numeros, prout nunc sunt ordinati in schemate:

Linn. 21-23: verba « praeterea... fieri possit » deleantur ob controversiam circa characterem sacramentalem episcopatus.

Linn. 26 ss.: non clare apparet relatio eorum quae hic dicuntur cum sacramentalitate episcopatus. Breviari possint, vel ad finem n. 18 (*De ministeriis episcoporum*) mandari.

N. 15, linn. 2-3 (pag. 26): post verbum « presbyteros » adderem haec alia vel similia: « per impositionem manuum, Sacerdotio Christi configurantur (vel inseruntur) in quos... ». Similiter in hac eadem linea delenda essent verba « in quos gratiam... transfundunt », licet sint e Pontificali Romano desumpta. In sacerdotio enim aaronitico certe transmittebatur proprium sacerdotium de plenitudine paterna (Aaron) iure haereditario, non tamen ita transmittitur sacerdotium in Nova Lege « *de paternae plenitudinis abundantia* (*episcoporum*) » sed de plenitudine gratiae Christi sacerdotis. Hinc textus emendetur hoc modo: « ... *presbyteros,* qui per manuum impositionem sacerdotio Christi configurantur (vel quibus per manuum impositionem sacerdotium Christi transmittitur) in suae societatis operis adiumentum ordinant, ut, illis adiutricem... ».

Lin. 7: post verba: « ... in persona Christi agunt... » oportet citare Enc. *Mediator Dei* (Denz. 2300).

Linn. 13-14: verba « cuius... agunt », potius deleantur, ne quis intelligat presbyteros *tantum* ex delegatione curam gregis exercere, nihilque esse in ordinatione, nec radicaliter quidem quod aliquam missionem ipsis conferat in ordine ad gregem dominicum pascendum.

Lin. 28 aut 29: addantur verba quae veram sacramentalitatem diaconatus statuunt, vel in lin. 28: « Gradu... hierarchico, vi sacramentalis ordinationis; episcopo... » vel in lin. 29: « diaconi, qui vero sacramento recepto in Ordinatione sacra, sacrificii... ».

N. 16: meliori ordine, ut puto, numerus hic, immensi quidem momenti in schemate *de Ecclesia,* ordinari et disponi posset. Liceat mihi huiusmodi ordinationem adumbrare: 1. Corporis episcoporum, ad instar collegii apostolici, eiusque potestas; 2. Petrus caput collegii apostolici, Romanus Pontifex caput corporis episcoporum; 3. Corpus hoc est subiectum plenae et supremae potestatis ordinariae in Ecclesia et unitatis in varietate vera repraesentatio; 4. Supremae potestatis corporativae exercitium extraordinarium et ordinarium: « Sicut in Evangelio... coniunguntur et corpus episcoporum constituunt quod in munere docendi, sanctificandi et regendi dominicum gregem succedit, imo in quo corpus apostolicum continuo perseverat (ex linn. 14-15). Cum Dominus enim Petrum ut petram, seu rupem, Ecclesiae posuerit (cf. *Mt.* 16, 18), eique ut fratres apostolos confirmare iniunxerit (cf. *Iac.* 22, 32), Pastorem totius sui gregis constituerit (cf. *Io.* 21, 16 ss.), tum

Petro tum duodecim simul apostolis ligandi atque solvendi potestatem tribuerit (cf. *Mt.* 16, 18; 18, 18), nec in illos nulla potestas seu missio sine Petro numquam transierit (cf. *Mt.* 18, 18; 28, 18; *Io.* 20, 30; *Lc.* 22, 19) [ex linn. 18-21 cum aliquibus additionibus], corpus episcoporum auctoritatem (vel potestatem) non habet, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri (e linn. 9-10) et numquam sine ipso (e lin. 16) ut capite eius intelligatur (e linn. 10-11). Ita ut haec plena et suprema potestas simul existat in S. Pontifice, veluti capite, et etiam in capite cum membris, scil. in Pontifice cum episcopis (cf. Mansi, 52, 1110 A). Hoc corpus indivisum subiectum plenae et supremae ordinariae potestatis in universam Ecclesiam creditur, et ex multis compositum varietatem populi Dei, ac sub uno capite collectum unitatem gregis Christi repraesentat (linn. 22 ss.). Hinc in corpore illo, episcopi primatum et... roborate (e linn. 24-28). Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud collegium... exercetur, non tantum physice coadunatum, sed etiam moraliter per media socialia communicationis. Et cum Romani Pontificis praerogativa sit Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare, Oecumenicum Concilium numquam datur, quod a successore Petri non sit ut tale confirmatum vel saltem receptum (e linn. 28 ss.). Eadem potestas collegialis... efficiatur ».

Linn. 5-9: verba « *Iam perantiquus... commendat* », locum aptiorem habent in initio n. 17.

N. 17, lin. 2 (pag. 28): hoc loco, post verbum « apparet » inseri poterit pericopa n. praecedentis (linn. 5-9) de qua in animadversione anteriori.

Lin. 6: « *ad imaginem Ecclesiae universalis...* » obscurum est, fortassim delendum.

Lin. 14: Ad exprimendum episcopos etiam titulares, ratione eorum cooptationis in collegium episcoporum vi consecrationis episcopalis, de hac sollicitudine universali participare debere, textus paulisper mutari posset: « ... ut membrum corporis episcoporum, in quod consecratione episcopali cooptatur, pro universa... ».

Lin. 27: « *ut dicit S. Basilius* »: expungantur haec verba, quia numquam schema citat expresse nomina SS. Patrum.

Lin. 33: cit. can. 1350 § 2.

Lin. 41: « *collegialis affectus* »; sollicitudo? ecclesialis caritas?

Lin. 41: post verba « *applicationem* » addi poterunt haec vel similia: « et efficacem collaborationem ».

N. 18, lin. 3: « *mediantibus apostolis* »: formula non placet. Aptius: « utpote apostolorum successores» vel similis.

Linn. 8-10: Non placet dixisse quod Spiritus Sanctus mittat apostolos, nec repetitio placet « missionem... misit ». Aliquid aliunde dicendum hic expresse de promissione quam Christus fecerat apostolis Spiritus Paracliti. Nova redactio proponitur: « Ad hanc missionem implendam, quae usque ad consummationem saeculorum erat duratura (*Mt.* 28, 20), Christus Dominus Spiritum Sanctum promisit apostolis (*Io.* 14, 16; *Act.* 1, 1 ss.) et a caelo misit die Pentecostes, cuius virtute testes Eidem essent usque ad ultimum terrae (*Act.* 1, 8) et prophetarent gentibus et populis et regibus (*Apoc.* 10, 11).

Nonne esset opportunum aliqua verba in hoc numero introducere, quae, etsi breviter, de triplici potestate Christi, summi doctoris, sacerdotis et regis, a qua dimanat in corpus episcoporum, in Petrum scil. caput et in episcopos, potestas ordinis et iurisdictionis, nempe docendi, sanctificandi et regendi, vel saltem repe-

tere quae in n. 14, linn. 2-3 (pag. 24) iam dicta fuere? En textus inserendi (lin. 12) adumbratio: « ... quod Dominus, summus magister, sacerdos et pastor, pastoribus populi sui plene commisit, quodque iuxta varia obiecta in potestatem ordinis et iurisdictionis, vel pressius in potestatem docendi, sanctificandi et regendi dispescitur, verum est servitium... ».

N. 19, lin. 20: « Episcopi sunt, *in primis,* praedicatores (praecones) fidei (doctrinae divinae).

Linn. 26 ss.: Aliqua perpolienda et complenda in hoc numero: *a*) Prae primis debet affirmari indefectibilitas Ecclesiae totalis, cuius est expressio infallibilitas magisterii; *b*) omitti nequit affirmatio promissionis divinae assistentiae; *c*) clare distinguendum duplicem exercitii modum magisterii, ordinarii et extraordinarii; *d*) in clariore luce ponenda infallibilitas in capite Romano Pontifice et in corpore episcoporum; *e*) materia seu obiectum infallibilitatis; *f*) denique de magisterio authentico tam Romani Pontificis quam episcoporum.

Textus correctus et ordinatus modeste proponitur: « ... citharae cohaerere debent. Cum Christi Ecclesia universa columna et firmamentum veritatis (*1 Tim.* 3, 15) a fide deficere nequeat, necesse est ut corpus episcoporum, apostolorum successorum, quibus christifideles audire et oboedire tenentur (*Lc.* 10, 16) ab errore in docendo immunes sint, ad quod Christus ultro divinum suum praesidium promisit et Spiritus veritatis assistentiam (*Io.* 15, 26; 14, 26). Licet singuli praesules... servantes, una cum Romano Pontifice, ut testes, doctores et iudices fidei, in veritatibus depositi sacri tradendis in unam sententiam conveniunt, doctrinam Christi infallibili oraculo enuntiant. Quod praecipue habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati, una cum Romano Pontifice et sub eius potestate, sollemni iudicio ac magisterio, doctrinam de fide ac moribus ab universa Ecclesia tenendam definiunt (Conc. Vat. I). In utroque enim casu, sacri magisterii decisiones, utpote assistentia Christi et Spiritus Sancti firmatae, ab omnibus sincero animo ac irreformabili iudicio amplecti debent, non secus ac infallibilia Romani Pontificis iudicia, collegii capitis, quando " omnium christianorum supremi pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide aut moribus definito et ex sese irreformabili actu proclamat ", a qua numquam discedere nec appellare licet cum Romanus Pontifex " per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina et moribus instructam esse voluit " (Conc. Vat. I, Denz. 1839). Cum autem... sive Romanus Pontifex (lin. 12 pag. 30 ss.) ... transmittitur, neque ut novam doctrinam patefaciant, sed ut Spiritu Sancto assistente et sensu fidelium subordinate cooperante, fidei depositum sancte custodiatur et fideliter exponatur (cf. Denz. 1836). Ad quam rite... accipiunt. Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, *et idem esset dicendum servata tamen proportione de Episcoporum authentico magisterio,* religiosum voluntatis... vel ex dicendi ratione ».

Si potius placet, textus expresse agens de authentico magisterio episcoporum hic vel similis adhiberi possit: « Similiter fideles reverenter doctrinam amplecti et sententiis adhaerere debent quas sui legitimi pastores eis proponunt, nam licet huiusmodi iudicia infallibilia non sunt, tamen ab eis profluunt qui a Spiritu Sancto positi sunt ut gregem commissum dirigant, et supernaturali prudentia comite tuto ad salutem perducant ».

Nota: Aliquae adnotationes ad textum propositum: deletur verbum *authen-*

tice docentes (lin. 31, pag. 29) quia reservatur pro magisterio non infallibili. Expungitur verbum *revelata* (in lin. 32) ne perperam interpretari possit tantum ad *formaliter revelata* magisterium infallibile extendi, dum revera etiam ad veritates extendatur ita cum revelatione connexas sine quibus fidei depositum nec custoditur nec explicatur. Linn. 7-12: « Quando enim... vel tuetur » videtur inutilis repetitio. In linn. 16-17 « praelucente » substituitur ab « assistente » quia formula efficacior et traditionalis ac exacta doctrinaliter; et « servatur » pro « custodiatur » ut in textu Vatic. Videretur non oblivisci debere in hoc loco (lin. 17) *sensum fidelium*. Denique, ut in textu proposito fit, aliquid addendum de magisterio *authentico* episcoporum.

N. 20: videtur numerus parum ordinatus et evolutus. Deberet enim functionem muneris sanctificandi pleniori modo enumerare et describere. Insuper, ut aliis numeris relate ad potestates docendi et regendi, affirmari deberet eius origo a Christo, in casu a sacerdotio Christi, et etiam praesentiam Christi in Ecclesia, redemptorum societate qui ad sanctitatem in ipsa et per ipsam vocantur, mediantibus sacerdotibus ad hunc finem specialiter consecratis: « Episcopi insuper de sacerdotio Christi participant in ministerium sanctificationis plebis christianae, ut omnes in Ecclesia et per Ecclesiam ad perfectionem seu configurationem cum Christo in terris, et ad aeternam beatitudinem in caelis pervenire possent. Sunt etenim " ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei " (*1 Cor.* 4, 1) ac " oeconomi gratiae supremi sacerdotii ", " perfectores " fidelium, qui " forma facti gregis ex animo " (*1 Pt.* 5, 3) possint exhortari eos opere et doctrina (cf. *Tit.* 1, 9). Episcopis officium competit sanctificandi plebem dum una cum suis in sacerdotio cooperatoribus et cum grege sibi credito in oratione liturgica, et praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerre facit, et qua continuo crescit et vivit Ecclesia, summum Ecclesiae Corporis Christi cultum Patri exhibet; dum administri principales omnium sacramentorum existunt (cf. *2 Cor.* 5, 18; *1 Cor.* 11, 24); dum sacerdotium a Christo institutum presbyteris communicant; dum septiformi Spiritu fideles consecrant (cf. *Act.* 8, 14-17) res et loca cultui divino dedicant atque cultum Christianae Religionis cum Christo, in Christo et per Christum, divinae maiestati tribuendum administrant secundum praecepta Domini et generales leges Ecclesiae ulterius legitime determinatas ».

N. 21, lin. 3: « Episcopi *denique* potestate regendi funguntur, *quae a Christo rege et pastore profluit,* et ad fideles sanctificandos destinatum est et inservit »...

Linn. 5-6: viderentur praeferendae formulae paulinae quae ad rem magni faciunt; et lin. 7 formula « uti debent » pro « ordinatur » substitui potest quia melius obiective quam subiective exponenda idea: « ... nonnisi ad aedificationem (*2 Cor.* 10, 8) non ad destructionem, ad consummationem nempe sanctorum in opus ministerii in aedificationem corporis Christi (*Eph.* 4, 11-13; *2 Cor.* 13, 10) ordinatur, memores... ».

Lin. 17 ss.: optandum ut textus Vaticani II pressius adhaereat in eadem re tractanda textui Concilii Vaticani I. Unde novus textus proponitur: « Eorum itaque potestas episcopalis iurisdictionis, ordinariae ac immediatae qua episcopi, qui positi sunt a Spiritu Sancto, in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt, a suprema Summi Pontificis potestate nedum eliditur verum eadem a supremo et universali pastore asseritur, roboratur et vindicatur, dum Spiritus... ».

Linn. 24-25: post verba « ex amore coercendi », saltem citentur pulcherrima verba, sollicitudine vere materna et ecclesiali, Conc. Tridentini s. XIII de Ref. c. 1, a can. 2214 C.I.C. citata.

Cap. III.

I - *Observationes generales.*

1. Optime in nota ad calcem pag. 5 huius schematis, hoc caput in duas partes dividendum proponitur. Res certo erat necessaria, sive ob rationes methodologicas sive ob rationes doctrinales.

Prima pars, quae nunc proponitur, nempe (*De populo Dei in genere*) separatum caput in schemate constituere deberet; immediate, utpote genericum, post cap. I (*De mysterio Ecclesiae*) collocandum antequam de singulis personarum ordinibus in Ecclesia iure divino existentibus (can. 107) sermo fiat.

Hoc caput ea deberet continere quae, ut iura vel officia, omnibus populi Dei membris, sive ad hierarchiam pertineant sive non, communia sunt, quaeque in ipsos e charactere baptismatis et confirmationis dimanant.

2. Videretur quod ea quae in n. 23 (*De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate*), utpote ad constitutionem divinam Ecclesiae pertineant, aptius in cap. I transferenda essent; sed etiam possent in cap. II (nunc proposito, nempe de populo Dei in genere) retinere, ut introductio vel praesuppositum postea dicendorum de hierarchia et de laicis, et etiam de religiosis et consecratis in statu ab Ecclesia sancito.

3. Tamen ad hoc praevisum cap. II (*De populo Dei in genere*), certe essent transferenda omnia quae in actuali cap. IV dicuntur de vocatione universali ad sanctitatem per communem obligationem praeceptorum et etiam per praxim consiliorum evangelicorum extra statum ab Ecclesia sancitum, seu privatim; quippe quod hoc non ad unam vel aliam categoriam vel ordinem personarum in Ecclesia sed ad omnes pertinet, neque ex alio profluit quam ab exigentiis baptismatis et confirmationis, quibus sacramentis omnes indistinctim Ecclesiae incorporamur et in fide perficimur et roboramur.

Quae vero dicuntur in hoc cap. IV de his qui consilia evangelica profitentur, in statu quidem canonico, vinculo voti, iuramenti aut consecrationis firmata (cf. Const. *Provida Mater,* art. III), optime retinentur in ultimo capite schematis, quod V nunc numeraretur, postquam iam de hierarchia esset tractatum in cap. III, et de laicis in specie in capite IV (novo).

Rationes, non tantum canonicae sed etiam theologicae, quibus demonstratur consilia evangelica profitentes et Deo consecratos in statu ab Ecclesia sancito, specialem categoriam hominum (iure partim divino, ratione sc. consiliorum imo ipsius status in se, partim humano, nempe ratione institutionum pro tempore existentium) constituere; exigunt caput speciale in hoc schemate *de Ecclesia* ut, ni fallor, apud omnes pacificum est.

4. Unde ad concretam conclusionem deveniens, mihi videretur ita cap. II (noviter propositum) (*De populi Dei in genere*), cap. IV (etiam noviter) (*De laicis in specie*) et V (nunc in schemate IV) (*De iis qui consilia evangelica profitentur*) ita ordinatim componere:

Cap. II: *De populo Dei in genere.*

N. 22 (Introductio) aliquibus demptis; n. 23 (De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate)?; n. 24 (De sacerdotio universali, necnon de

sensu fidei); n. 25 (De vita salutifera et apostolica *populi Dei*), his nempe demptis quae specifice ad apostolatum laicorum, ut talium, pertinent; n. 25 (De universali vocatione ad sanctitatem), scil. nn. 29-31 cap. IV actualis retractati tamen, castigati et ad pauciora contracti ex una parte, ex altera vero ampliati ut omnium personarum coetuum sanctitas, cuiusque statui vitae et conditioni consona, contempletur, et aliqua etiam in n. 35 (linn. nempe 33 ss.).

Cap. IV: *De laicis in specie.*

N. 23 linn. 31 ss., ubi laicorum definitio seu descriptio traditur; n. 25 fere omnia quae ad laborem apostolicum laicorum specifice referuntur; n. 26 De christifidelium relatione ad hierarchiam, quia ad laicos, ut tales refertur.

Cap. V: *De iis qui consilia evangelica profitentur.*

Post aliquam introductionem, etsi brevissimam, quae nexum statuat cum his quae in cap. II dicentur de vocatione universali ad sanctitatem, sumatur e n. 31 linn. 2-19 (pag. 20) in quibus bona elementa habentur relate ad evangelica consilia; n. 32 (De praxi consiliorum in statu vitae ab Ecclesia sancito); n. 33 (De statuum perfectionis momento); n. 34 (Sub auctoritate Ecclesiae); n. 35 (Aestimanda est consecratio...); n. denique 36 Conclusio et exhortatio.

Schema hoc ergo, in eius duobus cap. III et IV, nunc in II, IV et V, si placet, dispertienda retractanda essent, servatis tamen optimis elementis quae in praesens revera continent.

II - *Observationes particulares et ad singula animadversiones.*

Titulus cap. III (De populo Dei et speciatim de laicis) corrigatur, scil. cap. II (De populo Dei in genere).

N. 22 (*Introductio*). Lin. 1: verbum « postquam », a verbo « antequam »; lin. 2 verba introducantur quibus ad munera laicorum et consecratorum respiciatur; lin. 3 « ponat », loco « posuit »; lin. 4 deleantur verba « et speciatim laicorum »; lin. 6 post verbum « veritatis » addatur « in sanctitate »; lin. 8 verba accommodentur ad novam indolem capitis. Hinc novus textus: « Sacrosancta Synodus, antequam in declaratione de mysterio Ecclesiae munera sacrae Hierarchiae et laicorum christifidelium, necnon eorum qui in statu perfectionis consilia profitentur evangelica, ante oculos ponat, nunc ad considerandam... Populi Dei cum gaudio... veritatis in sanctitate... mittitur. Pastores sc. ita fideles pascant et regant et fideles cum pastoribus ita conspirent, ut cuncti... cooperentur, ad aedificationem nempe mystici Corporis Christi (cf. *Eph.* 4, 11-16).

N. 23, lin. 13: Addatur particula « nam » vel « enim », ut cum anteriori numero colligetur, et logicus sit transitus.

Linn. 20 ss.: pericopa « Nulla igitur... cf. *Col.* 3, 11 » in fine huius paragraphi ponatur, ut compendium dictorum.

Lin. 9 (pag. 6): non placet in hoc loco figura seu metaphora nuptiarum, melius adducerem textum aliquem scripturisticum ad rem facientem, v. g. *Tit.* 2, 13 (cf. *Phil.* 3, 10; *1 Cor.* 17, 2; *2 Pt.* 3, 10).

Linn. 11-13 (pag. 6): verba « Si igitur in Ecclesia... sanctitatem », expungantur, cum non omnino congrua in hoc loco et quia, ex dictis, postea agendum esset de vocatione universali ad sanctitatem.

Linn. 31 ss. usque ad n. 24: expungantur ex hoc numero et capite, et in cap. IV (De laicis in specie) reserventur.

Lin. 35: post verba « ad ordinem hierarchicum », haec alia adderem « iure

divino stabilitum », ut aperte constet laicorum ordinem seu statum theologice contradistingui a hierarchia, canonice tantum, non excluso tamen aliquo fundamento iuris divini, a statu perfectionis.

N. 24, lin. 16: cit. *Act.* 1, 8.

Lin. 23: ... innitur eorumque virtute ad actum deducitur, aptius quam « per ea ».

Lin. 26: addatur « novo charactere ».

Lin. 27: post verba « roborentur ut... », haec alia interpolentur, quae optime connectuntur cum *Act.* 1, 8: « roborantur ut, tanquam veri testes Christi, fidem... ».

Linn. 30-31: ut addi possit participatio fidelium in communione Victimae divinae, quod valde oporteret, paulisper immutari possit formula hoc fere modo: « ... positam, atque seipsos cum ea, per manus ipsius sacerdotis, Deo offerunt, et in communione eucharistica manducant. Hoc maxima... ».

Linn. 33 ss.: Quae sequuntur, nempe de ascetica coniugali, ut exigentia sacramenti matrimonii (lin. 33 ad 3 sequentis paginae), de victoria e peccato et mundo (linn. 4-7), et de praecepto caritatis (linn. 8-12) aptius in numerum ubi de vocatione universali ad sanctitatem reservarentur.

Lin. 33: adderem verbum « magni » cum S. Paulo (*Eph.* 5, 32).

Lin. 35: « prolis *susceptione* et educatione sanctificat... ». Puto esse non parum momenti hanc simplicis verbi additionem.

Lin. 1 (pag. 8): « saepe sunt, verbo et exemplo primi... ».

Lin. 2: « exercent, et vitam christianam ac sacras vocationes Deo dante... ».

Linn. 13-23: quae de « sensu fidei » dicuntur in hoc numero, de hac nempe quaestione magni momenti et ponderis, accuratius forse essent disponenda, ita ut prius constet sensum fidei esse manifestationem indefectibilitatis Ecclesiae totae in credendo, et postea de eius conditionibus et functione relate ad sacrum depositum et magisterium.

Nova et ordinata redactio, meo humili iudicio, haec plus minus esset: « Ecclesia tota, " ab episcopis usque ad extremos laicos fideles " (S. Aug.), quae in credendo indefectibilis est, hanc suam peculiarem proprietatem etiam in supernaturali *sensu fidei* universi populi christiani manifestat, cum universalem ipsius consensionem de rebus fidei ac morum exhibet.

Supernaturalis enim sensus fidei in christifidelibus, qui Spiritu Dei aguntur (*Rom.* 8, 4), ac Deo docibiles sunt (*Io.* 6, 45), ab ipso Spiritu Sancto excitatus et a magisterio ductus et sustentatus, ipsi magisterio etiam active iuvat et servit, varietates in deposito revelationis absconditas quandoque praesentiendo, iam propositas profundius perspiciendo et in vita fidelius applicando ».

N. 24, lin. 23: postquam de sensu fidei recte actum est, quo fideles magisterio serviunt et iuvant, logice loquendum esset de vita salutifera et apostolica in Ecclesia, seu de apostolatus officio populi Dei. Ergo, post lin. 23, n. 25 primis lineis praeviis, quae ad rem faciunt: « *Ad populum Dei vocati... conferre tenentur* », cetera vero quae ad apostolatum, seu ad apostolatus formas, specificum laicorum, suo loco remittenda, collocari possit paragraphus « Propterea... » (linn. 24-36, pag. 8), quae de donis, muneribus et charismatibus agit in Ecclesiae et apostolatus incrementum. Hinc textus, paulisper immutatus, hic posset esse: « N. 25 (De vita salutifera et apostolica in Ecclesia). Ad populum Dei vocati et in uno Corpore Christi sub uno capite constituti, quicumque sunt... conferre tenentur. Quamobrem (loco propterea), in Ecclesiae atque apostolatus incrementum... secundum ordinem fiant » (*1 Cor.* 14, 40).

Nota. Post vero n. 24, ut diximus confectum seu dispositum, statim nn. 28 ss. (capitis quidem nunc IV) (De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia) sunt collocandi, cum emendationibus postea notandis.

N. 25 (pagg. 8-10), lin. 39 (pag. 9): « in iustitia, *caritate* et pace... ».

Lin. 14 (pag. 10): non tantum *Dei imperio* omnis humana activitas, etiam in se profana, debet esse subiecta, sed et *redemptionis influxui.* Ergo: « ... Dei imperio et redemptionis influxui, substrahi... ».

N. 26, lin. 27 (etiam lin. 39): expungantur verba « laicis non exceptis », « ideoque et laici », supervacanea enim sunt.

Nn. 29-31 in cap. II, si placet, (*De populo Dei in genere*) inducendi. Ut non semel iam diximus, in his nostris ad schema *de Ecclesia* animadversionibus, numerus specialis esset redigendus cum bonis elementis, etsi fortasse aliquantulum perpolitis et emendatis, quae in nn. 29-31 capitis nunc IV continentur. Hic numerus, qui proponitur (De universali populi Dei ad sanctitatem vocatione), esset titulandus seu inscribendus, et in cap. II nunc proposito (De populo Dei in genere) inserendus. Huius numeri tenor et textus adumbratur: « n. (De universali populi Dei ad sanctitatem vocatione). Omnis sanctitatis divinus magister et exemplar, Dominus Iesus, imitationem Patris caelestis omnibus et singulis hominibus cuiusvis conditionis et status praedicavit dicens: " Estote... " (*Mt.* 5, 48). Nec tantum imitationem Patris proposuit, sed Filius, " Verbum Patris " (*Apoc.* 19, 13) et " figura substantiae eius " (*Heb.* 1, 3; *2 Cor.* 4, 4; *Col.* 1, 15), qui " in diebus carnis suae ", quae placita erant Patri semper fecit (cf. *Io.* 8, 29), ut sequentes vestigia eius (cf. *1 Pt.* 2, 21) ipsum induamur (*Rom.* 13, 14; *Gal.* 3, 27), conformes imaginis eius efficiamur (*Rom.* 8, 29) et morti eius configuremur (*Phil.* 3, 10), seipsum proposuit vivum exemplum a nobis exprimendum usquedum, iuxta verba apostoli Pauli, " vita nostra abscondita sit cum Christo in Deo " (*Col.* 3, 3), vita Iesu manifestetur in corporibus nostris (*2 Cor.* 4, 10-11) et Christo confixi cruci, vivamus iam non nos, vivat vero Christus in nobis (*Gal.* 2, 19-20). Ad hoc, enim, Christus omnibus eum sequentibus in via sanctitatis, unum universaleque mandatum dedit, mandatum nempe dilectionis in Deum toto corde, ex tota anima, ex tota mente et tota virtute sua, quod est maximum et primum, et amoris in proximos, quod est secundum simile huic, in quibus universa lex pendet (cf. *Mt.* 22, 39-40). Cunctis enim perspicuum est, Dominum omnes et singulos discipulos, cuiusvis status, sive in saeculo sive in religione degentes, sive simplices fideles sive ad hierarchiam pertinentes, ad sanctitatem vocavisse, quae in fide et baptismate inchoata, gratuita excitante et adiuvante gratia indesinenter crescit usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi (cf. *Eph.* 4, 13) et in abundantes fructus prorumpit... commonstrant. Proindeque christifideles ad caritatis perfectionem magis ac magis extendant vires... devoveant. In variis vitae generibus... (e n. 30, linn. 1-8) sanctificationem, " qui pastorem vocem moresque sequitur per exempla melius quam per verba graditur " (S. Greg. M., *Reg. Past.,* c. 3; PL 77, 28). Sic enim... (e n. 30, linn. 8-15) vocantur. Coniuges christiani... (e n. 24, linn. 32 ss.) Deo dante favent. Denique pro omnibus christifidelibus, sive Superiores sint sive subditi, dites vel pauperes, qui laboribus manuum vacant vel mentis laboribus, coniugati vel caelibes, viri vel mulieres, supernas... (e n. 30, linn. 24-32) spiritualis vitae in mundo. Christifideles, qui omnes ad sanctitatem vitae invitantur, caritatem quae a Spiritu Sancto in cordibus nostris diffunditur (cf. *Rom.* 5, 5), sacris et sacramentalibus actionibus et sedula, iuxta uniuscuiusque status et condicionis, mandato-

rum observantia et omnium virtutum exercitatione excolunt et augent (e n. 31, linn. 38 ss.). Et licet non omnes ad eam per consiliorum evangelicorum praxim reapse vocantur, omnes tamen debent ad hoc tendere ut... non utantur (*1 Cor.* 7, 31). Immo plures enim fuerunt omni tempore et adhuc sunt viri et mulieres... exhortationibus sparsis (e n. 31, linn. 20-35). Consilia enim, sive privatim sive publice acceptata et etiam voto firmata, nedum perfectioni personae humanae minime obest, verum summopere prodest, cum in caritate et secundum cuiusque personalem vocationem... magis conformant » (e n. 35, linn. 33 ss.).

Caput IV (vel V si ita placet): De iis qui consilia evangelica profitentur.

Postquam, in capitibus praecedentibus, novo ordine dispositis, nempe III (De constitutione hierarchica Ecclesiae), et IV (De laicis in specie) actum est, et de hierarchiae ac laicorum muneribus in Ecclesia, nunc procedendum esset ad christifideles, sacerdotes aut laicos, qui consilia evangelica profitentur in statu vitae ab Ecclesia sancito.

Novum caput (quod V numeraretur), a nota in calce pag. 5 propositum, elementa omnia theologica status perfectionis continere et clare exhibere debet.

Ergo, si placet, hoc novum caput ita posset ordinari: *Introductio* (e n. 28); n. 31, in quo agitur de his quae ad consilia evangelica pertinent; n. 32 (De praxi consiliorum in statu ab Ecclesia sancito); n. 34 (Sub auctoritate Ecclesiae); n. 35 (De momento perfectionis status); n. 35 (Aestimanda est consecratio...); n. 36 (Conclusio).

Hinc nova ordinatio et animadversiones et emendationes proponuntur:

N. 28 (Introductio). Licet in Ecclesia omnes, sive ad hierarchiam pertinent sive ab ea pascuntur, ad sanctitatem vocantur, cuiusque statui et condicioni vitae consonam, quippe quod Filius, secundum Aeterni Patris consilium, in terram venit ut vitam habeant et abundantius habeant (*Io.* 10, 10), universi adoptionem filiorum reciperent (cf. *Gal.* 4, 5; *Rom.* 8, 15) et essent sancti et immaculati in conspectu eius in caritate in laudem gloriae gratiae suae (*Eph.* 1, 4-6); quosdam tamen inter illos benigne elegit ut in statu vitae ab Ecclesia sancito, per perfectiorem Christi imitationem in eius divina exinanitione, quae in professione consiliorum evangelicorum, coram Deo obligatione firmata, continetur, totaliter se et sua Deo consecrentur, et simul huius universalis vocationis ad sanctitatem praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum.

Ratio emendationum inductarum: linn. 4-9 textus biblici meliori dispositione, ni fallor, inducuntur; lin. 10 non « per » statum sed « in » statu; lin. 10 ss. etsi brevissime, ut decet Introductioni, elementa essentialia status perfectionis enumerantur.

N. 31 (De consiliis evangelicis). « Sanctificationis forma et finis est amor in Deum super omnia et operosa proximi dilectio, in cuius cotidiano opere perfectio usque ad plenitudinem crescit et exseritur.

Christus Dominus, qui praecepta intulit omnibus communia, quibus servatis, in eum credentes et aeternam vitam consequi possent (cf. *Mt.* 19, 17-19), amorem in eum probarent (cf. *Io.* 14, 15; 14, 21) ac sanctitatem tutiori perfectiorique modo adquirere possent, multa etiam consilia, uti media simul ac essentialia elementa perfectionis christianae, asseclis verbo et exemplo proposuit, ut eius vestigia prementes, eius etiam immolationem et exinanitionem mysterium quam maxime participarent et exprimerent. Plenitudo, enim, Christi sacrificii redemptoris,

a nativitate usque ad mortem, implicat mirandam illam exinanitionem (*Phil.* 2, 7), quam evangelica consilia plane significant et efficiunt.

Inter quae consilia, tria praecipua in Evangelio proponuntur; quae doctrina et praxis Ecclesiae peculiariter extollunt, et ad caritatis fervorem maxime conferunt. *Paupertas,* scil., ad quam Christus « qui propter (nos) egenus factus est cum esset dives » (*2 Cor.* 8, 9), et qui in vita sua non habebat ubi caput reclinaret (cf. *Mt.* 8, 20; *Lc.* 9, 58) invitat (cf. *Mt.* 19, 21; *Mc.* 10, 21; *Lc.* 18, 22) et qua Christi assecla bonis terrenis, amore caelestium, renuntiat ut verus discipulus Eius esse possit (*Lc.* 14, 33) et simul verae et actuosae fraternitatis et verae libertatis filiorum Dei mundo testimonium praebeat et extollat. Deinde virginitas propter Regnum caelorum, seu Deo dicata castitas, qua illi quibus a Patre datur, mortificationem Iesu in corporibus suis circumferentes specialiter (cf. *2 Cor.* 4, 10), se Deo totaliter devovent propter ipsum solum dilectum et sic signum praebent et principium constituunt spiritualis foecunditatis in mundo. Denique totalis subiectio Patri divinaeque ordinationi, per humilem et generosam proprii arbitrii renuntiationem, ad exemplum Christi " qui factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis " (*Phil.* 2, 8; cf. *Mt.* 10, 28; *Lc.* 9, 59; *Io.* 4, 34; 6, 38; *Heb.* 10, 5-7), in obedientia erga Ecclesiam eiusque praepositos, nomine Christi animas et vitas dirigentes. Tria praedicta consilia... propinquius accedunt ».

Ratio emendationum inducendarum: lin. 31, delentur in titulo verba *De mediis* ne putetur consilia in casu, scil. in statu perfectionis, sint *tantum* media ad perfectionem, non *etiam* elementa essentialia ipsius perfectionis; linn. 35-37, « Unde mandatum... et necessarium » possunt expungi, cum iam sufficienter antea haec eadem propositio fuit enunciata; linn. 38 ss., « Caritas... et crescit », verba fuerunt iam adhibita in nn. de universali ad sanctitatem vocatione; linn. 2-6 (pag. 20), omnino expungenda verba, ut puto, quia doctrinam completam non tradunt, et formula proposita vel simili substituenda; lin. 6, verbum « praecipua » introducendum, quod, ni fallor, magni est ponderis sive ob rationes historicas sive ob rationes doctrinales; linn. 7-16, compleri omnino erat necessarium, ut videtur, quae dicuntur de singulis votis seu consiliis evangelicis quoad originem, rationem formalem et finalem etc.; linn. 14-16, quoad oboedientiam attinet, maxima cura denuo esset retractanda formula adhibita, beneque perpolienda et perficienda.

N. 32 (De praxi consiliorum... in statu sancito). « Ad consilia evangelica... plures christiani vocati accedunt, immo praxim eorum instituunt, non privatim sed in stabili vivendi forma ab Ecclesia sancita, quae status perfectionis vocatur. In tali statu, seu forma vivendi stabili, externe et canonice ad perfectionem christianam ab Ecclesia ordinato, christifideles vocati, praeter communia praecepta, consilia etiam evangelica, vinculo aliquo morali coram Deo firmata suscipiunt (cf. can. 487 C.I.C.), quibus se divino servitio mancipantur, seque et sua totaliter uno tractu et ictu in holocaustum sacrificant (cf. *S. Th. II-II,* q. 186, a. 1 c; ibid. ad 1 et 2; a. 6 ad 2, et passim); et in communi physice vel moraliter viventes, Ecclesiae et mundo fraternitatis eximium exemplum praebent, cum carnis et sanguinis rationibus posthabitis, rationibus supernaturalibus veram Dei familiam constituunt.

Status huiusmodi, ratione habita divinae Ecclesiae constitutionis hierarchicae, non est intermedium quid... servitio mancipentur ».

Nota. Videatur an post hunc n. 32, aptius n. 34 (Sub auctoritate Ecclesiae) debeat subintroire, cum emendatione sequenti: lin. 2 (pag. 22): haec verba vel simi-

lia possint addi: « vota publica eius ministerio recipere, vel vincula moralia quibus status perfectionis eius asseclae adstringuntur, ordinare. Quare Ecclesia... ».

N. 33, lin. 17: post verbum ultimum « praenuntiat », sc., haec alia addi possent, quae aspectum soteriologicum et eschatologicum, ut aiunt, huius paragraphi complent et illustrant: « ... Nam, sicut in statu perfectionis homo per consiliorum professionem, peccato et mundo radicaliter moritur, et plenius iustitiam et sanctitatem operatur, plenius etiam gloriae in caelis particeps esse potest » (cf. *Mt.* 19, 28-29; *Rom.* 4, 25; 6, 3-5; 8, 10; *Gal.* 3, 27; *Tit.* 2, 12-13).

N. 35, lin. 25: « ... consecratio, perfectiusque holocaustum. In singulis... ».

N. 36, lin. 9: « ... in caritate officium ut non tantum et exclusive propriae sanctificationis consulant, sed ut per ipsos... ».

Lin. 14: post ultimum verbum « benefacientem », addantur haec vel similia « vel denique in vita et morte pro omnibus oblatum et immolatum, ut omnes possint obviam ipso in caelum ire ».

67

Exc.mus P. D. DOMINICUS VALERII

Episcopus Marsorum

Periodus quae sequitur: « Collegium autem seu corpus episcoporum auctoritatem non habet nisi cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur », hoc modo mihi videtur conveniens mutare: « Collegium autem seu corpus episcoporum auctoritatem non habet nisi cum suo capite, Romano Pontifice, successore Petri ».

68

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER

Archiepiscopus-Episcopus Argentinensis

Pars I.

In genere hoc schema placet. Animadversiones quae sequuntur tendunt ad maiorem adhuc conformitatem cum doctrina biblica et ad oecumenismum promovendum.

Cap. I.

Pag. 7: 1. Textus linn. 16-21 sic mutetur: Deus, cum Amor sit aeternus, homines elegit omnes in Christo ante mundi constitutionem, ut essent sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, eosque praedestinavit in adoptionem filiorum per Iesum Christum (*Eph.* 1, 4 ss.). Quapropter etiam in Adamo lapsos non dereliquit, semper eis auxilia praebens in Christo Redemptore, qui est imago...

2. Lin. 26 textus sic legatur: secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, et secundum Spiritum sanctificationis a mortuis resuscitatus (*Rom.* 1, 4), fratres suos in filios Patris sui constitueret (cf. *Io.* 20, 17), eosque...

Pag. 8: 1. Linn. 1-3 legantur: Haec sancta Ecclesia ab origine in toto humano genere ad salutem vocato praeparata, in electione veteris populi praeformata, in novissimis temporibus est manifestata.

2. Lin. 16 legatur: acquisivit (cf. *Act.* 20, 28), eamque sibi in corpore suo glorificato uniens, suo replevit Spiritu, aptisque...

3. Lin. 26 addatur: (cf. *Io.* 17, 4) et Christo, per mortem et resurrectionem suam spiritu sanctificante effecto (*Io.* 7, 37. 38; *1 Cor.* 15, 45), misit Deus...

Pag. 10: lin. 4 legatur: peregrinantes, Christo et Ecclesiae per baptismum coniuncti, eiusque vestigia...

Pag. 11: 1. In lin. 10 post verbum « assimilatur », addatur: et in terris continuat.

2. Lin. 24 post verbum « impellunt » addatur: Ipsa etiam aliquo modo omnes homines bonae voluntatis, per fidem et baptismum unitos, comprehendit: et sic vocantur ad unicae Christi Ecclesiae plene adhaerendum in visibili unitate.

3. Linn. 26-27 legatur: in paupertate et caritate evangelica testimonium amantissimi, mitis et humilis Iesu...

4. Lin. 31 addatur: (cf. *1 Cor.* 11, 26) eiusque resurrectionis testes effectae (*Act.* 1, 8. 22).

5. Lin. 35 legatur: Ecclesiam, arcam salutis pro omnibus constitutam (*1 Pt.* 3, 20-21), esse institutum...

Pag. 12: 1. Linn. 3-6 legantur: In sensu pleno et perfecto Ecclesiae societati incorporantur ii tantum qui fide et gratia Christo uniti, integram Ecclesiae ordinationem agnoscunt, et in eiusdem compagine visibili...

2. Linn. 13-14 forsan, pro « cui si... » legatur: eosque genus electum, regale sacerdotium et plebem sanctam devenisse, ut virtutes annuntient Eius qui eos in admirabile lumen suum vocavit (*1 Pt.* 2, 9).

3. Lin. 15: forsan, pro « voto » legatur: « corde pleno » aut « voluntate ».

4. Lin. 27 pro « coniunctam », legatur forsan: « unitam ».

5. Lin. 35 addatur ad vocem « sanctificante »: sive visibiliter per sacramenta, sive invisibiliter, etiam in illis...

Pag. 13: 1. In lin. 13, post vocem « quaerant », addatur: et omnes in suo Filio complectitur (*1 Col.* 1, 15-20) eosque ad Seipsum attrahit (*1 Tim.* 2, 3-6). Quidquid...

2. Linn. 19-23: posset-ne addi ad hunc textum sequentia: conantur, — immo qui veritates ordinis naturalis propagant et sic aliquo modo operi divino inserviunt (cf. *Sap.* 13, 1-22; *Act.* 17, 24-28; *Rom.* 1, 19-21) quamvis fraus diaboli, per peccatum in mundum introducta, multas religiones errore inquinavit — aeternam salutem sperare...

Cap. II.

Pag. 23: in lin. 31 pro « ad instar » lege potius: « sub forma ».

Pag. 25: lin. 13: pro « praecellentem gradum » legatur: « Plenitudinem sacerdotii ».

Pag. 26: in linn. 4-5 pro « pontificatus apicem » legatur: « plenitudinem sacerdotii ».

Pag. 27: totum sub n. 16 enuntiatum aliter redigendum est. Quod de eadem re in Commentario, pag. 44 datur, sobrius est et aeque verum. Redactio pag. 27 emanat a redactore scrupuloso, qui patitur morbo quod gallice voce « complexe » designatur. Dicatur semel episcopatum esse non posse sine Summo Pontifice qui eius caput est. Redactio pro nobis, catholicis, iniucunda est et orientales Ecclesias ad unitatem minime attrahet.

In lin. 30, ad veritatem historicam servandam, forsan addendum est ante verbum « Romani Pontificis »: quidquid in praeterito evenerit, — nam et doctrina de Conciliis oecumenicis paulatim clarificata est, usque ad suam definitivam formam.

Pag. 29: 1. Lin. 15 legatur: Episcoporum autem missio, radicaliter legitima consecratione sacramentali expressa et collata, fieri potest...

2. In fine lin. 33, addatur (cf. not. 48 textus schematis): enuntiant, sicut id quod tenent omnes fideles tamquam de fide, necessario est verum et de fide.

Pag. 30: lin. 10: in textu incorporentur declarationes episcopi Gasser in Concilio Vaticano I datae: vide notam 52 pag. 42 huius schematis. Hae declarationes tollunt quod satis obscurum manet in verbis « ex sese » quae scandalum sunt (in sensu primigeni huius vocis) pro fratribus separatis.

Pag. 31: forsan in lin. 3 legatur « munere pascendi » potius quam regendi.

Pars II.

Doctrina huius partis mihi optima videtur. Redactio tamen revelat absentiam unicitatis auctoris: pluria anteriora schemata consulta sunt, ita ut repetitiones inveniantur, sive in cap. III sive in cap. IV (v. g. nn. 23 et 24; nn. 29 et 31).

Insuper, cum de laicis et de religiosis in aliis schematibus agitur, necessarie aliqua elementa repetuntur.

Mutationes aliquas indicabo aut additiones pro cap. IV.

Cap. IV.

Pag. 18: 1. Lin. 6 post (*Io.* 10, 10) addere: cui fideles tam intime per baptismum iunguntur ut Christum induisse ab apostolo dicantur (*Rom.* 13, 14), universos...

2. Lin. 28, post verbum « inchoata », addatur: per Eucharistiam nutrita, maternis Ecclesiae subsidiis confortata, gratuita...

Pag. 19: 1. Lin. 2, post verbum « officiis », addatur: in diversitate spirituum et charismatum, ...

2. Lin. 24, post « christifidelibus » addatur: inclusis pueris cum senibus, morbo laborantibus aut aerumnis confectis quasi naufragium vitae perpessis, ...

3. Ad finem lin. 32 addatur: dum recusatio conatus ad sanctitatem Ecclesiam foedat et figuram Christi profanis velat.

Pag. 20: 1. Lin. 22 pro voce « praxim » melius poneretur: « professionem ».

2. Lin. 34 pro: « sive spiritualibus... », legatur: sive operibus caritatis et misericordiae institutis.

Pag. 21: 1. Lin. 13, post « profitebuntur », addatur: et sic finem Ecclesiae, qui est hominum sanctificatio, sua institutione manifestat.

2. Lin. 22 addatur: et sic haec professio, si non ad essentiam, tamen ad integritatem Ecclesiae pertinet.

69

Rev.mus P. D. ATHANASIUS WELYKYJ

Superior generalis-protoarchimandrita Ordinis Basiliani S. Iosaphat

Pars I.

In genere: in genere quae proponuntur, placent.

In particulari:

N. 1, pag. 7, lin. 3: loco « in caligine », forsan melius dicerem: « in umbra ».

N. 2, pag. 7, lin. 22: loco « iustorum » dicatur: « redemptorum », ut melius exprimatur realitas Ecclesiae in terris; lin. 25: loco « praedestinavit » forsan melius dicere « misit », ut evitentur omnes allusiones ad disputationes de praedestinatione. Possunt citari verba ex *Io.* 3, 17.

Pag. 8, lin. 2: omitterem dictionem « iam ab origine humani generis praefigurata », quia est res disputabilis.

N. 3, pag. 8, lin. 16: loco « suo Spiritu » dicerem « Sancto Spiritu », quia non clarum de quonam « spiritu » agitur, an de tertia Persona Divina, an de illo spiritu de quo sermo est in *Lc.* 9, 55 (Nescitis cuius spiritus estis...).

N. 4, pag. 8, lin. 25: melior esset disiunctio: « Pater *Filio* commisit », quam illa proposita: « Pater Christo »; lin. 27: omitterem dictionem « *uno* (Spiritu) », quia in textu loquitur « ambo in uno » (*Eph.* 2, 18), hic autem non habet eandem vim et forsan etiam sensum; linn. 36-37: omitterem dictionem: « Nam Spiritus... Veni » et citationem, quia superflua hoc loco.

N. 5, pag. 9, lin. 4: dicerem sueta forma « Spiritum *Sanctum* » loco « suum », ut omnis aequivocatio evitetur; lin. 38: loco « Spiritus autem Christi » dicerem « Spiritus autem *Sanctus* », propter claritatem, et ut vitetur quasi tautologia: Corpus Christi mysticum — Spiritus autem Christi... unus idemque in Capite...; forsan etiam adhiberi potest dictio « Spiritus autem *Dei* ».

N. 7, pag. 11, lin. 12: dictio « Spiritus Christi » fundamentaliter vera, tamen dubito an opportune ut adhibeatur in Concilio cum tanta frequentia prout in hoc schemate; si est inevitabilis, dicerem potius « Spiritus Filii », quia habet expressam relationem trinitariam, quam non habet dictio « Christus ». Dubius tamen sum ob aliam etiam rationem, nempe: Adest controversia terminologica saltem (post Conc. Florentinum) de dictione Symboli: « ...qui a Patre procedit » et « qui a Patre Filioque procedit »; instare nunc in hanc dictionem « Spiritus Christi » praesefert quamdam apologiam vel polemicam versus orientem, qui potius loquitur de Spiritu Patris quam Christi. Ideo dictio neutra « Spiritus Sanctus » mihi videtur aptior ut adhibeatur, prout et adhibetur in Symbolo fidei: « Et in Spiritum Sanctum... ». Ceterum bene adhibetur ex professo in n. 4, pag. 8.

N. 8, pag. 12, linn. 8-11: dictionem: « Non salvantur... remanet », transferrem in lin. 14, post verbum « iudicabuntur », quia melior esset logica sequentia textus; lin. 15: noto: dum in lin. 3 sermo fuit de « Ecclesia societate », hic loquitur simpliciter de « Ecclesia »; non esset possibile loqui etiam hic « de Ecclesia societate »? vel forsan melius dicere: « cum Ecclesia corpore Christi mystico »? Et hoc propter catechumenos et propter errantes bona fide praesertim orientales. Differentia videtur stare in illo « reapse et simpliciter » et « voto autem » non in termino ad quem (Ecclesia societas, Ecclesia corpus Christi mysticum; cf. n. 7, linn. 7-10).

N. 9, pag. 12, linn. 23-38: non esset possibile hanc coniunctionem melius determinare vel definire, praesertim ob reciprocam participationem horum elementorum communium seu ad melius determinandam theologice quaestionem communicationis s. d. in sacris? Hoc in loco forsan potest dari fundamentum theologicum disciplinae catholicae de communicatione in sacris, quod hodie desideratur, praesertim in connexione cum motu oecumenico.

N. 13, pag. 24, lin. 37: videtur dici deberet: « accept*is* mandatis ».

N. 14, pag. 25, lin. 25: necessarium videtur addere haec: « ... munus participandum ex divina institutione instituunt », et quidem ob dictionem in n. 15, linn. 38-39, pag. 25. Verbum vero « vocant » non est clarum sic et simpliciter sumptum.

N. 14, pag. 25, lin. 27: post dictionem: « vivificandae » adderem « et sanctificandae », quia melius et plenius exprimit munus dispensatorum Sacramentorum.

N. 15, pag. 26, lin. 1: loco « in suae societatis operis adiumentum », dicerem rectius et clarius: « in sacri ministerii adiumentum ». Dictio enim proposita nescio quid sibi vult dicere; linn. 2-3: loco dictionis non satis clarae: « in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt », dicerem simpliciter: « in quos gratiam Ordinis sacri transfundunt », quia gratia ordinis non est gratia paternae plenitudinis episcopi, sed Dei, cuius gratiae transmittendae instrumentum est episcopus ordinans presbyterum; linn. 39-41: sententiam « Quo in casu... necne » melius exprimerem hunc in modum: « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere *qua disciplina* tales diaconi *et quibus obligationibus ecclesiasticis* obstringuntur ». Quaestio enim caelibatus in instituto diaconorum permanentium non est unica quaestio maioris momenti, et proposita specificatio quaestionis caelibatus quamdam praesefert apologiam quae non est necessaria.

N. 16, pag. 27, lin. 31: adderem forsan coniunctionem « tamen » post verbum « Pontificis »; lin. 35: loco confidentialis dictionis « Papa » ponerem « cum Romano Pontifice », ut magis conformem solemni decreto conciliari.

N. 17, pag. 28, lin. 4: loco « multitudinis » dicerem aptius et dignius « fidelium »; lin. 27: post verba « corpus Ecclesiarum », adderem haec: « Quod magis adhuc valet, si in coetus episcopales congregati necessitatibus singularum regionum providere studeant ». Hoc modo quasi fundamentum theologicum assignatur conferentiis episcopalibus de quo tam diffuse in schemate « De episcopis et dioecesium regimine », cap. III.

N. 18, pag. 29, lin. 17: loco dictionis « non revocatas » dicerem « agnitas » quia est quid positivum, et non mere negativum prout proponitur; lin. 18: omitterem hic dictionem « aut agnitam », quia iam supra provisum.

N. 21, pag. 31, lin. 11: loco « ultimatim » forsan melior invenienda est dictio; lin. 13: post verbum « possit » adderem: « *quibus rationibus disciplina de reservationibus Sedi Apostolicae vel alii auctoritati factis regitur* ». Utilis videtur talis determinatio ad melius explicandam et defendendam potestatem episcopalem ab iniustis criminationibus.

Salvo meliore iudicio...

70

Exc.mus P. D. IOANNES F. WHEALON

Episcopus tit. Andrapenus, aux. Clevelandensis

Cap. I, n. 9, pag. 12, lin. 30: addantur verba « Verbum Dei colunt » vel alia similia.

Cap. II, n. 16: clarificetur expressis verbis status episcoporum titularium in collegio episcopali.

71

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER

Episcopus Facatativensis

En el esquema *de Ecclesia,* pars I, fol. 26, lin. 39, encuentro que dejar « ad praepositos Ecclesiae... decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne», es exponer a una variedad inconveniente dentro de un mismo país, o de una nación a otra, la obligación de la castidad perfecta. Una sola debería ser la norma, si no para toda la Iglesia, para la Occidental, por una parte, y la Oriental, por otra.

Personalmente estimo que si con la restauración del diaconado en su forma primitiva se quiere multiplicar el servicio religioso, se ha de permitir el matrimonio a tales diáconos; o, al menos, se ha de conceder que sean ordenados diáconos personas casadas, debidamente escogidas.

72

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO

Episcopus Bobiensis

Gaudet cor meum cum perlate totum schema percurrerim ut dilatata caritate cor suum mortalibus omnibus Ecclesia nostra pandere possit ut ipsa feliciter lumen omnium gentium sit feliciter ac prospere.

Pars II. Nihil aliud mihi adiiciendum censeo nisi summam laudem adscribendam venerabilibus Patribus quorum opera schemata novimus redacta, quorumque summopere interest sicut et mea, ut Sancta Ecclesia in sanctitate stet et vivat virens in Domino.

73

Exc.mi PP. DD. TREDECIM EPISCOPI AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

[*Cf. pag. 677*].

74

Exc.mi PP. DD. TREDECIM EPISCOPI AFRICAE ORIENTALIS

[*Cf. pag. 687*].

75

CONFERENTIA EPISCOPALIS ARGENTINAE

Proposición. Dar un voto de aplauso a la restauración del Orden del Diaconado, con todas las facultades que se consideren oportunas y necesarias sin que el ejercicio de esta Orden implique el celibato.

[*Subsignaverunt*:] Juan Carlos Aramburu; Horacio Gomez Davila; Vicente Zazpe; Jeronimo José Podestá; A. Rodriguez y Olmos; D. Esorto; Carlos M. Pérez; fr. Pedro A. Torres; fr. Ildefonso M. Sansierra; A. Quarracino; Jorge Mayer; Benito E. Rodriguez; Antonio Rossi; Pedro Lira; M. Blanchoud; Fr. Muguerza; Alberto Devoto; Manuel Tato; Antonio Aguirre; Manuel Marengo; Ernesto Segura; Jorge Gottau.

La misma proposición pero exigiendo al diácono la práctica del celibato.

Proposición. No se destinarán a las funciones sagradas los diáconos que no guarden la ley del celibato.

[*Subsignaverunt*:] Franciscus Vicentin; Alfonso M. Buteler; Alejandro Schell; A. Rodriguez y Olmos; Oscar Villena; Horacio Gomez Davila; Carlos Cafferata; Benito E. Rodríguez; J. Chalup; J. Carlos Carreras; fr. Ildefonso M. Sansierra.

76

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPUS ET EPISCOPI
Provinciae S. Ioannis de Cuyo

La lectura de este esquema refundido, nos da una visión de la Iglesia, distinta de la presentada en el esquema que se discutió en Roma durante la primera etapa del C. E. V. II, realizada el año pasado.

Hay, ahora, cosas muy bellas y bellamente expuestas pues no se ha insistido en manifestar a la *Iglesia,* casi exclusivamente como sujeto activo y eficaz de derecho según el Jus Publicum Ecclesiasticum de cotizados Autores; sino que se la presenta a los hombres como *abierta* (nn. 9 y 10), y *ardiendo en el deseo de difundir los tesoros sobrenaturales con que la enriqueció Cristo su fundador,* siguiendo la voluntad de quien lo había enviado, pues: « Aeternus Pater, liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, mundum universum creavit, et homines ad participandam vitam suam divinam elevare decrevit... » (n. 2).

Consta de una introducción general luminosa y de dos capítulos. El I. De Ecclesiae mysterio, el II. De constitutione hierarchica Ecclesiae, et in specie de episcopatu.

Al cap. I le falta la introducción, como la tiene el II cap.; para uniformidad, sería conveniente que se le pusiera también al cap. I.

El I cap. consta de nueve números cuyos títulos están a la vista; siguen abundantes notas y comentarios desde la página 13 a la 22.

El II cap. consta de una introducción y de 10 números, siguiendoles copiosas notas y comentarios desde la página 32 a la 46. Finalmente hay un brevísimo índice.

Ahora bien, esta: « Ecclesia Sancta, fidei amoris et gratiae communitas » (n. 7), se manifiesta como fiel depositaria y defensora incorrupta de las fuentes de la Verdad Revelada, la Ley Moral y los Sacramentos.

Por tanto, según se oyó y pidió en el aula conciliar, la Iglesia se manifiesta:

I. *Viva y vivificante,* en razón de los tesoros sobrenaturales de los que es única depositaria: *verdad, moral y Sacramentos* (cf. nn. 4 y 5). Jamás por tanto, dejará de existir la Iglesia según la voluntad de Jesús (*Mt.* 28, 20). De suerte que la acción salvífica de Cristo se continúa y continuará por medio de los Obispos — sucesores de los Apóstoles — y los ministros sagrados, como también según la disposición del Señor, por los miembros de la Iglesia; dado que: « Christus Dei Filius, in natura humana Sibi unita morte et resurrectione sua, mortem superando, populum Dei ad novam et sublimiorem conditionem avexit » (nn. 2 y 5).

II. *Amante y benigna,* como quiera que es Mater et Magistra, capaz de compadecerse de los errores y miserias humanas, y de abrir cauce a mayor comprensión con nuestros hermanos separados, y que son cristianos (nn. 9 y 10).

III. *Directriz de la historia humana,* pues: « Ut Sacramentum Christi, Ecclesia est signum in nationibus levatum » (n. 7); aparece así, cual sublime misterio de redención, por lo cual se pueden citar las palabras de un Padre Conciliar: « Si Ecclesia apparuerit *viva,* vita qua donavit illi ipse Christus: si *amans et misericors,* amore et misericordia, quos in omnes homines profundere cupit vehementer; si denique apparuerit *directrix* in veritate et iustitia, in pace et libertate, quibus Christus mundum salvare decrevit... Tunc ad Ecclesiam omnes venient cuiusvis populi homines ».

Conclusión. El esquema *de Ecclesia* Pars I, placet a la Provincia ecclesiástica de S. Juan de Cuyo. Señala que sería conveniente poner introducción tambien al capítulo primero. Que respecto a los diáconos (n. 15), no se destinarán a las funciones sagradas quienes no guardaran el celibato.

77

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

ditionis apostolicae Parisiensis in Gallia

In cap. I.

Huius capitis substantia, dispositio progressusque valde nobis placet. Attamen quaedam nobis animadvertenda esse videntur.

1. In n. 9, pag. 12, lin. 27: de confessione Dei Patris mentio facienda esse videtur, cum et de fide in Filium (lin. 28) et de coniunctione in Spiritu Sancto (lin. 33) tractetur. Quae mentio sic in textu optime nobis adiungi videtur: « ... coniunctam. *Deum enim Patrem omnipotentem fatentur,* amanter credunt in Christum... ».

2. In eodem num. pag. 12, lin. 31: opportune hierarchia notaretur inter cetera elementa Ecclesiae quibus fruuntur quidam christiani non catholici. Qua-

propter lin. 30 hanc emendationem proponimus: « ... recipiunt, *et plures eorum sacra hierarchia sunt instructi,* fidem erga Sanctissimam... » (cf. « La ressemblance de la structure hiérarchique de nos églises » E. R. D. Charrière, a S. S. Paulo VI missus ad Alexim Patriarcham, 17-7-63).

3. In n. 10, pag. 13, lin. 11: hoc opportune adiungatur, de Mahometanis: « ... sive longe ab Eo, sed non derelicti, vel *Abraham patrem agnoscentes in Deum eius credant, vel saltem Deum creatorem* agnoscant, vel in umbris... ».

4. In eodem num. pag. 13, lin. 21: cur de atheistis nihil notatur? Haec adiunctio nobis placeret: « ... locupletantur. *Singulari quadam sollicitudine eos denique curat Ecclesia qui, ignorantia invincibili, ne Deum quidem esse fatentes, rectam tamen vitae viam assequi nitantur.* Quapropter... ».

Nn. 5 et 6 de Ecclesiae imaginibus, minus nobis placent. Praeter enim placita plurimorum Patrum Concilii, quasi exclusive explicatur imago corporis; ceterae vero imagines tantum enumerantur neque earum vis dogmatica in lucem profertur.

Idcirco alteram horum numerorum redactionem proponimus, aliquae textus membra transferendo vel omittendo:

5. (*De Ecclesia ut mystico Corpore Christi*). Variis et profundis imaginibus nobis intima Ecclesiae natura innotescit, quarum unam praecipue hic attendimus. Vita Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum eo et in eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum. Omnes enim, qui fidem eius profitemur, in unum corpus baptizati et in uno Spiritu potati sumus (cf. *1 Cor.* 12-13), et omnes de eius corpore ut uno pane participamus (cf. *1 Cor.* 10-17). Huius corporis caput Christus est, quem dedit Pater « caput supra omnem Ecclesiam, quae est Corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur » (*Eph.* 1, 22-23), « ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (*Col.* 1, 18-19). Caput et munere et perfectione et virtute omnibus membris et organis corporis praestat, quae tum dirigit tum vita sua replet.

Ad aedificandum in terris Corpus suum, Ecclesiam scilicet suam, Christus dona ministrationum disposuit, quibus in ipso nobis invicem ad salutem servitia praestamus, ut veritatem facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia qui est caput nostrum (cf. *Eph.* 4, 11-16), « ex quo totum corpus, per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). In diversis illis muneribus, Spiritus Christi est qui unus idemque in capite et in membris existens, totum corpus vivificat, unit et movet, ita ut principium vitae seu animae Ecclesiae iure vocatus sit.

6. (*De aliis Ecclesiae imaginibus*). Ecclesia, ut populus Dei, est insuper grex, cuius ipse Deus pastorem se fore praenuntiavit (cf. *Io.* 40-41; *Ez.* 34, 11 s.), et cuius oves, etsi a pastoribus humanis, praepositis scilicet Ecclesiae, gubernantur, ab ipso Christo, bono pastore principeque pastorum (cf. *Io.* 10, 10; *1 Pt.* 5, 4) indesinenter et amanter colliguntur, aguntur et pinguibus pascuis nutriuntur. Ipse enim Dominus est qui, cum sit magister, sacerdos atque rex noster, habeatque nomen quod est super omne nomen (cf. *Phil.* 2, 9), principaliter et interius illa agit, quae praepositi in christifidelibus ministrandis suscipiunt.

Est etiam Ecclesia vinea, quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet (cf. *Is.* 5, 1-4 et 7; *Io.* 15 ss.). Dominus Iesus ut vitis vera, palmitibus vitam et fecunditatem tribuit, ita ut quidquid Ecclesia ad salutem operatur, a Christo per eam agente procedat, sine quo palmites nihil facere possunt (cf. *Io.* 15, 1-5).

Est Dei templum et domus quae, in lapideis sanctuariis repraesentata, a sanctis Patribus laudatur, in qua Deus in Spiritu et veritate adoretur (cf. *Io.* 4, 23). Est habitaculum Spiritus Sancti, qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat. Est Civitas Sancta, nova Ierusalem, quam Ioannes contemplatus est, descendentem de caelis a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus (cf. *Apoc.* 21, 1 ss.).

Haec est Sponsa Christi vel Agni immolati (cf. *Apoc.* 20, 9), suo Sponso foedere immutabili coniuncta, ab eo unice amata ex eoque charismatum plenitudine donata, quam ut novam Evam novus Adam in Cruce moriens adiutorium sibi dedit, ut sit mater vere viventium, et quam mundatam sibi voluit coniunctam et in dilectione ad fidelitatem subditam (cf. *Eph.* 5, 22 ss.), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 19).

In cap. II.

Oeconomia generalis huius capitis nobis placet. Si vero singulas propositiones spectamus, quasdam earum parum confusas esse censemus, *praesertim in nn. 16-17.* Quod tribus de causis oritur:

1. *De trium munerum episcopalium relatione ad episcopatum ipsum,* doctrina non satis perspecta esse videtur.

2. *Collegialitas episcopalis ex quibusdam condicionibus mere canonicis tantum accipitur, non ex ipsa aggregatione episcoporum ordini.*

3. *De primatus Summi Pontificis relatione ad episcoporum collegium,* non sine ambagibus tractatur.

Exinde, haec emendanda notavimus:

1. *In prooemio,* opportune memoratur doctrina, a Synodo Vaticana I definita, infallibilis magisterii et immediatae universalisque iurisdictionis Summi Pontificis. Cum autem hanc doctrinam Patres Concilii Vaticani II componere conantur cum doctrina mere catholica de episcopatu, mirum est cur toties in primatu hoc schema plurimis verbis commoretur nec amplius de episcopatu proprie tractet.

2. Nobis placeret ut locutiones « *quia ministerium... et pascendi praeditos* » (pag. 24, linn. 15-21) tollerentur, quod nullum incommodum affert ad textum recte intellegendum. Periculum enim est ne, hisce locutionibus, institutio hierarchiae prave intendatur; nam per verba « *quia...* » haec institutio probari videtur e quibusdam rationibus, de iure vel ex argumento convenientiae sumptis, non autem, ut decet, ex ipso facto institutionis, quod certissimum argumentum praebet.

3. « *Dominus Iesus... ordinis confertur* » (pag. 25, linn. 8-12): penitus eradicandum. Nam hic videtur ordinis sacramentum potestatem sanctificandi tantum conferre, seclusa potestate docendi et gubernandi. Contra firmiter tenendum est haec tria munera a sacramento simul conferri, ab Ecclesia vero quoad suum exercitium determinari.

4. Cur dicitur « *praeterea* » (pag. 25, lin. 21)? Melius diceretur « *exinde* », cum de quadam consecutione consecrationis agatur.

5. « *In episcopis... et gloria* (cf. *2 Cor.* 3, 8-9) » (pag. 25, linn. 26-37): cur haec tanti momenti verba non in principio eiusdem n. 14 ponerentur, quasi synthesis quaedam totius hierarchici muneris?

6. In locum « *alii* » (pag. 27, lin. 2), dicendum est « *ceteri* ».

7. *Nn. 16-17,* tres ob causas supradictas, omnino reiiciendi esse censemus.

Praeterea, ut ita dicamus, uberioribus verbis doctrina hic exprimitur, cum oporteat Patres Concilii, in his rebus definiendis, certis verbis utantur neque modo quasi parenetico loquantur.

Propterea alterum schema proponimus « *De collegio episcoporum cum Petri successore unito* ». Quod schema nobis proponentibus in animo est non tantum ut sit in loco nn. 16-17 sed, in primis, ut doctrina de collegio episcoporum, in plurimis numeris huius capitis disseminata, in meliorem lucem proferatur et in unum coarctetur. (Vide documentum his animadversionibus adiunctum).

8. *Nn. 18-21*: peropportunum nobis esse videtur ut in clariore luce doctrina de episcoporum ministeriis, in nn. 18-21 exposita, exprimatur.

a) Cum de episcoporum muneribus praecise tractetur, optamus ut haec, in seipsis considerata, non semper ad Romani Pontificis munera referantur.

b) Optamus etiam ut *munera* in consecratione ab episcopis suscepta sedulius distinguantur ab eorumdem munerum *exercitio*. In textu autem proposito de his muneribus tractatur quasi a solis episcopis residentialibus in Ecclesia haec munera exercerentur.

Secundum catholicam doctrinam, unusquisque episcoporum in ipsa consecratione, episcopalia munera, scilicet docendi, sanctificandi ac regendi, suscepit. Exinde ad omnes episcopos hic textus « de episcoporum ministeriis » aperte pertinere debet. Quod tanto opportunius videtur quanto plures evadunt episcopi qui, non in dioeceseon servitio, ad Ecclesiam hodie ministrandam vocati sunt. Si ergo, secundum ordinem Ecclesiae, exercitium munerum episcopalium in episcopis residentialibus legitime attenditur, necesse tamen esse videtur ut, in textu, non excludantur alii modi ab aliis episcopis eadem munera exercendi.

Documentum animadversionibus adiunctum. - De collegio episcoporum cum Petri successore unito.

I. *De collegio apostolorum.*

Apostoli collegialiter a Domino sunt electi, cum Petro apostolo et sub eius auctoritate in ministerium missi aptaque potestate instructi, ut Evangelii praecones in universum orbem simul omnes fierent et, sollicitudinem omnium ecclesiarum (cf. *2 Cor.* 11, 28) unanimiter communicantes, Salvatoris nostri missionem eiusdemque doctrinam et leges in solidum testarentur hominesque « lavacro aquae » (*Eph.* 50, 26) mundatos sanctitate ditarent.

Christus enim Dominus Salvator « fecit ut essent duodecim cum illo » (*Mc.* 3, 14); durante vita sua publica, primam missionem salvificam inaugurans, « vocavit duodecim: et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum » (*Mc.* 6, 7); tandem post resurrectionem, convocatis undecim in Galilaea, « locutus est eis dicens: data est mihi omnis potestas in caelo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 18-20). In his omnibus, Christus Dominus Ecclesiae suae regimen instituebat.

II. *De collegio episcoporum cum Petri successore unito.*

Collegium universorum episcoporum collegio apostolorum iure divino succedit; immo in eo collegium apostolorum continuo perseverat. Quod collegium vere constituitur nonnisi cum capite suo Romano Pontifice et sub eius suprema auctoritate; sic constitutum, totius Ecclesiae curam in solidum gerit.

Ad hoc episcoporum collegium aggregatio efficitur per sacram ordinationem summi gradus sacerdotii quae, cum verum sit sacramentum, tria munera confert sanctificationis, magisterii et regiminis (cf. *Praefatio in consecratione episcopi*) ad utilitatem totius Ecclesiae.

Ecclesiam enim, secundum verba S. Cypriani, Sacrosancta Synodus fatetur connexam esse et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulatam (cf. *Epist.* LXVI, 8, 3; cf. Denz. 1821), « cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa » (*Epist.* LV, 24, 2) itemque « episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus » (*ibid.*).

Quod collegium permanenter idem exstare Sacrosancta Synodus declarat: universis enim episcopis constat una cum Romano Pontifice sive in Concilio Oecumenico coadunatis, sive per mundum dispersis.

Cum autem plures episcopi in peculiaribus coetibus congregantur, ipsomet habitu collegiali, qui proprie episcopatui inhaeret, praediti esse dicuntur, dummodo coetus ipsi cum Romano Pontifice coniungantur et ab illo iuxta ordinem Ecclesiae sanciantur.

III. *De potestate regiminis collegii episcoporum.*

Secundum catholicam fidem, sicut in Romano Pontifice, sic et in collegio universorum episcoporum cum Petri successore unito inest suprema et plena potestas regiminis in Ecclesiam universalem (cf. Mansi, 52, 1109). Exinde perspicuum est unumquemque episcoporum, qua huius collegii membrum, eiusdem potestatis permanenter participem fieri.

Eamdem tamen potestatem collegialiter universi episcopi una cum Summo Pontifice aliter atque aliter exercent, sive dispersi, sive in Concilio Oecumenico coadunati, ubi solemniter iudicant atque determinant in regimine pro universa Ecclesia.

Plures autem episcopi alicuius regionis, cum in peculiaribus coetibus, iuxta ordinem ab Ecclesia determinatum, congregantur (cf. II, in fine), in christifideles eiusdem regionis modo collegiali potestatem exercere valent.

Periculum nullum est ne haec episcoporum collegii potestas officiat illi potestati qua pollere Summus Pontifex creditur: « Nam cum vere plena et suprema potestas non sit in corpore separato a capite » (Mansi, 52, 1110), nullo modo sine capite vere plenam et supremam potestatem collegialiter episcopi exercere posse creduntur (cf. *ibid.*): immo potestas collegii episcopalis cum « a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur » (Denz. 1828), eiusdem potestatem fulcire neque usquam detrectare videtur.

IV. *De doctrinali auctoritate collegii episcoporum.*

Quae catholicae fidei sunt, secundum illud S. Irenaei, « Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans; similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os » (*Adv. haer.* 1, 10, 2).

Collegium autem universorum episcoporum cum Petri successore unitum eadem auctoritate gaudet qua ipse Romanus Pontifex, caput huius collegii, eodem iure divino donatur: quae auctoritas infallibilitas esse creditur « qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit » (Denz. 1839).

Quam auctoritatem doctrinalem, universae Ecclesiae affixam, Sacrosancta Sy-

nodus declarat collegio episcoporum proprie inhaerere, cum ipsum « tamquam divinitus revelata credenda » (Denz. 1792) proponere « quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur » (*ibid.*), aut quae cum eadem revelatione necessario coniunguntur ad fidem pertinere docere valeat.

Exinde collegium episcoporum, « sive solemni iudicio » (*ibid.*) in fide definienda, « sive ordinario et universali magisterio » (*ibid.*) de rebus ad fidem pertinentibus, suprema et infallibili auctoritate in universam Ecclesiam vigere creditur.

78

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

ditionis apostolicae Burdigalensis in Gallia

Remarques générales.

L'examen du schéma proposé à la seconde session du Concile révèle des différences profondes avec le texte qui nous était soumis lors de la première session. Les commissions intéressées ont évidemment tenu compte des remarques faites en assemblée plénière, ou depuis. Un certain nombre de désirs exprimés lors de notre réunion de mars sont exaucés.

Dans l'ensemble on peut donc être satisfait et parler de progrès. Il est agréable, entre autres, de noter: le ton moins juridique, plus pastoral, plus œcuménique, davantage soucieux du langage conciliaire; le plan plus serré, plus un; la disparition de certaines longueurs et de quelques lacunes en particulier dans le « De Ecclesiae mysterio » et le « De episcopatu »; le soin enfin de ne pas trancher les options insuffisamment mûries.

Une déception cependant: Nous n'avons pas le « De Ecclesia » auquel seraient rattachés organiquement les échanges conciliaires. Il répondait pourtant aux vœux de l'Assemblée plusieurs fois exprimés par des voix autorisées... se faisant elles-mêmes, semble-t-il, l'écho de Jean XXIII.

Le travail était-il impossible? Le projet présentait-il des inconvénients insoupçonnés?... Il ne semble pas à première vue. C'est pourquoi nous nous permettons, dès ce préambule, d'exprimer un vœu: *Que l'idée en soit reprise!...* Si la tâche est irréalisable, qu'on nous dise pourquoi... Une synthèse des travaux autour de l'Eglise serait si belle et opportune!

Remarques particulières.

Chapitre I: « *De Ecclesiae mysterio* ».

Ce chapitre est d'une rare densité. Imprégné, tout au long, de théologie biblique, il manifeste un esprit œcuménique indéniable par la manière dont il évite toute condamnation ou reproche et s'attache inlassablement à mettre en valeur les éléments positifs qui se rencontrent en chaque portion d'humanité comme pierres d'attente pour l'unité...

1. Le paragraphe 2. *a*) *Le style* pour ne pas dire plus, est alambique, presque gauche... peut-être parce qu'il a voulu bloquer trop de choses. *b*) Dans ce paragraphe, sans aucun « *triumphalisme* », on aurait pu appuyer davantage la note eschatologique. Un texte de Saint Augustin cité dans les notes, s'y prête admirablement: « Adiungitur ista Ecclesia quae nunc peregrina est, illi caelesti Ecclesiae,

ubi angelos cives habemus... Et fit una Ecclesia, civitas Regis magni ». Quelles perspectives prendrait l'espérance contenue dans le « Mystère de l'Eglise », et entrevue si heureusement dès l'introduction à la constitution: « Lumen gentium »!

2. Le paragraphe 3. *a*) Le passage de la ligne 5 à 11 semble faire double emploi avec le paragraphe précédent. Il suffirait de dire que le Fils envoyé par le Père réalise fidèlement sa mission. *b*) Plus important, peut-être, la seconde remarque. Ce paragraphe 3 donne une description de l'Eglise telle qu'elle a été conçue et fondée par le Christ. On doit regretter que cette description insiste sur l'aspect extérieur, la réalité juridique et sociale, laissant presque totalement dans l'ombre la réalité intérieure de communication profonde à la vie de Dieu. Lacune d'autant plus regrettable que le paragraphe 5 sur le Corps mystique, n'apportera pas le complément indispensable.

3. Le paragraphe 5. *Un point d'interrogation* enfin! L'alinéa ligne 27-40, ne vient-il pas alourdir inutilement une texte déjà trop chargé?... Ce qui est dit des « divers mystères », surtout hiérarchiques, sa place ailleurs, au chapitre second...

4. Section 3.

1) Impression d'ensemble. Cette section peut-être en apparence moins riche que les précédentes, n'est pas sans grande valeur. Disons qu'elle se présente avec une certaine gêne.

2) Une inquiétude. De quoi sera fait le chapitre du peuple de Dieu annoncé par la commission de coordination?

5. Le paragraphe 7: « *De Ecclesia in terris peregrinante* », mérite surtout la note « décousue ou mal cousue ».

On propose un syllogisme, avec majeure (lignes 5 à 14): mineure sous forme d'une déclaration solennelle (ce qui déjà est étrange) (lignes 13 à 18); conclusion lignes 18 à 22). Il est bien impossible de voir comment cette conclusion découle des prémices... On attend autre chose.

Lignes 15 à 21, le mot « catholica » est employé deux fois...

6. Le paragraphe 10. Il serait désirable d'avoir un mot pour Israel et quelques précisions au sujet des athées. Peut-on admettre une croyance « implicite » à Dieu dans la recherche loyale des valeurs humaines: justice, paix, devouement...?

Chapitre II.

Les deux premières sections (4-12-13 et 14-15) sans être parfaites, marquent un net progrès sur le texte précédent. Les deux autres sections, paragraphes (16-17), puis (18 à 21) sont inacceptables sans une refonte à peu près totale.

Rien de bien particulier à signaler sinon, ligne 15, l'expression « pastores et doctores ».

Les évêques certes, sont pasteurs et docteurs, mais les deux titres ne sont pas à mettre sur le même plan. Le mot pasteur est plus général, il exprime la mission de l'évêque dans sa totalité. Le mot docteur par contre, n'en exprime qu'un aspect.

L'évêque, comme le Pape, est docteur parce que pasteur; prêtre, pontife parce que pasteur; chef parce que pasteur. Avant tout il est le ministre du pasteur éternel dont il est question à la ligne 12.

Il importe dès le départ du *de episcopatu* d'éviter une imprécision, disons une ambiguité qui hélas! reviendra plusieurs fois. Aussi proposons-nous, ligne 15 de supprimer le mot « doctores ».

Lignes 21 à 26: inutiles donc à supprimer.

Lignes 26 à 29. Ce passage est important, or la nervure en est faible. On

essaye d'appuyer « la succession apostolique » sur les *Actes* 20, 28 « posuit episcopos ». Il n'est pas certain que le mot « episcopos » ait ici le sens que lui a donné l'usage dans l'Eglise. Ces « intendants » sont-ils successeurs des apôtres? C'est ce qu'il faudrait prouver.

Page 2, ligne 3: au lieu de « a corpore sacro episcoporum » il est préférable de dire « *a collegio episcoporum* ». De cette façon on affirme explicitement « la collégialité ».

Il engage à un degré particulier les Pères du Concile qui ne peuvent donner leur assentiment au texte sans avoir pris conscience de la gravité de leur acte et s'être assurés que la question est suffisamment mûre. C'est pourquoi, nous demandons que le texte dise *explicitement* que le Concile *définit* cette doctrine.

Une omission regrettable et grave: le texte ne dit pas formellement que le sacrement de l'ordre épiscopal fait entrer dans la succession apostolique et agrège au collège des évêques... D'où les répercussions les plus fâcheuses, nous le verrons, sur le reste du chapitre.

Nous demandons dès lors formellement que cette lacune soit comblée.

La suite du schéma devra répondre aux problèmes concernant l'évêque préposé à une église particulière. Il ne pourra le faire sans aborder la question de la mission canonique et de la juridiction; il se doit dans ce paragraphe de poser un principe et de l'affirmer très fort: l'Eglise n'est pas structurée à partir d'un envoi juridique, mais en vertu d'un sacrement; l'évêque, de par son sacre, est successeur des apôtres, et tout ce qui est essentiel à l'ordre épiscopal; il est donc radicalement, pour toute l'Eglise, pasteur, et quia pastor, docteur, pontife et chef.

Le paragraphe 15. Le texte proposé est muet sur ces problèmes de l'heure, ceux qu'on serait tenté d'appeler les vrais problèmes. Il est encore trop marqué par la théologie du XVIIème, riche bien sûr, mais qui semble avoir tant insisté sur la dimension eucharistique du prêtre, que les autres aspects du ministère de la parole et du gouvernement passent à l'arrière plan, comme étrangers au sacrement de l'ordre.

Il y aurait lieu aussi, de souligner plus fortement que ne le fait le schéma, le lien entre le prêtre et l'évêque, le lien qui unit les prêtres entre eux. Les prêtres de la « seconde dignité » ne sont pas des individus isolés, séparés; le presbytérat est lui aussi une entrée dans *l'ordre;* il est lié à l'ordre épiscopal dont il dépend et découle. Le présbytérat conduit au presbytérium.

b) Les lignes 28 à 42 sur les diacres. Son Em. le card. Richaud nous pose trois questions à ce sujet:

1) Sommes-nous favorables à l'institution d'un diaconat qui n'amène pas nécessairement au sacerdoce comme actuellement?

2) Comment le considérons-nous? Quel rôle confier à ces diacres?

3) Comporterait-il le célibat ou non?

Les réponses sont variées et nuancées.

A la première question. Dans l'ensemble, les évêques ne sont pas contre, bien que pour plusieurs, actuellement en France, cela n'apparaisse pas particulièrement opportun, à cause de la place qui est donnée au laïcat. On admet que cela puisse être très utile dans certains pays comme l'Amérique latine ou quelques pays de mission.

L'unanimité se fait de toute façon sur le fait très important que le diaconat ne soit pas présenté comme un sous-sacerdoce, ou un sacerdoce tronqué, mais

comme un état en soi qui présente une consécration à certaines fonctions déjà exercées (sacraliser une fonction de laïcs).

A la deuxième question. Décharger le prêtre de certaines fonctions: services de charité, services autour de l'autel, baptême (il y a des objections), communion, catéchisme, etc. Peut être une des solutions au problème des prêtres ouvriers.

A la troisième question. Le désir net que le diaconat soit la sacralisation de fonctions effectivement exercées par des laïcs, sous la responsabilité directe de l'Eglise, entraîne logiquement à envisager de conférer le diaconat à *des hommes mariés* ayant, d'autre part, fourni la preuve de leurs qualités d'époux et de père de famille. Quelques évêques sont catégoriques dans ce sens. D'autres hésitent. D'autres, les moins nombreux, sont catégoriquement contre le diaconat donné à des hommes mariés: ce sera, disent-ils, par contagion inévitable, une bréche ouverte dans le célibat des prêtres.

Les premiers répondent à cela, que le risque est beaucoup moindre, si le diaconat apparait clairement comme un ordre et un état clairement distinct du sacerdoce.

La section IV, nn. 18-21. Nous n'avons pas cru devoir les examiner l'une après l'autre tant elles méritent la même note: *confusion.*

Non pas que tout soit à brûler; quelques passages sont même excellents. Mais nous recueillons là les fruits amers de la lacune signalée plus haut: on n'a pas voulu tirer les conclusions évidentes et immédiates de la sacramentalité.

Plan possible des sections III et IV.

Section III - Mission et pouvoirs du collège des évêques.

1. Page 28, lignes 14 à 37, « *sollicitude pastorale du collège épiscopal à l'égard de toute l'église* », telle qu'elle a été confiée au collège des douze... Les évêques titulaires y participent donc.

2. Page 28, lignes 39 à la fin... Sollicitude pastorale, collégiale à tous les échelons entre l'Eglise universelle et l'église particulière, d'où nécessité et pouvoir des conférences épiscopales.

3. En vue de la mission, pouvoirs du collège: *a*) *pouvoir d'enseigner.* Eléments empruntés n. 19... Exercice ordinaire, n. 19. Exercice extraordinaire en concile. *b*) *Pouvoir de sanctifier.* Eléments empruntés, n. 20. *c*) *Pouvoir de régir.* Le schéma est assez muet sur cette question du « gouvernement collégial ».

4. Relations du collège épiscopal et du Pape, n. 16.

Section IV - L'évêque résidentiel et l'église particulière.

On verra bien trois points:

1. *Source profonde* de sa mission « le sacrement de l'épiscopat ».

2. *L'exercice* de sa mission en vertu de la mission canonique. Nécessité de la juridiction... (Peut-être ici comparaison évêque résidentiel et évêque titulaire, coadjuteur ou auxiliaire).

3. *Nature de sa mission.* Il est pasteur et père de son diocèse, docteur, pontife et chef: il est le vicaire, le ministre, le signe du Christ.

Le n. 16 pose la question grave des pouvoirs du collège comme tel et des évêques qui en font partie. Il ne résoud pas d'une façon suffisante.

a) Il est urgent d'affirmer explicitement que tous les évêques, résidentiels ou non, de par le sacrement de l'épiscopat, font partie du collège et participent à l'exercice collégial de la mission épiscopale collégiale... Nous l'avons déjà dit, il est bon de le répéter.

b) Il serait nécessaire aussi de préciser que cette mission collégiale consiste dans une *sollicitude pastorale* à l'égard de toute l'église, faite elle-même d'un triple souci d'enseigner, de sanctifier, de gouverner.

c) Il faudrait affirmer également que le collège est investi par sa mission des trois pouvoirs correspondant aux trois fonctions. Collégialement, les évêques sont docteurs, sanctificateurs, chefs.

d) Ceci ne peut être fait clairement si on ne distingue pas nettement le pouvoir radical universel donné par le sacre et qui s'exerce collégialement, de la juridiction grâce à laquelle un évêque exerce son pouvoir pastoral sur un diocèse particulier.

e) Les lignes 35 à 40, page 27, sont trop restrictives concernant l'exercice de la collégialité à l'égard du Concile, ou tout au moins imprécises.

Paragraphe 19. Le long passage sur le *magistère papal* avait sans doute sa place; il est trop long.

Chapitre III: « *Du peuple de Dieu et des laïcs* ».

On doit regretter que le schéma n'ait pas prévu aussi un chapitre sur « la mission de l'église ». Sans doute, les éléments sont esquissés ici ou là. Il eut été bon de les rassembler. Dans cette avenue, quel relief prendrait le chapitre sur la constitution hiérarchique, le *de laicis* et tout ce qui sera dit sur l'apostolat des laïcs ou l'ouverture de l'église au monde.

Paragraphe 24. Ce passage est fort important dans une question où l'on a inventé tant d'extravagances. Aussi nous émettons le souhait:

a) Qu'on explicite ce « peculiari modo » par lequel les deux sacerdoces découlent du Christ.

b) Que l'on dise aussi pourquoi ils sont ordonnés l'un à l'autre, et en particulier comment le sacerdoce des fidèles ne peut se réaliser parfaitement sans le sacerdoce ministériel... puis vice versa... que *le sacerdoce ministériel* ne peut se désintéresser du sacerdoce des fidèles...

c) Que l'on souligne enfin, dans le prêtre lui-même, le lien entre sacerdoce ministériel et sacerdoce que j'appellerais « baptismal ». Très important pour l'unité de la vie sacerdotale.

Paragraphe 25. Ce paragraphe, plus encore que le précédent, risque d'être trop long, ou qui sait, trop court. Trop long s'il fait double emploi, et on peut le craindre, avec le schéma sur l'apostolat des laïcs; trop court, par contre, si ce schéma est lui-même déficient.

Troisième section n. 26.

1. *Un point délicat* en même temps qu'important, n'est pas *abordé* ici: la prise en charge des prêtres par les fidèles... même sur le plan matériel. Il en est peut-être question plus loin... dira-t-on? Même dans cette hypothèse, il y a lieu de poser quelques jalons.

2. Le paragraphe par ailleurs n'est pas sans un certain relent de juridisme... Page 10, ligne 14 « Ius habent », ligne 29 « officium habent », le ton manque de chaleur... Il n'est pas suffisamment question de « l'amour » qui doit inspirer, imprégner les relations entre fidèles et prêtres... Il serait nécessaire de dire aux fidèles, avec beaucoup d'âme, comment le prêtre est « leur prêtre ». On se place trop uniquement au plan des droits et devoirs, de l'obéissance et de l'autorité.

Chapitre IV: « *De l'appel à la sainteté dans l'Eglise* ».

Paragraphe 29.

a) La sainteté est présentée sous un aspect pas trop *exemplariste et pas assez comme une réalité profonde.* Il serait nécessaire de souligner la « rénovation intérieure » (*Rom.* 23, 13-14); la configuration, la transformation, l'assimilation au Christ: la pénétration dans le mystère pascal de mort et de vie.

b) L'appel à la perfection vient non seulement de l'exemple du Christ, de son commandement, mais en profondeur *jaillit de la vie chrétienne elle-même,* participation à la vie de Dieu. Il serait bien de le souligner.

c) On voudrait enfin une description plus riche de la sainteté. Le schéma insiste sur la vertu de charité, perfection de l'amour. C'est bien. Mais l'insistance, qui devient répétition ennuyeuse tout le long du schéma, écrase le rôle des autres vertus.

d) La charité, certes, est le couronnement et le lien de la perfection. Mais la vie de foi en est la racine... et l'espérance le « bâton ». Il faudrait affirmer que la sainteté est le jaillissement de la vie théologale, et ceci sans oublier que les vertus évangéliques, en particulier l'humilité et la pauvreté, en marquent et sauvegardent l'esprit profond. Cette remarque est très importante à l'heure actuelle.

Paragraphe 30. Le chapitre n'envisage pas tous les états de vie, mais simplement le sacerdoce, le mariage et la vie religieuse. Une mention de la sainteté selon les âges, enfance et vieillesse; une allusion à ceux qui ont souvent l'impression d'échecs, les célibataires, les malades, tous les affligés, serait la bienvenue.

Paragraphe 31. Ce paragraphe est un paragraphe « charnière ». Il a en vue *tous les fidèles,* tout en ayant des considérations valables pour la seconde section sur la vie religieuse... L'intention doit être marquée de façon plus ferme, sans quoi... des esprits (même éminents) risquent de s'y méprendre. De plus les huit premières lignes sont inutiles et ne font que répéter le n. 29.

Paragraphe 33.

1. La première phrase serait avantageusement remplacée par un texte montrant pourquoi et sous quel aspect l'état religieux fait partie de la structure de l'église. Peut-être la recherche aurait à s'établir autour de cette idée: « l'état religieux de façon institutionnelle exprime la fin prochaine même de l'église, la sanctification des hommes ».

2. *Deux traits ne sont pas suffisamment accentués*: la gloire rendue à Dieu; le caractère eschatologique de la virginité préfiguration de la gloire « ubi neque nubent neque nubentur ».

Paragraphe 34. Le second alinéa revêt je ne sais quoi d'inquiétant. Le Pape certes peut exempter... Il en a le droit, disons le devoir. Mais l'exemption pose, non seulement au point de vue pastoral, tant de problèmes concrets aux pasteurs locaux... Des précisions seront certainement nécessaires « in loco opportuno », si le paragraphe est maintenu.

Paragraphe 35. Paragraphe à supprimer sans inconvénient.

Conclusion. Nous serions tenté d'ajouter quelques réflexions. Le « monde » actuellement, au moins ici ou là, se pose pas mal de questions sur les richesses de l'église, et en premier lieu sur les richesses accumulées par les ordres. Les membres de ces ordres vivent pauvrement... Les ordres en tant qu'institutions donnent-ils un signe éclatant de pauvreté? Nous préférons ne pas répondre à la question... ou plutôt nous l'affirmons pour les ordres, comme d'ailleurs pour toutes les institutions dans l'église: la pauvreté pose de redoutables exigences.

79

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

Provinciarum Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis

I. *Animadversiones generales.*

A) *Laudanda in novo schemate*:

a) Ex eo quod magis biblicum est, minus iuridicum est, magis vero pastorale et oecumenicum.

b) Considerat Ecclesiam ante omnia in quantum mysterium est, non autem primo et unice ut societas quaedam visibilis et hierarchica.

c) In lucem relationem ponit Ecclesiae cum mysterio Sanctissimae Trinitatis et divinis missionibus, non solum in sua origine et existentia, sed etiam in suo fine eschatologico.

d) Alludit notis Ecclesiae Christi.

B) *Desideranda*:

a) Non semper exprimitur terminis satis expressis: pluries stylus magis Encyclicae quam doctrinali declarationi conveniens est.

b) Non satis ponitur in lucem indoles missionalis Ecclesiae, nec amplitudo huius salutaris missionis, quae ad humanos se extendit valores, necnon ad universum materialem mundum (*Rom.* 8); quae omnia Ecclesia assumere, purificare et consecrare debet in unitate Christi.

c) Opponit Ecclesiam personis (christianis, non christianis vel non catholicis), minime vero coetibus universalibus (v. g. ecclesiis localibus, communitatibus humanis evangelizandis).

d) Non satis attendit revelationi, quae fit a Bibliis, mysterii Ecclesiae. Non alludit conceptui fundamentali « populi Dei », nisi obiter dictu. Qui tamen conceptus manifestam ostendit continuitatem et unitatem totius historiae salutis.

e) Conceptus eschatologicus Ecclesiae in clariori luce evehi mereretur.

II. *Animadversiones particulares.*

Introductio.

N. 1, pag. 7, linn. 6-8: Ecclesia non est solummodo Sacramentum unionis cum Deo, sed etiam haec ipsa unio (Corpus mysticum). Modus simul et inhabitatio, templumque gratiae. Quod clare esset dicendum. Eadem ratione emendetur n. 3, pag. 8, linn. 18-22: « Congregatio... ut sit sacramentum ». Ecclesia enim non est sacramentum tantum, sed etiam res per sacramentum significata et communicata. Optaretur hic allusio quaedam aeternitati Ecclesiae, ratione suae originis, naturae propriae et finis eschatologici.

Cap. I: *De mysterio Ecclesiae.*

N. 2, pag. 7: opportune citarentur hic loci *Eph.* 1 et 2, qui maximi sunt momenti: propositum scilicet Patris in Christo, relatio Ecclesiae cum tribus divinis Personis, eiusdemque natura Corporis Christi, iis locis clare declarantur.

Pag. 8, linn. 1-4: « Iam ab origine humani generis mirabiliter praefigurata » textus certe magis roboraretur si adiungerentur verba « ac iam inchoata ».

N. 4, pag. 8: de actione Sancti Spiritus perbelle hic monetur. Nunquam satis

insisti debet super inhabitatione Spiritus Sancti in Ecclesia, quae hac habitatione fit domicilium gratiae.

N. 5, pag. 9: textus non satis clarus. Magis placeret, si ordine meliore et simpliciore dicendi modo praesentaretur Ecclesia, uti est Corpus Christi mysticum et maiore studio exponerentur diversi aspectus Paulinae doctrinae de hac eadem re.

Lin. 3: de quonam populo Dei hic fit sermo?

Lin. 15: « Non tantum ut corpora nostra... ». Non enim sacramenta sola attingunt corpora.

Lin. 27: « Ad aedificandum... » et pag. 10, lin. 11, « Corpore suo in terris... ». Non videtur Corpus Christi mysticum ad solam suam terrestrem phasem restringendum.

N. 6, pag. 10: utinam dispositio typographica melius in lucem ederet diversas biblicas Ecclesiae imagines earumque praecipua significatio.

Lin. 21: loco vocabuli « evocamus », melius poneretur « memoriam facimus ».

N. 7, pag. 11: abstractione nunc facta abstrusioris theologicae investigationis de Ecclesia, fundamentum theologicum essentiale omnis, quaecumque demum sit, de mysterio Ecclesiae inquisitionis, saltem sufficienter indicaretur si Ecclesia originari diceretur in mysterio divinae caritatis.

Lin. 5: « Ecclesiam esse fidei, amoris et gratiae communitatem », plus dicit quam « esse viam sanctificationis ».

N. 8, pag. 12, lin. 8: reverentiae causa erga orientales Ecclesias, melius poneretur verbum « communionis » prius ante verba « Ecclesiastici regiminis ».

N. 9, pag. 12: non sunt collocandae Ecclesiae orientales adamussim cum ceteris ecclesiis non catholicis. Vinculis enim quibus acatholici pertinent ad Ecclesiam, baptismati scil. et virtutibus theologicis, cum agitur de orientalibus addenda sunt alia sacramenta et sacra hierarchia. Quod melius exprimi optabile esset.

N. 10, pag. 13: mutandus videtur titulus « Ad Ecclesiam adducendis ». Magis esset oecumenicum, si diceretur: « De vocatione non christianorum ad Ecclesiam ». Item lin. 22, mutare verbum « adducat ».

Lin. 13: magis exacte diceretur: « Quidquid enim *veri* et boni... ». Textus non satis distinguit differentias inter praecipuas situationes religiosas hominum. Iudaei enim et Mohametani minime cum aliis paganis conveniunt.

Linn. 19-20: non-christiani carent etiam viis ordinariis et normalibus sanctificationis.

Cap. II: *De constitutione Ecclesiae hierarchica.*

I. *Animadversiones generales.*

1. Quae in hoc schemate continentur plus valere videntur quam quae proponebantur in priore.

Modus tamen exponendi clarior esse posset. Commentarius enim pagg. 44-46 et annotationes pagg. 32-44 textu ipso dilucidiores, non una vice, sunt.

2. Typographica dispositione divisio textus in quatuor partes pagg. 44-46 indicata, magis illustrari debuisset.

II. *Animadversiones particulares.*

Prooemium.

N. 11, pag. 23, lin. 25: loco « declarari » ponere « declarare ».

N. 12, lin. 30: referentia ad *Mt.* 10 abolenda. Vices enim quaedam distinguendae sunt in apostolorum vocatione, praeparatione et institutione (cf. notat. 4, pag. 32).

N. 13, pag. 24: munus fundandi Ecclesiam proprium est apostolorum. Doctrina lin. 20 exposita « non quidem... sed sustentandi » clare iam a principio affirmanda esset, ne ex formulis eiusmodi, v. g. « eadem divina potestate », quaedam enascatur ambiguitas (cf. etiam pag. 27, n. 16, linn. 13-15; pag. 29, n. 18).

Linn. 21 ss.: « Ministerium fidem praedicandi ». Non est nisi unum ex muneribus apostolicis et episcopalibus; alia siquidem munera ex eadem missione divina aequaliter dimanant.

De omnibus dicendis, mentio quidem deinceps fit; ordine non tamen logico. Optabile tamen esset ut iam a principio cum omni concinnitate triplex assereretur missio divina, quod idem dicendum pag. 29, n. 18.

Pag. 25, lin. 3: loco « corpore sacrato » melius diceretur « episcoporum collegio »; vel simpliciter « corpore », sublato « sacrato ».

N. 14: cum maiore redigendus esset claritate. Episcopus ipsa vi suae consecrationis in episcopale collegium aggregatur. Eius missio, ut explicite asseritur annotatione 10, pag. 34, ad suam refertur consecrationem. Quod clarius asserebatur in priore schemate.

N. 15, pag. 26, lin. 16: schema « de cura animarum » pag. 17, sect. II, n. 23, linn. 1-2, praecise loquitur « etiam religionis exemptae ».

Linn. 31 ss.: principia quibus regi debet diaconatus ita sunt exponenda ut praevideatur casus diaconorum uxoriatorum secundum ius orientalium, quin ullo modo limitetur recensio munerum quae eis concredi possunt (v. g. testis extraordinarius sacramenti matrimonii, etc.).

N. 16, pag. 27, linn. 3, 15: cf. annotat. supra n. 13.

Lin. 16: « Indivisum subiectum » non bene dici videtur. Textus enim sic intelligi posset ut appareret voluntas amovendi verba schematis praeparatorii Vaticani I, scilicet: « hanc potestatem esse in duplici subiecto: in episcoporum corpore Papae coniuncto, et in Papa solo » (cf. annot. 29, pag. 38, clarior).

Lin. 26: quod hic dicitur a vero aberrat: potestas enim collegialis magis fundamentalis est, quam potestas super quadam particulari Ecclesia. Episcopi siquidem titulares sola collegiali potestate fruuntur. Quae doctrina valido nititur fundamento, tam historico quam theologico.

Linn. 28-39: optatur clarior expositio. Disserendum primo esset de iurisdictione collegiali episcoporum super universali Ecclesia et simul de sollicitudinis munere, quod in hac iurisdictione habet fundamentum; deinceps loquendum esset de iurisdictione super quodam particulari grege. Cuius potestatis, quae de iure divino est, modalitates et exercitii extensio a iure ecclesiastico reguntur. Quod idem dicendum de n. 21, pag. 31.

N. 17, pag. 28: hic etiam loquendum esset primo de collegialitate, deinceps de regimine super aliqua particulari ecclesia.

Lin. 15: « quae, licet actus iurisdictionis non sit », hoc non videtur bene dici; haec enim « sollicitudo » de qua hic sermo, nititur in iurisdictione reali.

Pagg. 28-29, linn. 41-42: fusius exponenda essent principia doctrinalia in quibus nititur et existentia et activitas coetuum episcopalium, quorum a schemate « de episcopis » pag. 16, et modus agendi et competentiae ambitus determinantur. Ad quod sedulo animadvertendum est:

Coetuum istorum existentiam consequentiam esse episcopalis collegialitatis et sollicitudinis. Certus ordo caritatis, de vicinioribus ecclesiis maiorem sollicitudinem et curam episcoporum postulat. Praxis antiqua Ecclesiae hoc commendat: electio et consecratio episcopi per episcopos certae regionis; adunationes episcoporum eiusdem regionis.

Bonum commune maiorem postulat regiminis similitudinem.

Ecclesia particularis pars est Ecclesiae universalis, quam regit episcopus una cum corpore episcoporum. Quam unitatem certe tuentur adunationes episcoporum unius eiusdem regionis.

Bonum proprii gregis postulat existentiam coetuum episcopalium. Normae pastorales universales necessarie accommodandae sunt, maxime tempore nostro, cum, propter incolarum migrationes, actio pastoralis extra limites unius dioecesis sese extendere debeat. Et ideo tales « coetus » ad efficacitatem apostolicam necessarii omnino evadunt. (Cf. relatio magis extensa, ianuar. 1963, hic annexa).

N. 18, pag. 29: cf. animadversiones supra n. 13, relate ad successionem apostolorum, et linn. 21 ss. « tria munera ». Quo loco, commentarius pag. 46, lin. 18 clarior est textu ipso.

N. 19, linn. 27-28: non omnes episcoporum sententiae aequaliter obligant. Textus e S. Ignatio citatus in sensu rigido a vero aberrante intelligi posset.

Lin. 32: « Testes fidei » non satis dicit. Agitur enim hic de magisterio ordinario: et sub hoc respectu, episcopi sunt in primis « doctores ».

Pagg. 29-30, linn. 40 ss.: forte expressius interpretari et exponi sensus verborum « ex sese », iuxta declarationem episcoporum Germanorum a Pio PP. IX anno 1875, m. Ianuar. approbatam. (Cf. « L'Episcopat et l'Eglise universelle », pp. 719-723 et 729-733).

N. 21, pag. 31, linn. 3-4: « Etiam inservit »: res non bene scripto tradita, siquidem magisterium et ipsum sanctificat. In hoc numero dicitur tantum de regimine super ecclesia particulari. Otiosum non esset ad memoriam saltem revocare *potestatem* (subordinatam quidem) super Ecclesia universali. (Cf. animadv. supra n. 16, pag. 27).

Lin. 29: occasione « muneris regendi » vel « muneris sanctificandi » non esset alienum, paternitatis episcopi expressioribus verbis mentionem facere (quae iam indicata est pag. 24, lin. 32). (Cf. « De cura animarum », pag. 9, et Appendix II, pag. 51).

Appendix

(Excerpta relationis nostrae m. ianuar. 1963)

De collegialitatibus intermediis. Quaestio specialissime a Concilio tractanda est.

De quibus nulla in schemate mentio. Sed omissionem relator ex industria factam asserebat quia argumentum in schemate quodam a commissione « de episcopis et dioecesium regimine » proponebatur. Sed Patres nonnulli — in congregatione generali — (quod etiam nostrum est votum) rogaverunt ut, in schemate *de Ecclesia,* principia doctrinalia proponantur quibus existentia et activitas « coetuum definiti territorii episcopos adunantium ». Sic etiam aliis constitutionibus eorum competentia postea rectius ac securius determinentur.

Coetuum illorum regionalium quasi episcopalis collegialitatis consequentia nobis apparet. Episcopi enim certo cognoscunt a se, de universalis Ecclesiae bono,

sollicitudinem esse habendam, sed ratione ipsa caritatis ordinis, specialiori modo erga ecclesias sibi vicinas et proximiores urgeri. Quae sollicitudo, ab Ecclesiae exordiis, manifesta fuit; nam, episcopo quodam defuncto, viciniores episcopi, de electione et consecratione novi curant pontificis et, regionis episcopis adunatis, necessitatibus huiusce regionis simul incumbunt.

Commune insuper bonum postulat ut episcopi « ad maiorem regiminis similitudinem » contendant; quam ut obtineant « plurium possunt communes coetus qui fere ubique iam in usu sunt et augustiore celebranda ritu concilia provincialia et plenaria » (Pius XII, *A.A.S.*, 1954, p. 676). Episcopus enim ut regat ecclesiam suam missionem ab Ecclesiae regimine supremo accipit (pag. 23, lin. 7) et « regere propriam suam ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis » debet (pag. 24, lin. 19), cum episcoporum corpore coniunctus. Quam ob rem, coetus cum vicinioribus episcopis, ut unitatem servet, plurimum iuvabunt. Nec omittendum est sollicitudinem circa proprii gregis bonum sic illum movere ut huiusmodi coetus exoptet: primo quia leges pro universali Ecclesia promulgatae ad locorum necessitates adaptandae sunt, et, ex altera parte, praesertim nostris temporibus, cum populationum motus ad inter se connexiones de die in diem increscunt, pastoralis actio, multis in rebus, ad limites ultra dioeceseos ac etiam provinciae cuiusdam determinanda est.

Quapropter mens est nostra: ad bonum Ecclesiae, nostris diebus — quae aliis temporibus maiore gubernationis unitate indiguerit — collegialitatem intermediorum coetuum corroborandam esse, cum coetus illi ut Ecclesia efficacius apostolicam suam missionem adimpleat, maxime iuvent. Etenim tam quaestiones in commissionibus praeparatoriis agitatae quam disceptationes Concilii de re liturgica et de socialis communicationis mediis in lucem attulerunt, et quidem quasi mirabili consensu, quantum hodie necesse sit plurimas normas, quae ad curam pastoralem pertinent, a conferentiis episcopalibus seu coetibus episcoporum pro certo territorio determinari.

In memoriam etiam revocanda orientalis traditio quae formam synodalem in exercitio iurisdictionis semper servavit.

Nec quaestio est de dogmatica quadam necessitate ad coetus episcoporum stabiliendos. Satis est ut historice ac canonice quantum opportune existant demonstretur, et apostolicis quibusdam necessitatibus respondeant. Supremi vero Ecclesiae regiminis statutum iuridicum promulgare erit.

Cap. III: *De populo Dei et speciatim de laicis.*

I. *Animadversiones generales.*

Novus textus priori antecellit: brevior, clarior, magisque completus.

1. In omnibus suis partibus, non parvi pandit plerasque observationes a nobis, mense ianuarii, renuntiatas.

2. Amplum servat locum vitae et missioni « caritatis » Ecclesiae et christiani. Ut tamen hae frequentes allusiones totam suam vim consequantur, necesse esset ut niterentur in assertionem magis praecisam mysterii divinae caritatis in mysterio Ecclesiae et in munere episcopali, de quibus fuit sermo in praecedentibus capitibus.

3. Nova eiusdem capitis divisio in duas partes, facta a commissione « de laboribus Concilii coordinandis », videtur maxime opportuna.

II. *Animadversiones particulares.*

N. 22, pag. 5: Introductio. Lin. 4: ratio loquendi « cum gaudio animum convertit », in melius esset mutanda: stylus est imperfectus. Lin. 5: addendum: « in communitatem caritatis, veritatis et *spei* constitutus ». Saepius obliviscitur virtus theologalis spei, tamen connexa indoli eschatologicae Ecclesiae (cf. pag. 5, lin. 18, ubi spes citatur cum aliis virtutibus). Lin. 7: « Instrumentum redemptionis »: hoc verbum de populo Dei videtur contorte dictum. Melius diceretur: « *Ut socius redemptoris* ».

N. 23, pag. 5, lin. 12: titulus « De membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate » non videtur feliciter inventum. Melius forte diceretur: « De diversa membrorum in Ecclesia Christi vocatione » seu « dignitate », secundum quod legitur lin. 14 textus sequentis.

Pag. 6, lin. 5: curnam non adderetur ad *Apoc.* 1, 6, ad minus referentia classica ad *Pt.* 2, 4-10?

Pag. 6, lin. 13: supprimendum est « eamdem ». *Omnes ad sanctitatem vocantur.*

Pag. 6, lin. 22: loco « ad salutem communem », dicere potius: « ad salutem omnium hominum ».

Pag. 6, lin. 31: definitioni laici hic datae (« Membrum populi Dei »), a nobis praefertur ea, magis biblica, praebita in nostris animadversionibus, mense ianuarii. Cui, si placet, addi possent notae complementariae, datae in praedicto textu. Haec erat definitio nostra: « Laicus ille est qui baptizatus (*Gal.* 3, 27) fit filius Dei (*Gal.* 4, 5-7; *Eph.* 1, 5 ss.; *1 Io.* 3, 10) et membrum vivum, rationemque redditurum (*Eph.* 2, 12; 3, 17-19; 4, 15) populi Dei, i. e. Ecclesiae, Corporis Christi (*Rom.* 6, 4-6 et 11), vivens de fide, spe et caritate (*1 Cor.* 12, 4-13) et heres promissionum divinarum (*Eph.* 1, 18).

N. 24, pagg. 7-8: ad meliorem comprehensionem diversarum notarum, quae continentur in hoc textu, utiliter divideretur sicut n. 25, quodam exempli gratia addito ordine alphabetico in principio cuiusque paragraphi eiusdem numeri: i. e. *a*) pag. 7, lin. 4: sacerdotium fidelium; *b*) pag. 8, lin. 4: regia dignitas fidelium; *c*) lin. 7: vita caritatis christiani; *d*) lin. 12: sensus fidei fidelium; *e*) lin. 24: de charismatibus.

N. 25, pagg. 8-9: expositio magni pretii de partibus christiani in mundo relate ad salutem. Quae partes sub aliquo « nimis individuo » respectu forte exponuntur; plerumque enim, non erunt ad salutem certe efficaces nisi assumantur ab aliqua « communitate christiana ». Insuper, optimum esset si respectus apostolicus vitae christianae, dependenter a hierarchia, licet pars sit schematis de apostolatu christianorum, « saltem sub forma alicuius principii » hic enuntiaretur, ne videatur solis magnanimis reservatus christianis, ut quoddam obiectum sumptuosum.

Pag. 9, lin. 39: loco « Spiritu Christi », scribere « spiritu Christi ».

N. 26, pagg. 10-11: limpidissimus et apertissimus.

N. 27, pag. 11: *adhortatio*: finis valde bonus, quo introducitur schema *de apostolatu laicorum.*

Cap. IV: *De vocatione ad sanctitatem in Ecclesia.*

I. *Animadversiones generales.*

Hoc novum caput placet, eo quod:

a) ad mentem revocat omnes ad sanctitatem vocatos esse, distinctis vocationibus cuique personalibus a specifico statu religioso, cuius tamen indoles magis esset praefinienda;

b) sanctitatem ad caritatem religat, hoc tamen praesupposito quod perfectionis studium in tota vita theologali per exercitium virtutum evangelicarum de natura est caritatis;

c) sanctitatis Christi exemplum iure merito saepe memoratur. Optabile tamen videretur, si fortius assereretur omnis sanctitatis fontem in Christo residere (cf. S. Pauli doctrinam) eiusque efficaciam a Spiritu Sancto fulciri;

d) sanctitas demum cuiusque personalis vocationis ad totius Ecclesiae sanctitatem refertur (nota Ecclesiae). Qui tamen sanctitatis Ecclesiae communitarius aspectus in meliorem lucem poni deberet, in quantum est simul et medium perveniendi ad sanctitatem et effectus sanctitatis personalis;

e) baptismum aliaque sacramenta fontes et media demonstrantur sanctitatis. Magis tamen asserendae essent Eucharistiae partes, in quantum signum et alimentum est nostrae sanctitatis in unione cum Christo.

II. *Animadversiones particulares.*

N. 28, pag. 16: *Prooemium*: bonus illius capitis conspectus, in duas divisi partes.

N. 29, pag. 16, lin. 15: loco « auctor et consummator », scribere « Auctor et Consummator ».

In mentem revocare textum S. Pauli (*Rom.* 13, 14) et alios textus isti respondentes, qui ostendunt Christum fontem esse omnis sanctitatis.

Lin. 18: post textum citatum *Mt.* 5, 48, lex referatur Levitica: « Sancti estote, quia ego, Deus vester, sanctus sum ». Hic desideratur definitio magis completa sanctitatis. Haec certe tendit ad perfectionem caritatis, sed in unione mysterii Christi mortui et resuscitati, quod importat simul mortificationem et infusionem vitae et omnium virtutum evangelicarum exercitium, praesertim vero paupertatis, secundum cuiusque statum.

Lin. 33: post « eius vestigia sequentis », addendum est: « et in eius imaginem transformati ».

N. 30, pag. 19, linn. 1-7: ex hoc pulcherrimo loco, in quo sanctitas cuiusque christiani in quadam dependentia sanctitatis episcopi et cleri ponitur, in meliorem lucem poni posset nullam scilicet inveniri sanctitatem christianam, ubi non est adhaesio ad Ecclesiam.

Linn. 15-23: explanatio magni momenti de sanctitate in matrimonio. Cavendum tamen ne existimetur sanctitas res esse nonnisi sacerdotum et coniugatorum, sed potius omnium cuiusque status (caelibetes), aetatis (senes et iuniores), valetudinis (infirmi). Omnes enim ad sanctitatem vocati sunt, unusquisque secundum suam specificam conditionem. Dicitur certe lin. 24 « pro omnibus christifidelibus »; quaedam autem enumeratio otiosa hic non esset.

Linn. 26-29: pulcherrima definitio sanctitatis, cuius melior locus videtur esse n. 29.

Linn. 29-32: radicale ligamen, quo uniuntur sanctitas Ecclesiae et sanctitas christifidelium, clare notatur.

N. 31, pag. 19, lin. 34 usque ad pag. 20, lin. 1: melius videtur si supprimeretur locus iste. Iterum enim exponit quod iam dictum est de sanctitate et de eius relatione ad caritatem.

Notandum esset quaestionem hic agi de exercitio consiliorum evangelicorum in quodam statu particulari, et ab Ecclesia probato, ad quem quis a Deo *vocatur* (« quibus datum est... » *Mt.* 19, 11).

Status religiosus specificus est in Ecclesia.

Vita religiosa non solo exercitio complectitur trium consiliorum evangelicorum, et ceterum, paupertatis definitio omnibus convenit christianis.

Melius forte esset si hic praecise determinaretur in quo consistat status religiosus, diversis in unum collectis elementis ex quibus constat, et quae dispersa inveniuntur nn. 31-36: fructus scilicet cuiusdam divinae vocationis (cf. n. 32, pag. 21, lin. 6); status existens in Ecclesia (cf. n. 31, pag. 20, linn. 29-31) sub suis diversis formis; status ab Ecclesia approbatus (cf. n. 32, pag. 20, lin. 39 ad pag. 21, lin. 8); identificatio cum Christo, paupere, virgine, obediente (cf. nn. 32 et 35); fons sanctitatis et servitii in Ecclesia (cf. n. 31, pag. 20, linn. 27-35; n. 33, pag. 21, linn. 23-29; nn. 35 et 36); valor eschatologicus status religiosi (cf. not. ad nn. 33 et 35).

In hoc sensu, titulo illo n. 31, pag. 19: « De mediis... evangelicis » res utiliter pressius exprimi deberet, ut clarius indicaretur hic agi de altera parte eiusdem capitis, et concinniter ostenderetur quaestionem hic haberi de statu religioso « lato sensu », omnia resumendo quae dicuntur in prooemio, n. 28, pag. 18, linn. 9-12.

N. 32, pagg. 20-21: pag. 20, lin. 37 ad pag. 21, lin. 3: meliorem locum haberet n. 31. Pag. 21, linn. 4-8: evolvendum prout in priore schemate.

N. 33, pag. 21: « de momento... »: ad memoriam revocandam esset statum religiosum de structura esse Ecclesiae, per illud quod est suum proprium propositum, sanctificationem scilicet hominum, quae est finis proprius Ecclesiae; et per alium hunc eiusdem scopum, laudem scil. divinam quo ordinatur ad virtutem religionis; et demum, per naturam eschatologicam virginitatis (cf. *Mt.* 19-12; *Mt.* 22, 30; *1 Cor.* 7, 25-40).

Linn. 13-17 reportandae essent in fine eiusdem n. 33, modo tamen positivo, et non tantum optativo.

N. 34, pag. 21: merito fit hic mentio de iure « exemptionis », propter primatum Romani Pontificis, sed etiam de obligatione qua tenentur religiosi exempti, sese submittendi episcopo dioecesano.

Quorum, praedicti iuris scil. et huius obligationis, perutile videretur si daretur hic ratio essentialis: quae non tantum residet in aspectu iuridico (cf. pag. 22, linn. 14-15), sed in eo quod Papa centrum est et famulus unitatis corporis episcopalis, sicuti revera est totius Ecclesiae.

Hic opportune citaretur pulcher *1 Thess.* 5, 13 locus, quo invitatur ad caritatem semper maiorem erga praepositos Ecclesiae, quod est verum principium reverentiae eis debitae; et etiam memoraretur invitatio ad obedientiam *Heb.* 13-17. Per suam unionem cum episcopo locali et Papa, religiosi actu perficiunt suam unitatem cum Ecclesia.

Valor spiritualis huius doctrinae utiliter ad memoriam revocandus esset. Siquidem non est solummodo et ante omnia disciplinaris.

N. 35, pagg. 22-23: titulus ambiguus est. Non enim consiliis evangelicis quis Deo consecratur, sed votis et promissis. Melius dici videretur: « Aestimanda est vita Deo consecrata in statu professionis consiliorum evangelicorum ».

Linn. 29-32: iure memoratur vitam religiosam Ecclesiae, sponsae Christi, assimilari. Hic autem aspectus constitutivus valoris virginitatis confirmari posset, seu verbis liturgicis Praefationis in consecratione virginum, seu locis *Apoc.* 21, 2; 22, 9-11; et *Eph.* 5, 25-31. (Valor eschatologicus virginitatis).

Primus paragraphus istius n. 35 connecti posset n. 32, de natura status religiosi; secundus vero, n. 36.

N. 36: *conclusio,* pag. 23, lin. 11: « Christum... in monte *contemplantem* ». Vocabulum dissentit textui evangelico, et contemplatio Christi sine cessatione erat. Melius diceretur: « In monte *orantem* ».

Post lin. 14, introducatur textus n. 35, linn. 33 ss. de diffusione animi in vita religiosa.

Finalis exhortatio, linn. 15-19, acrius instans maioris esset ponderis. Quin sit triumphalis, talis esse debet tamen, quae omnium utriusque sexus in religione degentium, animum fidemque erigat, ratione testimonii quod perhibent et apostolatus sui in mundo evangelizando.

80

EXC.MI PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI
ditionis apostolicae occidentalis in Gallia

Hoc novum schema valde melius quam prius est, incompletum tamen manet.

I. Cap. I, n. 4: in hac paragrapho, ubi notio universalis Ecclesiae apparet, optamus quod amplius manifestetur et explicetur missio Ecclesiae ad omnes homines viventes in hoc saeculo. Sic inseri potest in hoc schemate de Ecclesia illa evangelica notio fundamentalis ad relationem Ecclesiae ad mundum in schemate XVII (de Ecclesia ad extra) tractandam.

Emendatio n. 4, pag. 8, lin. 30: (Titulus: de Spiritu Ecclesiam inspirante et sanctificante). « Ipse replet orbem terrarum et ille qui continet omnia scientiam habet vocis (*Sap.* 1, 7). A die Pentecostes, Ecclesiam replevit per vocem apostolorum qui ad evangelizandum mundum missi sunt. Et nunc omnes christianos, fideles atque ministros, per Spiritum Sanctum ad mundum missos, inspirat... ».

II. Cap. II, n. 14: optamus quod iam sit tractandum de episcoporum collegio et de eorum potestatibus in hac paragrapho de episcopatu ut sacramento. Sub verbo « episcopatum » (lin. 10) manet ambiguitas de natura relationis ordinis episcoporum ad consecrationem episcopalem. Non est sufficiens dicere (lin. 24) quod episcopi vi sacramenti presbyteris superiores sunt, sed determinandum est quomodo novus consecratus ordini episcoporum vi sacramenti aggregatus est.

Emendatio n. 14, pag. 25, lin. 22: « Sacramentum episcopatus est corporis episcoporum actio collegialis novum electum ordini episcoporum aggregans atque faciens eum participem collegii.[1] In actu episcopalis ordinationis, novo electo

[1] Cf. Dom. B. BOTTE, *L'Ordre d'après les prières d'ordination,* in *Etudes sur le sacrement de l'Ordre,* Paris 1957, pag. 31, cf. pp. 109-113.

episcopi ad eum consecrandum congregati, in personam totius episcopatus agentes,[2] plenitudinem apostolici muneris tradunt, quod apostolico collegio a Domino nostro Iesu Christo collatum,[3] et omnibus successoribus in depositi apostolici custodia [4] traditum est: ita apostolica successione depositi traditio plenissime ostensa et in veritate conservata est.[5]

Episcopus potestatem ordinis sui vi sacramenti accipit, scilicet spiritualem capacitatem ad munus apostolicum participandum, simul etiam [6] ius dicendi et exercendi activam potestatem, quae consequitur ordinem. Exsecutionem tamen iurisdictionis in Ecclesia particulari, sive a Romano Pontifice in nomine Christi expresse collatam, sive saltem nunquam denuntiatam,[7] secundum diversos modos reapse perficere debet in communione episcoporum collegii et Romani Pontificis cui competit plenitudo potestatis ».[8]

III. Cap. II, n. 15: optamus quod in hac paragrapho declaretur spiritus ministerii et paupertatis quo omnes episcopi et presbyteri vocantur et tenentur.

Emendatio n. 15, pag. 26, lin. 14: « Dignitatem suam tanquam ministri hominum sustinent, fidelibus et mundo evangelicam paupertatem exhibentes, ita ut in sancta societate Ecclesiae tituli absque munere correspondenti non conferantur ».

IV. Cap. II, n. 19: explicatio formulae Concilii Vaticani I « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse » sufficiens non videtur. Feliciter textus propositus declarat significationem directe iuridicam formulae Concilii Vaticani I. Videtur tamen quod melior et magis theologica explicatio sit si affirmaretur quod Romani Pontificis definitiones validatione vel confirmatione non indigent.[9]

---

[2] Cf. S. Cyprianus, *Epist.* 67 (ed. Hartel, pag. 739): « Propter quod diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas ad eam plebem cui praepositus ordinatur episcopi eiusdem provinciae proximi quique conveniant et episcopus deligatur plebe praesente quae singulorum vitam plenissime novit et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit ».

[3] Cf. *Io.* 20, 21; *Mc.* 16, 14-15; *Mt.* 28, 16-17.

[4] *2 Tim.* 2,2; Clemens Romanus 42, 1-5; 44, 1-3.

[5] Cf. S. Irenaeus, *Adv. haer.*, III, 3,1; III, 3, 3; IV, 26, 2.

[6] Hanc doctrinam memoravit *Votum G. Angelini,* in centrali commissione Concilii Vaticani I, die 17 maii 1868: « Ratione suae ordinationis (Episcopi) habent iure divino potestatem activam ius dicendi, praecipiendi, definiendi, excommunicandi, etc. » (ed. H. Schauf, *De conciliis oecumenicis, Theses C. Passaglia,* Roma 1961, pag. 90). Cf. pag. 89: « In casu quo episcopi titulares vocarentur a Pontifice ad concilia, ipsi interessent uti veri episcopi ordine et dignitate, ac praeterea interessent ut habentes subditos omnes christifideles quos illis simul cum aliis congregatis tanquam coniudicibus subiiceret Pontifex ». Cf. S. Thomas Aquinat., *In 4 Sent.*, d. 19, q. 1, art. 3, ad I^{um}: « Ubi Dominus, *Io.* 20, dedit omnibus apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur ordinem; ... Usus illius potestatis esse debet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem ».

[7] In latina Ecclesia, episcopus ecclesiae particularis munus a Romano Pontifice accipit, et sic manifestatur et iure signatur unio episcopi cum corpore episcopali sub Papa unito. In orientalibus Ecclesiis, installationem muneri ecclesiae particularis episcopalis consecratio ipsa importat. In utroque casu munus episcopo per actum collegialem episcoporum confertur.

[8] Conc. Vat. I, Const. dogm. *Pastor aeternus*; Denz. 1827-1831.

[9] Cf. explicatio Gasser, Mansi, 52, 1216 A: « Utique deputatio de fide non in ea mente est, quod verbum istud debeat sumi in sensu forensi, ut solummodo significet

Emendatio n. 19, pag. 30, lin. 1: « Qua ipse quoque per se gaudet Romanus Pontifex quando, ut collegii episcoporum caput, omnium christianorum pastoris atque doctoris munere fungens,[10] doctrinam de fide vel moribus definitivo actu ex cathedra proclamat ». Lin. 10: « tanquam pastor et doctor Ecclesiae universalis, qui fratres suos in fide confirmat (cf. *Lc.* 22, 32) exponit vel tuetur ».

Emendatio n. 19, pag. 30, lin. 5: « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut actus Romani Pontificis nulla validatione indigeant et ab eius iudicio ad alium iudicium appellare nunquam omnino liceat »: vel « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut Romanus Pontifex non teneatur ad obtinendum concursum actuosum omnium episcoporum ut eas definitive proferat, et ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare nunquam omnino liceat ».

81

Exc.mi PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI CETERIQUE PATRES CONCILIARES LINGUAE GERMANICAE ET CONFERENTIAE EPISCOPORUM SCANDINAVIAE

(e Conferentia Fuldensi diebus 26 et 27 augusti 1963)

I. *Generaliora.*

1. Dispositio totius schematis in genere correspondet desideriis commissionis coordinatricis et in se apta et bona dici potest. Quod spectat desiderium ab hac commissione emissum, dividendi scil. cap. III in duo, quorum unum de populo Dei in genere sit et cap. II totius schematis constituat, alterum de solis agat laicis tamquam cap. IV schematis, haec forte dicenda esse videntur:

Propositio commissionis admitti potest et insinuat bonam emendationem schematis, licet quasdam transpositiones textus schematis necessarias reddat. Post aliquam introductionem in novo cap. II de populo Dei quaedam dicenda essent, quae schema adhuc dicit sub n. 3 (pag. 8, linn. 5 ss.) quippe cum haec apte inservire possint tamquam fundamentum doctrinae de populo Dei (praesertim ea quae pag. 8, linn. 11-23 dicuntur). Patet deinde sub n. 3, « De missione Filii » quaedam alia esse supplenda. Introductio huius novi cap. II (sub. n. 22) paululum mutari debet.

---

finem impositum controversiae, quae de haeresi et de doctrina, quae proprie est de fide, agitata fuit. Sed vox « definit » significat quod Papa suam sententiam circa doctrinam, quae est de rebus fidei et morum, directe et terminative proferat ».

[10] Cf. explicatio Gasser, Mansi 1213 B-C: « Sed ideo non separamus pontificem ab ordinatissima coniunctione cum Ecclesia. Papa enim solummodo tunc est infallibilis, quando omnium christianorum doctoris munere fungens, ergo universalem ecclesiam repraesentans, iudicat et definit quid ab omnibus credendum vel reiiciendum. Ab ecclesia universali tam separari non potest, quam fundamentum ab aedificio cui portando destinatum est. Non separamus porro papam infallibiliter definientem a cooperatione et concursu ecclesiae, saltem id est in eo sensu quod hanc cooperationem et hunc concursum ecclesiae excludimus ».

Ibid., Mansi 52, 1214 B: « Petrus extra hanc relationem ad Ecclesiam universalem positus in suis successoribus hoc veritatis charismate ex certa illa promissione Christi non gaudet ».

Deinde dicantur quaedam de novo addita de Novo Foedere novoque populo, de eius unitate et universalitate. Deinde sequantur ea quae adhuc sub nn. 23-24 dicuntur, materia forte paululum aptius disposita. Deinde ex capite primo schematis hic ponantur, quae ibi sub nn. 8-10 exstant. Cap. novum IV post addendam brevem introductionem, quae novum thema indicat et inculcat ea, quae maximi momenti circa laicos sunt, iam dicta esse in cap. II, primo ponere debet ea, quae in schematis parte secunda pag. 6, lin. 31 ad pag. 7, lin. 11 dicuntur de nomine laicorum. Deinde ea dicantur in hoc novo cap. IV, quae in parte secunda huius schematis exstant pag. 8, lin. 37 ad pag. 11, lin. 24. Caput, quod hucusque secundum erat, erit deinceps cap. III.

2. Doctrina huius schematis solida, ampla et etiam sub respectu pastorali bene selecta et apte proposita esse nobis videtur. Evitat haec doctrina quaestiones inter theologos disputatas, v. g. quaestionem, cuinam ratio « membri » in Ecclesia tribui possit, immo hanc terminologiam prorsus declinat, quod nobis habita ratione status quaestionis in theologia catholica hodierna omnino opportunum esse videtur. Sufficienter figura Corporis mystici pro describenda natura Ecclesiae urgetur iuxta vota episcoporum Germaniae ante Concilium prolata, quin ista figura tanquam unica et sibi soli sufficiens in hac descriptione proferatur. Cum e contra cap. I potius originem delineandae Ecclesiae sumat a conceptu populi Dei, etiam sub hoc respectu sufficienter satisfacit sententiis Ecclesiologiae biblicae recentis. Gaudemus, quod idea Ecclesiae tanquam quasi primordialis sacramenti salutis totius mundi non prorsus disparuit, licet censeamus hanc ideam pro hodierna evolutione Ecclesiologiae adeo fertilem melius et fusius explicari potuisse.

Laudabiliter expositio potestatis hierarchicae procedit e conceptu ministerii. Sine dubio ea quae de momento et functione episcopatus in Ecclesia dicuntur, ut verus progressus doctrinalis agnosci possunt et debent, licet, uti ex natura rei resultat, practicum momentum huius doctrinae in aliis schematibus potius canonisticis et pastoralibus efferri debeat et ibi tandem appariturum sit, num Concilium istud in hac parte desideriis et indigentiis huius temporis vere satisfaciat; et licet doleamus, quod quaedam, quae tentamen schematis de Ecclesia ab episcopis Germaniae propositum exhibebat, in expositione huius schematis omittuntur (v. g. magisterium ordinarium totius collegii episcopalis esse exercitium collegiale huius plenae et supremae potestatis, quae residet in collegio episcoporum qua tali).

Laudatur etiam doctrina de sacramentalitate ordinationis episcopalis. Approbantur in genere etiam ea, quae de singulis muneribus et potestatibus episcoporum dicuntur.

3. Interdum anxietas quaedam, ne roborando munus episcopale primatus Summi Pontificis detrectetur, adhuc nimis apparet.

4. Sine dubio multa alia, quae duo ista capita silent, optimo iure et fructuose dici potuissent. Attamen non censemus esse utile ingredi in disceptationes de rebus, quae ad ea, quae in schemate dicuntur, addi per se possent. Tali enim modo nunquam ad finem pervenitur qui omnibus placet.

5. Ordo inter nn. 4-7 in parte prima schematis aptius forte instaurandus esse videtur, ut progressus in elaborandis imaginibus Ecclesiae earumque valor theologicus clarius et facilius appareant. Haec, si placent, ita fieri possent: Post ultimam lineam pag. 8 (post pag. 8, lin. 39) statim, tamquam n. 5 exponantur ea quae sub n. 6 (pag. 10, linn. 19 ss.) habentur, paucis adhibitis emendationibus, quae per talem transpositionem textus necessariae evadunt. Proinde textus esset:

« 5. (De Ecclesiae imaginibus). Variis et profundis imaginibus nobis intima natura Ecclesiae innotescit, quarum praecipuas evocamus. Est enim Ecclesia grex... cultura Dei (pag. 10, lin. 29). Actione ergo Dei salutifera collecta Ecclesia est opus Dei et fructus caritatis eius simulque medium et instrumentum in Dei spiritu activum ad unionem inter Deum et mundum in dies magis efficiendam.[1] Crescere enim vocata est Ecclesia ut Dei familia eiusque templum et domus, in lapideis sanctuariis repraesentata, in qua Deus in spiritu et veritate adoretur (cf. *Io.* 4, 23). In ea ut in suo habitaculo Spiritus Sanctus inhabitans pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat usquedum numerus fratrum compleatur (cf. *Apoc.* 6, 11).

« Ita crescit in terris Civitas Sancta... » (continuatur pag. 10, lin. 33 usque ad pag. 11, lin. 3).

« 6. (De Ecclesia ut mystico Corpore Christi). Christus Dei Filius... constituit (pag. 9, lin. 8). Nemo enim est Christi, quin pertineat ad corpus Christi. Sumus autem corpus et corpus Christi, quia in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati et omnes in uno Spiritu potati sumus (cf. *1 Cor.* 12, 13; *Eph.* 4, 4-6). Ideo vero imprimis coalescimus in corpus, quia Ecclesia in se ab ipso Domino ut pignus unionis concreditum habet verum corpus Christi, quod in Eucharistia omnibus fidelibus datur. Quoniam enim unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus (*1 Cor.* 10, 17). Ita cum Domino unimur (pag. 9, lin. 14) ... ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 1, 23; 3, 19; *Col.* 2, 10) (pag. 10, lin. 18).

« 7. (De Ecclesia in terris peregrinante)... (pag. 11, linn. 5 ss.) ».

6. Deest etiam in hoc schemate declaratio explicita de qualificationibus theologicis, sub quibus singula huius schematis accipienda sunt. Cum schema laudabiliter materiam valde amplam proponat, quae, licet omnes propositiones ab omnibus de facto admittantur, tota non dici potest de fide divina et catholica, explicita declaratio desideratur non agi in hoc schemate de definitionibus proprie dictis nisi ibi, ubi hoc ex verbis expresse elucet.

7. Notum est primo mentem fuisse commissionis praeparatoriae agere in cap. IV (aut potius V) de solis religiosis. Approbamus, quod post magnas disceptationes tandem victoriam obtinuit sententia, quae censet agendum esse hic de sanctitate in Ecclesia *universa* et in hoc contextu tractandum esse etiam (praesertim, sed non exclusive) de religiosis. Licet et dogmatice et « psychologice » in Ecclesia consilia evangelica sequentes et in Ecclesia specialem obtineant locum et in Ecclesiologia Concilii specialem mereantur mentionem (praesertim illi religiosi utriusque sexus, qui sacerdotes non sunt), tamen haec mutatio thematis placet. Nam una ex parte de vocatione omnium membrorum ad sanctitatem sermo fieri debet, et altera ex parte in schemate disciplinari. De religiosis sermo protractior sufficienter fit. Laudatur insuper hoc caput, quia multo clarius et magis sobrie (attamen cum debita laude vitae religiosae) quam textus prior distinguit inter essentiam perfectionis, quae est unica caritas, ad cuius perfectionem *omnes* et vocantur et obligantur, et certa quaedam media caritatis (evangelicorum consiliorum praxis concreta), quae

---

[1] Haec sententia nova in textum inserenda proponitur, quia distinctio Ecclesiae ut fructus redemptionis et Ecclesiae ut medii activi redemptionis applicandae magni momenti esse videtur pro tota Ecclesiologia, et quia haec doctrina fuse proponebatur in schemate de Ecclesia, quod ab episcopis Austriae et Germaniae mense februario Romae exhibebatur.

quibusdam tantum a Dei gratia offeruntur. Ratio horum consiliorum et spiritualis (i. e. conducens ad individualem sanctitatem) et ecclesiologica et eschatologica breviter, sed sufficienter exhibetur. Etiam in hac parte textus novus melior est textu priore. Laudanda est evitatio termini « perfectae castitatis », qui in textu priore habebatur. Commendari potest schematis *de religiosis* retractatio, quae institui apte posset iuxta doctrinam mentemque huius capitis. Etiam quae in hoc capite (pag. 22, linn. 23-32) dicuntur, meliora videntur iis, quae olim hoc loco edicebantur. Hisce dictis non negatur posse in hoc capite de sanctitate Ecclesiae in genere et religiosorum in specie quaedam abbreviari, quaedam ordine magis perspicuo ordinari, quaedam de consiliis evangelicis adhuc magis lucide ex intima eorum natura proferri. De his episcopus Rottenburgensis haud spernenda edixit et ulterius conferre paratus est.

8. Hinc in genere approbamus hoc schema, quod magna cum solertia et diligentia confectum est, et animadversiones nostras restringimus ad emendationes minutiores proponendas, quae facile perfici possunt, quin totum schema retractetur.

II. *Specialia.*

Ad cap. I.

Pag. 7, lin. 10: « illudque » parum apte dici videtur. Nam tali modo lector remittitur ad « praecedentium Conciliorum argumentum », quod falsum est, cum non illud argumentum, sed naturam missionemque Ecclesiae universalis (pag. 7, lin. 8) sermone menti hodiernae accommodato schema enucleare intendit. Scribatur igitur: « *illamque* ».

Pag. 7, lin. 22: non bene scribitur: « haec congregatio... ». Nam de tali aliqua congregatione iustorum in praecedentibus nondum erat sermo. Scribatur forte: « *Hinc semper exsistebat etiam arcana congregatio iustorum, quae a sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur quaeque ab Abel iusto usque ad ultimum electum colligitur* ».

Pag. 7, linn. 24-27: hic aliqua obscuritas sermonis haberi videtur. Redemptio enim et constitutio hominum in filios Dei per incarnationem et mortem Christi ad omnes spectant homines, etiam igitur ad eos, qui ante Christum nati et mortui sunt. Ea vero quae deinde pag. 7, lin. 24 dicuntur (« eosque non tantum singulatim... ») presso verborum sensu non quadrant nisi ad eos qui tempore *post* Christi redemptionem vivunt. Propterea suadetur post « eosque » insere: « *redemptione sua reapse peracta* ».

Pag. 8, lin. 1: cum caput de quo hic est sermo, sit Christus ipse, melius diceretur: « *Sub se tanquam uno omnium capite* ».

Pag. 8, linn. 18 ss.: in hac sententia deprehenditur parva aliqua inconcinnitas. Nam illud: « ab eo convocata et legitime constituta » (pag. 8, lin. 20) potius addendum est ad « congregatio eorum, qui in Iesum credunt » quam ad « Ecclesia ». Nam non quaelibet congregatio credentium est Ecclesia, sed congregatio credentium a Christo ipso convocata et legitime constituta est Ecclesia, cum haec legitima constitutio a Christo ipso sit ratio specificans verae congregationis fidelium, quae talem congregationem Ecclesiam veram constituit.

Pag. 8, lin. 19: post verbum « unitatis » addatur: « *per Spiritum Sanctum* ». Ratio: ut appareat Spiritus Sanctus ut unitatis principium. Nam in Encyclica *Mystici Corporis* Spiritus Sanctus vocatur Ecclesia unitatis principium increatum et non adspectabile.

Pag. 8, lin. 23: cum hic agatur non de « praeexsistente » aliqua Ecclesia mythice personificata, sed de Ecclesia socialiter organizata, in tempore condita et ut tali nonnisi in hoc saeculo exsistente, quippe cum ei in fine succedat regnum Dei, non bene videtur, quo sensu Ecclesia vere « supra tempora » exsistere dicatur. Melius igitur haec verba expungantur.

Pag. 8, linn. 24-27: vera quidem sunt, quae locutione prorsus traditionali et hinc legitima dicuntur. Attamen cum obiective intuitu futurae mortis Christi Deus Spiritum Christi etiam ante peractam redemptionem in corda hominum miserit (ut docet explicite v. g. Leo XIII, et etiam pag. 7, lin. 20 idem insinuatur), cumque haec veritas pro hodierno homine eiusque theologia historiae maximi momenti sit, suspicio praecavenda esse videtur, homines ante Christum necessario caruisse Spiritu Christi. Difficultati sine profunda textus mutatione aegre medetur. Sufficeret tamen forte, si post « misit » (pag. 8, lin. 26) poneretur: « *tamquam donum definitivum seu eschatologicum* » vel simile quid.

Pag. 8, lin. 34: ante verbum « Ubi » ponatur: « *et Ecclesiae unitatis est principium increatum et invisibile* ». Ratio: est eadem ratio ac superius ad pag. 8, lin. 19.

Pag. 9, lin. 11: (« omnes enim... »): ante hanc sententiam constitutio Corporis Christi mystici reducebatur (pag. 9, linn. 1-11) legitime et intimam naturam huius corporis tangendo ad communicationem Spiritus seu « vitae » Christi. In hac vero sententia nova et alia ratio corporis mystici tangitur: sacramenta visibilia baptismi et Coenae. Tali « enim » insinuatur autem primam iustificationem asserti antea allati exhiberi aut eandem repeti rationem iam datam aliis verbis. Non vero tali modo nova et quidem secunda ratio introduci potest. Sacramenta enim aut considerantur in suo ritu visibili aut tantum in suis effectibus gratiae. In primo casu *nova* ratio constituens Corporis mystici affertur, et deinde illud « enim » omittendum est; in secundo casu non proferretur nisi ratio, quae antea (pag. 9, linn. 1-9, 11) dicta erat et deinde tota sententia (pag. 9, linn. 11-13) redundat.

Pag. 9, lin. 21: « caput supra omnem Ecclesiam »: notandum est textum graecum diversam ab hac formam praebere.

Pag. 9, lin. 24: in citatione loco « cl. » scribatur: « *Col.* ».

Pag. 9, lin. 26: loco: « quos » scribendum est: « *quae* ».

Pag. 9, lin. 38: loco: « suscipiunt » clarius scribatur: « *operantur* ».

Pag. 10, linn. 7-10: haec sententia pia et vera omnino est pulchreque coniungit pabulum verbi Dei et panem eucharisticum. Attamen non bene perspicitur, quo iure haec hic dicantur tamquam ulterior enucleatio ideae Corporis Christi mystici.

Pag. 10, lin. 22: citatio « *Io.* 40, 41 » falsa est. Intentio fuisse videtur citandi « *Is.* 40, 11 ».

Pag. 10, linn. 29-30: cur hic ad mentionem Ecclesiae tanquam domum Dei addatur eam a sanctis Patribus laudari non bene perspicitur. Omnes enim imagines Ecclesiae a Patribus laudantur seu citantur. Si vero sensus est Patres urgere similitudinem Ecclesiae ut domus Dei cum lapideis sanctuariis, id stylistice clarius exprimi debet.

Pag. 11, linn. 5-7: hic quoad rem apte distinguitur inter Ecclesiam prout est communitas una multorum et prout est institutio, seu aliis verbis prout est fructus salutis et prout est medium salutis. Similis distinctio quoad rem occurrit pag. 11, linn. 11-13 (Ecclesia ut corpus ex una parte et Ecclesia tamquam socialis organismus et vivum instrumentum salutis ex altera parte). Similiter pag. 11, linn. 19 ss.

(Ecclesia ut mater et magistra et Ecclesia ut societas). Hic duplex aspectus Ecclesiae qui uterque indissolubiliter habetur, maximi momenti est pro natura Ecclesiae adaequate expendenda. Propterea optandum esse videtur, ut haec distinctio et unitas duorum horum aspectuum Ecclesiae paululum fusius et clarius exhibeatur. Addi v. g. potest pag. 11, lin. 7 post « sustentatur »: « Ecclesia igitur indissolubili unitate simul et fructus redemptionis Christi exsistit et medium, quo Christus redemptionem suam exsequitur ».

Pag. 11, lin. 12: ne bis in eadem sententia repetatur « inservit » primo loco pro « inservit » dicatur: « *coniungitur* ».

Pag. 11, lin. 23: ante « sanctificationis » inseratur: « *veritatis et* ».

Pag. 11, lin. 23: loco verborum « res Ecclesiae » potius ponatur: « *dona Ecclesiae* ». Ratio: verbum « res » adhibita sanctificationis elementis est nimis generalis et a non catholicis difficulter intelligitur.

Pag. 11, lin. 25: iuxta *Is.* 11, 12 et Denz. 1794 potius dicendum esset: « *signum levatum in nationes* ».

Pag. 11, lin. 28: post « procurrit » inserantur verba haec: « *Sancta simul ac semper purificanda, iustos et peccatores...* ». Ratio: fratres separati talem declarationem exspectant.

Pag. 11, lin. 30: ut textus magis correspondeat *1 Cor.* 11, 26 illud « crucem et » deleatur.

Pag. 12, lin. 3: si (uti fiebat in sessionibus commissionis disceptantis de hac re) putaretur verbum « simpliciter loquendo », quod quoad rem omnino retinendum est, terminologice esse ambiguum, loco eius posset etiam dici: « *omni ex parte* » aut « *sub omni respectu* ».

Pag. 12, lin. 9: cum ex una parte in ista sententia (pag. 12, linn. 8-11) sermo sit de iis, qui simpliciter loquendo societati Ecclesiae incorporantur, cumque ex alia parte sint alii, qui, licet non triplici illo vinculo, tamen reapse ad Ecclesiam pertinent, ante « pertineat » (pag. 12, lin. 9) inserendum est: « *hoc modo* » aut simile quid. Ex eadem ratione pag. 12, lin. 11 post « omnes » inseratur oportet: « *isti* », quippe cum alii Ecclesiae filii (non-catholici) cogitari possint, de quibus hic non est sermo.

Pag. 12, linn. 15-22: licet forte non tam evidens sit agendum esse hoc loco non tantum de catechumenis proprie dictis, sed etiam de aliis qui implicito tantum voto Ecclesiae et Christi ad Ecclesiam ordinantur, praesertim cum illi non tantum voto, sed explicita fidei professione insigniantur, quae unum ex vinculis realis coniunctionis cum Ecclesia antea dicebatur, tamen saltem ad aliam difficultatem attendendum esse videtur: illi enim qui voto implicito ad Ecclesiam ordinari dicuntur, simili modo ac catechumeni simul exhibentur tamquam tales, qui internam fidem et spem et caritatem supernaturalem habent. Tales sine dubio exsistere possunt. Attamen hi plus quam merum votum Ecclesiae videntur habere, quippe cum tale votum, sicut exemplum catechumeni adhuc « incipientis » demonstrat, exsistere potest etiam in illo, qui virtutibus theologicis infusis caret.

Pag. 12, linn. 27 ss.: fides consideratur tamquam elementum quod, licet non perfecte, realiter tamen credentem cum Ecclesia coniungit. Etiam inde fides plus esse videtur quam merum votum Ecclesiae. Textus autem videtur identificare illud votum et possessionem harum virtutum. Istud votum tamen, quocumque demum modo, ordinat hominem ad Ecclesiam visibilem societatem (praecise ut possit esse supplementum baptismi visibilis), hae virtutes autem qua tales spectant internam

sanctificationem qua talem; et etiam merum votum istud (uti v. g. in schemate ab episcopis Germaniae prolato insinuabatur) fundatur non tantum in aliqua ideologia mere interna, sed in factis obiectivis et externis unitatis uniuscuiusque hominis cum Verbo incarnato in unitate unius generis humani et in facto redemptionis obiectivae, quibus ontologica aliqua unitate omnis homo Christo adiungitur. Optari potest, ut haec denuo considerentur et hoc incisum caute retractetur.

Pag. 12, lin. 33: non bene perspicitur cur hic dicatur « quaedam in Spiritu Sancto coniunctio ». Haec enim coniunctio videtur postea supponi tanquam effecta per gratiam sanctificantem (pag. 12, linn. 34 ss.: « virtute sanctificante ») et antea incunctanter etiam paganis non simpliciter denegatur caritas iustificans (pag. 12, lin. 22). Hinc tamen haec communio, quae conceditur christianis acatholicis, non videtur dicenda *aliqualis* coniunctio cum Ecclesia, sed coniunctio sine addito. Expungatur igitur illud « quaedam », quippe cum acatholicis christianis denegari videatur aliquid, quod eis denegari non debet.

Pag. 13, linn. 3-23: quae hic dicuntur, modo logice magis ordinato exhiberi et possent et deberent. Primo loco enim de ipsis hominibus non-christianis, eorumque statu et spe salutis loquendum esset et deinde demum de Ecclesiae munere et officio erga tales non-christianos. Quapropter primo loco in isto numero sententia ponenda esset, quae pag. 13, linn. 16-21 habetur. Deinde addenda esset sententia pag. 13, linn. 13-16. Et tandem aliquando sententiae pag. 13, linn. 3-13. Ita etiam eluceret sententiam pag. 13, linn. 21-23 esse meram repetitionem sententiarum pag. 13, linn. 3-13 et proinde esse delendam.

Ad cap. II.

Pag. 23, lin. 18: loco « principium ac visibile fundamentum » ponatur « *principale ac visibile fundamentum* »; textus enim intelligi potest ac si assereret Sedem Romanam esse *unicum* principium unitatis Episcopatus.

Pag. 23, lin. 21: ante « suam » inseratur: « *Sacra Synodus* », quia haec est subiectum sententiae, quod tamen nonnisi pag. 23, lin. 11 nominatur.

Pag. 24, lin. 18: ante « Ecclesiae » inseratur: « *apostoli* ».

Pag. 24, lin. 19: dicatur: « *consuluerunt* » (loco « consulere debuerunt »). Melius enim factum quam debitum exprimendum est.

Pag. 24, lin. 31: loco « cum » dicatur ex ratione stylistica: « *suffulti* ».

Pag. 24, lin. 37: (« et accepti mandatis ») videtur irrepsisse mendum typographicum; scribatur: « *acceptis mandatis* » aut « *ex mandato accepto* ».

Pag. 24, lin. 38: incisum « et ordinem successionis eorum », cum difficulter probari possit, potius omittatur aut dicatur: « *et successores eorum* ».

Pag. 24, lin. 40: loco: « autem » melius « *ergo* » dicatur.

Pag. 25, linn. 8-12: iuxta ea, quae circa hanc sententiam in annotatione 10 dicuntur, sententia intendit insinuare etiam potestatem docendi et regendi saltem radicitus dari per ipsam consecrationem episcopalem. Si id intelligitur de radicali aliqua facultate (licet ad eam, ut actu exerceri possit, accedere debeat assignatio legitima certi populi aut autorisatio per Sedem Apostolicam aut simile quid), verum esse videtur et haec doctrina non caret momento et pondere. Id inde etiam commendatur, quia « ministerium verbi » (pag. 30, lin. 40) exhibetur ipsum ut « sanctificans », potestas igitur docendi insinuatur ut momentum in ipsa (ampliore) potestate sanctificandi. Immo desiderari posse videtur, ut quae pag. 34 nota 10 dicuntur, textui ipsi inserantur, « *consecrationem episcopalem cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis tribuere* ». Si vero sententia de

qua agitur, sensu obvio intelligitur, potius contrarium illius sensus, quem reapse intendit, dicere videtur. Nam affirmat in sacramento ordinis conferri potestatem sanctificandi et hanc arcto vinculo *coniungi* illis aliis potestatibus. De harum ergo potestatum habitudine ad sacramentum explicite nihil dicitur, immo ex silentio (in oppositione ad potestatem sanctificandi) potius insinuatur eas conferri via mere iuridica et nullatenus sacramentali.

Accedit quod realis distinctio harum potestatum in Novo Testamento vix apparet, et propterea sensus historicus legentis aliquatenus offenditur, si dicitur Dominum Iesum tres istas potestates (quae igitur ut inter se distinctae supponuntur) arcto vinculo coniunxisse. Si sermo esset de potestate sanctificandi, prout tota et prout simpliciter talis habetur in Ecclesia (quidquid est de eiusdem participatione in singulis subiectis), reapse indissolubiliter coniuncta declarari posset cum potestate docendi et regendi. Insuper sententia, de qua agitur, introducitur tamquam ratio praemissa, cur consecratio episcopalis sit sacramentum (cf. illud « ita » pag. 25, lin. 12). Iamvero non bene apparet, quomodo haec sententia talem rationem de facto exhibeat. Si supponitur collationem potestatis sanctificandi necessario esse sacramentum, consecrationem episcopalem esse tale sacramentum, per se patere videtur, nec opus est adiungere mentionem de arcto vinculo inter tres potestates. Nam iuxta communem sententiam soli episcopo convenit potestas ordinandi presbyteros. Si talis suppositio tacita ut per se evidens non fit, non intelligitur, cur collatio potestatis sanctificandi tunc melius ut sacramentalis appareat, si huic potestati adiungi dicitur arcto vinculo potestas docendi et regendi. Nam potestate regendi et docendi episcopus essentialiter quidem superat simplicem sacerdotem, sed quaeritur praecise, num talis potestas iurisdictionalis necessario conferri debeat ritu sacramentali, praesertim si textus non audeat dicere nisi potestatem iurisdictionalem arcto vinculo cum potestate sanctificandi *coniungi,* et ita praecise insinuet potius earum distinctionem. Forte loco huius sententiae scribi posset: « Cum Ecclesiae unius potestas ex uno eius fine sit ultimatim una, licet vario gradu et diverso modo singuli eiusdem participationem obtineant nec omnes totam sub quolibet respectu possideant, cumque constet potestatem sanctificandi, quam summo gradu obtinent episcopi, saltem in genere conferri in Ecclesia ritu vere sacramentali, praesertim illa potestas multiplex et simul una, qua pollent episcopi, ritu sacramentali administrari dicenda est ».

Pag. 26, linn. 19 ss.: incisum istud (« secundum quandam... protendentem ») non bene intelligitur. Non apparet, num illud « protendentem » immediate trahendum sit ad « impulsionem apostolicam », an ad « missionem » (pag. 26, lin. 18). In prima suppositione tota phrasis vix aut ne vix quidem intelligitur, in secunda suppositione saltem virgula post « apostolicam » (pag. 26, lin. 19) delenda esset. Stylistice phrasis facilius intelligeretur, si loco « secundum quandam impulsionem apostolicam » scriberetur: « *ex quadam impulsione apostolica* ».

Pag. 26, linn. 21-23: « Exigentiam... recipere » est expressio stylistice ardua. Dicatur saltem loco « exigentiam »: « *officium* » aut « *obligationem* ».

Pag. 26, lin. 30: loco « extraordinarii » ponatur: « *subordinati* ». Ratio: maior congruentia cum diaconatus futura disciplina.

Pag. 26, linn. 28-41: vehementer optandum est, ut pericopa ista de diaconis, non obstantibus quibusdam obiectionibus, quae factae sunt, tota retineatur. Pericopa ista non continet ordinationes canonicas, sed fundamentum dogmaticum talis ordinationis canonicae statuit, quae ipsa tota legislationi futurae Ecclesiae committitur,

si in futuro talis restauratio diaconatus tanquam muneris in Ecclesia stabilis Ecclesiae opportuna aut necessaria, et quidem aut in tota Ecclesia aut in certis eiusdem regionibus videbitur. Ne dicatur talia principia dogmatica alicuius legislationis canonicae per se patere et neminem fugere. Haec enim de omnibus fere, quae in isto schemate dicuntur, obiici possunt. Maxima autem ratio pastoralis et missionaria urget, ut Ecclesia hodierna explicite saltem *possibilitatem* talis muneris stabilis praevideat atque proclamet. Nec dicatur diaconatum stabilem nocere apostolatui laicorum summopere necessario. In hac enim quaestione non de eis cogitandum est, qui Ecclesiae in professione profana et saeculari, ut apostoli laici, auxilio sunt, sed de illis, qui de facto totam vitam et activitatem suam professionaliter in ipso servitio hierarchiae impendunt tamquam ministri illius muneris, quod hierarchiae specifice proprium est. Si talis professio ecclesiastica, quippe quae in multis casibus reapse exsistit, non nocere dicenda est apostolatui laicorum, id neque asseri potest de sacramentali consecratione talis professionis per sacramentum diaconatus.

De cetero mirum est diaconatum, qui divina ordinatione institutus est (pag. 25, linn. 38 ss.), hodie practice abolitum esse in Ecclesia. Insuper, si matrimonio eorum, qui tali professione ecclesiastica multis in casibus iam existente in Ecclesia funguntur, caelibatui sacerdotali non nocet, tale periculum neque timendum esset, si Ecclesia censeret stabile munus diaconatus sine obligatione caelibatus denuo instaurandum esse.

Pag. 27, lin. 2: loco « alii » ponatur: « *ceteri* ». Ratio: latinitatis et claritatis causa.

Pag. 27, lin. 6: loco « ubi » stylistice forte melius scriberetur: « *qui* » (usus).

Pag. 27, linn. 15 ss.: « una cum Capite... Capite »: hoc additamentum tamquam anxia et superflua repetitio deleri potest, quippe cum prorsus idem paucis lineis antea (pag. 27, linn. 10 ss.) dictum sit.

Pag. 27, lin. 38: ne videatur dici actionem episcoporum acquirere rationem actionis collegialis unice ex approbatione vel receptione Summi Pontificis, quod exaggeratum esse videtur, licet verum maneat actum collegialem collegii episcopalis sine ulla activitate Romani Pontificis haberi non posse, loco « ita ut » (pag. 27, lin. 38) scribatur: « *et ita* ».

Pag. 28, lin. 12: post « populi » addatur: « *Dei* ».

Pag. 29, linn. 31 ss.: illud « una cum Romano Pontifice ut testes fidei » expungi potest et debet; reddit enim phrasim nimis onustam et non dicit nisi ea, quae per illud « collegialem nexum servantes et authentice docentes » iam sufficienter dicta sunt.

Pag. 30, linn. 3-7: « Iamvero... liceat »; haec sententia tuto supprimi potest. Repetit enim nonnisi doctrinam Vaticani I et quoad rem etiam per illud: « ipse quoque per se » (pag. 29, lin. 40) satis declaratur.

Pag. 30, linn. 7-22: vehementer optamus, ut haec declaratio, qua ratione infallibilitas in docendo conveniat Summo Pontifici, retineatur. Ut Protestantes enim declarationem Vaticani I facilius et rectius intelligere possint, haec declaratio nobis prorsus necessaria videtur.

Pag. 30, lin. 20: deleatur: « et exegetarum », quia secus insinuari videtur exegetas non esse theologos. Exegetae iam sub voce « theologorum » sufficienter comprehenduntur.

Pag. 30, linn. 34 ss.: locutio « cultum christianae religionis Divinae Maiestati

celebrare et administrare » stylistice dura esse videtur. Nam « cultum celebrare alicui » (dativus!) et « cultum administrare » vix dici posse videtur. Loco « celebrandi » et « administrandi » simplicius et rectius dicatur: « *exhibendi* ».

Pag. 31, lin. 10: ante « propria » forte addi posset: « *eis* ».

Pag. 31, lin. 11: cum potestas episcopalis ultimatim lege *Christi* regatur, vocabulum « ultimatim » aut deleatur aut in: « *ulterius* » mutetur.

Pag. 31, lin. 13: loco « ipsis » scribatur claritatis causa « *episcopis* ».

Pag. 31, lin. 23: loco « ius et... officium » dicatur: « *officium et ius* »; ius enim est propter officium, non vice versa.

Pag. 31, linn. 35 ss.: illud « et » aut expungatur aut scribatur: « *et ipse* » (episcopus) aut retineatur, sed deinde pag. 31, lin. 36 loco « fidelesque » scribendum est: « *et fideles* » (« et... et »).

Ad cap. III.

Pag. 6, lin. 13: licet certe omnes ad veram et quidem suam cuique propriam sanctitatem vocentur, contra assertum, omnes ad eandem vocari sanctitatem, illud obiici posset, quod dicitur pag. 11, lin. 20, unumquemque nempe speciale habere officium, quod eodem modo ab aliis praestari non potest, et impletionem talis officii etiam specificare sanctitatem uniuscuiusque. Forte simpliciter sine detrimento sententiae illud « eandem » omitti posset. Ita evitaretur etiam quaestio, num revera idem « quantitative » gradus sanctitatis a Deo ipso omni offeratur (quod videtur omnino esse negandum).

Pag. 7, lin. 18: omittatur illud « tantum ». Sacerdotium omnium fidelium regale et sacerdotium ministeriale simpliciter, non gradu differunt, i. e. simpliciter non possunt inter se comparari mensura aliqua univoca. Haec expunctio magni momenti est, quia secus a parte Protestantium querela non tacebit, qua catholica doctrina accusatur, quasi ipsa sacerdotes prae laicis secundum *omnes* respectus in « altiori gradu » collocatos censeret et sanctitatem personalem minus quam dignitatem hierarchicam aestimaret. Optari potest, ut iam in hac generali delineatione sacerdotii universalis fidelium (pag. 7, linn. 3-21) notetur illud, quod in nota 6 (pag. 12) dicitur: « *Sacerdotium universale ad oblationem sacrificii concurrit* ». Secus periculum est, ne hac descriptione sacerdotium istud universale appareat tamquam res mere ethica et interna.

Pag. 7, lin. 30: hoc loco non plene doctrina Encyclicae *Mediator Dei* exprimitur, quia mox post locum schemate citatum, nempe *A.A.S.* 39 (1947) pagg. 555 ss., expresse dicitur: « non tantum per sacerdotis manus, sed etiam *una cum ipso* (christifideles) quodammodo sacrificium offerunt, qua quidem participatione populi quoque oblatio ad ipsum liturgicum refertur cultum ». Haec plena doctrina optime in schemate de S. Liturgia exhibetur, in quo dicitur: « 48. Itaque curat Ecclesia ne christifideles huic fidei mysterio tamquam extranei vel muti spectatores intersint, sed ut illud per ritus et preces bene intelligentes, sacram actionem conscie, pie et actuose participent, verbo Dei instruantur, mensa Corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerendo, seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur in unitatem cum Deo ac inter se, Christo mediante, ut sit tandem Deus omnia in omnibus » (textus emendatus). Omnino evitandum videtur, ut schema *de Ecclesia* speciatim de laicis tractans negligat, quod iam per magisterium ordinarium SS. Pontificum feliciter inculcatum est et in schemate *de S. Liturgia* declaratur.

Pag. 8, lin. 3: quaeri potest, cur descriptio populi christiani iuxta sacramenta, quibus insignitur et ad perfectionem adducitur, non respiciat nisi quattuor sacramenta. Alia etiam sacramenta hic mererentur locum. Dicatur v. g.: « Fideles, cum sacrum paenitentiae sacramentum recipiunt, repraesentant Ecclesiam, semper ad Domini misericordiam confugientem; cum ex eis aliqui sacro ordine insigniuntur, Ecclesia recipit eos, qui Christi nomine pascant populos verbo et gratia Dei; cum ex eis sacra infirmorum unctione muniuntur, Ecclesia sese et adhuc peregrinantem ad Dominum ac cum Christo patientem et iam caelesti gloria in Domino exultantem profitetur ».

Pag. 8, lin. 31: mirari quis potest, cur de donis Spiritus extraordinariis primo et ultimatim nihil dicatur, nisi ea temere expectanda non esse et a rectoribus Ecclesiae esse examinanda. Haec omnia sunt vera, sed non sunt primaria et fundamentalia, quae de his donis dicenda sunt.

Pag. 9, lin. 11: evitetur hic et pag. 9, lin. 23 vox « valor ». Nam sensu hic adhibito non est latina (sed moderna: valeur, Werte) nec in lingua Ecclesiae solemni usitata. Nimis sapit ideologismum quendam. « Valores » christianismi non sunt conceptus mentis, sed realitates a Deo effecti, « eventus salutares ». Simpliciter dicatur « *bona* ».

Pag. 10, lin. 21: obscurum manet, quid significet illud « omnem ». Vultne dicere *simpliciter* extra religionem christianam an extra *omnes religiones,* quaecumque illae sint?

Pag. 10, lin. 24: deleatur « laicis non exceptis », nam iuxta ea, quae hic dicuntur (« fideles omnes »), id per se evidens est; superfluum, immo fere ridiculum esse videtur.

Pag. 10, lin. 39: eadem ex ratione deleatur « ideoque et laici ».

Pag. 10, lin. 40: deleatur « in illis praesertim ». Nam hic simpliciter non est agendum nisi de praepositis Ecclesiae, non de saecularibus, quia hoc est thema n. 26 unicum.

Pag. 11, linn. 2-4: *Eph.* 6, 5-6 hic citare non expedit, cum textus iste Scripturae agat de servis et dominis carnalibus nec « a fortiori » applicandus sit ad rem valde diversam.

Ad cap. IV.

Pag. 18, linn. 9-12: thesis, quae dicit sodales institutorum consiliis evangelicis addictorum a Deo electos esse, « ut per statum vitae ab Ecclesia sancitum universalis vocationis ad regnum caelorum praeclarum in mundo ferant testimonium et exemplum » (pag. 18, linn. 9-12) consequentius in decursu capitis exponenda esset. Aliis verbis: Sensus ascetico-moralis consiliorum evangelicorum ut mediorum prosequendi sanctitatem (caritatem perfectam) clarius subordinetur oportet sensui eorum ecclesiologico. Sunt enim consilia evangelica respectu mysterii Ecclesiae imprimis tam signa rememorativa et demonstrativa Christi eiusque operis redemptionis quam prognostica futurae gloriae.

Pag. 19, lin. 1: antequam in n. 30 de exercitio sanctitatis in variis vitae generibus et officiis agitur, praemittendum esset: primarium et essentiale hominis responsum in vocationem divinam ad sanctitatem consistere in actibus virtutum theologicarum. Sic enim inde a limine reiiceretur obiectio eorum, qui dicunt studium adquirendi sanctitatem in pietate catholica tam operosum non carere pelagianismo.

Pag. 19, linn. 2 ss.: mirari quis iure potest, quod hic Concilium sacerdotes

secundi ordinis tantum ad sanctitatem prosequendam exhortatur, et quidem « ad imaginem ordinis episcoporum » (pag. 19, lin. 4). Concilium ut collegium episcopale etiam episcopos qua singulos exhortari potest, quippe cum singuli Concilio subditi sint. Nec dicatur id iam sufficienter fieri in cap. II (aut III huius schematis). Idem enim etiam quoad sacerdotes simplices dici posset (schema *de Ecclesia,* Pars I, v. g. pag. 26, linn. 15-27). Omnes norunt etiam episcopos tali exhortatione indigere nec superbos habendos esse, qui tali monito exacerbarentur. Id ideo inculcatur, quia (pag. 19, linn. 4-5) res ita proponi videtur, acsi sanctitas episcoporum per se pateret et adesse supponenda esset, nihilque restaret et desiderari deberet, nisi ut simplices sacerdotes sese conformarent ad « imaginem ordinis episcoporum ». Timendum est, ne dicatur a sacerdotibus et a laicis, praesertim acatholicis, id sapere patriarchalismum quendam. Parum tale quid correspondet experientiae fidelium, qui libenter admittunt episcopos infirmitate circumdari, sed non agnoscunt tales, qui reapse putant se iam esse in « statu perfectionis acquisitae ». Omnes norunt hanc traditionalem expressionem, quae tamen plus minusve caret sensu. Nam omnes concedere debent episcopos de facto non esse perfectos, sed eos *debere* esse perfectos et *tendere* debere vi muneris ad sanctitatem. Sed si hoc debitum exprimitur termino « status perfectionis acquisitae », simpliciter dicendum est tale debitum etiam incumbere et sacerdotibus simplicibus et religiosis et omnibus fidelibus. Si diceretur, talem expressionem notare *speciale* debitum episcoporum, dicendum est omnes officium suum proprium et speciale debitum habere nec ita iustificari distinctionem illam, quae hodie a nemine intelligitur. Haec nec hoc in loco supponenda est.

Pag. 19, linn. 4-5: illa sententia « qui ... constituuntur » non bene intelligitur. Forte melius scribitur: « quoad condicionem vocationis »; vel: « qui ad perfectum caritatis pastoralis exercitium vocantur ».

Pag. 19, linn. 12-15: non videtur, cur haec missio apostolica selectorum laicorum ideo praecise commendetur, quod ita missionis proprie episcopalis fiunt participes. Haec praecise ratio prae aliis maioris momenti esse non videtur nec valde movere fideles.

Pag. 20, linn. 2 ss.: si consilia evangelica iure ad paupertatem, virginitatem et obedientiam Christi tanquam ad suum fontem et radicem reducuntur, etiam sensus eorum primarius et essentialis eruendus esset ex momento, quod habent in ipsius Christi vita.

Pag. 20, lin. 11: loco « castitas Deo dicata » melius dicitur « *castitas Christo dicata* », quia virginitas christiana originem suam habet in Christo Verbo incarnato necnon imprimis ad unionem cum Christo et ad connubium mysticum Christi cum Ecclesia spectat.

Pag. 20, linn. 14-16: obedientia ut consilium ordinis neotestamentarii vix sufficienter exponitur et re vera haud ita facile exponi potest, quia obedientia tamquam consilium in Novo Testamento directe non invenitur; ostendi ergo debet, quomodo obedientia Christi erga Patrem obedientiam illam transgrediatur, quae ab omnibus christifidelibus postulatur.

Pag. 20, linn. 24 ss.: habetur hic obscura locutio.

82

CONFERENTIA EPISCOPORUM INDONESIAE

Capita I et II schematis *de Ecclesia* a nobis cum gaudio accepta sunt. Videmus hic fructus optimos primae sessionis Concilii et laboris ad praeparandam secundam sessionem. Speramus fore ut hoc schema fiat thema centrale totius Concilii et etiam ut alia schemata magis accommodentur magnis ideis in hoc schemate contentis. Hoc valet e. g. pro schematibus *de B. Virgine, de missionibus, de episcopis et dioecesibus, de clericis* etc.

Observationes nostrae tantum quaedam puncta attingunt, in quibus schema magis consequens et clarum fieri oportet.

1. Pag. 8, linn. 8 ss. Dicitur Christum novum foedus instituisse. Potius dicatur Deum Patrem per Christum et in Christo novum foedus instituisse.

2. Pag. 12, linn. 3 ss. Circa quaestionem difficillimam incorporationis in Ecclesiam modus loquendi schematis *de Oecumenismo* praeferendus est. Loco « reapse » dicatur « plene incorporantur » vel aliquid huic aequipollens. In quaestione autem connexa de salute non-catholicorum, quae nunc perobscure enuntiatur verbis « suo modo idem valet etc. » (pag. 12, lin. 18), ratio habeatur earum rerum quae alibi dicuntur de vestigiis Christi apud communitates non-catholicas (*de oecumenismo* nn. 2-3), et quae infra affirmantur de praeparatione evangelica apud nonchristianos (n. 10, pag. 13, linn. 13 ss.).

3. Pag. 24, linn. 15 ss. De episcopis ut successoribus apostolorum Concilium caute se abstineat a concreta determinatione historica de modo huius successionis. Quaestio enim est implicatissima et scientifice nondum in omnibus certa et clara.

4. Pag. 26, linn. 28 ss. Quae dicuntur de diaconatu non sufficiunt. Oportet Concilium loqui modo magis claro. Quid e. g. significat « Ecclesia » de qua lin. 37? Et qui sunt « praepositi Ecclesiae » de quibus lin. 39? Et quid sibi vult in commentario pag. 43, sectio II, lin. 15 in fine « Docet autem Sacra Synodus quod ad supremum Ecclesiae regimen pertinet statuere... »?

Concilium enim ipsum supremum regimen est et ergo clare de hac re se pronuntiet. Nostra sententia est:

A) Ut Concilium decernat, munus sacramentale diaconatus instaurandum esse in Ecclesia ritus latini.

B) Ut institutio concreta huius muneris pertineat ad competentiam conferentiarum (vel coetuum) episcoporum, approbante (vel confirmante) Apostolica Sede.

C) Ut Concilium clare se pronuntiet de quaestione compatibilitatis diaconatus cum vita coniugali. De hac quaestione inter nos non adest una sententia.

D) Quando Concilium decerneret, diaconatum compatibilem esse cum statu coniugali, concreta determinatio etiam in hoc puncto derelinquatur conferentiis episcoporum.

E) Sequi in his oportet lineam, quam iam approbavimus in primo capite constitutionis de S. Liturgia, e. g. quod conferentiae episcoporum regionum sibi invicem confinium de his rebus colloqui debent, ne fiat nimis disgruentia in Ecclesia.

5. Pag. 27, linn. 36 ss. Verba « dummodo » etc. exstinguantur. Sufficit dicere « Eadem potestas collegialis una cum Papa (et sub Papa) exercetur ab

episcopis in orbe terrarum degentibus ». Conditio apposita iam sufficienter adest in communione cum et sub Papa, qui est caput collegii.

Votum nostrum est, ut constituatur aliqua forma clara et stabilis huius potestatis collegialis extra formam extraordinariam Concilii Oecumenici, e. g.: conferentia permanens et suprema, quae componitur ex membris designandis a conferentiis episcoporum.

6. Pag. 30, linn. 23 ss. Assensus debitus magisterio fallibili magis accurate determinetur, ita ut differentia inter assensum correspondentem magisterio fallibili et infallibili clarius pateat. Pag. 29, lin. 36 dicitur: « Quorum (i. e. episcoporum una cum Papa in Concilio docentium) definitiones ab omnibus sincero animo accipi debent ». Pag. 30, lin. 26 fere iisdem verbis describitur assensus debitus magisterio ordinario Papae.

7. Pag. 30, lin. 37 ss. dicitur de episcopis: « Ipsi sunt ministri sacrae Ordinationis et ministri ordinarii confirmationis ».

Quinam est valor assertionis, quod episcopi sunt ministri ordinarii confirmationis? Estne affirmatio stricte dogmatica, ut res fidei valens pro Ecclesia universali? In Ecclesia ritus orientalis sacerdotes de facto sunt ministri ordinarii confirmationis.

Textus Concilii tridentini, qui hic afferri posset, non certo stricte dogmaticus est.

Haec affirmatio de confirmatione vel deleatur e textu vel melius determinetur. Idem valet pro schemate de Ecclesiis orientalibus, pag. 8, lin. 30.

In schemate de cura animarum, pag. 9, lin. 4 recte dicitur: « Episcopus *ordinarius* ac praecipuus sacramentorum est confector ac distributor ». Ergo terminus « ordinarius » non est univocus.

83

CONFERENTIA EPISCOPORUM NEERLANDIAE

Ad schema II *de Ecclesia* (pars I) conferentia episcoporum Neerlandiae sequentia notare velit.

De perpolitione huius quoque schematis conferentia maxime gaudet. Quaedam tamen adhuc animadvertere ei fas sit.

A) *Quoad incorporationem et coniunctionem Ecclesiae* (cap. I).

Pagg. 11-13, nn. 8-9, in quo agitur de problemate difficili incorporationis hominum in Ecclesia, sequentia proponere velimus.

Post par. 8, linn. 3-14, ergo post lin. 14 incipiat n. 9 (linn. 23-39 et pag. 13, linn. 1-2); post hunc numerum habeatur pericopa ex n. 8, linn. 15-22, quae quidem pericopa tunc incipienda esset his verbis: « Voto *tantum* cum Ecclesia coniunguntur... » (loco voto autem); et in hac pericopa (pag. 12) lin. 20 deleantur verba: « voluntatem Christi vel ». Ratio: per hanc mutationem post catholicos primo veniunt christiani non-catholici, et deinde ceteri omnes; insuper verbo « voto *tantum* » dicto de non-christianis subauditur quod christiani non catholici titulo ampliore ad Ecclesiam pertinent, quin descendatur ad solutionem quaestionis, quomodo nunc praecise ad eam pertineant. Est solutio elegans, et tamen authentica, qua significatio Ecclesiae Catholicae salva manet nec communiones christianae noncatholicae offenduntur. Adhuc efficacior esset ista solutio, si loco « reapse et simpliciter » lin. 3 (pag. 12) dicatur tantummodo: « Simpliciter loquendo... », cum

verbulo « reapse » iam innuitur quod baptizati non-catholici nullo titulo « reapse » ad Ecclesiam pertineant.

B) *Quoad collegialitatem episcoporum* (cap. II).

1. Collegialitas episcoporum a schemate iure merito admittitur, sed huius affirmatio serius intervenit et loco subordinato. Quam ob rem melius esset, ut haec affirmatio fiat iam ab initio, ita ut ceterae affirmationes de ministerio episcopali in prospectu authentico videri possint. Postquam merito de collegio apostolorum schema in nn. 12-13 locutum est, transit in n. 14 ad considerationem episcopatus ut sacramenti. Melius esset ut iam in hoc numero, et quidem ab initio, loquatur de charactere collegiali episcoporum, et quidem v. g. hoc modo: pag. 25, linn. 12 ss. dicatur: « Ita episcopalis consecratio incorporat fidelem collegio episcoporum, ita ut qua membrum collegii unusquisque episcopus fiat particeps missionis huius collegii ». Et deinde fiat transitus ad nn. 16-21; postea tantum loquatur de presbyteris et diaconis (n. 15). A. v.: si loquatur de episcopatu et sacramento maxime iuvat ut impositio manuum consecrationis episcopalis coniungatur explicite cum incorporatione in *collegio* episcoporum, ex qua incorporatione sequuntur ministeria et potestates sanctificandi, regendi docendique uniuscuiusque episcopi in tali collegio.

2. Omnes catholici admittunt Summum Pontificem esse caput huius collegii. Quam ob rem non videmus, cur iterum iterumque, quando loquitur de hoc collegio, dicatur, quasi admonendo: ne obliviscamini quod Summus Pontifex est caput collegii. Tales cautiones videntur superfluae in nostro tempore, et insuper, per respectum ad orientales praesertim, possunt dare impressionem quod non multa fiducia habetur in hoc collegio episcoporum. Quae mala impressio est vitanda.

84

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ

Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

Cap. I: *De mysterio Ecclesiae sive de eius natura et fine.*

1. [*Ad Patrem*]. Ecclesiam Dei peregrinantem in terra ad Patrem, in Filio, per Spiritum Sanctum mysterium absconditum a saeculis, nunc autem manifestatum vult Sanctum Concilium secundum voluntatem Dei notum facere omnibus gentibus, eius conscios facere christianos atque proponere fratribus separatis ut eam tamquam suam recognoscant.

Creavit eam Deus libera ac benigna dispositione Sapientiae suae ex aperto latere Iesu novam et veram Evam et adduxit eam ad Filium suum tamquam sponsam immaculatam ut illi coniungeretur matrimonio unico et indissolubili atque ita fieret mater viventium.

Ipsa est regnum Dei huius mundi in quo praeparatur adventus regni aeterni et revelatur gloria eius. Ex semine minimo crescit et fit arbor ita ut homines plurimi habitent in eo, et generi humani inest tamquam fermentum donec fermentatum sit totum.

Sicut sagena missa in mare congregat bonos et malos usque ad consummationem saeculi; affligitur peccato seminato ab Inimico, atque gemit exspectans aetatem plenitudinis Christi.

Ecclesia est civitas Dei in terra, ex reliquis veteris Ierusalem orta atque accedens ad Ierusalem caelestem, templum spirituale ac domus Dei quae aedificatur super fundamentum apostolorum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, et in qua populus novus cum Deo reconciliatus tamquam sacerdotium sanctum ferens totam creationem offert Deo gloriam et honorem, clamans: Pater!

2. [*In Filio*]. Ecclesia est mysticum corpus Christi. In hoc titulo continetur revelatio dispensationis mysterii Dei, scilicet supereminentis scientiae caritatis Christi. Nam mysticum corpus Christi praeprimis est mysterium dilectionis atque unitatis.

Ecclesia dicitur corpus Christi quia ut nova Eva unum corpus est cum Christo novo Adam; sunt duo in corpore uno; ipsa dicitur corpus eius sicut uxor corpus est viri siquidem viri debent diligere uxores suas ut corpora sua, et qui suam uxorem diligit seipsum diligit. Ecclesia nihil est in seipsa, tota est in Christo; de carne et ossibus eius desumpta omnia accipit de plenitudine; immo ipsa est plenitudo Christi quia in ea revelantur investigabiles divitiae Christi. Vitam habet in Christo, in eo manet et fert fructum sicut palmites in vite.

Procedit Ecclesia continuo ex amore Christi quia Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea ut eam sanctificaret mundans lavacro aquae baptismatis in verbo vitae Evangelii et exhiberet eam gloriosam, sanctam et immaculatam atque in perpetuum nutrit et fovet eam verbo Dei et pane vitae.

Hac dilectione efficitur Christus vir perfectus atque constituitur ut novus homo. Novum hominem hunc quem ignorantes quaerunt multitudines hodiernae, renovatum secundum Imaginem Dei veram et principium novi generis humani, induit Ecclesia quae pariens filios Dei valet exclamare: Possedi hominem per Deum.

Sed meminit Ecclesia monitionis Apostoli: Nolite mentiri ad invicem expoliantes veterem hominem cum actibus suis et induentes novum, scilicet viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem et donantes vobismetipsis.

Recapitulatio generis humani in Christo novo homines prae se fert etiam restaurationem dominationis hominis in mundum secundum ordinem creationis. Deo complacuit per Christum et Ecclesiam reconciliare omnia in ipsum; ipsis tribuit virtutem pacificationis quae ad universam creaturam diffunditur.

Corpore mystico Christi significantur etiam unitas atque communio in diversitate Ecclesiae. Sicut enim corpus unum est et multa membra habet, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Immo singuli alter alterius sunt membra atque charismata quae habent differentia secundum gratiam quae data est eis cooperantur in aedificationem unius corporis Christi, in cuius unitate ipsae nationes reconciliantur interfectis inimicitiis in cruce.

Ecclesia dicitur etiam corpus Christi quia formatur baptismo quo assimilatur morti et resurrectioni corporis Christi atque perficitur communione corpori eucharistico. In Eucharistia enim non solum significatur sed efficitur unitas membrorum cum capite Christo et inter se, ita ut revera Ecclesia dici possit actu exsistere in hoc sacramento.

Christus caput est Ecclesiae sicut vir caput est mulieris. Salvator Ecclesiae dat ei vitam et ipsa pendet totaliter ab eo quia ab eo omnia accipit atque subiecta est ei. Christus auctoritatem habet in eam sed tota auctoritas eius est ex caritate

ut inspiret, ordinet et coniungat operationem membrorum in augmentum corporis, id est in aedificationem sui in caritate.

Auctoritas Christi capitis visibiliter exercetur in Ecclesia ab apostolis eorumque successoribus tamquam ministerium in aedificationem eiusdem corporis Christi. Nam sicut Christus est petra angularis, ipsi sunt fundamenta super petram principalem S. Petri eiusque successorum.

3. [*Per Spiritum Sanctum*]. Anima Ecclesiae est Spiritus Sanctus. Misit enim Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, ut in eo accessum haberemus ad Patrem.

Ipse est Spiritus vitae novae creationis, aqua viva saliens in vitam aeternam, quae mortuos peccato resuscitat cum Christo.

Ipse est de quo dixerunt Prophetae: « Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra et dabo vobis cor carneum. Et Spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiatis et operemini », atque « hoc erit pactum quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum et ipsi erunt mihi in populum ».

Spiritus Sanctus per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam atque eam perpetuo renovat. Nam lex spiritus vitae in Christo Iesu liberavit eam a lege peccati et mortis. Sed caro concupiscit adversus Spiritum: spiritus autem adversus carnem. Qui autem sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Qui autem Spiritu vivunt, Spiritu et ambulant et faciunt fructus Spiritus qui sunt: caritas, gaudium, pax, modestia, continentia, castitas.

Sed Spiritus replevit orbem terrarum et mittit Ecclesiam prophetare gentibus et populis et linguis et regibus, sicut significavit in die Pentecostes baptismo spiritus quem acceperunt apostoli. Spiritus Sanctus virtutem dat Ecclesiae ut praedicet Iesum Christum et hunc crucifixum, et cum fiducia testimonium reddat coram hominibus. Idem Spiritus impellit apostolos ut longius procedant usque ad ultimum terrae. Fides autem quae oritur ex auditu, non est in sapientia hominum sed in virtute Dei, non in sermone tantum sed et in Spiritu Sancto qui excipere facit verbum. Sic ex virtute Spiritus omnes verbo et baptismo recipiunt eumdem Spiritum.

Sicut anima Spiritus Sanctus unitatem facit corporis Christi. Ex eodem enim Spiritu procedunt diversitas et unitas charismatum et ministeriorum. Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Haec omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult sed ordinans omnia in aedificationem unius corporis. Monet autem apostolus: solliciti sitis servare unitatem Spiritus in vinculo pacis cum omni humilitate et mansuetudine cum patientia supportantes invicem in caritate.

Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia et omnis gratia, illic etiam pignus hereditatis nostrae futurae.

Spe enim salvi sumus et per patientiam exspectamus. Omnis creatura ingemiscit et parit usque adhuc. Non solum autem illa sed et nos ipsi qui primitias Spiritus habemus, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei exspectantes. Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nam Spiritus et sponsa dicunt: Veni, Domine Iesu!

85

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

[Cf. *textum pp. 324-329*].

86

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL
Episcopus tit. Mirinensis, aux. Lugdunensis

Libenter et sine ulla restrictione assensum meum dedi omnibus et singulis quae ab em.mo ac rev.mo card. Gerlier, lugdunensi arch., nomine omnium episcoporum regionis apostolicae cui nomen est *Centre-Est* in Gallia, missa sunt circa schemata de Ecclesia et de B. Maria Virgine. Aliqua tantum, nomine meo, addere velim.

I - *De Christi sacerdotio.* In nostro schemate pluries agitur de sacerdotio hierarchico necnon de sacerdotio communi fidelium; nunquam autem directe agitur de Christi ipsius sacerdotio. Mihi autem videretur summae utilitatis ut aliqua dicerentur de Christo sacerdote, quippe quod alii non possunt nominari sacerdotes nisi per participationem unici et aeterni eius sacerdotii.

Quae autem de Christo sacerdote dicenda erunt vel sub fine capitis primi quod de natura Ecclesiae tractat, vel melius separatim, in brevissimo capitulo, ponenda sunt, ita ut quaedam simul dicerentur de sacerdotio communi atque de sacerdotio hierarchico.

1. *Christus sacerdos.* Inter alia deberet ostendi:

a) Quomodo sacerdotium Christi connectatur cum illa unione hypostatica qua Verbum caro factum est et quomodo identificetur tum cum eius munere Mediatoris, tum cum eius missione Salvatoris mundi.

b) Quomodo exerceatur per mirabilem oblationem sui, qua se totum, mundum ingrediens, Patri obtulit; crucem subiens, perfecte adimplevit; atque caelum penetrans, in gloria consummavit.

c) Quomodo « consummatus factus sit omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo pontifex iuxta ordinem Melchisedech » (*Heb.*, 5, 9-10). Itaque, omnes electos, per fidem et baptismum, sanguine suo mundavit atque corpori suo inseruit, aedificando Ecclesiam quam Deo et Patri traditurus esset in consummatione saeculorum.

d) Quomodo tandem unicum illud atque aeternum sacerdotium participari posset tum ab omnibus fidelibus, tum ab iis quos ministros atque cooperatores suos titulo speciali eligeret.

2. *Sacerdotium commune fidelium.* Communi modo omnes fideles, eo quod baptizati sunt, « regale sacerdotium » facti sunt (*1 Pet.*, 2, 10; cf. *Apoc.*, 1, 6; 5, 9-10; 20, 6).

Hoc autem sacerdotium diversimode exercetur.

a) Per oblationem qua Deo sese offerunt fideles, vitam sanctam et immaculatam degentes, secundum apostoli praeceptum: « Obsecro itaque vos fratres,

per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » (*Rom.*, 12, 1).

b) Per participationem mensae Domini (*1 Cor.*, 10, 20). Communicantes enim Corpori et Sanguini Christi, mortem Domini annuntiant donec veniat (*1 Cor.*, 11, 26).

c) Per oblationem passionum suarum (*1 Pet.*, 4, 13) ut adimpleant ea quae desunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius quod est Ecclesia (*Col.*, 1, 24).

d) Per cooperationem quam Christo Salvatori afferunt; etenim omnes Christi fideles lux mundi et sal terrae debent fieri ut homines, opera eorum videntes, Patrem glorificent (*Math.*, 5, 13-16); debent etiam semper parari ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quae in eis est spe (*1 Pet.*, 3, 15); aliquando etiam directe annuntiabunt Christum, sicut dictum est de Cypriis et Cyrenaeis qui Antiochiam ingressi erant (*Act.*, 11, 20); quidem tandem intimius apostolis et successoribus eius uniuntur, tanquam in Domino cum ipsis habitualiter laborantes (*Rom.*, 16, 1-9, etc.).

3. *Sacerdotium hierarchicum.* Nullo modo opponi debet sacerdotium commune fidelium hierarchico sacerdotio quale invenitur in apostolis eorumque successoribus necnon in eis qui, tanquam presbyteri aut diaconi, cooperatores sunt eorum. Qui enim sacerdotio hierarchico funguntur, iam sacerdotio communi, ratione baptismi, fruuntur.

Neque distinctio inter utrumque mere accidentalis est sed essentialis. Utrumque revera participatio sacerdotii Christi est sed alio et alio modo. Etenim in sacerdotio hierarchico potestates sunt quae non inveniuntur in sacerdotio fidelium; insuper modus quo exercetur munus commune, e. g. praedicatio verbi divini, et ipse diversus est.

Qui sacerdotio hierarchico funguntur non ideo nomine proprio illud exercent sed unice tanquam ministri Christi, unici sacerdotis. Nullus enim, praeter ipsum, sacerdos plene dici potest etiamsi, *modo ministeriali,* plenitudine sacerdotii fungatur. Ideo neque apostoli, neque episcopi, neque presbyteri sacerdotes (ἱερεῖς) in Scriptura dicuntur. Unicus ergo est sacerdos Novae Legis, sicut unus Mediator atque unus Salvator. Qui autem dicuntur sacerdotes, per participationem tantum, sacerdotio funguntur; ministri Christi sunt et adiutores eius in opere salutis ad gloriam Dei.

Finis autem huius sacerdotii hierarchici plene in missione apostolica continetur: imprimis ordinatur ad praedicationem verbi Dei, sicut dictum est: « *Euntes, docete omnes gentes* »; deinde ordinatur ad sanctificationem per sacramenta ut omnes fideles glorificent Deum; dicitur enim: « *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* »; ordinatur tandem ad gubernationem populi christiani, ut viam Domini perfecte sequatur; dicit enim Dominus: « Docentes eos servare omnia quaecumque dixero vobis » (*Mt.*, 28, 19-20). Non ergo ad functiones mere liturgicas reducitur Novi Testamenti sacerdotium, sed munus sacerdotale in sua plenitudine cum munere apostolico identificatur. Totaliter enim apostolatus ad laudem Domini ordinatur, sicut ait apostolus. Minister (λειτουργος) enim Christi Iesu in gentes, sanctificat Paulus evangelium Dei « ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.*, 15, 16; cf. *Rom.* 1, 9).

Insuper, triplici gradu sacerdotium hierarchicum hominibus confertur, ut dicetur infra, scil., episcopatus, presbyteratus atque diaconatus.

Notandum tandem est, eos qui sacerdotio hierarchico funguntur, sanctiori vitae prae laicis, iure divino, teneri.

II - *De laicis.*

1. *Titulus.* Melius inscriberetur hoc caput titulo sequenti: *de populo fideli.* De facto enim, quando de Ecclesia loquuntur homines, quasi spontanee de episcopis, presbyteris et religiosis loquuntur, quod sane nullo modo conforme est eis quae in Scriptura leguntur. Unde de Ecclesia agens Concilium, etiam in modo loquendi deberet instaurare mutationem. Ecclesia etenim est populus Dei cui, tanquam Christi ministri, serviunt episcopi et presbyteri, secundum illud apostoli: « Nos servos vestros per Iesum » (*2 Cor.,* 4, 5). Certo certius promptiorem oboedientiam Christo apud fideles inveniremus, si melius intelligerent nos unice ministros Christi fuisse ad eorum servitium!

Unde plenius in luce ponatur dignitas populi christiani.

2. *Vocatio ad sanctitatem.* Ne forte credant fideles sanctitatem christianam sacerdotibus et religiosis reservatam esse, optimum esset si Concilium, verbis S. Evangelii et apostolorum inhaerens, graviter fideles moneret eos ad sanctitatem vocari. Ad omnes enim dicebat Christus: « Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum... Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est » (*Mt.* 5, 20, 48). Etenim, Pater Domini nostri Iesu Christi » elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » (*Eph.,* 1, 4).

3. *Partes activae in liturgia et apostolatu.* Plures sunt, inter laicos, qui putant se quadam missione speciali indigere ut possint partes activas habere in liturgia vel in apostolatu. Unde necessarium est recolere fundamentum doctrinale huius participationis fidelium.

Certo non habent potestates quae sacerdotio hierarchico unice dantur, sed, iure divino, possunt et etiam debent, partes activas habere in liturgia et in apostolatu. Ius autem obtinent atque officium huius participationis vi baptismi et confirmationis. Sacerdotii hierarchici munus est hanc participationem ordinare atque ducere, non autem illam communicare; sacerdotium enim fidelium non est participatio sacerdotii hierarchici sed ipsius sacerdotii Christi.

Mandatum speciale unice requiritur quando fideles in associationibus ecclesiasticis adunantur.

4. *Consecratio mundi.* Quae dicitur consecratio mundi a laicis christianis adimplenda non ab aliqua praescriptione positiva Ecclesiae pendet sed in ipsa revelatione divina continetur. Dicitur enim ab Apostolo: « Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum » (*Col.,* 3, 17).

III - *De Beata Virgine Maria.*

Semper sane in mente debemus habere sollicitudinem unionis cum fratribus nostris protestantibus et orthodoxis, sed quae de B. Virgine Maria dicere velim non in hac sollicitudine sed in sollicitudine doctrinali fundatur. Non enim de B. Maria Virgine loqui debemus nisi modo conformi eis quae in revelatione divina continentur.

Insuper sedulo distinguere debemus quae in magisterio Ecclesiae tanquam doctrina de Maria Virgine proponuntur, e. g. quae de Immaculata eius Conceptione aut de Corporis eius in caelum gloriosa Assumptione dicuntur, et ea quae in eodem magisterio tanquam exhortationes ad devotionem dicuntur. Concilii enim docu-

menta semper debent esse doctrinalia etiamsi cura pastorali et sollicitudine oecumenica praesentanda sint.

Neque Concilium a Pontifice Romano convocatum est ad dirimendas quaestiones inter theologos agitatas sed ad doctrinam Ecclesiae praesentandam « eo modo quo tempora postulant nostra ».

His dictis mihi videtur schema nostrum non solum in schemate de Ecclesia inserendum esse sed profunde mutandum esse, non ad minuendam sed ad augendam Mariae laudem.

Inter varia quae de hoc dicta sunt unum tantum vellem notare. Certe B. Virgo Maria quam beatam dicent omnes generationes, gratia plena est atque inter omnes mulieres benedicta. Dominus enim, apud quem gratiam invenit, fecit ei magna, qui potens est (*Luc.* 1, 28-30; 42-49). Propterea, si Scripturae sacrae fideles esse volumus, debemus singularem locum invenire qui a Deo ei datus est. Sed hunc praeclarum locum qui ei convenit nullo modo extra genus humanum eam statuit, quasi sit intermedia inter Deum et homines. Plene e contra in nostro genere invenitur; sed in genere humano unicum et plene singularem locum tenet.

Unde melius esset si Concilium haec vocabula omitteret quae aliqua ambiguitate afficiuntur, v. g. mediatrix aut corredemptrix. Certe intercedit pro nobis et quod Paulus, inter homines degens, incessanter fecerat, Maria etiam incessanter facit pro omnibus quibus Filium suum peperit; simili modo, si Paulus voluit adimplere ea quae desunt passionibus Christi pro corpore eius quod est Ecclesia, a fortiori Maria, cuius animam gladius pertransivit (*Luc.* 2, 35), munus suum in passione habuit. Sed haec et omnia similia dicenda sunt ita ut servetur soli Christo munus mediatoris atque salvatoris.

Inter omnes homines speciali modo redempta est; speciali etiam modo sanctitate praedita est; privilegio mirabili in caelum corpore et anima iam assumpta est. Sed haec omnia nullo modo extra genus humanum aut extra redemptos a Christo, B. Mariam Virginem statuunt. Simili modo, tempore annuntiationis, B. Virgo, nomine totius humanitatis angelo respondens, aut tempore passionis, cruci assistens, aut tempore Pentecostes, cum apostolis orans, locum omnino specialem tenet, sed intra limites humanitatis.

Nullo ergo modo simile est munus Mariae muneri Christi, sed inter homines, specialiter benedicta est ratione privilegiorum quibus gaudet, ratione etiam muneris quod ei a Deo commissum est. Sola enim Christum nobis omnibus genuit atque proinde in Christo, nos omnes, tanquam membra eius, aliquo modo etiam genuit. Itaque vere dicenda est Mater Dei et Mater hominum, sed tali modo ut inter homines semper maneat.

87

EXC.MUS P. D. IOANNES CANESTRI

Episcopus tit. Tenediensis, aux. in Urbe

I. In schemate *de sacrorum alumnis formandis* n. 6, pag. 7, lin. 10 legitur: « Alumnis vero in seminariis minoribus vitam... congruat ». Nemo est qui non videat verba esse inutilia; praesenti enim tempore hoc periculum, quod revera extitit pro sacrorum alumnis praeteritarum generationum, omnino desiit.

II. Circa schema *de Ecclesia* n. 15, pag. 26, lin. 36. Diaconatus cum vel

sine caelibatus lege — ut mihi videtur — plus praestabit Ecclesiae sollicitudinis et curae quam auxilii.

III. Circa schema de Oecumenismo nn. 19-24. Curnam veritatem facientes in caritate non clarius et apertius addimus communitates inde a saec. XVI exortas et errasse et errare cum una veritas in una Ecclesia catholica inveniatur?

IV. Circa schema *de Ecclesia.* N. 16, pag. 27. Maior claritas desideratur.

88

Exc.mus P. D. ADRIANUS DJAJASEPOETRA
Archiepiscopus Djakartanus

Acceptis nuper nuntiis scl. quod ab una parte schema *de Ecclesia* de quo disceptatio in congregationibus generalibus initium iam cepit, Patribus Concilii, nulla re mutata, rursus proponetur, ab alia parte autem mandatum est a commissione coordinationis, ut novum schema *de Ecclesia* conscribatur — utrinam fides tribuenda sit, nescio —, liceat mihi meas de *priore* schemate *de Ecclesia* proponere annotationes has:

A. Schema hoc maturius consideratum in partibus et in toto tantopere deficere videtur, ut novum omnino componendum sit. Quod fieri posset aut ita ut perpauca tantum tractet doctrinae capita, aut ita ut secundum votum card. Suenens in illud integrentur quaecumque Concilium decernenda iudicabit. Quaecumque autem forma eligatur, brevitati ita studeatur, ut seria discussio conciliaris fieri possit.

B. Observationes generales.

1. Deest aspectus *eschatologicus,* Ecclesiae, quae est praelibatio et sacramentum consummationis futurae. Hinc schema Ecclesiam considerat mere *staticam,* tamquam iam constitutam, nullo modo tamquam iugiter aedificandam.

2. Descriptio Ecclesiae est *abstracta* et irrealis, cum non respiciat realitatem empiricam Ecclesiae, in qua a sanctitate, catholicitate, amore multipliciter adhuc deficit.

3. Schema potius praebet *hierarchilogiam* quam plenam de Ecclesia doctrinam.

4. Praevalent conceptiones *iuridicae,* dum vix apparet haec iuridica fundari in amore et caritatis esse sacramentum.

5. Toti schemati subest conceptio *individualistica* gratiae et salutis christianae. Ecclesia passim consideratur tantum tamquam medium ad salutem singulorum, nec apparet quod salus allata praecise in eo consistat, quod filii Dei congregantur in unum (cf. *Io.* 11, 52).

6. Deest in modo loquendi caritas, *mansuetudo, humilitas.*

7. Neque placet quod nullibi determinatur, qua certitudine affirmentur omnia et singula in schemate contenta.

Schema itaque non est tale, ut catholicos et extraneos melius reddat erga Ecclesiam Christi affectos. Nec respondet expectationi mundi, qui avide audit Ecclesiam sollemne de se testimonium ferentem.

89

EXC.MUS P. D. PETRUS FIORDELLI

Episcopus Pratensis

Post caput V schematis *de Ecclesia.*

Cap. VI: *De statu matrimoniali christiano.*

Praemissa omnino superioritate status sacerdotalis et status sacrae virginitatis, peculiari tamen honore prosequendus est in Ecclesia etiam status matrimonialis, qui oritur ex sacramento matrimonii.

Etenim si summae nobilitatis et fecunditatis sunt status sacerdotalis et status perfectionis, quos iuremerito tantopere semper extulit Ecclesia, etiam status coniugalis christianus est ex divina institutione status supernaturalis, immo sacramentalis; status sanctus et sanctificans, cuius finis est peculiarissimum incrementum tum quantitativum tum qualitativum ipsius Corporis mystici Christi. Unde et ipse considerandus est status magnae nobilitatis et sanctitatis et ad incrementum mystici Corporis Christi (consociata opera cum statu sacerdotali et statibus perfectionis) maximae fecunditatis.[1]

Quod si praeter membra, in Ecclesia, etiam organa et communitates, prout decet, considerentur, iterum apparet dignitas et momentum in Ecclesia familiae christianae.[2]

Haec est enim organica structura Ecclesiae. Ipsam Ecclesiam Christus voluit tamquam communitatem oecumenicam, immo mysticum corpus, cuius caput invisibile ipse est, Christus; visibile vero Summus Pontifex eius in terris vicarius.

Ecclesia vero universalis dividitur in ecclesias particulares[3] quas usu venit vocare dioeceses, quibus praesunt episcopi, apostolorum successores.

Communitas dioecesana ulterius dividitur, ex constitutione Ecclesiae, in communitates minores, quae vocantur paroeciae, quibus praesunt parochi, ordine sacro ditati et ab episcopo ordinati.

Sed communitas paroecialis ulterius dividitur, ex voluntate non Ecclesiae sed ipsius Christi, in adhuc minores communitates, seu mystici Corporis cellulas, sanctas et fecundas, quae sunt familiae christianae, quibus praesunt vir et uxor, pater et mater christiani.

Huiusmodi cellulam Christus Dominus, elevans matrimonium ad dignitatem sacramenti, directe sanctificavit, electam portionem Ecclesiae fecit, fontem gratiae divinae constituit, eidem sublimem in corpore suo mystico praestitit functionem, magnum assignavit finem, congruentem gratiam largitus est.

Unde, exemplum Sanctorum Patrum secuti,[4] veluti minusculam ecclesiam familiam christianam vocare possumus, in se habentem communicationem ipsius mysterii unionis Christi cum Ecclesia.[5]

---

[1] Cf. PIUS XII, *Mystici Corporis Christi, A.A.S.* 35, pag. 201.

[2] Cf. *Mystici Corporis Christi, l. c.,* pag. 200 et 201.

[3] Cf. Schema *de Ecclesia,* c. IV, n. 15.

[4] Cf. e. g. S. IOANN. CHRYS., *in Gen.,* c. 6, par. 2 (*PG* 54, 607) et S. AUG., *Ep.* 188, 3 (*PL* 40, 450).

[5] Cf. *Ad Eph.* 5, 32.

Sponsi vero christiani ex sanctitate sui coniugii sancti facti sunt et veluti consecrati [6] ad exsequendum mandatum et divinam missionem attingendi sublimem illum finem, quem Christus familiae christianae assignavit in aedificationem mystici sui Corporis. Unde inter communes laicos sponsi christiani singularem et nobilissimum locum tenere dicendi sunt.

Quae affirmationes sunt ex parte Concilii Oecumenici signum reverentiae et laudis erga statum matrimonialem christianum et vehemens incitamentum ut omnes christifideles, qui in toto mundo ad istum statum vocati sunt, mysterium peculiaris suae vocationis in Ecclesia, integre vivant.

90

Exc.mus P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

Le dichiarazioni di Sua Santità, il messaggio dei vescovi conciliari ai popoli del mondo intero, l'ardente desiderio espresso da una moltitudine di vescovi di realizzare in un modo adatto ai tempi moderni l'evangelizzazione dei poveri, mi spinge a scrivere a Sua Eminenza per esprimere il mio pensiero.

Mi suonano sempre alle orecchie le parole di Sua Santità Giovanni XXIII: « La Chiesa è la Chiesa di tutti, ma oggi più che mai è la Chiesa dei poveri ».

A queste parole faceva eco il messaggio dei Padri conciliari il 21 ottobre 1962: « Noi portiamo da tutte le parti della terra i bisogni materiali e spirituali, le sofferenze e le aspirazioni dei popoli che ci sono affidati. Noi siamo attenti ai loro problemi. La nostra sollecitudine vuole estendersi ai più umili, ai più poveri, ai più deboli. Come il Cristo anche noi ci sentiamo commossi alla vista di questa folla che soffre dalla fame, dalla miseria e dalla ignoranza ».

Il card. Lercaro, nella sua allocuzione del 22 dicembre 1962, ha detto: « Noi non soddisfaremo al nostro obbligo e non risponderemo all'ispirazione di Dio ed all'aspettativa degli uomini se non facciamo del Mistero di Dio nei poveri e dell'evangelizzazione dei poveri il centro e l'anima dell'opera dottrinale e legislativa di questo Concilio. È il compito manifesto, concreto, attuale, urgente della nostra epoca. Se... è giusto affermare che lo scopo di questo Concilio è di rendere la Chiesa più conforme alle verità del Vangelo e più capace a rispondere ai problemi della nostra epoca, si può dire che il tema centrale di questo Concilio è la Chiesa in quanto precisamente Essa è la Chiesa dei poveri ».

I vescovi hanno mostrato di avere veramente inteso l'opera evangelica di Cristo Redentore: pensare ai poveri e portare loro la Buona Novella. È il miracolo perenne della Chiesa perché esprime il distacco che il Cristo ha inculcato e che per il primo ne ha dato un classico esempio.

Pare anche a me che per ciò che riguarda l'evangelizzazione dei poveri vi è un bisogno impellente di parlare nel Concilio di metodi efficaci nel mondo moderno, di metodi adatti all'epoca. Bisognerebbe, secondo il mio umile parere, creare una commissione speciale per poter fissare le grandi linee d'orientamento nell'evangelizzazione delle masse che vanno sempre più verso il comunismo.

---

[6] Loco « consecrati » substitui potest « deputati » vel simile verbum.

Nell'evangelizzazione dei poveri, la Chiesa troverà le espressioni ed i modi capaci attualmente di essere intesi da tutti in un secolo in cui vige l'assicurazione sociale, la promozione operaia, la cooperazione internazionale.

Tale commissione realizzerà il voto del Santo Padre di fare di questo Concilio « un nuovo e vigoroso irradiamento del Vangelo nel mondo intero » (allocuzione del 23 dicembre 1962).

Tale commissione penserà alla posizione del sacerdote apostolo in mezzo alle categorie più povere.

Nel dare le grandi linee d'orientamento Essa potrebbe studiare l'opera compiuta dal Padre Chevrier e quella intrapresa da mons. Ancel, vescovo ausiliare di Lione in Francia coi suoi sacerdoti.

Mi rimangono scolpite le parole del Santo Padre nell'Enciclica sul Santo Curato d'Ars: « Nel caso presente quello che ci vuole sopratutto è un esempio luminoso di una vita umile, povera e disinteressata, copia fedele della vita del Maestro Divino... Un prete ch'è veramente ed evangelicamente povero e disinteressato, fa dei miracoli di bene in mezzo al popolo ».

91

Exc.mus P. D. IOSEPH ASAJIRO SATOWAKI

Episcopus Kagoshimaensis

Schema mihi placet. N. 15: « De presbyteris et diaconis » praestaret poni in ultimo loco, i. e. post n. 21: « De episcoporum munere regendi ».

92

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI AFRICAE MERIDIONALIS

In genere.

Schema Conferentiae valde placet, quia 1. accuratissime elaboratum est, 2. potiores partes in consideratione conceptui « populi Dei » potiusquam conceptui « mystici corporis » attribuit, 3. Ecclesiam ut mysterium potiusquam ut institutionem proponit, et 4. quamvis « triumphalismi » speciem plerumque devitat.

In particulari.

1. *In cap. I,* n. 8, animadvertit Conferentia terminos « Scriptura et Traditione » potiusquam e. g. « Revelatione » adhiberi; et quaerit utrum textus, hic emendari debeat.

2. *In initio,* n. 7, sentit Conferentia expressiones veluti « societas visibilis *et* mysticum Christi corpus » non satis in lucem ponere Ecclesiam unam atque unicam realitatem constituere, et optat ut ista pars recognoscatur, ad clarius exprimenda corpus Christi mysticum, Ecclesiae scil. mysterium, suum visibilem aspectum invenire, quin, quoad extensionem, totaliter intra limites huius societatis coarctetur.

3. *In eodem numero,* sentit Conferentia expressionem venerabilem et traditionalem « signum in nationibus levatum » suam veram et profundam significa-

tionem minime sortiri si in contextu alterius expressionis « etiam in paupertate evangelica » ponatur; ac commendat contextus emendationem ita ut modus quo Ecclesia reapse est « signum in nationibus levatum » clarius atque profundius perspiciatur.

4. Quod attinet ad valde perplexam quaestionem de Ecclesiae membris (speciatim quoad nn. 8-9) perspicit Conferentia vocabulum « membra » opportune quidem non adhiberi; arbitratur tamen expressiones veluti « reapse et simpliciter loquendo » rem nimis arcte definiri, et conditiones ut quis Ecclesiae incorporetur plus aequo iuridice statui. Exoptat propterea ut haec sectio reconstituatur, praesertim in lumine felicioris huius rei expositionis in schemate *de Oecumenismo* (e. g. pag. 8, linn. 17-21, et n. 22) propositae.

5. *In cap. II,* n. 16, censet Conferentia doctrinam de episcoporum collegio modo insufficienti et inaequali exponi, maxime quidem quia iterum atque iterum in supremam Summi Pontificis auctoritatem insistit; quasi suspicatur hanc supremam auctoritatem quodammodo infirmatum iri; quia Summus Pontifex extra collegium poni et separatim ab eo considerari videtur, dum reapse intra collegium, ut eius caput, omnino est et considerari debet.

Proinde unanimi consensu exoptat Conferentia ut tota haec sectio recognoscatur, ita ut positio Summi Pontificis qua caput collegii clarissime quidem asseratur, inutilis vero et molesta huius repetitio prorsus vitetur; quod optime sane obtineri potest, si ad textum in schemate *de Oecumenismo* (pag. 7, linn. 22-32) attendatur.

93

EXC.MI PP. DD. QUIDAM EPISCOPI ARGENTINAE

Colegialidad episcopal.

La doctrina del pleno y supremo poder de la Iglesia, que por institución divina fué entregado a Pedro y al Colegio Apostólico « cum et sub Petro » postula que el dogma del Primado del Romano Pontífice sea complementado con la formulación clara de los derechos del Colegio Episcopal.

Por ello, juzgamos necesario:

1) afirmar la responsabilidad solidaria que tienen de modo ordinario todos los obispos de procurar el bien universal de la Iglesia;

2) buscar la forma más adecuada para que el gobierno supremo de la Iglesia refleje su constitución divina, fundada a la vez sobre el Primado Romano y el Colegio Episcopal;

3) expresar que todos los obispos en comunión con la Sede Romana pertenecen al Colegio Episcopal.

4) valorar en el esquema « De Ecclesia » las concepciones bíblico-patrísticas de « Iglesia local » y « Communio Ecclesiarum »;

5) destacar el carácter orgánico de la estructura de la Iglesia y buscar las formas jurídicas que encarnen esta organicidad;

6) reconocer a los Obispos como ordinarias y habituales las facultades que hasta ahora reciben a título de concesión, reduciendo el número de casos reservados a las exigencias imprescindibles del bien de la Iglesia.

Renovación del diaconado.

Los obispos que subscriben solicitan al Concilio:

1. La restauración del diaconado como un grado permanente dentro de la jerarquía de Orden, sin la obligación del celibado, precisando el alcance de su función.

2. Dejar en manos de cada obispo la forma concreta de llevarlo a la práctica, dentro de ciertas normas establecidas por las Conferencias Episcopales Regionales o Nacionales.

Laicado.

Los obispos abajo firmantes pedimos:

1. Que el Concilio, sin entrar en problemas de libre discusión teológica, establezca, sobre base bíblica y patrística, las líneas generales de una verdadera teología del laico, dentro del misterio de la Iglesia, como miembro del pueblo de Dios sacerdotal, real y profético, responsable de toda la misión de la Iglesia.

2. Que los laicos sean directamente representados en la próxima sesión del Concilio, mediante la invitación de algunos de ellos como observadores y peritos, y sean realmente consultados en asuntos determinados.

3. Que el Concilio reconozca el derecho de cada obispo a conferir algunas funciones « diaconales » a los laicos en forma ocasional.

Pobreza.

Teniendo en cuenta el valor de testimonio evangélico contenido en la pobreza, la Iglesia debe demostrar su espíritu de caridad y desprendimiento en el uso de los bienes materiales, acorde con la situación del mundo actual. Por eso, pedimos que el Concilio decrete:

1. Una mayor dedicación apostólica a la evangelización de los pobres y a su asistencia caritativa cultural y material.

2. La eliminación de las categorías económicas en los actos de culto, donde aún no pueda llegarse a suplantar totalmente el sistema de aranceles por el de una contribución personal o familiar periódica, para la cual debe ser educado el pueblo.

3. La modificación del concepto actual de *beneficio,* de carácter personal, suprimiendo incluso el término, e integrando las rentas beneficiales en un fondo diocesano. Reduciránse así radicalmente las diferencias odiosas en la retribución económica del clero.

4. La simplificación de las vestiduras episcopales y prelaticias tanto en la liturgia como fuera de ella, y de las formas externas menos conformes con la sencillez evangélica y las exigencias pastorales.

5. La promoción, en la medida que conduzca a un verdadero progreso social, de la distribución de los predios rurales de propiedad de la Iglesia, donde aún existan en forma de latifundios.

6. La limitación de la cláusula de perpetuidad en las fundaciones y legados, de modo que, transcurrido un tiempo, el obispo pueda disponer de esos bienes para obras sociales de especial urgencia, evitando así la excesiva acumulación de bienes, pastoralmente nociva.

[*Subsignaverunt*:] Antonio M. Aguirre, ob. de San Isidro; Jorge Kemerer,

ob. de Posadas; Alberto Devoto, ob. de Goya; Antonio Quarracino, ob. de Nueve de Julio; Vicente Zazpe, ob. de Rafaela; Miguel Raspanti, ob. de Moron; Moises J. Blanchoud, ob. de Rio Quarto; Manuel Tato, ob. de Santiago del Estero.

94

CONFERENTIA EPISCOPALIS APRUTIENSIS

1. *De divina revelatione.*

L'attuale schema, ridimensionato, non affronta, né risolve i problemi teologici in atto e particolarmente:

a) nei nn. 8 e 9 non vengono approfonditi, con la precisione che i tempi richiedono, le convergenze e le divergenze tra S. Scrittura, Tradizione e Magistero;

b) nei nn. 11, 12, 18, relativi al concetto e alla natura dell'Ispirazione e della interpretazione della S. Scrittura, si desidererebbe fosse inserita l'affermazione di alcuni principi generali, atti a calmare le discussioni o ansie in atto tra gli studiosi cattolici.

Il parere degli ecc.mi Presuli è che lo schema, perché abbia la sua ragion d'essere, debba apportare un vero contributo positivo e chiarificatore ai problemi che appassionano l'attuale mondo cattolico; se lo schema dovesse rimanere come ora si presenta, sarebbe meglio annullarlo.

2. *De Ecclesia.*

Nei nn. 2-10 è necessario insistere più sull'elemento ontologico di appartenenza alla Chiesa, che su quello giuridico.

Il Battesimo e la Cresima, realtà ontologiche e invisibili, creano i veri membri della Chiesa, che raggiungono la perfezione nel vincolo giuridico con la Chiesa vera, che è quella Cattolica.

Solo pochi lineamenti (battezzati non cattolici, pagani desiderosi di salvezza) possono essere tali da far riconoscere in qualche modo alla Chiesa Madre i propri figli, anche se tuttora vivono fuori casa.

Il concetto bellarminiano, che dava un peso decisivo al vincolo giuridico, era giustificato dalla polemica antiprotestante. Nello spirito ecumenico, che anima oggi la Chiesa Cattolica, è bene porre in primo piano il rapporto ontologico, che è spirituale e mistico, e attribuire una funzione di complemento, sebbene necessaria, al rapporto giuridico con la Chiesa.

3. *De Beata Maria Virgine.*

Venga con chiarezza dichiarato che Maria SS. fu Vergine non solo prima del parto, ma Vergine in senso pieno e distinto anche nel parto e dopo di esso. Chiedono gli ecc.mi Presuli che il Concilio, con precise indicazioni, ponga fine a polemiche in materia che, mentre contrastano col perenne senso della Chiesa, sono scandalose, temerarie e offensive per le orecchie pie.

4. *De episcopis ac de dioecesium regimine.*

In riferimento al n. 16, l'elemento determinante per decidere della rinunzia di un vescovo alla diocesi non sia l'età, ma l'infermità fisica o psichica. Pertanto la relativa nota n. 12 venga soppressa.

Per i vescovi rinunziatari o posti in pensione, si desidera un trattamento economico veramente decoroso.

In riferimento ai nn. 17-25:

a) Le Conferenze Episcopali nazionali devono essere più rappresentative, nel senso che almeno ogni due o tre anni vengano convocati tutti i vescovi della Nazione;

b) Negli anni e nei periodi in cui vengono convocati i soli Presidenti delle Conferenze regionali, tutti i vescovi della regione siano messi anticipatamente al corrente sull'ordine del giorno della Conferenza e abbiano in anticipo la possibilità di esprimere il proprio parere al presidente della Conferenza Regionale, e tutti i vescovi siano poi messi al corrente dei lavori e delle decisioni prese dalla Conferenza stessa.

c) Per quanto riguarda Nazioni con geografia, livello sociale e diversità di problemi, come è l'Italia, vi siano due o più sotto-Conferenze; per l'Italia si ravviserebbe l'opportunità di tre sotto-Conferenze: una per il nord, una per il centro, una per il sud.

d) Si proceda periodicamente a una revisione dei confini delle Conferenze regionali, secondo le esigenze imposte dalle nuove infrastrutture sociali, che possono orientare la vita di un territorio verso una zona diversa da quella del passato.

e) In riferimento al n. 24, *b-c-d,* tutte le decisioni delle Conferenze nazionali divengano obbligatorie quando siano votate almeno dai due terzi degli Ordinari presenti e siano approvate dalla S. Sede.

f) Ogni Conferenza nazionale abbia, oltre il Segretariato Generale, anche alcuni segretariati permanenti ed efficienti di sezione.

In riferimento ai nn. 26-32, i confini delle diocesi, tenendo presenti anche i confini delle similari circoscrizioni civili, siano ridimensionati in modo che ogni diocesi sia autosufficiente.

Si potrebbero, intanto, subito annettere alla diocesi entro il cui territorio si trovano, quelle parrocchie-isole, appartenenti a diocesi lontane e con territorio distaccato.

Appendice I - N. 13.

Circa le nuove facoltà da attribuire ai Vescovi, si desidererebbe che la facoltà di dispensare gli ordinandi dal difetto di età, fosse estesa da sei a dodici mesi.

5. *De cura animarum.*

In riferimento al n. 12, sia lasciato « ad nutum episcopi » o indire il concorso canonico per la provvista delle parrocchie, oppure provvederle direttamente senza concorso. E ogni Vescovo, poi, nella sua prudenza, possa liberamente decidere se indire il concorso per una singola parrocchia o indire periodicamente concorsi generali, che permettano una larga graduatoria in base alla quale provvedere successivamente le singole parrocchie.

Qualche ecc.mo Vescovo, in riferimento al n. 33, pur approvando in genere il capitolo III, che regola i rapporti fra vescovo e religiosi circa le opere di apostolato, desidererebbe che per le Case religiose addette all'apostolato il n. 33, par. 2, venisse migliorato nel senso che nei casi di vera necessità il superiore religioso locale non possa mai esimersi alle richieste pastorali del vescovo, salvo, appena possibile, l'intesa col superiore provinciale.

Appendice III - N. 22.

Qualche Vescovo ha fatto presente che al v. 15 l'inciso « aequo iure » debba essere soppresso, perché come nella nomina, così nella rimozione del parroco religioso, l'ultima parola debba toccare al Vescovo, secondo l'adagio « chi crea, di-

strugge », e tenendo presente che il peso pastorale è del vescovo, non del provinciale.

6. *De sacrorum alumnis formandis.*

In riferimento al n. 8, dove esistono seminari interdiocesani, regionali e nazionali tutto il funzionamento di essi si svolga « sub ductu et cura episcoporum », e i rapporti fra la S. Sede e la vita di detti seminari siano tutti ordinariamente esplicati tramite i vescovi del territorio interessato.

Exc.mi Pacificus Perantoni, arch. Lancianensis-ep. Ortonensis; Constantinus Stella, arch. Aquilianus; Benedictus Falcucci, arch. tit. Preslavensis; Dominicus Valerii, ep. Marsorum; Lucianus Marcante, ep. Valvensis et Sulmonensis; Stanislaus Battistelli, ep. Teramensis et Atriensis; Pius A. Crivellari, ep. Triventinus; Antonius Jannucci, ep. Pinnensis-Piscariensis.

95

CONFERENTIA EPISCOPALIS URUGUAY

La Conferencia Episcopal Uruguaya, después de distribuir entre sus miembros el estudio de los esquemas conciliares llegados hasta nosotros, tuvo una reunión, que se prolongó por tres días, en que los mismos fueron considerados en forma particularizada.

Al final de esta reunión se resolvió enviar a la Comisión Central del Concilio Vaticano II las mociones que formulamos a continuación:

Acerca del esquema II. Que se incluyan entre las imágenes de la Iglesia las que expresan el carácter de la misma al servicio de los hombres, señaladas en el Nuevo Testamento.

Acerca del esquema IV. La Conferencia Episcopal Uruguaya expresa su más vivo deseo de que se admita como observadores del Concilio a una delegación calificada del laicado de la Iglesia.

Acerca del esquema XIV. Que el voto de castidad que se hace en el Subdiaconado no sea perpetuo, sino temporal y dispensable por el Ordinario, hasta la ordenación sacerdotal en la que se hará el perpetuo.

Que antes del Presbiterado se ejercite, por lo menos por un año, el Diaconado en las parroquias, y después se vuelva al Seminario para otro año de estudios especialmente consagrados a la Ascética y Mística, Teología Pastoral, Liturgía y Sociología, además, de un cultivo especial de la oración, y la realización del mes de ejercicios espirituales, después del cual se recibiría la ordenación.

INDEX

DOCUMENTA

PROCESSUS VERBALES CONGREGATIONUM GENERALIUM

SESSIO PUBLICA II
(29 septembris 1963)

CONGREGATIONES GENERALES

PAG.

Congregatio Generalis XXXVII

Congregatio Generalis XXXVIII

APPENDIX

ANIMADVERSIONES QUOAD SCHEMA DE ECCLESIA INTER I ET II PERIODUM A PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE